



N. 1.



BARBARORUM LEGES ANTIQUÆ

CUM NOTIS ET GLOSSARIIS.

VOLUMEN TERTIUM.

BARBARORUM
LEGES ANTIQUÆ
CUM NOTIS ET GLOSSARIIS.

ACCEDUNT

FORMULARUM FASCICULI

ET SELECTÆ CONSTITUTIONES MEDII ÆVI.

Collegit, plura Notis & Animadversionibus illustravit, Monumentis quoque ineditis exornavit

F. PAULUS CANCIANI

Ord. Serv. B. Mariæ Virginis S. T. D.

VOLUMEN TERTIUM

Quo continentur Leges Frisionum, Angliorum & Werinorum, & Saxonum, Libri Capitularium Regum Francorum, & Liber Consuetudinum Imperii Romaniæ.



VENETIIS MDCCLXXXV.

Apud { SEBASTIANUM COLETIUM, ET FRANCISCUM PITTERIUM

SUPERIORUM LICENTIA AC PRIVILEGIO.

JOSEPHO MARIÆ
GARAMPIO
S. R. E. CARDINALI
EPISCOPO CORNUETI ET MONTIS PHISCONIS

SEBASTIANUS COLETIUS ET FRANCISCUS PITTERIUS

F.

DIvinarum humanarumque legum ſtudium vetus illud quidem eſt, Cardinalis Ampliſſime, & ad moderandam religionem, ad res publicas, & civilem ſocietatem conſtituendam, ad mores hominum efformandos apprime neceſſarium. In quo excolendo cum Græci & Romani, tum liberæ poſtea nationes quæquæ, & Europæ populi univerſi ſollertem profecto curam adhiberi voluerunt, ut ampliſſima hæc omnium artium bene ſancteque vivendi diſciplina præ ceteris etiam exiſtimatione uſuque floreret. Nec vana nos eru-

ditionis ſpecie hic illos percenſere velimus, qui plurimi ſuperiorum temporum curſu in Europa de communi jure, aut de patrio tantum, qui de ſacro aut civili acutiſſime ſapienterque diſſeruere. Exiſtunt etiam nunc ſtudioſi legum cultores, iique multi, qui de utroque jure benemereri ſtudent, & veterum veſtigia recto firmoque gradu conſectantur: at quam plures numero ſunt, quorum conatus, ut fert noſtrorum temporum inveterata audacia, eo tendunt omnes, ut antiquis nova anteponant, ut vetuſtos cujuſque gentis legislatores, eorumque inſtituta de ſtatu atque avita poſſeſſione dejiciant! tum perinde ac ab iis non bene proviſum publicæ utilitati, nec diligenter explorata fuerint naturæ, rationis, & religionis principia, alia, quæ civitatibus firmandis, ſtabiliendis regnorum viribus, ſanandis populis ipſi ſibi effingunt ſtulte pro ea, qua abripiuntur, novitatis libidine, & fallaciſſime venditant, & impudentiſſime tutantur! Verum non eſt propoſiti noſtri horum errores oppugnare, qui, dum ſua jactitant inventa, in iiſque gloriantur, multa pernicioſe, multa peſtifere ſciſcunt, ac in populos diſpergunt. Eſt autem lex juſti injuſtique diſtinctio ad divinum rationis humanæ lumen expreſſa, quod procreator ille rerum omnium Deus in noſtris mentibus accendit, a quo ſi leges hominum dirigantur, legum nomen tenent, ſi abſint, violentiæ formam attingunt. Hinc illa ipſa rationis bonitas, qua præditi ſumus, quæque lex ſumma eſt inſita in natura, tam multa, tam varia gignit pro temporum & locorum hominumque diverſa indole ac temperatione legum genera, quæ juſtitiam defendant, atque tueantur, quæ iniquitatem ſupplicio afficiant, quæque purum religionis cultum, civium ſalutem, civitatum incolumitatem, vitam hominum quietam conſervent; hinc antiquitas omnis, licet plurima exhibeat, quæ vel uſu jam, vel neceſſitate, vel rerum viciſſitudine ſunt immutata, iiſdem tamen innititur boni honeſtique principiis, ex quibus tota legum natura proficiſcitur, & ejuſdem ſanctitatis, virtutis, ſapientiæ, prudentiæque documentum eſt, in queis legum condendarum ars & ſtudium conſiſtit; & hinc univerſa demum legum

latio-

lationis historia per ætatum seriem, ac regnorum & rerumpublicarum successionem contexitur ad legendum jucunda, utilis ad discendum, & cujuscumque juris integra institutio atque doctrina apta veterum cum novis permixtione formatur. Quæ quidem omnia in nova hac Legum, ut ajunt, Barbaricarum collectione, cujus Tertium Tomum tuo nomine inscribi ornarique assensus es perhumaniter, contineri videmus; & ex illa hæ præcipue oriuntur utilitates, hi fructus, quibus uberrime redundat. Cum vero pro singulari ingenii tui, quo maxime polles, judicio gravissimam antea de toto hoc opere sententiam tuleris; & commoda, quæ inde nascuntur, probe cognoveris, multo certior spes nobis ostenditur, fore nimirum, ut idem opus, tuo nunc interposito patrocinio, magis litteratis hominibus probetur, majoremque sibi laudem adsciscat, atque existimationem. Cui enim, ubi te nominari contigerit, illico non obversentur animo præclaræ animi tui dotes, eximiæque virtutes, quibus te jampridem ornatum Roma admirata est? cum in ecclesiasticis muneribus primos dignitatis & honoris gradus obtinuisses; cum ibi domicilium figens, & in Pontificiam Aulam admissus egregiam religioni & Christianæ Reipublicæ operam navare inceperis; cum inter conspicua pietatis, inter nobilia modestiæ in primis, humanitatis, prudentiæque exempla vastum illud præ te ferres ingenium ad doctrinas, & ad eruditionem natum; cumque Pontificiis Tabulariis custodiendis præfectus immensum plane opus excogitaveris, & magnam partem composueris, quod universi Christiani orbis Episcopalia per singulas Ecclesias monumenta complecteretur, &, qui de sacra eruditione, & tua Ariminensi Patria & Ecclesia, doctis editis Commentariis, bene meritus eras, in omnes Catholicæ religionis partes studiorum atque laborum tuorum beneficentiam & utilitatem diffundere volueris. At dum inter privatas, ut ita dicam, harum occupationum curas versaris, nonne divino plane consilio factum est, ut, vitæ tuæ ratione Summis probata Pontificibus, te apud Poloniæ Regem primo, deinde apud Cæsarem, Internuncium destinarent, quo & publicis Ecclesiæ rebus prospiceres, & eorum

majeſtatem ſuſtineres? neque enim in unius Urbis quantumvis maximæ anguſtiis coerceri tua virtus poterat, quæ magnis aucta animis vel unius Regni, uniuſve Imperii finibus longe lateque excedebat. Nam quis in graviſſimis difficillimiſque agendis negotiis prudentiam, quis conſiliorum ſapientiam, ſententiarum maturitatem, invicti pectoris fortitudinem juſta laudatione comprehendet, quibus præſidiis & tua fulta auctoritas, & Apoſtolicæ Sedis jura ſteterunt? Hæc autem dum aliis temporibus, aliorumque ingenio & facundiæ uberius digniuſque celebranda relinquimus, illud tamen ſilentio præterire non poſſumus, quod ſummum eſt debitæ tibi laudis caput, quod divinæ pæne & inſuetæ virtutis eſt, te talem ſemper fuiſſe, ut in auguſtis Regum, Procerumque conſpectibus uno omnes conſenſu nihil in te ne levi quidem reprehenſione dignum animadverterent, omnes innocentiæ candorem, & ſuaviſſimos mores diligerent, mentis animique gravitatem roburque vererentur, ſuſpicerent dignitatem. Igitur, quo inſignia in rem Chriſtianam merita te tua ducebant, eo tandem Pii VI. Pontificis Maximi & Optimi beneficio evectus, & in Sacrum Cardinalium Collegium cooptatus multo quidem ſplendidiori virtutum tuarum, quam Romanæ Purpuræ luce coruſcas; jamque in Italiam propediem, & in Urbem reverſurus tot tecum referes rerum a te geſtarum trophæa, tot monumenta, quot plauſibus Eccleſia univerſa tuo iſto novæ dignitatis ornamento gaviſa & lætata eſt, quam multiplici exultatione te boni omnes conſpicient, te Romani Proceres admirabuntur, te Summus Eccleſiæ Paſtor excipiet & complectetur. Quanto igitur magis lætandum nobis eſt, qui in res noſtras tanti nominis & honoris, tantæque auctoritatis patrocinium immiſſum videmus, quique tuis aſſueti beneficiis novo præterea fruimur & cumulamur munere tuæ benignitatis? & quanto exultatio major, ſi te præſentem hic, ut ſperamus, obſequio colere, & alloqui, tibi donum hocce & noſmet offerre, tum maximas gratias agere, majoreſque habere permiſſum erit? Quod quidem munuſculum, exiguum eſto vel maxime, at tibi pergratum: etenim in Friſionum legibus, & Angliorum

& We-

& Werinorum ac Saxonum, quas comprehendit, illud alimenti epulique genus ſuppeditat in eccleſiaſticis rebus, quo tua educata eruditio eſt, quo aſſidue paſceris, quo delectaris, quo perfrueris; exquiſitiorem vero voluptatem præbent Caroli Magni, & Ludovici Pii Imperatorum ſanctiſſima inſtituta, quæ Capitularia dicuntur, in quibus cum religione juſtitia, cum pietate bonitas, cum miſericordia æquitas, cum munificentia majeſtas regia decertant, utræ magis emineant, ac fulgidiori luce ſubjectos populos in ſpem omnem certæ felicitatis extollant. Nec mirum profecto, cum in iis videas, ſapientia atque conſilio doctorum æque ac piiſſimorum illius ætatis hominum, ſummorumque Præſulum, & Antiſtitum conſociata Eccleſiæ Imperiique jura, religioſoque fœdere juncta; ut, quæ præſertim religionis poteſtati judicioque ſunt commiſſa, regalis auctoritatis defenſione firmiora conſiſterent. Habuerunt iſta concordes populorum aſſenſiones, habuerunt, & etiam nunc habent omnium admirationes; eadem vero tuis approbari auſpiciis tuo ornata nomine, tuo fulta patrocinio, eo pluris æſtimandum, quo verior tui comparatio cum magnis illis Epiſcopis, qui Carolinarum legum optimi conſiliarii, auctoreſque prudentiſſimi extiterunt maximis Imperatoribus. Teſtis quippe Cornuetana, teſtis Montis Phiſconis una Eccleſia, cui regendæ præpoſitus jamdiu Epiſcopali munere illuc abſens cogitationum, illuc curarum tuarum ſollicitudinem tam impenſe convertis, ut unica ejuſdem gubernatione occupatus videaris, &, cum ſponſæ tuæ, quæ dudum te præſentem exoptat, amplexu divelli ægre feras, nihil a te unquam omiſſum, nihil neglectum, quod gregis tui mores inſtrueret, vitia reprehenderet, & ſanaret, quod Cleri dignitati, ſanctimoniæ, diſciplinæ proſpiceret, quod ſacrarum Virginum decus, cuſtodiam, tranquillitatem ſervaret, quod templis ornamentum, cultumque, viduis tuitionem, pupillis alimoniam, egenis ægriſque ſolamen afferret, quod denique ſummam in omnes tuam charitatem, providentiam, vigilantiam exerceret. Sed ne plura; tua enim modeſtia vetat; & cavendum nobis eſt, ne recta licet & juſta datæ laudationis obſequia, quæ nullis metiri terminis poſſu-

ſumus, moderationem offendant, & tolerantiam tuam. Macte interea virtutibus iſtis; macte tantis in Eccleſiam promeritis; perge, quo te divina bonitas provehit, & communis felicitas, ad capeſſenda majora: quam vero gratiam nobis benigniſſime contuliſti, hanc ut tuearis, & augeas, demiſſi humileſque petimus, atque oramus.



CON-

CONSPECTUS

HUJUS TERTII VOLUMINIS.

TABULÆ IN ÆRE INCISÆ.

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del *P. F. Gio. Tommaſo Maſcheroni* Inquiſitor General del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato *Leges ſub Francis facile conditæ Populorum &c. Mſ. e Stampato*, non vi eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a *Niccolò Coleti* Stampator *di Venezia*, che poſſa eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 15. Luglio 1783.

(Andrea Tron Kav. Proc. Riſ.
(Niccolò Barbarigo Riſ.
(Alviſe Contarini 2°. Kav. Proc. Riſ.

Regiſtrato in Libro a Carte 88. al Num. 824.

Davidde Marcheſini Segr.

Adi 28. Luglio 1783.

Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſs. contro alla Beſtemmia a Carte 114. tergo.

Andrea Sanfermo Segr.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 122. lin. 14. anno DCCCCIV.	anno DCCCLXXXXVIII.
497. lin. 41. judicetur	judicentur

LEGES

LEGES

SUB FRANCIS FACILE CONDITÆ

POPULORUM

QUI FRANCIÆ ORIENTALIS REGNO ACCESSERUNT,

FRISIONUM, ANGLIORUM ET WERINORUM, SAXONUM,

SUBJICIUNTUR

Capitularia ad Saxones proprie ſpectantia, Abrenuntiatio Diaboli, Profeſſio Fidei, atque Indiculus Superſtitionum, & Paganiarum,

TANDEM

LIBELLUS ANTIQUUS DE BENEFICIIS.

IN LEGES
FRISIONUM, ANGLIORUM ET WERINORUM, SAXONUM
MONITUM COLLECTORIS.

CArolus Magnus, referente Eginhardo (1), *post susceptum Imperiale nomen . . . omnium nationum, quæ sub ejus dominatu erant, jura quæ scripta non erant, describere ac litteris mandari fecit.*

Eginhardo consonat & Poeta Saxo, hæc de præfato canens Augusto (2):

Ipse decem post hæc & ternos circiter annos
Augusto lætus vixit in Imperio.
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
Cunctorumque sui Regni leges populorum
Collegit, plures inde libros faciens.

Sed quorumnam quæso populorum leges Augustus Carolus primum in scripturam redigi jussit? Ego profecto reor, inter eas recensendas esse has ipsas, quas modo trado, cum illarum incunabula aliunde repetere nequeam, & præsertim cum inter omnes scriptos Barbarorum codices, qui ad nostra usque tempora pervenere, alii certe non occurrant, quorum primordia ad hanc epocham referri valeant.

Neque quis putet, antiquiorem esse Frisionum Codicem, eo quod in ipso occurrant, quæ vetustum sapiunt Ethnicismum (3). Hæc namque jure credere possumus in scriptum codicem irrepsisse ex vetustioribus legibus, prout quondam memoria recolebantur; quod & in aliis legalibus codicibus, cum primum litteris mandati fuerunt, evenisse edocemur ex Prologo, quod superiori Volumine aliis popolorum Regni Austrasiæ legibus ego præposui.

Et profecto in ipsa Frisionum lege non unicum adest exemplum, quod stabilita jam in gente Christiana sacra liquido declarat; uti sunt ea quæ habentur de juramento ad reliquias Sanctorum (4), de sortibus super altare mittendis advocato Presbytero (5), de observantia diei dominicæ (6).

De lege Angliorum & Werinorum nihil habeo peculiare quod dicam, nisi quod in illa memoretur sapiens *Wlemarus* (7), cujus & in additionibus Frisicis mentio fit (8) Quare si additiones ipsæ Frisionum Codici assutæ sunt, cum primum veteres Frisionum leges redactæ fuere in scripturam (quod profecto non abludit a vero), inde colligere licet Angliorum & Werinorum codicem Frisico esse coævum. Hæc autem, ut verum fatear, insinuant quidem, sed non sat firmiter probant epocham, quam supra tradidi, ut mirum non sit, doctissimos viros in alias æque saltem incertas abiisse sententias.

Codex Legis Saxonum nobis indigitat certiora primordia; ex ipso namque perspicimus, Saxones tum subiisse jugum Regum Francorum (9), & Christiana sacra jam constituta habuisse (10), quin & quamplures nobiles Saxones actos fuisse

---

(1) Eginhardus in Vita Caroli M. (2) Poeta Saxo lib. V.
(3) Consule Leg. Fris. Tit. V. 1. & leg. fin. codicis,
(4) Lex Fris. Tit. III. 1. X. 1. XIV. 1. 3. (5) Ibid. Tit. XIV. 1.
(6) Ibid. Tit. XVIII. (7) Lex Angl. & Werin. Tit. V. ad legem XII.
(8) Lex Fris. Add. Sap. ad Tit. I. Tit. III. 76. Tit. VIII.
(9) Lex Sax. Tit. I. 1. (10) Ibid. Tit. II. 8. 10. XV. 2.

fuisse in exilium (1). Quod profecto innuit, Codicem conscriptum fuisse post celebre illud apud Historicos exilium, seu verius deportationem perduellium Saxonum, quæ ad annum DCCCIV. refertur, dum Carolus Magnus *decem hominum millia* (verbis utor Eginhardi (2)) *ex his, qui utrasque ripas Albis fluminis incolebant, cum uxoribus & parvulis sublatos transtulit, & huc atque illuc per Galliam & Germaniam multimoda divisione distribuit.*

Sed ut ad alia procedamus, sunt qui putent, non legem integram Saxonum, sed ejus tantummodo partem, seu fragmenta ad nos usque pervenisse (3), eo innixi argumento, quod veteres ex legibus Saxonum quædam citent, quæ in lege, prout hodie habetur, desiderantur.

Inter has unicam recensere non pigebit, ex qua perbelle dignoscitur, quantum Germanis veteribus cordi esset, generis ordinem, & sanguinis nobilitatem immaculatam servare, & imparibus conjugiis non confundi, aut dehonestari propagines. Legem ipsam refert Adamus Bremensis, ut ex Eginhardo exscriptam, his verbis (4): *Generis quoque, ac nobilitatis suæ providissimam curam habentes, nec facile ullis aliarum gentium, vel sibi inferiorum connubiis infecti, propriam & sinceram, tantumque sibi similem gentem facere conati sunt. Unde habitus quoque, ac magnitudo corporum, comarumque color, sicut in tanto numero hominum, idem pene omnibus. Quatuor igitur differentiis gens illa consistit, nobilium scilicet & liberorum, libertorumque, atque servorum. Et id LEGIBUS FIRMATUM, ut nulla pars in copulandis conjugiis propriæ sortis terminos transferat, sed nobilis nobilem ducat uxorem, & liber liberam, libertus conjungatur libertæ, & servus ancillæ. Si vero quispiam horum sibi non congruentem, & genere præstantiorem duxerit uxorem, cum vitæ suæ damno componat.*

Cum itaque hæc lex, uti & aliæ nonnullæ ex legibus Saxonum a veteribus allegatæ, in codice hodie existente non reperiantur, collegere eruditi Codicem ipsum esse imperfectum.

Sed hæc illatio infirma est. Etenim hæc allegari potuere vel ex antiquiore Saxonum *Euua* non scripta, qualem certe esse reor legem, quam modo de conjugiis retuli ex Eginhardo decerptam, quam ipso Carolo Magno antiquiorem fuisse diffitebitur nemo: vel allegari potuere ex Decretionibus; latiori sensu *legibus* nuncupatis, quæ tamen nunquam in Corpus juris transierint. Et revera supersunt adhuc *Capitulatio de partibus Saxoniæ*, & *Capitulare Saxonum* pluribus referta decretis, quæ in ipsa lege non extant. Alias quoque Saxones quosdam servavere sanctiones, Heroldo teste, qui de Haraldo Daniæ Rege verba faciens habet (5): *Hujus viri industria in Divinis quidem rebus fuit eximia; nihilominus tamen etiam in mundana sapientia, in his videlicet, quæ ad Regni gubernationem pertinere videntur, adeo claruit, ut leges, & jura statuerit, quæ pro authoritate viri, non solum Dani, sed & Saxones adhuc hodie servare contendunt.* De his ergo, vel ejusmodi legibus seu sanctionibus quæ non continerentur in Codice, Authores antiqui loqui potuerunt; adeo ut ex illis imperfectio Codicis, qui adhuc superest, non evincatur.

Transeo ad *Capitulationem de partibus Saxoniæ* pluribus digestam capitulis, de quorum ætate quidquam pronunciare non ausim. Multa namque lata perspiciuntur, quo tempore in Saxonia condebantur Ecclesiæ, in ipsa allati per Carolum M. Christianismi infantia, magno adhuc robore vigentibus superstitionibus Ethnicis. At vero Lex Saxonum supponit Christiana sacra firma radice plantata, & Ecclesiam solido satis fundamento roboratam.

Ex altera vero parte in ipsa Capitulatione isthæc occurrunt: *De perjuriis secundum legem Saxonum fit* (6); quæ oppido alludunt ad ea, quæ in Saxonum lege scripta sunt adversus perjuros (7).

Suspicio exinde oritur mihi, *Capitulationem de Partibus Saxoniæ* non ex integro constitutam fuisse uno tempore, unoque contextu, sed esse centonem ex Ca-

(1) Ibid. Tit. XVII. 1. (2) Eginhardus loc. cit.
(3) Consule allegata ab Heineccio Hist. Jur. Civ. Rom. & Germ. lib. II. N. 35.
(4) Adamus Bremen. Hist. lib. I. (5) Heroldus lib. 1. cap. 15.
(6) Capitul. de Partib. Saxoniæ cap. XXXIII. (7) Lex Saxon. Tit. II. lege 8. 9.

Capitulis variis temporibus latis ; & alia quidem ante ſcriptam legem , alia vero poſt ſcriptam legem condita fuiſſe.

Aliud Capitulare in Saxonum gratiam editum epocham refert anni DCCXCVII. v. Kal. Novembris; ac proinde ex mea quidem ſententia eſt Saxonum lege vetuſtius.

In hoc quidem Capitulari memoratur Saxonum *Euua ;* quæ vox ab eruditis interpretari ſolet, *lex.* Sed notandum vocem illam apud Barbaros eſſe ſcriptis legibus antiquiorem , & deſignare generatim legem tum ſcriptam , tum non ſcriptam , & magis proprie *conſuetudinem antiquam ſemperque obſervatam* (1). Quare neutiquam ex eo vocabulo inferri poteſt, ut ad ſcriptum Saxonum codicem alludatur.

Cæterum meam ſententiam firmat conſtitutio, quæ legitur in præfato Capitulari; ſcilicet , ut *de malefactoribus* (2), *qui mori debent , rex habeat licentiam ipſum malefactorem cum uxore , & familia, & omnia ſua foris patriam infra ſua regna , aut in marca , ubi ſua fuerit voluntas , collocare , & habeant ipſum quaſi mortuum.* Quæ ſane conſtitutio antiquior eſſe deprehenditur tum Saxonum deportatione anno DCCCIV. peracta, de qua ſupra actum eſt, tum & Saxonum lege, quæ *nobiles jam in exilium miſſos* fuiſſe ſupponit.

Obiter hic advertas velim, quod quamquam Regalis majeſtas, atque auctoritas eximia ævis illis inter Francos incrementa ſuſcepiſſet, & quamquam Carolo Magno fas eſſet animadvertere in Saxones, non tantum ex jure imperii, ſed & ex jure belli & victoriæ, ille a Comitiis Generalibus, (in quibus Sanctio ipſa peracta fuit) veniam obtineret , ut reos, qui pœnæ mortis legibus ſtatutæ obnoxii erant, mitiori ſententia mulctaret. Simile Carolus ipſe exemplum præbet, dum congregatis Comitiis cauſam exagitans Taſſilonis Bajuvariorum Ducis, qui utpote rebellionis incuſatus ex Bajuvarica lege (3) *viam ſalutis* amiſſurus erat, omnibus capitalem ſententiam proclamantibus , *Rex miſericordia motus* , (verba ſunt Reginonis (4)) *eo quod conſanguineus ejus eſſet , obtinuit ab ipſis Dei, & ſuis fidelibus, ne moreretur.*

Ut ad rem noſtram revertamur , Legem Friſionum notis Sibrandi Siccamæ Juriſconſulti , viri celebris , illuſtratam trado. Angliorum & Werinorum Legi notulas paucas ex calamo meo ſubjicio. Legem Saxonum, & quæ ad Saxones pertinent Capitularia, illuſtrationibus Caroli Guillelmi Gærtneri, in Academia Lipſienſi juris quondam Anteceſſoris, erudite expoſita exhibeo.

Saxonum Legem & Capitularia excipiet *Abrenuntiatio Diaboli, & Profeſſio Fidei, atque Indiculus Superſtitionum & Paganiarum.* In quo exemplar ſequor Cl. Eccardi , cui ea ſuæ legum collectioni interſerere , & quidem Legi Saxonum ſubjicere animus erat (5).

Hæc ex Codice Bibliothecæ Vaticanæ deprompta Monumentis Paderbornenſibus inſeruit Celſiſſimus & Reverendiſſimus Princeps Ferdinandus L. B. a Furſtemberg Epiſcopus Paderbornenſis, & Monaſterienſis &c., qui præmiſſa rubrica hæc monet (6): *In alio vetuſto Ms. Palatino ſubjungitur Concilio Liſtinenſi anni DCCXLIII. Abrenuntiatio Diaboli , operumque ejus , & brevis Profeſſio Fidei veteri lingua Theotiſca , cum Indiculo ſuperſtitionum , a quibus populum Epiſcoporum ſollicitudine revocandum Synodus illa ſtatuit parte I. can. 5. quo vix ullum antiquitatis Germanicæ monumentum vetuſtius extat: annos enim ſuperat DCCCC.*

Ea autem in Saxonum gratiam condita fuiſſe præfata Abrenuntiatio Diaboli declarat , qua baptizandi jubentur inter cætera abrenuntiare *Saxnote* , ideſt , *Othino Saxonico*, vel, ut alii aptius explicant, *Saxonico conſortio.* Ad quos & facile ſpectare dignoſcitur *Indiculus Superſtitionum , & Paganiarum* , quo ſcilicet neophyti noſcerent , a quibus ipſis cavendum eſſet , ne in ritus inciderent , quibus vel Pagani operam dabant, vel ipſi quoque recens converſi Chriſtiani, qui veterum inſtitutorum oblivîſci neſcii aut Ethnica quædam adhuc non deſerue-

(1) Wachter Gloſſar. V. *Ehe.*
(2) Capitulare Sax. cap. X.
(3) Lex Bajuvar. Tit. II. c. 9.
(4) Regino ad an. DCCLXXXVIII.
(5) V. *Bibliotheque Germanique* Vol. III. P. I. pag. 296.
(6) Monum. Paderborn. pag. m. 330.

fuerant, aut ea ad Christiana sacra stulte detorquebant. Quo morbo profecto laborarunt & posteri, neque desunt qui laborent usque in hodiernam diem.

Indiculus ipse brevissimus quidem, sed rebus adeo gravidus est, ut verbum pene in eo non occurrat incuriose prætereundum. Quare dignus habitus fuit, ut in illum Commentaria inter cæteros ederet præfatus eruditissimus Eccardus. Tanti viri exemplo & ego animadversiones meas (quæcumque tandem eæ sint) in ipsum instituere aggressus sum, cum persuasum habeam, illum adhuc hac illac exponi posse quibusdam argumentis, quæ Eccardus ipse, aliique scriptores reliquerunt intacta.

Ejusmodi conatus forte quis irridebit, cum ridicula & puerilia Indiculus sæpe præseferat. Sed animadvertendum est, hasce futilitates non modica præbere subsidia explicando, atque illustrando, imo & intelligendo intimo sensui, ac spiritui quamplurium Legum, Canonum, atque Capitulorum, inter Barbaros præsertim latorum; & pervestigandis genuinis rationibus, & causis eorum, quæ inter gesta medii ævi occurrunt, ac quorum haud minimam partem ad nostra usque tempora observari conspicimus. Ut parva itaque habenda non sunt, sine quibus magna constare non possunt.

Sed & dum ad ineptias ipsas, quatenus ineptiæ sunt, animum quis tantisper adverterit, has quoque eruditis gratum nonnunquam pabulum præbere perspiciet. Dum enim non tantum apud Barbaros, sed & apud Romanos, Græcos, Orientales, Indos, & Americæ populos ejusdemmet generis futilia Philosophus animadverterit observari, forte haud sine emolumento inquiret in causam, cur in tam lato orbe, & inter tot populos, inter quos aut nullum aut vix ullum intercedebat commercium, tanta & in rebus frivolis opinionum & rituum convenientia deprehendatur.

Hunc autem exterorum cum Barbaris parallelismum persequi instituti mei ratio & brevitas non sinit, cum aliunde satis in longum abierit oratio; quamquam plus sollicitus fuerim, quæ de animadversionibus meis detraherem, quam quæ superadderem. Quapropter analogias & consectaria eliciet marte suo eruditus Lector, qui volupe paratæ messis amœnos colliget fructus.

Quin imo ne tædio ac fastidio nimius essem de ineptiis longius agens, statui quoque plura vel pene vel prorsus intacta relinquere; sed & nonnullos Indiculi articulos parvula ac trivialia exhibentes, tantum ferme quasi occasiones arripui, ut de non penitus parvulis agerem.

Ut autem quo verius, quo dilucidius possem, Indiculi exponerem argumenta, usus maxime sum sanctionibus tum ecclesiasticis tum civilibus circa inhibitos ritus versantibus, atque illis præcipue, quæ constitutæ sunt inter populos, inter quos ejuscemodi instituta vigebant. Magno quoque adjumento mihi fuerunt historiæ & documenta Germanorum Septemtrionalium, atque Slavorum, utpote qui antiquissima Scytharum, Celtarumve instituta, quibus & Germani veteres imbuti fuerant, diutius, sanctiusque servaverint, atque ad notitiam nostram puriora transmiserint.

Subdo tandem libellum *de Beneficiis*, qui antiqui Juris Feudalis summa capita exhibet, paucis, brevibusque notulis Christiani Thomasii subjectis, quibus vel quædam obscura loca illustrantur, vel quædam ex mendis, quibus libellus plurimum scatet, corriguntur. Eum hic reponere opportunum duxi; quamquam enim privata tantum authoritate conscriptus esse videatur, maximi tamen usus illum extitisse reor præcipue in regionibus, e quibus Franciæ Orientalis Regnum constiterat. Et quidem ab aliis jam observatum est, quamplurima ex eo decerpsisse Juris Feudalis Saxonici, & Alamannici concinnatores. Ipse Cl. Thomasius hunc jampridem ab Havichorstio editum iterum quasi ineditum exhibens, ad singulos paragraphos adjecit loca parallela Speculi Saxonici, & Speculi Svevici; quæ ex eodem Authore & ego hic inserui signata litteris S. L. A. *S. denotat jus Feudale Saxonicum Germanicum, edente Zobelio. L. indicat idem jus Latinum, secundum editionem Goldasti in Consuetudinibus Imperialibus. A. significat jus Feudale Alammanicum ex editione Schilteri* (1).

Præ-

(1) Hæc ex Thomasio Select. Feud. pag. m. 72.

Præfatus Thomaſius ratus eſt, libellum hunc ſcripto traditum fuiſſe (1) ante tempora Conradi Salici, quod conſcriptus eſſe videatur, quando nepotibus jus non erat ſuccedendi in feudo (2), quos ad ſucceſſionem admiſit ipſe Conradus.

Porro Conradus Salicus regnum adeptus anno MXXIV. in Italico Regno Conſtitutionem de ſucceſſione nepotum in feudis emiſit anno (juxta exactiorem calculum) MXXXVIII. *in obſidione Mediolani* (3), quæ Conſtitutio inter Leges Langobardicas relata fuit. Thomaſius autem ex teſtimonio Wipponis colligit (4), idem jam ab ipſo Conrado ſancitum antea fuiſſe pro Regno Germanico.

Atqui non inter eruditos omnes convenit, evinci ex libello, ipſum ſcriptum fuiſſe, quando nepotibus jus non erat ſuccedendi in feudo (5). Ego hæc & ſi quæ alia doctorum virorum hac in re argumenta infirmare minime auſim, dum promo opinionem meam. Adeſt in libello articulus, in quo hæc leguntur: *Rex (6) quem eligunt Teutonici, cum Romam vadit ordinari, ſecum ibunt de jure ſex Principes, qui primi ſunt in ejus electione, ut pateat Apoſtolico Regis juſta electio.*

Articulum autem hunc ego ſcriptum reor, poſtquam invaluerat, ut Rex Germaniæ & Italiæ in Germaniæ partibus eligeretur uno contextu, & ſic electo jus quoddam ad adipiſcendam Romani Imperii coronam competeret, quæ inde a Carolo Magno conferebatur a Romano Pontifice, accedente forte Cleri, Senatus, Populique Romani ſuffragio.

Id autem ante Conradum Salicum neutiquam obtinuerat. Aliter enim rem ſe habuiſſe de Auguſtis Othonibus evincunt, quæ ſolide, eruditeque allegavit noſter Muratorius, quin & de Henrico Sancto immediato Conradi præceſſore. Defuncto enim Othone III. Germani quidem Regem ſibi ſtatuerunt Henricum; at Italorum diviſis ſuffragiis alii in Henricum ſuffragia tulerunt, alii in Arduinum Eporediæ Marchionem, cujus partes eo tunc prævaluere. Sed biennio poſt *Arduini ſpreto dominio* Henricus ipſe in Comitiis Roncalienſibus unanimiter electus fuit *in Regem, & Imperatorem*; quæ innuunt, tunc jus prætendi *Italiæ Regi* (quatenus ſcilicet ab Italis, non quatenus a *Theutonicis* electus erat) ad Imperiale diadema ſuo tempore obtinendum. De his omnibus conſulatur eruditiſſima Muratorii Diſſertatio *de Imperatorum Romanorum, & Regum Italicorum electione* (7).

Hæc vero ſunt quæ me impellunt, ut negem libellum, de quo agimus, Conrado Salico eſſe vetuſtiorem.

Alia interim non eſt omittenda obſervatio Marquardi Freheri (8); quod nimirum *in toto libello nunquam* feudi, *aut* feudalis *fiat mentio, ſed ſemper* beneficii, beneficialis, inbeneficiati *voces occurrant*. Ex quo facile colligitur libellum exaratum fuiſſe, antequam *feudi* vox invaluiſſet in foris.

Egregia obſervatio; ſed noſſe adhuc ſupereſt, quando præciſe vox *Feudum* invaluerit in foris. Ego equidem neſcio, num vox illa occurrat in charta ulla ante ſæculum XI., quæ ſubleſtæ fidei ſuſpicione non laboret. Muratorius, qui eam reperit apud Landulphum ſeniorem, qui anno MLXXXV. ſcribebat, & aliam ſubinde chartam exhibet anni MXCI., in qua *Feudum* memoratur, ſubdit: *Frequentiores deinde in Archiviis offerre ſe incipiunt Tabulæ, formulis bene conceptis* Feudum *exprimentes* (9). Quare vox ipſa non videtur adeo adulta fuiſſe, ut ſatis virium acquiſierit in foris, ante ſæculi undecimi fines, vel etiam inchoato jam ſæculo ſubſequente.

Ex dictis ergo colligere mihi eſt, libellum noſtrum ſcriptum fuiſſe non qui-

(1) Thomas ibid. de Authore, fato, & vetuſtate &c. n. XXV. & n. XXXV.
(2) Conf le libellum ipſum Art. V. XX. XXIV. XXV. XLIV. LXXVI.
(3) Ap. Murator. Antiq. Ital. Diſſert. XI. (4) Thomaſ. l. c. n. XXVIII. XXIX.
(5) Vide Heinecc. Hiſt. Jur. Civ. Rom. & German. in Præfat. verſus finem.
(6) Libell. Art. XII. (7) Murat. Antiq. Ital. Diſſ. III.
(8) Marquardus Freherus not. ad Conſtit. de expeditione Romana a Thomaſio allegatus loc. cit. n. XV. (9) Conſule Murator. Antiq. Italic. Diſſert. XI. Conſule quoque Cangium in Gloſſ. V. *Beneficium*, & V. *Feudum*.

dem ante Conradum Salicum, eo tamen sæculo quo Conradus Salicus vixit, vel ad summum in ipsis subsequentis sæculi primordiis.

De Paganiis, & superstitionibus Ethnicis acturus, haud incongruum duxi quædam præmittere de Ethnicismo Barbarorum, atque de eorum circa Polytheismum superstitiosa fide. Utile namque erit isthæc prænoscere iis præsertim, quibus otium erit animadversiones meas in Paganiarum Indiculum percurrere.

Certum est, Barbaros inter magnam Deorum multitudinem unum agnovisse supremum Numen, eumque talibus distinxisse attributis, quæ summæ Divinitatis notioni exhibendæ aptissima sunt. Turcæ, Scytharum genus, referente Simocatta (1), *admodum effuse ignem colunt, aerem & aquam venerantur, telluri hymnos concinunt. Adorant autem tantummodo, & Deum nuncupant illum, qui cœlum & terram fecit.* Slaveni, & Antæ, teste Procopio (2), *unum Deum fulguris effectorem, Dominum hujus universitatis solum agnoscunt.* Slavi, narrante Helmoldo (3), *inter multiformia Deorum numina, quibus arva, sylvas, tristitias, atque voluptates attribuunt, non diffitentur unum Deum in cœlis cæteris imperitantem.* Cui consonat & Tacitus de Svevis Semnonibus loquens, dum de quadam illorum sacra sylva verba facit (4): *Ibi regnator omnium Deus, cætera subjecta, atque parentia.*

Supremum hocce Numen pulchre pingit Islandica Edda, quæ Ethnicorum Septemtrionalium exhibet Mithologias. Eam refero ex Latina versione. *Antiquissimus* (5), *omnium Deorum* Alfader (omnium pater) *appellatur. Hic Deus per sæcula vivit, & regnum suum gubernat, omnia regens, magna & minima, summa & ima .... Is cœlum, terram, & aerem condidit, omnemque eorum possessionem; & quod maximum est, hominem fecit, cui animam tribuit semper victuram, nunquam interituram.*

Hinc ex Septemtrionalium fastis colligimus, Ethnicorum saniores huic supremo Numini vota nuncupasse, huic preces obtulisse, hunc in necessitatibus invocasse. Giestus Reisi avunculus hæc nepoti precatur (6): *Obtestor, atque precor illud idem, quod solem creavit, ut in omnibus te prosperum reddat.* De Thorkillo in maris periculo constituto hæc habet Saxo (7): *Igitur cæteris propensiora sibi numina nequicquam deprecantibus, Thorkillus Universitatis Deum votis aggressus, eique cum precibus libamenta defundens, mox prioris cœli usum, ac perspicua rerum elementa prospera navigatione collegit.* Thorkillus alter, *Mane* nuncupatus, *moribundus* (8) *in apricum ferri voluit, ei Deo se commendans, qui solem creavit.* Haraldus Pulchricomus *adhuc adolescens* (9) *fertur in frequenti incolarum conventu in hæc verba locutus: Sancte juro, & polliceor, inquit, me nulli ex vulgaribus Diis hostiarum oblatione serviturum esse, sed ei soli, qui mundi hujus, & universorum parens, & fabricator est.* Ipseque Haraldus, referente Snorrone (10), votum nuncupat *Deo suo conditori, rerumque omnium moderatori.* Hæc protulisse sufficiat.

Ego tanquam certum non venditabo, summum hunc Deum illum fuisse, qui ab antiquis Europæis juxta varia Celtica dialecta *Teut*, *Tau*, *Tus*, *Tis*, *Dis* &c. appellabatur, & qui blando nomine *Patris* (*Atta*) adjuncto, Latine loquentibus *Ditis Pater*, Latino-Celtice celebrabatur *Teutates* (11). Vehementissime tamen persuasus sum, ab ipso Celtico *Teut*, lenita Græcorum more pronunciatione, vocem Græcam *Theos*, & subinde Latinam *Deus* profluxisse.

Quare genuinam vocis *Theos* & *Deus* significationem facile agnitam iri putarem, si Celtici primigenii vocabuli *Teut* vis apte percipi posset. Ego quondam *Regnatorem* (12) interpretatus eram. Sed in aliam me traxit sententiam Cl. Johannes Ihre (13), qui *Teut* interpretatur *Bonus*. Et quidem hæc vox in Evangelio Ulfilæ occurrit eadem significatione, ut Lucæ I. *Thiuthe gasothida*

(1) Theophyl. Simocatta lib. VII. cap. 8. (2) Procop. de Bello Goth. lib. III. cap. 14.
(3) Helmold. lib. I. cap. 83. alias 84. (4) Tacit. Germ. cap. XXXIX.
(5) Edda Mithol. III. (6) Krokarefs Saga ap. Barthol. Antiq. Dan. lib. I. cap. 6.
(7) Saxo lib. VIII. (8) Landnama Saga ap. Ihre Glossar. V. *Befalla*.
(9) Ap. Bartholin. l. c. (10) Snorro Historia Haraldi cap. IV.
(11) Videatur de his Pelloutier *Hist. de Celtes* lib. III. cap. 6.
(12) Consulatur Wachteri Glossar. V. *Teut*. (13) Ihre Glossar. V. *Gud*.

da gredagans ; Bonis satiavit esurientes. Congruit & dialectorum Germanicorum analogia, quibus Deus nomen suum ex bonitate (*God*) pariter sortitus est. Congruit præcipue Ethnicorum institutum, qui *Malum* quoque agnovere principium, ut propterea contrapositis vocibus, Deum illum *Bonum*, hunc vero *Malum* absolute appellare consueverint. Sed de *Malo* agemus inferius.

Otii gratia hic quæri posset, num trinum quid Barbari in suprema Divinitate excogitaverint, ut alii quoque cogitasse perhibentur Philosophi (1); non quod Divinam Christianorum Triadem agnoverint, sed quod ternarium numerum in summa Divinitate perscrutari conati sint; qui magnus certe Christianæ veritatis triumphus esse mihi videtur. Hac in re profecto non unum quoad Barbaros proponere possem argumentum, sed ex Edda illud seligo, quod magis videtur accommodum.

In fatidica visione Gangleri (2) tres personæ apparent, tribus insidentes thronis, quarum nomina sunt, *Har*, *Jafnhar*, *Tredia*, hoc est, *Excelsus*, *Æque excelsus*, *Tertius*. Animadversione digna sunt tria nomina relativa, nec non imago ex antiquo Eddæ Codice desumpta, quam hic ex Bartholino oculis eruditorum subjicio, ubi prospicitur Gangleruș scipioni procumbens ante tres viros in thronis sedentes corona redimitos, atque ex supremo loco positi occipite procedens Sol, quasi ipse esse indicetur *Creator Solis*; quo attributo supra vidimus a Septemtrionalibus Ethnicis supremum numen donari.



(1) Vide Schedium de Diis Germanis, qui de his fuso calamo agit pag. m. 321. seqq.
(2) Edda Mithol. II.

Hæc pro summa Divinitate a gentibus illis habita fuisse suadent quoque relata a Jo. Christophoro Cleffelio (1) narrante, inter Codices Manuscriptos Arnæ Magnæi Academiæ Hafniensis Professoris se vidisse vetustissimos quosdam, in quibus collecta erant fidei christianæ symbola, atque preces; in quorum principio rudi penicillo, & sine ulla arte depictæ erant tres Divinæ Personæ eadem ratione, qua nos hic trinum Ethnicum exhibemus; nisi quod ei, qui in excelso sedet, nomen Dei Patris, medio Dei Filii, & infimo Dei Spiritus Sancti appositum fuerit.

Fateor hæc non sufficere evincendæ ulli circa summæ Divinitatis ternarium credulitati Ethnicorum; at vero satis sunt, ut inferamus, quod sicuti levis esset, qui ejusmodi innixus argumentis id affeveranter affirmaret, ita esset duræ cervicis, qui perfracte negaret.

Præter supremum Numen, alia multiformia inferioris ordinis numina a Barbaris exculta fuisse monumentis edocemur innumeris; de quibus quædam saltem generatim juvat inquirere.

Astra, elementa, terram, aliaque visibilia corpora, & sub sensibus cadentia pro Numinibus culta fuisse, facile persuadent quamplurima Scriptorum veterum testimonia. Ex quibus unum ad instar omnium allego Canutum Regem, qui Ethnicismi reliquias lege inter Anglosaxonicas relata cohibuit: *Prohibemus* (2) *etiam serio omnem Ethnicismum. Ethnicismus est, quod quis Idola adoret, hoc est, quod quis adoret Deos gentiles, & Solem vel Lunam, ignem vel fluvium, torrens vel saxa, vel alicujus generis arborum ligna.*

At vero isthæc, & alia ejuscemodi vel a Legislatoribus constituta, vel ab Historicis enarrata, apta quidem sunt, ut quoad Ethnicismum Barbarorum historica firmetur veritas, sed non ut intimum dignoscatur superstitionis institutum. Etenim si rem medullitus inspectemus, planum fiet, Ethnicos non in ipsas res visibiles, atque corporeas cultu perlatos fuisse, sed in spiritus, ac genios, quos veluti rectores, aut motores, aut custodes, in ipsis visibilibus rebus versari opinabantur.

Id diserte docet Procopius, verba faciens de Thulitis, qui utpote ab exterorum commercio semoti, vetera instituta mordicus servabant. *Complures Deos* (3), *ac Genios colunt, partim cœlestes, partim aerios, alios terrestres, quosdam marinos, & alia quædam minora Numina, quæ in aquis fontium, fluminumque versari perhibent.*

Assertum firmat Ecclesiasticus Canon a Burchardo allegatus: *Perscrutandum* (4), *si aliquis vota ad arbores, vel ad fontes, vel ad lapides quosdam, quasi ad altaria faciat, aut ibi candelam seu quodlibet munus deferat, VELUTI IBI QUODDAM NUMEN SIT, quod bonum aut malum possit inferre.* Vides, quod arboribus, fontibus, & lapidibus cultus exhiberetur, non quod hæc haberentur ut Numina, sed quod illis *quoddam Numen* inesse creditum sit.

Inde lumen accipit & locus Taciti de Germanis loquentis, in quem male impegerunt Interpretes. *Ceterum* (5) *nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur. Lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.* Si corporeas res, ut astra, fontes, saxa, & ea, de quibus hic sermo est, consecrata nemora, & lucos, proprie coluissent, ut Deos, non est cur *Deorum nominibus* appellarent *secretum illud, quod sola reverentia* videbant.

Pulchre ejusmodi Numinum indolem exponit Helmoldus, dum de Slavis scribit (6): *Inter multiformia Deorum numina, quibus arva, sylvas, tristitias, atque voluptates attribuunt, non diffitentur unum Deum in cœlis ceteris imperitantem; illum præpotentem cœlestia tantum curare; hos vero distributis officiis obsequentes de san-*

(1) Cleffelius Antiq. German. pag. 452. (2) Leg. Anglos. ex Versione Wilkinsii pag. 134. (3) Procopius de Bello Goth. lib. II. cap. 15.
(4) Ex Cod. Ms. Burchardi lib. II. cap. 32. allegat. ex Conc. Agath. Vide Tom. VIII. Conc. Edit. Ven. noviss. Zatta. Idem Canon ex Conc. Rothomag. allegatur apud Rheginonem de disciplina Eccl. Edit. Steph. Baluzii lib. II. pag. 210.
(5) Tacit. Germ. cap. IX. (6) Helmoldus lib. I. cap. 83. alias 84.

ſanguine ejus proceſſiſſe, & unumquemque eo præſtantiorem, quo proximiorem illi Deo Deorum.

Tranſeamus nunc ad alia, quæ ipſe enarrat Helmoldus (1): *Eſt autem*, inquit, *Slavorum mirabilis error; nam in conviviis & compotationibus ſuis pateram circumferunt, in quam conferunt, non dicam conſecrationis, ſed execrationis verba, ſub nomine Deorum, boni ſcilicet atque mali, omnem proſperam fortunam a bono Deo, adverſam a malo dirigi profitentes; ideo etiam malum Deum ſua lingua* Diabol, *ſive* Zcerneboch, *ideſt nigrum Deum appellant.*

Eorum, quæ de Slavis ſuis refert Helmoldus, reliquiæ ſupereſſe hodienum videntur apud Slavos Morlaccos in vocibus uſitatis, *Dobra ſricbia*, *Neſricbia* (*Bona fortuna*, *Mala fortuna*), quas duas veterum Divinitates fuiſſe ſcribit Joannes Lovrich (2). Profecto etiamnum apud ipſos *Neſricbia* Cacodæmonem denotat.

Fabricius narrat & apud Saxones eamdem viguiſſe credulitatem: *Ante tempora* (3) *Karoli Magni Saxonibus præter Tinnum Deum, & Deam Sibam, malus Deus, quem atrum ajebant, colebatur, ne noceret.* Ad quæ Voſſius (4): *Quem Slavi Zcernebocb, hunc Saxones antiqui, ſi audimus Fabricium in Saxonia ſua, vocant Tybilenum, imo, ut ait, hodieque ſic malum dæmonem* nuncupant.

Neque a vero abludit Fabricius, cum & Septemtrionales populi, quorum cum cæteris veteribus Europæis, & præcipue cum Saxonibus eadem generalia fuere inſtituta doctrinæ, malum Deum pariter agnoſcerent. In Edda namque fit Geniorum malorum plurima mentio, inter quos eminet *Surtr*, qui verbotenus *ater* interpretatur.

Cum ergo Septemtrionales, Saxones, & Slavi, ſeu Vandali, Deum malum uno conſenſu admitterent, nemo cordatæ mentis Pelloutерio (5) aſſentietur opinato, Barbaros doctrinam hanc a Chriſtianis didiciſſe, quaſi vero adeo diffuſæ gentes in id omnes conſpiraverint, ut ex Chriſtianorum Cacodæmone unum ſibi Deum mali authorem effingerent; quo etiam antiquas Theogonias, Mithologiaſque ſuas pene interverterent, novamque ſententiarum, & dogmatum catenam ædificarent, quæ veteribus vel diſſona, vel etiam penitus forent adverſa.

Neque vocem ipſam *Diabol*, qua ſupra vidimus Slavos nigrum Deum compellaſſe, a Græcis, aut Latinis mutuatam credo; eam enim Scythicæ, aut Celticæ originis eſſe reor, e qua ſuam plaſmaverint veteres Græci, & Latini. In lingua Cambro-Britannica, quæ Celticas plurimas radices ſervavit, *Dywyl* interpretatur *Niger; nigri coloris, vel ſaltem ab albo diverſi* (6): ſicuti re vera vidimus, malum Deum *atrum*, ſeu *nigrum* ab aliis ſupra relatis populis compellari. Ego tamen probabilius reor, *Diabolum* ex vi vocis interpretandum eſſe *malum*. *Ubel* verbotenus idem eſt ac *malus*: *Vox rei coæva*, ait Wachterus (7), *hoc eſt antiquiſſima*, quæ varias juxta varias dialectos inflexiones ſuſcepit. Si autem voci *Ubel* præinfixum jungas articulum præpoſitivum, quem Italice exprimimus *il*, *la*, *lo*, [cujus uſus inter Barbaros antiquiſſimus eſt] vocem *Diabolo* analogam facillime habebis. Quem nos dicimus *il maligno*, ego novi optime quibuſdam dialectis dici *the evil*, *the yfel*. Mecum ſentit Muhlius (8), qui Belgicum *Duvel* dictum cenſet, quaſi *d' uvel*, Italice *il maligno*. Idem dici poterit de Germanica voce *Teuffel* [*the-uffel*] vel de aliis parum diverſis vocabulis, quibus *Diabolus* Germanicis dialectis exprimeretur. Certe hæc interpretatio vocis *Diabolus* mihi videtur ſimpliciſſima, & objecto apprime apta. Congruit quoque quam maxime ex antilogiæ ratione, ut ſicuti principium bonum appellatum ex bonitate creditur *Teut*, hoc eſt *Bonus*, ita contrapoſito vocabulo Deus author mali a malitia appellaretur *Malus*. De his autem peritiores dijudicent.

Interim Dei boni, & Dei mali ſententia in mentem revocat hæreſin Manichæo-

(1) Idem l. c. cap. 53. alias 54.
(2) Lovrich *Oſſervaz.* pag. 190.
(3) Fabricius Orig. Saxon. lib. I. apud Voſſium de Origin. & progr. Idolol. lib. I. cap. 8.
(4) Voſſius ibid. cap. 38.
(5) Pelloutier *Hiſt. des Celtes* lib. III. cap. 5. art. 6.
(6) Votton. Gloſſ. hac voce.
(7) Wachter Gloſſ. V. *Ubel*.
(8) V. Ihre Gloſſar. V. *Dioefwul*.

chæorum. Num idem fuerit Dei mali conceptus Ethnicis, ac Manichæis, non definiam. At in ejusmodi objectis quam facile sit analoga effingere, norunt omnes. Manes studiis operam dedit in Perside, ubi Dei boni atque mali sententiam viguisse, vetera evincunt testimonia a Pelloutario ipso allegata (1). Manichæi, qui medio ævo misere divexarunt Europæ plagas, originem duxerant ab Ethnicis illis Europæis, qui malum Deum agnoscebant, & penes quos aliæ quoque veterum institutorum reliquiæ supererant. Videntur propterea hæc proprie non fuisse hæreticorum atque hæresiarcharum inventa, sed Ethnica vetusta principia in Christianorum cœtum traducta.

Sicuti Deus author boni, ita & author mali suos inferiores Deos, ac Genios habebat, ut e pluribus edocemur & præcipue ex Edda, quæ multoties de his verba facit. Variis appellati nominibus, variorum generum incommoda, & nocumenta hominibus afferre censebantur. Erant namque, qui homines suffocarent, qui in aquis necarent, qui procellas excitarent &c.

Omnium vero celeberrimi sunt, quos *Dusios* Galli nuncuparunt, & quorum Augustinus, Isidorus, Hincmarus, aliique meminere ob impudicitias, præcipue cum mulieribus ab iis peractas (2). Jornandes ab ejusmodi Geniorum immundo congressu cum quibusdam magicis mulieribus ortam fabulatur Hunnorum gentem (3). Keyslerus Manuscriptum (non equidem remotæ antiquitatis) e Bibliotheca Bodlejana eduxit in lucem (4), quod ex Dæmonum incuborum cum fœminis impuro conventu repetit fabulosam originem gygantum in Insula Albion. Pronum est credere, has esse calumnias ab aliis male affectis gentibus erga populos illos impactas, ut qui plurimum de propriæ originis nobilitate gloriari consueverant, fœtidas origines impingerent inimicis. Perspicue tamen probant populorum credulitates circa malos Genios, de quibus est sermo.

Sicuti Dii boni, ut essent præsidio, ita & Dii mali colebantur, ne essent nocumento: *Inter hæc sacrificia*, ait Olaus Wormius, *frequens fuit* Alfflblot *dictum, quod Diis subterraneis dicatum. Alfar enim spectra cautium, montiumque nuncupabant, quibus, ne nocerent, sua quoque dicata erant sacra.*

Habes hinc, optime Lector, Barbari polytheismi brevem conspectum; cujus causam atque initia (omissis Philosophorum systematibus, quæ ut plurimum illusioni obnoxia sunt) facile meo judicio divinabit, qui sacris inhærens Scripturis credat usque a Protoplastæ temporibus agnitam fuisse existentiam Angelorum, notosque extitisse Angelos bonos, & Angelos malos, & præcipue Angelos Custodes. Finge Angelis ipsis quidquam Divinitatis inesse, eos latreutico prosequere cultu, continuo tot Numina evadent tibi, quot Angeli. Atque hic profecto conceptus Barbarorum animis inhærebat, cum illos uti Deos invocarent, ab illis auspicia, & faustos rerum exitus peterent, iis sacrificia offerrent, aliosque latreuticos exhiberent honores. Divinitatis itaque rationem Geniis ac spiritibus Barbari tribuebant, imo & eos censuisse videntur ex essentia filios Dei, seu ut pressius loquar, summæ Divinitatis emanationes; supra quippe vidimus ex Helmoldo, Slavorum fuisse doctrinam, inferiora Numina *ex sanguine Dei imperitantis* processisse.

Et hæc quidem, si de causa & initiis erroris sermo sit. Nam quod attinet ad Ethnicismi progressus, hos assequi sane non valeo. Prophetæ, atque Theologi gentium, de quibus agimus, fuere Poetæ, qui religionis arcana velantes, Theogoniis, Mythologiis, aliisque allegoricis tricis, primigenium, atque sincerum rei conceptum adeo male implicaverunt, obfuscaverunt, labefactaverunt, ut in quamplurimos errores facile lapsi fuerint, qui eorum doctrinas sequebantur, & nunc quoque labantur, qui illis explicandis, atque enucleandis operam impendunt.

Nunc de alia Numinum specie sermo nobis instituendus est; de Heroibus scilicet, qui fato functi, a Barbaris in Deorum album referebantur.

Quisnam penes veteres Europæos esse censeretur status animarum post mortem,

(1) Pelloutier l. c. ar. 7.
(2) Vide Cangii Glossarium V. *Dusii.*
(3) Jornandes cap. XXIV.
(4) Keysler. Antiq. Sept. & Celt. pag. 309.

tem, primo inquirendum. In tres abeuntes sententias videntur alii quidem Metempsychosin credidisse; alii extinctionem animæ una cum hominis morte; alii alteram post mortem animarum vitam, melioremque statum. Hæc certe de Gætis refert Pomponius Mela (1): quod scilicet, *alii redituras putant animas obeuntium. Alii, etsi non redeant, non extingui tamen, sed ad beatiora transire. Alii emori quidem, sed id melius esse quam vivere.*

Verumtamen absque erroris periculo affirmari potest, magis receptam, magisque communem sententiam, purioribusque Barbarorum dogmatibus consonam illam fuisse, quæ alterum post mortem animarum statum docebat. Hæc enim potissimum firmatur tum solidiori authoritate Scriptorum, tum præcipue rebus inter Barbaros gestis, uti Heroum apotheosi, divitiis mortuo vel concrematis, vel consepultis, immodico violentæ mortis amore &c.

De hac itaque verba faciam, quam mire enucleavit Thomas Bartholinus alterius Thomæ filius in aureo suo opere, quod inscripsit: *De causis contemptæ a Danis mortis*; in quo ex Edda præsertim, ex Voluspa, & ex aliis vetustis Septemtrionalium codicibus egregio studio tanquam ex fontibus rem eduxit, uti credita fuit a Septemtrionalibus populis, & præcipue ab Islandiæ colonis, penes quos (utpote ab Europa reliqua semotos) antiqua Barbarorum instituta sanctius & diutius servata fuere, & exactius ad nos usque transmissa.

Quapropter integrum dogma ex Bartholino deprompsi, non quidem quod omnia, quæ in eo continentur, venditare audeam veluti a cæteris Barbaris adamussim admissa, sed quod ea profluxisse censeam ex genuinis veterum Europæorum principiis, quæ proinde ex Septemtrionalium institutis præcognitis aptari valeant & reliquis Barbaris, & præcipue Saxonibus, aliisque Saxonum finitimis Germanis, quos arctissimo dogmatum & institutorum nexu cum Germanis Septemtrionalibus novimus fuisse devinctos.

Animarum itaque post mortem locus & status, alius credebatur esse ante finem mundi, alius post finem mundi. In primo statu assignabant defunctis receptacula duo; alterum quod morbis aut senecta extinctos exciperet; alterum, quod vi, ferroque cæsos admitteret (2). Illud Islandis dictum est *Niflheimum*, hoc *Valhalla*, ad quam veluti appendices quædam referuntur Numinum Freyæ, Thorique palatia.

Quid *Niflheimum* fuerit novimus ex Edda, quæ Latine versa sic effertur: *Helam (3) in Niflheimum demisit, imperiumque dedit super mundos novem, ut mansiones inter omnes, qui ad eam mittuntur, distribuat: hi vero sunt morbis & senio mortui. Ingentia ibi habitacula possidet, sepimentaque illius prealta sunt, cancellique grandes. Ejus Palatium, Nimbus vocatur: Mensa, fames: Culter, Esurigo: Servus, Tardigradus: Ancilla, Tardigrada: Limen, Præcipitium.*

Valhalla e contra erat locus gaudiorum, quibus una cum Deastro Othino perfruebantur bello & vi cæsi. Sed quænam gaudia? Omnino accommoda gentibus, quæ isthæc sibi somniaverant, scilicet (ut rem paucis comprehendam) symposia & bella. Quotidiana symposia (4), in quibus aper (in deliciis habitus) comessabatur, & cerevisia aut mero strenuissime compotabatur. Quotidiana itidem bella, de quibus sic loquitur Edda: *Quotidie postquam vestes induti sunt, armaturam assumunt, deinde in aream exeuntes dimicant, unusque alterum prosternit; hoc eorum exercitium est. Instante vero prandii tempore, domum ad aulam equitant, ac ad potandum consident.*

Ejusmodi spe freti Barbari, quid mirum si violentam mortem non tantum æquo, sed & libenti animo ferrent? Recenseri meretur canticum Regneri Lodbrog, qui viperarum morsibus usque ad internecionem damnatus, & jam morti proximus, magna ex parte recolens ea, quæ de Valhallæ gaudiis venditabantur, fertur hæc cecinisse (5):

Secuimus ense.
Illud me semper gaudere facit,

Quod

(1) Pomp. Mela lib. II. cap. 2. 43. (2) Bartholin. Antiq. Dan. lib. II. cap. 13.
(3) Edda Mythol. XXVIII. (4) Edda Mythol. XXXIII. XXXV.
(5) Canticum Regneri Lodbrog, Stropha XXV. Latine versa apud Bartholin. loc. cit. lib. II. cap. 4. 12.

Quod Balderi Patris scamna
Parata sciam ad convivium.
Bibemus cerevisiam brevi
Ex concavis craniorum poculis
(Non exhorret mortem animosus)
In præstantis Odini domicilio.
Non venio cum timoris
Verbis ad Odini aulam.

Tandem vero sic canticum claudit:

Vitæ elapsæ sunt horæ;
Ridens moriar.

Obiter hic animadverte *concava craniorum pocula*. Mos namque fuit, ut Heroes craniis hostium ab ipsis interfectorum perpolitis, & auro, argentove obductis, aut ornatis, quasi scutellis uterentur ad bibendum. Plura ejusce rei refert documenta eruditus vir Godofredus Schutze (1), ex quibus ego seligam unum, quod attinet ad Langobardorum Regem Alboinum: *In eo prælio Alboin Cunimundum occidit, caputque illius sublatum, ad bibendum ex eo poculum fecit, quod genus poculi apud eos scbala dicitur, lingua vero latina patera vocitatur*. Verba sunt Pauli Diaconi (2). Id autem Scythici fuisse instituti innuunt nonnulla veterum testimonia ab ipso Schutzio (3) laudatorum, inter quos unum allegabo Herodotum de Scythis loquentem (4): *At capitibus non quidem omnium, sed inimicissimorum, hoc faciunt, ut quisque illud, quod est intra supercilia, recisum prorsus excutiat, & crudo tantum bovis corio, si pauper sit, sin dives, non modo exterius inducat bovino corio, verum etiam interius inauret, & sit uterque pro poculo utatur*. Adhuc sæculum Christiani nominis decimum tertium moris in Europa superstitis præbet exemplum, si Georgio Logothetæ fides, dum de Joanniza Bulgarorum Rege, qui Balduinum Comitem Flandriæ Imperatorem Romaniæ bello ceperat, hæc scribit (5): *Balduinus Imperator captus, & vinculis gravis, ad Bulgarorum Regem Joannem adducitur, illius caput abscissum, sordibusque internis expurgatum, & ornamentis undique circumseptum, poculi loco Barbaro inserviisse fama est*. Sed ad argumentum nostrum redeamus.

Cum gaudia Valhallæ esse prædicarentur assidua bella, nil mirum, quod defunctis arma concremari, vel contumulari consueverint; quod Tacitus de Germanis diserte refert (6): *Funerum nulla ambitio . . . sua cuique arma quorundam igni & equus adjicitur*. Et cum ejusdem Valhallæ deliciæ essent quotidiana symposia, facile dignoscitur, cur adjicerentur scutellæ, phialæ, urcei, lagenulæ, quæ in quibusdam urnis inventæ sunt (7).

Anno MDCCLXIX. prope Utinum urnæ, seu vasa duo detecta fuerunt, singula continentia ambustos humani cadaveris cineres. Intro cineres duo inventæ sunt monetæ, altera Germanici Cæsaris, altera Tiberii Claudii Augusti, quæ innuunt cineres ipsos multo antiquiores esse irruptionibus Barbarorum. Immixtæ pariter cineribus repertæ fuere duo parvæ scutellæ, parva item paropsis, urceolus, & alia tria vasa, lagenularum species. Hæc humanissimis litteris significavit mihi Nobilis Comes Hieronymus Asquinus Utinensis Patritius; quorum omnium, quæ in ejus cimelio asservantur, mihi transmittere dignatus est elegantia diagrammata. Hæc profecto firmant id, quod & aliis rationibus indigitatur; scilicet non Septemtrionalium, ac Germanorum tantum, sed & aliorum dogma fuisse de homine post mortem symposiis atque conviviis operam dante (8), illudque proinde censeri posse ab antiquis Celticis, seu Scythicis gentibus derivatum.

Cum ejusmodi gaudiis perfrui crederentur violentam mortem obeuntes, caussa patet, cur Barbari hujusce generis mortem adamarent, languidam quodammodo

(1) Schutze Exercitatio de consuetudine Germanorum Gentilium Deorum memoriam inter scyphos renovandi. Art. XL. XLI. (2) Paul. Diac. lib. I. cap. 27.
(3) Schutze l. c. Art. XLI. (4) Herodotus lib. IV. cap. 55.
(5) Ap. Raynaldum ad an. MCCV. (6) Tacit. Germ. cap. XXVII.
(7) V. Keysler Antiq. pag. 172. 516. (8) Vide Infra Indic. Pagan. N. I.

modo exhorrefcerent. Plurima namque teftimonia nos edocent, quod vel mortem in bello opperterent, vel fenectute, feu infirmitate gravius oppreffi aut e præruptis locis fe darent præcipites, aut alia ratione fibimetipfis necem inferrent, aut amicorum manus in hoc opus advocarent: ut videlicet heroica morte perfuncti gaudiofo receptaculo perfrui, & trifte ac languidum effugere poffent.

Hucufque de Ethnico dogmate circa defunctos in primo ftatu, hoc eft, ante finem mundi; nunc infpiciamus, quinam futurus effe crederetur poft finem mundi (1), quem *Ragnarockr*, feu crepufculum Deorum Islandi appellarunt.

Ergo poft mundi finem bina item defunctis affignata funt receptacula; alterum beatum, in quo qui bona egiffent, perpetuo duraturis præmiis, & gaudiis afficerentur; alterum ærumnofum, in quo qui mala perpetraffent, pœnis affligerentur. Illud *Gimle* dicebatur, hoc *Naftrondum*. Quod perfpicue exponit antiqua fatidica Oda, *Voluſpa*, quæ mundi interitum defcribens, hæc inter cætera canit de finali judicio, & de bonorum, malorumque fato (2):

Domum ftare videt
Sole clariorem
Auro tectam
In Gimli;
Ibi probi
Populi habitabunt,
Et per fæcula
Gaudio fruentur.

Tum prodit potens ille (3)
Inftante Divino judicio
Validus e fupernis,
Qui omnia regit;
Hic fententiam fert,
Et caufas dirimit,
Sacra fata ftatuit,
Quæ durabunt.

Domum ftare vidit
A Sole remotam
In Naftrondo;
Fores Boream fpectant,
Deftillant veneni guttæ
Intro per feneftras;
Hæc contexta eft domus
Spinis ferpentinis.

Ibi vadare vidit
Rapida fluenta
Viros perjuros,
Et ficarios,
Et qui alterius vellicant
Aurem conjugis;
Rodebat ibi Nidhoggus
Mortuorum cadavera;
Laniavit Lupus viros.
Noftin adhuc? aut quid rei geritur?

Dum Barbari dogmatibus, quæ fupra relata funt, circa mortuorum ftatum imbuerentur, incongruum non ducebant, quamplures defunctos Heroas apotheofi donare. Bartholinus (4) equidem in ea effe videtur fententia, quod preffius loquendo hi tantum ut *Semidei* haberentur, feu ut medium quid inter homines

(1) Vide Bartholin. Ant. Dan. lib. II. cap. 14. (2) Latine verfa ap. Bartholin. l. c. (3) Deeft hæc ftropha in quibufdam codicibus; quare non defunt, qui cenfeant, eam effe a Christiano fequiore intrufam. (4) Bartholin. loc. cit. lib. II. cap. 11.

nes & Deos, & diſtincti tam a Diis, quam a reliqua plebe ſuperorum. Ipſemet autem Bartholinus diſerte fatetur & probat, illis impenſa fuiſſe ſacrificia, aliosque divinos honores. Quod idem indicat & unus ex Canonibus editis ſub Eadgaro Rege inter Leges Angloſaxonicas a Wilkinſio (1) relatus, atque latine ita redditus: *Docemus etiam, ut quilibet Sacerdos Chriſtianiſmum diligenter promoveat, & omnem Gentiliſmum omnino extinguat, & probibeat cultum voluntarium, & necromantiam, & auguria, & incantationes, & DIVINUM HOMINIS CULTUM* &c. Homines proinde defuncti, qui inter Numina referebantur, totidem erant objecta, quibus Ethnicorum Polytheiſmus incrementa ſuſcipiebat.

Exempla hominum inter Deos relatorum quamplura ſuppeditant Bartholinus, aliique Scriptores, ex quibus & ego nonnulla referam aptiore loco (2). Jornandes quoque noſter ſcribit, quod *Taunaſin* (3) *Regem Gotborum jam mortuum inter Numina ſui populi coluerunt.* Sed quid opus eſt exemplis? Pagania in Indiculo, quem exponere ſuſcepimus, interdicta: *De eo* (4), *quod ſibi Sanctos fingunt quoslibet mortuos;* digito indicare videtur ſummam facilitatem, qua Pagani Saxones illius ævi defunctos ſuos apotheoſi donare ſolebant.

Silentio tamen præterire non poſſum factum, quod vix credam, quantumvis Helmoldus teſtis omni exceptione major, inter Slavos verſatus, de eo diſerte loquatur; quod ſcilicet Slavi Rugiani inter Numina collocaverint glorioſum Chriſti heroem, & Martyrem Sanctum Vitum. Cultus originem ex traditione, quæ profecto eſſe poteſt incerta, retulere Helmoldus ipſe, & Saxo Grammaticus, qui etiam Numinis ipſius Idolum, ſeu potius monſtrum, prolixe, minutatimque deſcribit (5). Sed dum de cultu ipſo, qui ſuo ævo vigebat, Helmoldus loquitur, in hæc progreditur verba (6): *Itaque Sanctum Vitum, quem nos Martyrem, ac ſervum Chriſti confitemur, ipſi pro Deo venerantur, Creaturam anteponentes Creatori. Nec eſt aliqua barbaries ſub cœlo, quæ Chriſticolas, ac Sacerdotes magis exborreat. Solo nomine S. Viti gloriantur, cui etiam templum, ac ſimulacrum ampliſſimo cultu dedicaverunt, illi primatum Deitatis ſpecialiter attribuentes.* Et alibi de eodem Numine loquens ſubdit: *Adeo autem* (7) *bæc ſuperſtitio apud Ranos invaluit, ut* Zwantevit *Deus terræ Rugianorum inter omnia Numina Slavorum primatum obtinuerit, clarior in victoriis, efficacior in reſponſis. Unde etiam noſtra adbuc ætate non ſolum Wagirenſis terra, ſed & omnes Slavorum Provinciæ, illuc tributa annuatim tranſmittebant, illum Deum Deorum eſſe profitentes.* Helmoldo conſonat & Compilatio Chronologica, quæ in Leibnitiana collectione Scriptorum Rerum Brunſvicenſium legitur. Sic namque ad annum DCCCXLI. (8) *Hoc tempore egreſſi ſunt de Corbeja Monacbi ſanctitate inſignes, qui Sclavorum gentem, quæ* Rugiana *dicitur, convertebant, & Oratorium in nomine Domini, & S. Viti eorum Patroni, fundaverunt. Qui Sclavi poſtmodum a fide deficientes, religionem verterunt in ſuperſtitionem, S. Vitum pro Deo venerantes.* Satis hucuſque.

Hæc ſunt, egregie Lector, quæ de Ethniciſmo Barbarorum præmittenda eſſe duxi, non incurioſe prætereunda iis, quibus in Paganicas ſuperſtitiones inquirere lubet, quarum non modo in Indiculo inferius exponendo, ſed in Canonibus, Legibus, atque Capitularibus pluries fit mentio, & quorum reliquiæ haud paucæ ad noſtra uſque tempora pervenere.

---

(1) Wilkins Leges Angloſaxonicæ pag. 83. (2) Infra ad Indicul. Pagan. n. IX.
(3) Jornandes cap. XVI. (4) Indicul. Pagan. n XXV.
(5) Saxo Grammat. lib. XIV. (6) Helmoldus lib. I. cap. 6.
(7) Idem lib. II. cap. 12. (8) Apud Leibnit. Script. Rer. Brunſvic. Tomo II. pag. 63.

LEX

L E X
F R I S I O N U M

CUM NOTIS SIBRANDI SICCAMÆ.

CAPITULA LEGIS FRISIONUM.

ADDITIO SAPIENTUM.

INCIPIT LEX FRISIONUM (1),

ET HÆC EST SIMPLA COMPOSITIO (2).

T I T U L U S I.

De Homicidiis (3).

I. SI nobilis nobilem occiderit (4), LXXX. ſol. (5) componat: de qua mulcta duæ partes ad heredem occiſi (6), tertia ad propinquos ejus proximos pertineat.

II. Et ſi negaverit, ſe illum occidiſſe, adhibitis ſecum XI. ejuſdem conditionis (7) hominibus, juret.

III. Si nobilis liberum occiderit ſol. LIII. & unum denarium ſolvat, & ſi negaverit, cum VII. ſacramentalibus juret (8).

Inter Laubachi & Wiſaram cum V. *& Ciſſli ſimiliter.*

IV. Si nobilis litum occiderit, XXVII. ſolid. uno denario minus componat domino ſuo,

1 Lindenbr. *in turba.* 2 Lindenbr. *De compoſitionibus Vueregildi.* 3 Lindenbr. *De banno.*
4 Lindenbr. *obſtruſo.* 5 Lindenbr. *ſolid. LIV.*

---

(1) *Friſionum.*) Similiter leg. Ripuar. tit. 38. §. 1. *Si quis Ripuarius advenam Alemannum, ſeu Friſionem, vel Bajuvarium ſeu Saxonem interfecerit, CL. Sol. culpabilis judicetur.* Leg. Francic. lib. 4. Tit. 106. *Excepto ubi contentio inter Saxones & Friſiones exorta fuerit.* Romani ſcriptores, & qui Romanos imitantur, Friſios nos appellant, Dion Φρείσιους, Ptolomæus Φρισίους, per ſynæreſin Φρίσιους, quod proxime accedit ad medii ſæculi ſcriptores Germanos, qui nos paſſim Freſos, Freſones, Freſiones, provinciam Freſiam, mare Freſicum vocant. Majores noſtri ante Saxonum, & Geldrorum tempora, quando Friſica lingua illibata in uſu erat, mutuo ſe ſalutabant: *Ela fria freſena* vel *freſa*, id eſt, Nobilis, liber Freſo. Nec aliter in libris manuſcriptis, & Inſtrumentis, ante CC. & CCC. annos exaratis, quam *freſen* ſcribitur: ut vera & genuina pronunciatio per *e* dici poſſit, quam idiotiſmus adprobat. Nam qui nos Friſios a libertate dictos putant, non animadvertunt etiam Auguſti tempore Friſios fuiſſe ap-

ſuo, & propinquis occiſi ſol. IX. excepta [1] tertia parte unius denarii; & ſi negaverit, cum tribus juratoribus ſe excuſet.

Inter Laubachi & Wiſaram & Ciſflı
cum

[1] Herold. & Lindenbr. *excepto*.

appellatos, cum non magis liberi eſſemus, quam vicini noſtri: libertatis titulum præferre & *frije frieſen* dici cœpimus, poſtquam ſubinde Francicam & Danicam ſervitutem exuimus, ſoli Romano imperio ſubjecti, & fideles: unde & Chronicon Hollandię nos *Renſers urije* adpellat. Sed de his alias plura dicemus.

(2) *Simpla Compoſitio.*) Simplam compoſitionem adpellat luitionem ſeu ſolutionem pœnæ, quę non duplicatur, aut triplicatur. Huic opponitur in Additionibus Sapientum titulus tertius: *Hoc totum in triplo componatur*, & ſeqq. Nonnumquam & pœna octies, novies multiplicabatur. L. Long. Lutpr. R. tit. 85. *Si abſque colludio & fraude eum comprehendiſſet, furtum ipſum in octogild. componat*. L. Allemannic. Tit. 51. *Si quis liberum de terra effodierit, quidquid ibi tulerit novem geldos reſtituat & XL. ſol. componat*, & alibi ſæpius. Vide doctiſſ. Bignonium ad formulas Marculphi, & notas noſtras ad Tit. XVII. *Hic Bannus eſt*.

(3) *De Homicidiis.*) Titulus primus de ſimplici homicidio tractat, nam de mordo ſeu mordrito XX. capite agetur. Continet vero hic titulus egregiam, & æquabilem pœnarum pro qualitate perſonarum diſtinctionem, quam non facile in aliorum populorum legibus reperias, ut mirari liceat majorum noſtrorum accuratam in jure dicundo æquitatem, & diligentiam, tum Nobilitatis, & liberæ plebis antiquitatem. Cum vero tota hac lege (ut inſcriptio habet) Nobilium, liberorum, litorum, ſervorumque occurrat diſtinctio, pro bono viſum fuit, ſtatum, & conditionem ſingulorum hic ſummatim explicare, ne ad ſingulos titulos cogamur notare, niſi neceſſitas poſtulet. Liberorum hominum apud veteres Germanos, Friſioſque, alii Nobiles, alii plebeji fuere. Tacitus de Morib. Germ, *omnes Germaniæ populos in duos ordines diſtinguit*, Nobiles & plebejos, cum inquit: *Reges ex Nobilitate, duces ex virtute ſumunt.* Item: *Rex vel princeps, prout ætas cuique, prout nobilitas, prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur*. Item: *Inſignis nobilitas, aut magna patrum merita principis dignationem, etiam adoleſcentulis adſignant.* Item: *Si civitas, in qua orti ſunt, longa pace & otio torpeat, plerique Nobilium adoleſcentium petunt ultro eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt*. Et procul dubio ex ſumma nobilitate fuere Verritus, & Mallorix, gentis noſtræ principes, ut narrat Tacitus lib. 13. Annal. qui preces ad Neronem ſuſcipere juſſi, Romana civitate donati ſunt. Sub Francorum imperio Nobilitatis ordo non modo claruit, ut ex legibus hiſce manifeſtum eſt, ſed etiam Francorum reges præmia, honores, inſignia addidere. Siquidem Nobiles & liberi plebeji eos in militiam ſequebantur, ubi, ſi egregiam, fortemque operam navaſſent, Nobiles equeſtri dignitate, quę ſemper apud nos ſumma fuit, ornati, plebeji in ordinem Nobilitatis adlecti, tum novis armorum ſcutorumque inſignibus donati, quibus a plebe diſtinguebantur. At, paulatim libertati reſtituti, longiſſima ſerie per ſæcula aliquot, antiquiſſimas majorum imagines, & inſignia ad poſteros tranſmiſere. Plebeji plerumque agros & prædia colebant, ſemina arvis inferendo, & armentis paſcendis intenti; niſi ad bellum evocarentur; ſed & is quoque ordo ſub Francis paululum mutatus. Siquidem quo quis plures agros poſſidebat & prædia, quæ tunc manſos, hobas, curtes pro magnitudine vocabant, eo plures ſumptus militares ſuſtinebat, quod ex capit. Caroli magni conſtat lib. III. cap. III. *Ut omnis liber homo, qui quatuor manſos veſtitos, de proprio ſuo, ſive de alicujus beneficio habet, ipſe ſe præparet, & ipſe in hoſtem pergat, ſive cum ſeniore ſuo. Qui vero tres manſos de proprio habuerit, huic adjungatur unus, qui unum manſum habet, & det illi adjutorium, ut ille pro ambobus ire poſſit. Qui autem duos manſos tantum de proprio habet, jungatur illi alter, qui ſimiliter duos manſos habet, & unus ex iis, altero illi adjuvante, pergat in hoſtem. Qui etiam unum tantum manſum de proprio habet, adjungantur ei tres, qui ſimiliter habent, & dent ei adjutorium, & ille tantum pergat, tres vero, qui illi adjutorium dederunt, domi remaneant.* Quod ſi agros non poſſiderent, ſed omnem ſubſtantiam haberent in pecunia, & armentis, pro bonorum quantitate heribannum ſuum ſolvebant: de quibus vide Capit. lib. II. cap. II. Sed poſtea libertati reſtituti, prædia, manſoſque ſuos, uti optimi maximique erant, omni onere militari immunes poſſidebant non ſolum plebeji, ſed etiam nobiles. Et quemadmodum ſub Francorum imperio, Nobilium, & plebejorum fundi agrique, ſive liberi, ſive beneficiarii eſſent, pari onere ſtipendiorum erant onerati, ita poſt redintegratam libertatem pari jure, in ſuffragiis ferendis, jure dicundo, & Magiſtratibus obeundis cenſebantur. Siquidem Nobiles, & liberi plebeji, dummodo prædia poſſiderent, æquabili jure Rempublicam & libertatem tutabantur, non alio quam *popularis communitatis* titulo, id eſt *Gemene gemeente*, ut ex antiquiſſimis fœderum, legum, pactorumque tabulis probari poſſet. Nonnumquam communes terrarum Judices vocabant, quod juriſdictiones, & Magiſtratus per hæreditarias agrorum poſſeſſiones in ordinem ambularent, abſque ullo nobilitatis, aut plebeji ordinis diſcrimine: donec paulatim ambitio & avaritia, pernicioſiſſimę ſtatus popularis peſtes, primores Nobilium, quod publicum & in commune poſitum erat, tanquam privatum invadere perpulere. Sed litem nobis movent de ſacro Sacerdotum ordine, quos maximæ dignationis & auctoritatis fuiſſe apud Germanos Tacitus notat lib. de morib. German. *Cæterum neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem niſi Sacerdotibus permiſſum, non quaſi in pœnam, nec ducis juſſu, ſed velut DEO imperante, quem bellantibus adeſſe credunt*. Item: *Silentium per Sacerdotes, quibus tum* (de Comitiis loquitur) *& coercendi jus eſt, imperatur*. Quod vanum certe, & incredibile videri poterit, ſi non & Sacerdotibus, queis tanta ubique auctoritas, par cum nobilibus, & plebe conſultandi jus fuerit, ut apud Gallos, Germanorum vicinos, ubi Druides Gallorum Sacerdotes, ante Equites, ſive Nobiles; Plebeji nullo ordinum numero fuere. Cæſar lib. VI. de bello Gall. *In omni Gallia, eorum hominum, qui aliquo ſunt numero, atque honore, genera ſunt duo: nam plebs pene ſervorum habetur loco, quæ per ſe nihil audet, & nullo adhibetur concilio*. Et paulo poſt: *In hos* (plebejos loquitur) *eadem omnia jura ſunt, quæ dominis in ſervos. Sed de his duobus generibus, alterum eſt Druidum, alterum Equitum*. Tanto certe liberiores Germani fuere, quam Galli, apud quos etiam plebeji ad concilium admiſſi, imo ordinem fecere. Contra apud Germanos Sacerdotes jus Comitiorum, judiciorumque non habuiſſe conſtanter
ad-

cum duobus, inter [1] *Wisaram & Laubachi & Cisfli cum* XXIII. *juret.*

V. Si liber nobilem occiderit, LXXX. sol. componat, aut si negaverit, cum XVII. juret.

1 Lindenbr. *ultra.*

adserimus, cujus expedita ratio est, quod, quæ de potestate puniendi dixit Tacitus, non nisi de tempore belli, & Comitiorum specialiter sit intelligenda, scilicet ut majore religione animos in prælium euntium vincirent, ducique obediendum monerent, quasi Deos ipsos ultores habituri. Nec pugnat Tacitus, quod in Comitiis publicis dicendi coercendique jus habuere, quod item non aliter, quam Deorum reverentia factum intelligo: & signate addidit Tacitus *Tum*, id est, in Comitiis & præliis, nec uspiam apud Tacitum, aliosque scriptores de rebus Germaniæ legimus, Sacerdotes apud Germanos constituisse sacrum ordinem. Claudius, civilis Batavorum dux cum Batavos, Caninefatates, Frisios ad arma socianda adversus Romanos in sacrum nemus vocasset, *primores gentis & promptissimos vulgi* compellat, sacerdotum nulla mentio. Tacitus lib. IV. Histor. Item libro V. Historiar. ubi Batavi de Insula Romanis dedenda concilium agitant, *proceres, & vulgus*, id est, *Nobiles, & ex plebe præcipui* distincte loquuntur, de Sacerdotibus altum silentium. Quod ad sacrum & Ecclesiasticum ordinem pertinet, postquam Christianam fidem suscepimus, ad statuta *Opstalbomica* dicemus, nunc ad servos pergamus. Eorum alii ministeriales, qui domino & familiæ domi, ruri, militiæ inserviebant, quamquam veteribus Germanis eos non fuisse in usu innuat Tacitus; alii colonici, certis agris fundisque colendis adscripti, quos serviles adpellabant, ex quibus domino certam mercedem, vel fructuum partem præstabant, nec de prædiis istis servilibus discedere, aut relinquere ea pro arbitrio licebat, sed & liberi posterique in iis commanere, agros colere, censum aliaque personalia servitia præstare tenebantur. Antiquum sane servitii genus, cujus & Tacitus lib. de mor. Germ. ita meminit. *Servis non in nostrum morem, descriptis per familiam ministeriis, utuntur: suam quisque sedem, suos penates regit; frumenti modum dominus, aut pecoris, aut vestis ut colono injungit, & servus hactenus paret.* Non negamus tamen Francorum tempora nonnihil in iis mutasse. Franci enim, cum universam Germaniam servilem in modum subjugassent, Nobilium & plebejorum agros in censum redigebant, proque modo eorum onera militaria indicebant ad exercitum instruendum, quem heribannum vocabant, ut supra diximus. Servos vero, & infimos vulgi in agros & prædia, quæ sibi servaverant, distribuebant, utque ea colerent, sub certa annua pensione, aliisque præstationibus. Sed & privati quoque suos colonarios servos habebant, ut duplex servorum genus esset, aliique publici, alii privati dicerentur. Publici erant, qui principis, aut eorum, quibus princeps concesserat, agros colebant. Principis quidem, Regii & fiscalini dicebantur, quod census & præstationes eorum serviles fisco regio inferrentur, agri ipsi fiscalini, majores nostri *Dofflande* adpellabant. Quos Ecclesiis donabant, Ecclesiastici, & prædia Ecclesiastica dicebantur, quarum donationum, sive Traditionum tabulas apud Marculphum, aliisque formulis ab eruditissimo Hieronymo Bignonio editis videre licet. Privati erant, qui jure privato, sive successione, sive Regio beneficio ad privatos Nobiles, liberosque pertinebant. Hos ipsos Romani colonos, Germani Lassos, & pro varietate dialectorum Laitos, Lidos, Litos, Litones videntur vocasse. Nithardus Histor. libro quarto de Saxonibus scribens: *Quæ gens omnis tribus ordinibus divisa consistit. Sunt enim inter illos, qui* Edlinghi, *sunt qui* Frilingi, *sunt qui* Lassi *illorum lingua dicuntur, Latina vero lingua hoc sunt, Nobiles, ingenuiles, atque serviles.* Leg. Salicæ Tit. XVI. §. 4. *Si quis Lidam alienam in conjugium adsociaverit, MCC. denariis, qui faciunt solid. LXXX. cum dimidio culpabilis judicetur.* Otto Rex in charta libertatis Rijpershout: *Quædam nostri juris mancipia, litam videlicet* Thiedsaiden *dictam cum filiis ejus, & filiabus tradidimus.* Et ita passim hisce legibus. Privileg. Eccles. Mindens. *Homines ipsius Ecclesiæ francos, liberos, & Ecclesiasticos, litones, Malmans, vel servos cujuscumque conditionis.* Frisii vero *lessos* suo idiomate vocasse videntur. *Lesse* siquidem veteri lingua Frisica postremum vel minorem significat; ut *lessa schot, lessa wiepen*, id est minor census, minora arma; item *liitse* pusillum, quod postremi & minimi essent in populo. Flandri *laten* adpellant, quasi ad agros colendi relicti. Erant autem duplices. Originarii, qui ex parentibus litis nati erant, aut dedititii, qui se ipsos ob paupertatem, vel maleficium, alteri in servitutem mancipassent. Albertus Stadens. *Plures se eis dediderunt proprios, & qui ab iis vivere sunt permissi, litones sunt ab eodem vocabulo nuncupati.* Infra tit. XI. *de lito* §. primo. *Si liber homo spontanea voluntate vel forte necessitate coactus nobili, vel libero, seu etiam lito in personam & servitium liti, se subdiderit, & postea se hoc fecisse negare voluerit.* Formularum, quę ejus venditionis apud Marculphum plures extant, duas hic adscribam. Una extat pagella 371. *Dum & omnibus habetur percognitum, qualiter ego minime habeo unde me pascere, vel vestire debeam, ideo petii pietati vestræ & mihi decrevit voluntas, ut me tam de victu quam de vestimento, juxta quod vobis servire, & promereri potuero, adjuvare vel consolari debeas, & dum ego in caput advixero, ingenuili ordine, tibi servitium vel obsequium impendere debeam, & me de vestra potestate vel mundiburde tempore vitæ potestatem non habeam subtrahendi.* Liti enim plane de potestate sua exibant, seque in *mundiburdium*, id est, defensionem domini tradebant, unde & liti ipsi *unmondling* dicebantur. Charta Ottonis Imp. qua libertates monasteriis concessæ: *Si vero aliquis ex libertate unmundling, vel litus fieri, aut etiam colonus ad monasteria supradicta cum consensu cohæredum non prohibeatur.* E contrario qui ad libertatem veniebant, *Selbmundich* fieri dicebantur. Altera formula extat pagella 413. *Contigit quod cellarium vel spicarium vestrum infregi, & exinde annonam, vel aliam raupam in solidos tantos furavi, dum & vos & advocatus vester exinde ante illum comitem interpellare fecistis, & ego hanc causam nullatenus potui denegare. Sic ab ipsis Racimburgiis fuit judicatum, ut per wadium meum eam contra vos componere atque satisfacere debeam, hoc est solidos tantos. Sed dum ipsos solidos minime habui, unde transsolvere debeam, sic mihi aptificavit, ut brachium in collum posui, & per comam capitis mei coram præsentibus hominibus tradere feci, in ea ratione, ut interim, quoad ipsos solidos vestros reddere potuero, & servitium vestrum & operam, qualemcumque vos vel juniores vestri injunxeritis, facere & adimplere debeam. Et si exinde negligens vel jactivus adparuero, spondeo me contra vos, ut talem disciplinam super dorsum meum facere jubeatis, quam*

VI. Si liberum occiderit, ſol. LIII. & unum denarium ſolvat, aut ſi [x] negaverit, cum undecim ſacramentalibus juret.

VII. Si litum occiderit, ſolid. XXVII. uno de-

x Herold. & Lindenbr. & ſi.

ſuper reliquos ſervos veſtros. Ubi recte notandus ſolemnis, & antiquus ritus, ſemet in ſervitium alterius tradendi, nempe, ut brachium in collum mittat, in ſignum ſubjectionis, & ſervitii, per comæ adprehenſionem; legitima traditio ſignificetur; de quibus alias plura notabimus. Porro differebant liti ab ipſis ſervis, ſupraque ſervos eorum conditio erat. Siquidem ſervi jurare non poterant, ſed domini pro ipſis jurabant. Hoc titulo §. 15. *Et ſi ſervus hoc ſe perpetraſſe negaverit, dominus ejus juret pro illo*. Item §. 18. *Si litus erat, ipſe medietatem ſacramenti cum uno lito juret*. Dominus pro ſervo pœnam ſolvebat, quia ſervo nihil in bonis erat. Infra tit. IX. §. 17. *Si ſervus aliquid vi ſuſtulit, dominus quantitatem rei ſublatæ pro ipſo componat, ac ſi ipſe ſuſtuliſſet*; litus vero de ſuo ſolvebat. Tit. III. §. 4. *Litus conditionem ſuam per omnia ſimiliter faciat, id eſt, ſua ſexta manu juret, vel quod abſtulit in duplum reſtituat*. Poſtremo quę proportio erat in pecuniariis pœnis inter Nobilem & liberum, eadem fere inter litum & ſervum, de quo vide notas noſtras ad tit. XV. de *Compoſitionibus*. Nunc manum de tabula, & ad reliqua pergamus.

(4) *Occiderit*.) Antiquæ libertatis Germanicæ non infima pars erat, quod leviora delicta non capitali ſupplicio, ſed pecuniaria pœna luerentur. Tacitus de Morib. Germ. *Sed & levioribus delictis pro modo pœnarum, equorum pecorumque numero convicti mulctantur*. Et inter leviora delicta homicidium numeratum. Tacitus ibidem: *Luitur enim etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero*. In antiquo jure noſtro *Refling XVI. Dat alle freſena biara fird beta mey biara fia*, id eſt, ut, omnes Friſii pœnam vel fredam ſuam pecoribus redimant. Statuta Opſtalsb. §. 7. *Si quis aliquem alterius terræ aut inſulæ occiderit, Judicibus in LX. hæredibus in totidem ſit obligatus*. Vide leg. Salicæ tit. XLIV. §. 1. Bojoar. tit. XXXII. Sax. tit. II. Anglorum tit. I. Francorum lib. IV. cap. 82. & alibi.

(5) *LXXX. ſol.*) De Solidorum, denariorum tremiſſiumque pretio, deque tota re monetaria Francica, & Friſica, ad tit. XV. de Compoſitionibus accurate dicemus.

(6) *Ad heredem occiſi*.) Et illud ex antiquo jure Germanico reliquum eſt. Tacitus de morib. Germ. *Suſcipere tam inimicitias ſeu patris ſeu propinqui, quam amicitias neceſſe eſt, nec implacabiles durant, luitur enim homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque ſatisfactionem univerſa domus*. Item: *Sed & levioribus delictis pro modo pœnarum, equorum, pecorumque numero convicti mulctantur, pars mulctæ regi, vel civitati, pars ipſi, qui vindicatur, vel propinquis ejus exſolvitur*. Statut. Opſtal. §. 27. *Si quis hominem occiderit ab ingreſſu Eccleſiæ, juxta conſuetudinem antiquitus obſervatam per annum integrum arceatur, alioquin in decem Marcis judicibus maneat obligatus. Si vero idem hæredibus plenam emendam non poteſt præſtare, captus ejuſdem hæredibus tradatur*. Sed cur non integra hæredibus ſoluta? Equidem ita exiſtimo propinquorum nomine agnatos intelligi per virilem ſexum conjunctos, nam ad illos hæc compoſitio pertinebat. L. Anglorum Tit. VII. §. 5. *Ad quemcunque hæreditas terræ pervenerit, ad illum veſtis bellica, id eſt, lorica, & ultio proximi, & ſolutio leudis debet pertinere*. Conſtat item ex jure noſtro antiquo ante annos 140. impreſſ. fol. 103. ad compoſitionis pœnam admitti primo fratrem occiſi, deinde fratris filium, deinde patruum, & patrui filium; illis ordine deficientibus, tandem hæres admittitur: omnes vero, qui leudum ſeu Wergildum participant, homicidam perſequi tenentur.

(7) *Ejuſdem conditionis*.] Infra §. 8. *ſuæ conditionis*. Hoc vult legislator, in crimine hominis Nobilis ſolos nobiles, liberi liberos, liti litos ad ſacramentum dicendum admitti debere.

(8) *Cum ſeptem Sacramentalibus juret*.] Alibi ſeptima ſua manu. Marculphus libro primo Form. 38. *Fuit judicatum ut de quinque denominatis, idem ille apud tres, & alios tres, ſua manu ſeptima, tunc in palatio noſtro ſuper capellam Domini Martini, ubi reliqua juramenta percurrunt, debeant conjurare*. Alibi manu XII. XXIV. XXXVI. alibi I. II. III. IV. pro varietate delictorum, & perſonarum. Antiquiſſimus purgandi, & defendendi per Juramentum modus fuit apud veteres Francos, & Friſios etiam ante Chriſti fidem ſuſceptam, cum adhuc Pagani eſſent, quod ex tit. L. LI. LV, LXI. Legum Salicarum, quas ante Chriſtianiſmum latas eſſe certum eſt, conſtat, ubi juratores non Sacramentales dicuntur, quod ſacra & ceremonias Chriſtianorum adhuc dum non ſuſcepiſſent. Sed poſtquam auſpiciis Clodovei Regis, Chriſti ſacris initiati, Pontifices Romani populis illis adhuc patriis legibus, moribuſque adſuetis indulgentes, morem per juramentum, aliaſque purgandi formulas, de quibus poſtea dicemus, decretis ſuis adprobarunt, de quibus vide titulos de Purgatione Canon. & vulg. Obtinebat primum, ut refert Ivo Carnotenſis Epiſcopus, ut is tantum ad juramentum admitteretur, qui prava alicujus criminis macula laborabat, poſtea etiam alii admiſſi, qui non de facto ipſo, ſed credere ſe veritatem dixiſſe, qui accuſatus erat, jurabant. Hi ſacramentales, vel conſacramentales dicebantur, quod in loco ſacro, in baſilicis, templis, ad aras, ad ſepulchra vel reliquias martyrum, tactis aris, ſacris Evangeliis, vel reliquiis præſtabantur. Infra Tit. XII. *Si ſervus rem magnam quamlibet furaſſe dicatur, vel noxam grandem perpetraſſe, dominus ejus in reliquiis ſanctorum pro hac re jurare debet*. Gregorius Turonenſ. libro IV. capite 46. *Requirit hominem alium Urſum nomine, quem ad altare clam ductum jurare fecit, & dicere*. Idem libro V. capite 32. *Si, inquiunt, eſt innoxia, ſuper tumulum hoc Beati Dionyſii Martyris ſacramentis adfirma*. Sed quod modo diximus, diligenter advertendum, non facile ad ejuſmodi juramenta admiſſos fuiſſe, niſi in cauſis dubiis, & ad teſtandam innocentiam ejus, qui in ſuſpicionem criminis adductus, vel alterius facti, debitive in jus vocatus erat. Vide tot. tit. X. de Purgat. Can. L. Bojoar. Tit. VI. §. 1. & 2. *Judex bene cauſam cognoſcat, & prius ita tacitus inquirat, ut eum veritas latere non poſſit, nec facile ad ſacramenta veniatur. Hoc autem volumus inter Bojoarios perpetuo cuſtodiri, ut cauſa inveſtigata, & quæ veraciter inventa apud judicem ſit indicata; nulli liceat perjurare, ſed ſicut judicatum eſt, cogatur exſolvi. In his vero cauſis ſacramenta præſtentur, in quibus nullam probationem diſcuſſio judicantis invenerit*. Forma hujus ſacramenti ſolemnis deſcribitur, L. Aleman. tit. VI. de juratorib. §. 7. in fine. *Iſta vero ſacramenta ſic debent fieri, ut illi conjuratores manus ſuas ſupra capſam ponant, & ille*

denario minus componat domino ſuo, & propinquis occiſi ſol. IX. excepta [1] tertia parte unius denarii, & ſi negaverit, cum quinque ſacramentalibus juret.

VIII. Si litus nobilem occiderit, ſimiliter LXXX. ſol. componat, aut, ſi negaverit, cum triginta quinque juratoribus ſuæ conditionis ſe excuſet.

Inter Laubachi & Wiſaram & Ciſli cum XLVIII. juret.

IX. Si liberum occiderit, ſolid. LIII. & unum denarium ſolvat, & ſi negaverit, cum viginti tribus ſacramentalibus juret.

X. ſi litum occiderit, ſol. XXVII. uno denario minus componat domino ſuo, & propinquis occiſi ſolidos IX. excepta tertia parte unius denarii, & ſi negaverit, ſibi duodecimus juret.

Inter Fli & Sincſalam Weregildus nobilis C. ſolidi, liberi L. liti XXV. ſolid. denarii III. novæ monetæ. Inter Laubachi & Wiſaram Weregild. nobilis CVI. ſolidi, & duo denarii, liberi LIII. ſolidi & denarius, liti XXVI. ſolidi & dimidius [2], & dimidius tremiſſis.

XI. Si quis homo ſive nobilis, ſive liber, ſive litus, ſive etiam ſervus, alterius ſervum occiderit, componat eum, juxta quod fuerit adpretiatus (1), & dominus ejus, ipſius

[1] Herold. & Lindenbr. excepto, & ita quoque in ſeq. tamen apud Herold. & Siccam.

[2] *Et dimidius*, deſunt in Lindenbr. Habentur

ille ſolus, cujus cauſa requiritur, verba tantum dicat, & ſuper omnium manus manum ſuam ponat, ut ſic eum DEUS adjuvet, vel illæ reliquiæ, & illas manus quas comprehenſas habet, ut de illa cauſa, unde interpellatus eſt, culpabilis non ſit. Capſam intelligit in qua oſſa vel aliæ reliquiæ Martyrum condebantur; quæ deinde & capella dicta eſt. Vide Marculphum lib. I. form. 38. Juramenti ipſius formulæ apud Marculphum & in veteribus formulis ſimul editis variæ extant; nos unam tantum ex formula XXIX. pag. 244. proponemus: *Hic juro per hunc locum ſanctum, & Deum altiſſimum, & virtutes ſancti illius, quod homo aliquis, nomine ille, ita factus cum armis ſuis ſuper me venit, & colpus ſuper me miſit, & ſic mihi dominus directum dedit, ego ipſum de armis meis percuſſi, & tales colpus ei dedi, pro quibus ipſe mortuus eſt, & quod feci ſuper me fecit, & ego ipſum hodie facio infra damnum, & forbatudum infra noctes XLII. ſicut lex eſt & noſtra conſuetudo.* Sacramentales vero ſive conjuratores nihil aliud jurabant, quam credere ſe quod verum dixiſſet, c. 13. X. de Purg. Can. *Illi, qui ad purgandam alicujus infamiam inducuntur, id ſolum juramento tenentur firmare, quod veritatem credunt, eum dicere, qui purgatur.* L. Rom. form. XXXI. *Similiter teſtes ſibi ſimiles viſores, & cognitores ſecundum quod ei judicatum fuit, poſt ipſum juraverunt, ut quidquid jam dictus ille de hac cauſa juravit, verum & idoneum ſacramentum dedit.* Fuit apud majores noſtros eorum ſacramentorum magna religio, frequenſque in legibus noſtris patrio idiomate conſcriptis mentio, quarum loca e multis pauca notabimus. *Landrecht XIX. Jeff ma in man bitygat dat hy in famna aen nede nijmen haet, Jeff hijt ſecht ſo jelde hyſe tweda, Jeff hijt biſecht ſo ontſwarza hyſa, achtarſium an da Wytede.* Id eſt: Si aliquem accuſamus, quod virginem aliquam vi rapuit, ipſe cum ſeptem Sacramentalibus juret. Item, *Warſo in man ores goed ſtelt inda nara nivel tioeſtere nacht, binna doren en binna drompele, in dat met oen hem vint, ende bekenne, ieſte oen ſiin ſelff handen, ſo ne meyma der derde my Wytede bieda, Want dy bondena tiaeff ne mey ſchidigera baria, in des iech tiga ne meyma naet byjeka.* H. e. Si quis rem alterius anxia & tenebroſa nocte intra fores, & limen furatus fuerit, & res furtiva penes ipſum inventa agnoſcatur, ſacramentum offerri non poteſt, quia victus fur nocentiorem monſtrare, nec quod in confeſſo eſt, negari non poteſt. Jus Synodale decanatus Bolſverdienſis ſcriptum anno MCCLXXII. art. XXIX. *Waſo in man daedſlacht, ur ſetta ſoen, ur Keſneda monda ende ur ſwarna ethen, di ſchil da ban beta mey ſex merkum, bit in ſe dat, by mey ziin perſonna, enda voochten, ende mit ſex trouwe buren bemyſa moga, dat dy der slain is hem reda eſta da Sinna oen ziin lijff ende ledena, ende aen zyn goed, ende by din eed ende ſoen hat inbritſen, ſo ſchil hy da ban beta mey tria merkum.* Si quis alterum poſt reconciliationem, poſt oſculum pacis, & ſacramenta præſtita occidat, Bannum ſolvet ſex marcis, niſi cum presbytero vel perſona ſua, templi curatoribus & ſex vicinis fide dignis probare poſſit forbatutum, ſive occiſum, poſt ſolis occaſum, corpori, membris, boniſque ipſius manus injeciſſe, atque ita juramentum & reconciliationem fregiſſe. Recentius adhuc in Statutis Wagenbruggenſibus hodie *Wiimbritſeradeel*, art. XIX. *Wherſo in man beſchriouwen Wit om een betichtma teffte om ora ſecka fanda riuchteren, wol hina ſykera ſex atten, ende ſex buren, thre att n en thre buren binnes gaes inda da ora tonimmen in da dela, dy mey hem ſikera voer da Greetman ende aldaer mey vry fan da Greetman.* Id eſt; ubi aliquis accuſationis vel alterius rei cauſa a judicibus ſcripto citatur, ſi ſex Attæ, & ſex vicini, quorum tres Attæ & tres vicini ex ipſo pago, cæteri ſex ex territorio ſumentur, certiorare vel purgare ipſum velint, purget ſe coram Grietmanno; quo facto a Grietmanno liber erit. Et alibi centies in jure noſtro. Atten judices dicti vicani, unde in Drentia XXIV. Judices, qui cum Prætore vel Satrapa conventus jurisdicundi cauſa obeunt, XXIV. *Etten* etiam hodie adpellantur. Habeo inſtrumenta purgationis ante annos CXL. ſcripta, ex quibus conſtat, etiam tum temporis ſacramenta illa in publicis etiam Comitiis fuiſſe adprobata. Atque hæc de Sacramentalibus.

(1) *Fuerit adpretiatus.*) Lege Aquilia tenetur, qui ſervum alterius injuria occiderit, in tantum quanti eo anno plurimi fuerit l. 2. π. ad l. Aquil. anno retrorſum computato ab eo die, quo vulneratus fuit, l. 51. §. 2. π. eod. In æſtimatione vero ſervi veniebat, non ſolum corpus occiſi, ſed quanti intererat non occiſum fuiſſe, l. 21. §. *fui.* π. eodem. Breviter omnia commoda, quæ intra annum, quo occiſus eſt, pretioſiorem ſervum facerent, hæc accedere ad æſtimationem dicendum eſt, l. 23. §. 6. π. eod. Eam ſervi æſtimationem dominus juramento ſuo definire poterat in odium occidentis. Hæc in confitentem; quod ſi negaverit, majori vel minori ſacramento, pro ſumma pretii æſtimati, ſe purgabat. Ergo pretii magnitudo & perſonæ qualitas ſacramentum vel intendebant vel minuebant, id eſt, plures vel pauciores ſacramentales requirebant? Hoc videtur velle §. ſequens; vide & titulum ſequentem §. 5. & 6. & alibi paſſim.

pfius [1] pretii eum fuiffe facramento fuo juraverit [2].

XII. Quod fi quælibet ex prædictis perfonis hoc homicidium fe perpetraffe negaverit, juxta quod fumma pretii occifi mancipii fuerit æftimata, majori vel minori facramento fe excufare debebit.

Inter Laubachi & Wifaram fuam habet compofitionem.

XIII. Si fervus nobilem, feu liberum, aut litum, nefciente domino occiderit, dominus ejus, cujufcunque conditionis fuerit homo qui occifus eft, juret, hoc fe non juffiffe, & mulctam ejus pro fervo, bis fimplum componat (1).

XIV. Aut fi [3] fervus hoc fe juffu domini fui feciffe dixerit, & dominus non negaverit, folvat eum, ficut manu [4] fua occidiffet, five nobilis, five liber, five litus fit.

XV. Et fi fervus, hoc fe perpetraffe negaverit, dominus ejus juret pro illo.

XVI. Si nobilis erat, qui occifus eft, & nobilis ille cujus fervus eft, cum tribus facramentalibus juret.

XVII. Si liber erat, qui occifus eft, duas partes prædicti facramenti cum duobus nobilibus, & uno libero juret.

XVIII. Si litus erat, ipfe medietatem facramenti cum uno lito juret.

XIX. Si dominus fervi liber eft, & nobilis, qui occifus eft, fua fexta manu, pro fervo facramentum perficiat.

XX. Si fuæ conditionis, id eft, liber erat, cum tribus æque liberis juret.

XXI. Si litus erat, cum uno libero facramentali juret.

Inter Laubachum & Wifuram, dominus fervi non juret, fed componat eum, ac fi ipfe eum occidiffet.

TITULUS II.

De Forrefni (2).

I. SI nobilis nobilem per ingenium (3) alio homini ad occidentem [5] expofuerit, & is, qui eum occidit, patria relicta profugerit, qui eum expofuit tertiam partem leudis (4) componat.

II. Si vero homicida non fugerit, nihil folvat, fed tantum inimicitias propinquorum (5) hominis occifi patiatur, donec quomodo potuerit, eorum amicitiam adipifcatur.

III.

1 Lindenbr. *iftius*. 2 Lindenbr. *juret*. 3 Lindenbr. *At fi*. 4 Lindenbr. *ficut fi manu*. 5 Lindenbr. *ad occidendum*.

(1) *Bis fimplum componat.*) Jure civili fervum noxalem tradere potuiffet, eoque liberari; non enim dominus debuit in plus teneri ex maleficio fervi, quam ut noxæ eum dedat l. 2. π. de Nox. Act.

(2) Titulum de homicidio fequitur titulus *de Forrefni* five expofitoribus. Quale illud crimen, qualifque modus exponendi fuerit, equidem pro certo affirmare non poffum. Quantum ex ipfis legis articulis eft colligere, videntur apud paganos & nondum Chrifti fide imbutos homines fuiffe fcelerati, qui vindictę caufa, vel alias atroci animo, inimicos, aut quos fublatos vellent, alteri occidendos traderent, quem ad hoc prece vel pretio conduxerant. Idem, aut plane non diffimile fuiffe crimen elocationis, cujus mentio eft L. Salic. tit. XXXI. §. 1. *Si quis in furtum aliquem elocare voluerit, qui hominem interficiat, & inde pretium accipiat, in alba avena* 3000. *denariis, qui faciunt fol.* c. *culpabilis judicetur* §. 3. *Similiter & ille qui pretium accepit ut hominem occideret*, 2500. *denariis, qui faciunt folidos* 62. *& dimidium, culpabilis judicetur*. Quę verba equidem non aliter interpretor, quam, fi quis clanculum alterum conduxerit, locando operam fuam, ut hominem interficiat &c. nam quod hic exponere dicitur, in lege Salica elocare dici exiftimo, certe non valde differre. Quod fi verum fit, jam certum erit pro *Forrefni*, *Forredni* five *Forreednifse* refcribendum effe, id eft, de Proditione. Nam quæ fceleratior effe proditio potuit, quam ficarium, aut latronem conducere ad aliquem occidendum, eumque vinctum, vel feductum, aut tranfvectum in loca folitaria ficario quafi in manus tradere? Simile fuit crimen illud de confilio in alterius mortem, de quo L. Longobard. tit. III. per totum. Sitne idem, judicet Lector. Sed & Stat. Opftalbom. idem expofitionis vel traditionis crimen innuere videntur §. 4. *Si quis precio vel pecuniæ corruptus, dominum fuum occiderit, feu cuicunque occidendum tradiderit, & de hoc convictus fuerit, de tali crimine puniatur, ficut de incendiariis eft præmiffum. Fortaffe inde traditores*, Gall. *traitres*, Hifpanice *tradidor*, Italice *traditori*, *id eft, proditores dicti*.

(3) *Per ingenium.*) Per dolum & fallaciam, verbum iftis feculis plane in ufu. L. Salic. tit. XXXVII. §. 3. *Si quis per malum ingenium, in curtem alterius, vel cafam, vel ubi lubet, aliquid de furato miferit, nefciente domino cujus poffeffio eft*. L. Longobard. tit. LXXXV. §. 1. *Si quis fervum, aut aldionem alterius per colludium comprehendere præfumpferit, dicendo quod fuper furtum fuum comprehendiffet, aut tacite in curte fua noctis tempore inveniffet, & colludium ipfum apparuerit, & certa veritas fuerit adprobata, componat ipfe, qui eum per tale ingenium adprehendere præfumpferit*. L. Franc. lib. IV. tit. XII. *Et fi per odium aut malum ingenium, nifi per juftitiam faciendam, hominem defecerit, honorem fuum perdat*. L. Longobard. tit. XI. §. 1. *Si quis hominem liberum de caballo in terram per quodlibet ingenium iniquo animo jactaverit, LXXX. Solidos ei componat*. Marculphus libro II. For. 28. *Quod fi non fecero, aut me per quodlibet ingenium de fervitio veftro abftrahere voluero*. Et alibi fæpius. Vide Doctiff. Bignonium ad For. Marcul.

(4) *Tertiam partem leudis.*) Ita & feqq. §§. hujus tituli. Significat igitur leudis compofitionem homicidii. Form. veteres CXXIII. *Sic ab ipfis viris fuit judicatum, ut illam leudem, ut lex erat, folvere debeat, quod ita in præfenti & fecit*. Item form. XII. *Exinde taliter ab ipfis hominibus fuit judicatum, ut lex erat, ipfi leudem folvere deberet, quod ita in præfenti fecit*. Infra tit. XIV. *Si campio, qui mercede conductus eft, occifus fuerit, qui eum conduxit, LX. folidos, id eft, libras tres ad partem Regis componat, & leudem occifi hominis exfolvat*. Reliqua dicemus ad tit. de Wergildo & Fredo.

(5) *Inimicitias propinquorum.*) De quibus fupra capite primo diximus, & Tacitus lib. de Mor. German. *Sufcipere tam inimicitias, feu* pa-

III. Si autem hoc fecisse dicitur, & negaverit, cum tribus sacramentalibus juret. Si ille, qui hominem occidit, profugium fecit. Sin vero homicida infra patriam est, expositor nihil juret, sed tantum inimicitias propinquorum occisi hominis patiatur, donec cum eis, quoquo modo potuerit, in gratiam revertatur.

IV. Si nobilis liberum hominem exposuisse dicitur, tertiam partem leudis ejus comp. Si extra patriam fugit qui hominem occidit: si vero infra patriam est, nihil solvat. Quod si negaverit, similiter sicut de nobili sacramentum juret, tertia sacramenti portione adempta, propter viliorem personam liberi hominis.

V. Si de lito idem scelus ei imputetur, & homicida defuerit, ut superius de libero sacramentum perficiat, adempta ipsius sacramenti dimidia portione, solvens tertiam portionem leudis ejus, si negare non potuerit, & si is, qui eum occidit, infra patriam fuerit, sicut superius diximus, expositor nec juret, nec leudem solvat, sed inimicitias propinquorum occisi patiatur, donec se cum eis reconciliet.

VI. Si liber in nobilem hominem tale scelus dicitur perpetrasse, similiter ut nobilis sacramento se excuset, addita super sacramentum, quod nobilis jurare debet, ipsius sacramenti tertia portione; aut si negare non potuerit, & homicida defuerit, solvat tertiam partem leudis ejus; si vero homicida infra patriam fuerit, nec juret, nec aliquid solvat, sed tantum inimicitias propinquorum occisi patiatur, donec cum eis in gratiam revertatur.

VII. Si vero de libero idem scelus illi imputetur, sibi quarto sacramentum juret, vel si homicida profugerit, tertiam portionem leudis ejus componat, si negare non potuerit. Si vero homicida infra patriam est, nec juret, nec aliquid solvat, sed tantum ut superius faidosus [1] permaneat, donec in gratiam cum propinquis occisi revertatur.

VIII. Si de lito idem agitur, adempta [2] sacramenti dimidia portione, jurare debebit: aut si negare non potuerit, & homicida profugium fecit, ut superius diximus, tertiam portionem leudis ejus componat. Si vero homicida profugium non fecit, expositor nec juret, nec aliquid solvat, sed tantum ut superius

1 Lindenbr. *faydosus*. 2 Heroldus, *dempta*.

patris, seu propinqui, quam amicitias necesse est, nec implacabiles durant: luitur enim homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque satisfactionem universa domus. Hæredes igitur, & propinqui, id est, agnati proximi occisi, inimicitias homicidę suscipiebant, & primo, ultionis & inimicitię testandę causa, cum defunctus sepeliretur, ad ipsum sepulchrum, præsentibus qui funus deduxerant, unus ex propinquis evaginato gladio ter tumulum feriebat, cum superindicto: *Wraect, wraect, wraect*; id est, Ultio, Ultio, Ultio. Nec ipsum corpus occisi sepelire jus erat, priusquam judici territorii vel Greetmanno esset præsentatum, nec Greetmanno homicidam persequi aut punire licebat, nisi hæredes proximi & propinqui, *van dae smirds sude*, id est, ex mascula linea, justitiam peterent. Solemnes illi ritus, & plane barbari, accusandi, defendendi, & prosequendi homicidam in judicio, codice juris Frisici 41. pag. 105. 106. 107. 108. prolixe describuntur, quos hic adscribere operæ pretium non est, eosque plane abolere in animo erat Joanni IV. Episcopo Trajectensi, auctoritate Privilegii a Carolo IV. Imp. Anno MCCCXLIX. concessi, sed parum effecit. Verba privilegii, quæ huc facere videntur, adscribere placuit. *Item quia infra territorium mensæ Episcopalis Trajectensis, hujusmodi corruptela surrexit, quæ pro consuetudine obtinetur ibidem, videlicet quod quicumque homicidium ibi perpetrarit, homicidam Episcopus punire non possit, nisi ad requisitionem, & instantiam parentum, & consanguineorum occisi: qui consanguinei & parentes aliquando propter potentiam homicidæ, aliquando propter negligentiam, aut favorem, aut collusionem, sive ex aliis causis frivolis exquisitis, occisi injuriam prosequi prætermittunt. Pro consuetudine etiam abutentes, ut nullus occisi etiam injuriam prosequatur, nisi coram Episcopo Trajectensi corpus occisi præsentetur, quod corpus quandoque rapitur, & occultatur, & sic plerumque maleficia tam enormia remanent impunita, atque per consequens frequenter occasio nascitur similia perpetrandi Quapropter consuetudinem hujusmodi minus justam, imo corruptelam potius juri contrariam & iniquam, de regalis auctoritatis nostræ excellentia penitus abolentes &c.* Moris quoque erat, ut propinqui homicidam fugitivum, & latitantem ex una provincia in aliam persequerentur, Judices terræ persequentes adsisterent, captumque, ut faidosum, & publicę pacis violatorem punirent, aut ad pecuniariam pœnam solvendam constringerent. Stat. Opstalss. art. XXVII. *Si quis hominem occiderit, ab ingressu Ecclesiæ juxta consuetudinem antiquitus observatam per annum integrum arceatur, alioquin in decem marcis maneat judicibus obligatus. Si vero idem plenam emendam hæredibus non potest præstare, captus iisdem hæredibus tradatur. Si vero alius eum contumaciter detinuerit, pro eo satisfacere compellatur; Judex vero in cujus territorio detentus fuerit, si conscius fuerit, & ipsum repetere negligat, cæteris judicibus in viginti marcas maneat obligatus.* Item in adprobatione statut. Obstalsb. anno MCCCLXI. *Quicunque commiserit homicidium, & non satisfecerit de Wergildo, si profugando transierit ad aliam terram, intra terras nostras dictas, & ibidem detentus fuerit, si tunc amici interfecti conquerantur in terra, ubi homicida detinetur, quod tunc detentor illius homicidæ debet ipsum amovere infra octo dies immediate sequentes, aut solvat pro eo amicis interfecti XL. marcas antiquas, & totidem judicibus istius districtus.* Quod si vero homicida factum negabat, ac legitime purgare se offerebat, ad sacramentum dicendum cum juratoribus suis coram judicibus post 12. 14. vel 40. noctes quæ erant legitima dilationis tempora) admittebatur; ejus formulas vide in form. Romanis Marculpho additis, formula 30. & 31. Si vero factum tam evidens esset, ut negare non posset, ad transactionem sæpius descendebant in judicio, ejusque compositionis, & securitatis notitiam, ut vocant, parentes, & propinqui interfecti homicidæ tradebant, cujus formulę extant in formulis Antiquis Marculpho additis, form. 7. & 8. ad quas lectorem remittimus.

perius, inimicitias propinquorum occiſi patiatur.

IX. Si litus de nobili homine eodem ſcelere fuerit incriminatus, juret medietate majori ſacramento, quamlibet de nobili jurare debeat. Aut ſi negare non potuerit, & homicida defuerit, omnia ut ſuperius de aliis perſonis ſcripta ſunt, impleat; quod ſi de libero idem ſcelus ei imputetur, medietate majori ſacramento juret, quod [1] liber de libero jurare debeat: aut ſi negare non potuerit, & homicida profugerit, tertiam portionem leudis componat, & omnia, ut ſuperius dicta ſunt, implere compellatur.

X. Si de lito fuerit incriminatus, ſua quarta manu ſacramentum perficiat, aut ſi negaverit, & homicida profugerit, ea, quæ ſuperius ſcripta ſunt, per ordinem impleat.

HÆC VULEMARUS (1) ADDIDIT.

Si quis ſervum, aut ancillam, caballum, bovem, ovem, vel cujuſcunque generis animal, vel quodcunque homo ad uſum neceſſarium in poteſtate habuerit, arma, veſtem, utenſilia quælibet, & pecuniam alii ad auferendum expoſuerit. Si ille, qui abſtulit, patria profugerit, expoſitor tertiam portionem compoſitionis exſolvat, aut ſi negare voluerit, majori vel minori ſacramento, prout qualitas pecuniæ fuerit, ſe excuſare debet. Si qui abſtulit non profugit, expoſitor nec juret, nec ſolvat, ſed tantum inimicitias portet ejus, cujus pecuniam abſtulit.

TITULUS III.

De Thiubda (2).

I. SI nobilis furtum quodlibet dicitur perpetraſſe, & negare voluerit, cum quinque ſacramentalibus juret.

II. Aut ſi negare non potuerit, quod abſtulit, in duplum reſtituat, & ad partem Regis LXXX. ſolid. pro freda componat, hoc eſt, weregildum ſuum (3).

III. Si liber furti arguatur, & negare voluerit, ſua ſexta manu, cum æque liberis juret, aut ſi confeſſus fuerit, rem, quam abſtulit, in duplum reſtituat, & ad partem Regis pro fredo weregildum ſuum.

IV. Litus conditionem ſuam per omnia ſimiliter faciat, id eſt, ſexta manu [2] juret, vel, quod abſtulit, in duplum reſtituat, & weregildum ſuum [3].

V. Si ſervus furti reus eſſe dicatur, dominus ejus in veſtimento ſuo (4) ſacramentum pro illo perficiat.

VI. Aut ſi res grandis erat [4], in reliquiis juret, ſervum autem ad judicium Dei in aqua ferventi (5) examinet.

VII.

1 Lindenbr. *quam*. 2 Lindenbr. *ſua ſexta manu*.
3 Addit Herold. & Lindenbr. *ad partem Regis pro freda componat*. 4 Lindenbr. *erit*.

(1) *Hæc Vulemarus.*) Ut olim Senatus vel Prætor Romanus rigorem juris civilis, benigna interpretatione moderari, vel ad ſimiles facti ſpecies extendere ſolebat, ut infinitis juris articulis probari poteſt, ita Vulemarus legem hanc de ſolis hominum traditoribus, vel expoſitoribus ſancientem, ad ſervos, animantia, & generaliter ad res mobiles nova additione extendit. Alias additiones vide infra in Addition. Sapient. ubi de Vulemaro & Saxmundo ſapientibus latius dicemus.

(2) *Thiubda.*) Quod paſſim eſt hiſce legibus animadvertere, vitioſiſſime Friſica vocabula, ut & aliarum gentium ſuis quæque legibus, ſunt expreſſa; reſcribendum itaque Thiafftha. Hodieque furem *thiaeff* vel *thieeff*, furtum *thiafthe*, adpellamus, Belgice *Dieff* & *Dieverije*, nam veteres *Franci*, *Friſii*, *Saxones* ſemper *t* pro *d* uſurpabant, quod etiam nunc *Friſii* & *Angli* obſervant. Nam ubi Belgæ *door*, *dien*, *dat*, *dele*, *deerne*, *dulden*, *dingen*, pronunciant, majores noſtri *torch*, *thi*, *that*, *thira*, *thiorne*, *thulden*, *thingen* cum aſpiratione efferebant, quæque latine ſonant, per, ille, hic, quod, famula, pati, litigare. Habeo vetera inſtrumenta ante annos CC. & CCC. ſcripta, ubi omnia per *th*, raro per *d* efferri invenies, nec aliter pronunciabant, hodieque pronunciant puri puti auſtrales Friſii. Porro pœnam quod attinet, non ea apud omnes Germaniæ populos eadem fuit. Apud *Francos*, *Salicos*, *Bojoarios*, *Longobardos* pecuniaria fuit, ut ex legibus eorum conſtat; apud Saxones capitalis fuit L. Saxon. Tit. IV. §. 7. *Qui in re qualicumque, vel interdiu, vel noctu, trium ſolidorum pretium furto abſtulerit, capite puniatur.* Apud Ripuarios ſuſpendio punitum fuit. L. Ripuar. tit. LXXXI. *Si quis homo propter furtum comprehenſus fuerit, & legitime ſuperjuratus, & judicio principis pendutus fuerit, vel in quocumque libet patibulo vitam finierit, omnes res ejus hæredes poſſideant, excepto quod capitale, & delatura in locum reſtituant.* Friſii præter duplum etiam fredam ad partem Regis ſolvebant, quod furto etiam pax publica violaretur. Hinc Fridericus Imperator tit. de pace tenend. libro ſecundo Feud. conſtituit, ut *fur*, tanquam publicæ pacis turbator, *qui quinque ſolidos valens, aut plus fuerit furatus, laqueo ſuſpendatur, ſi minus, ſcopis & forcipe excorietur, & tondeatur*; nec dubito, quin Imperator legem Ripuariam vel aliam ſimilem in animo habuerit, cum illam conſtitutionem publicaret. Poſtea etiam apud Friſios receptum fuit, ut fures ſuſpenderentur; vide infra ſtat. Obſtalsb. art. 3. Quid? in ſimplici furto. Et ad partem Regis LXXX. ſolid. pro freda LXXX. ſolidi ſoluti, cum pro vi, & rapina tantum XII. ſolidi ſolverentur. Sic enim infra tit. 8. *Si quis rem quamlibet vi rapuerit, in duplum eam reſtituere compellatur, & pro freda 12. ſolid. componat, hoc eſt, 36. denarios.* Idem obſervo in Stat. Obſtalsb. art. 3. in furem & ſpoliatorem eandem pœnam ſtatui. Vide quæ ibi dicemus.

(3) *Wergildum ſuum.*) Freda pro Wergildo ſoluta quaſi pœnam capitis vel certe manum eo redimens, ut ſequentibus §§. Wergildum pro freda ponitur.

(4 *In veſtimento ſuo.*) Quod ſupra monui, pro qualitate delicti, & pœnæ, majori vel minori ſacramento juratum fuiſſe, ita qui ſe ſuo proprio juramento purgare volebat, vel majore vel minore ſolemnitate juramentum ſuum peragebat, de quo latius dicemus tit. XII. de Delictis ſervor.

(5) *Aqua ferventi.*) Vide ibidem tit. XII. notas noſtras.

VII. Quod si servus in judicio approbatus [1] apparuerit, vel confessus fuerit, quanti res, quæ ablata fuerit, æstimabitur, tantum dominus pro servo componat, & servus vapulet, nisi dominus quatuor solidis corium ejus redimere voluerit (1).

VIII. Si quis in furto deprehensus fuerit, & ab ipso, qui eum deprehendit, furti arguatur, & negaverit, juret uterque solus, & ad examinationem ferventis aquæ judicio Dei probandus accedat: si ille, qui fur esse dicitur, fuerit convictus, componat weregildum suum ad partem Regis, & manum LX. solid. redimat, & in simplo furti compositionem exsolvat.

IX. Si vero is, qui alium furem interpellavit, falso eum calumniatus est, & in judicio ferventis aquæ fuerit convictus, LX. solidis manum suam redimat.

TITULUS IV.

De servo aut jumento alieno occiso.

I. SI quis servum alterius (2) occiderit, componat eum, juxta quod a domino ejus fuerit æstimatus.

II. Similiter equi & boves, oves, capræ, porci, & quicquid mobile in animantibus ad usum hominum (3) pertinet, usque ad canem (4), ita solvantur, prout fuerint a possessore earum adpretiata.

III. Aut si negaverit, juxta quod judex dictaverit, juret.

Hoc inter Laubaci & Cincfalam [2].

IV. Canem acceptoricium (5) vel braconem parvum (6), quem barmbraccum vocant, III. solid. [3] componat.

V. Eum autem, qui lupum occidere solet, duobus solidis [4].

VI. Qui lacerare lupum, & non occidere solet, duobus solidis.

VII. Canem custodem pecoris solido componat.

Trans Laub. canem acceptorem VIII. *Barmbracum* XII. *custodem pecorum, vel domus* IV. *qui lupum lacerat* VIII. [5]

VIII. Illum vero, qui nihil facere solet, sed tantum in curte aut in villa jacet, uno tremisse componat.

TITULUS V.

De hominibus (7), qui sine compositione (8) occidi possunt.

I. CAmpionem (9), & eum, qui in prælio fuerit occisus, & adulterum (10), et

1 Herold. & Lindenbr. *probatus.*
2 Herold. & Lindenbr. *Sincfalam.*
3 Herold. & Lindenb. *IV. solid.*
4 Herold. & Lindenbr. *III. solid.*
5 Addit Lindenbr. *solid. componat.*

(1) *Corium ejus redimere voluerit.*) Leg. Salic. tit. XLIII. §. 1. *Si cujus servus in furtum fuerit inculpatus, si talis causa est, unde ingenuus DC. denarios, qui faciunt solid. XV. componere debeat, servus super scamnum trusus CXX. ictus accipiat. Si vero antequam torqueatur, fuerit confessus, & ei cum domino suo convenerit, CXX. denariis, qui faciunt solidos tres, dorsum suum redimat: dominus vero suus capitale restituat.* In formulis, Marculpho additis, form. ult. in fine: *Et si exinde negligens, vel jactivus adparuero, spondeo me contra vos, ut talem disciplinam supra dorsum meum facere jubeatis, quam super reliquos servos vestros.* Adnunciatio Caroli apud Pistas, Cap. XX. ubi de mensuræ adulteratione agitur, post alia: *Si autem colonus vel servus inde reputatus fuerit, aut judicio DEI se examinet, aut si inde convictus fuerit, hoc est, ut supra diximus, unde mensuram adulteravit, perdat, insuper & virgis nudo corio vapulet.* Fridericus Imperator tit. de pace tenend. *scopis excoriare dixit.* Romani quoque in servos suos delinquentes, loris & flagellis animadvertebant l. in servorum 10. ff. de Pœn.

(2) *Si quis servum alterius.*) Vide quæ notavimus ad Tit. primum de Homicidiis §. 11.

(3) *In animantibus ad usum hominum.*) Pecudes intelligit. Capite primo Legis Aquiliæ cautum fuit: *Si quis servum, servamve, alienum alienamve quadrupedem, vel pecudem injuria occiderit, quanti id in eo anno plurimi fuerit, tantum æs dare domino damnatus esto*; l. 1. ff. L. Aquil. pecudum numero sunt, quæ gregatim habentur, veluti boves, oves, capræ, sues, equi, muli, asini, l. 65. ff. de leg. 3. quas eleganter lex nostra ad usum hominum comparatas esse dicit.

(4) *Usque ad canem.*) Pecudum adpellatione canis non continetur l. 2. ff. ad L. Aquil. itaque ad tertium caput L. Aquiliæ pertinet, ubi de bestiis, & feris disponitur, §. 13. Instit. de L. Aquil.

(5) *Acceptoritium.*) Alibi acceptorem adpellant, id est, custodem, & vindicem leporis capti, ne ab aliis canibus discerpatur.

(6) *Braconem parvum.*) Canem odorum, qui ex odore lepores, perdices persequitur, quem etiam nunc *brac* appellamus. *Barm* veteres parvum dicebant. Hinc *barmbertich*, id est, pusillanimus, facilis ad misericordiam.

(7) *De hominibus.*) Valde barbare & pene sine sensu hæc lex conscripta est: mens legis hæc est: Sine compositione, id est, impune occidi possunt, Campio, hostis in prælio, adulter, fur, incendiarius, Templi effractor, & mater, quæ infantem ab utero sublatum enecat.

(8) *Sine compositione.*) Sine pœna fisco, vel hæredibus, & propinquis occisi præstanda.

(9) *Campionem.*) Campio jure feudali dicitur, qui pro alterius innocentia seu crimine purgando duellum suscipit, & cum adversario in campum pugnandi causa descendit. Infra tit. XIV. *de homine in turba occiso* §. 7. *In hac tamen contentione liceat unicuique pro se campionem mercede conducere, si eum invenire potuerit.* Nonnunquam & ipsi, qui criminis alicujus suspecti erant, in campum descendebant. Ibidem §. 5. *Prodicat hominem, quem voluerit, & juret, quod ille homo homicidii, de quo ego interpellatus sum, reus est, tenens eum per oram sagi sui. Ille autem si hoc sacramentum negare voluerit, juret, & contra ipsum cum armis suis in campum procedat.* Campum appellabant circum in campo locoque publico, tabulatis, palisque circum septum, quem certaturi intrabant, a judicibus introducti, in quorum præsentia jurabant, quique arma inspiciebant utriusque, an legitima, & secundum formam præscriptam essent. Reliqua solemnia, quæ a campionibus erant observanda, vide in Codice juris *Frisici* pag. 24. 25. 26. 27. 28.

(10) *Adulterum.*) Non quemvis, sed eum, qui.

& furem, si in fossa, qua domum alterius effodere conatur, fuerit repertus, & eum, qui domum alterius incendere volens, facem manu tenet (1), ita ut ignis tectum vel parietem domus tangat: qui fanum effregit (2), et infans ab utero (3) sublatus, et enecatus a matre [1].

II. Et si hoc quælibet fœmina fecerit, leudem suam Regi componat, & si negarit, cum v. juret.

Titulus VI.

De conjugiis ignoratis.

I. Si libera fœmina lito nupserit, (4) nesciens eum litum esse, & ille postea de capite suo, eo quod litus sit, fuerit calumniatus (5); si illa sua sexta manu jurare poterit, quod postquam eum litum esse rescivit, cum eo non concumberet [2], ipsa libera permaneat, & filii, quos procreavit.

II. Si vero jurare non possit, in compositionem mariti (6) sui una cum filiis suis transeat.

Titulus VII.

De Brand.

I. Si quis domum alterius incenderit, ipsam domum, & quicquid in ea concrematum est, in duplo componat (7).

II. Si autem dominum domus flammis ex ipsa domo (8) egredi compulit, & egressum occidit, componat eum novies, cujuscunque fuerit conditionis, sive nobilis, sive liber, sive litus sit. Hæc constitutio ex edicto Regis (9) processit.

Trans Laubaci in fredam novies componit weregildum suum.

T 1

1 Lindenbr. *& infantem ab utero matris sublatum enecat.*

2 Lindenbr. *concubuis.*

qui a patre, fratre, curatore, marito, in cujus potestate fuerit mulier vel puella, in flagranti crimine deprehensus fuerit; alioquin convictus, vel confessus legibus puniendus.

(1) *Facem manu tenet.*) Vide jus *Frisicum Landrecht* XXIV.

(2) *Fanum effregit.*) Vide jus synodale *Frisicum.*

(3) *Infans ab utero.*) Videtur illud crimen apud Germanos, nondum Christi fide imbutos, non infrequens fuisse. Equidem suspicor non simpliciter necasse, sed potius Diis suis immolasse, cum dicat lex de infante ab utero sublato, id est, ut ego interpretor, adhuc a matre rubente, quique materna ubera nondum suxerit. Nam ex vita divi Ludgeri constat, Gentiles ejusmodi infantes diis obtulisse, antequam lac sugerent, vel mansum ederent; sed ipsa verba ex capite sexto adscribemus. *Memorata Liafburgh, cum nata esset, habebat aviam gentilem, matrem videlicet patris sui, abrenunciantem omnino fidei catholicæ, quæ non nominanda in furorem conversa, eo quod prænominata conjux filias tantum genuisset, & filium viventem non haberet, misit lictores, qui raperent eandem filiam, tunc natam, de sinu matris & necarent, priusquam lac sugeret matris; quia sic mos erat paganorum, ut, si filium, aut filiam necare voluissent, absque cibo terreno necarentur.* Deinde capite septimo. *In hac igitur colluctatione mirabili, juxta misericordis Domini dispositionem, supervenit vicina mulier, & misericordia mota eripuit puellam de manu præfati mancipii, cucurritque cum ea ad domum suam, & claudens post se ostium, pervenit ad cubiculum, in quo erat mel, & misit ex melle illo in os juvenculæ, quæ statim sorbuit illud. Venerunt interea prædicti carnifices, jussa dominæ suæ expleturi: dominabatur enim illa furibunda in tota domo filii sui. Mulier autem, quæ infantem rapuerat, occurrit lictoribus, dixitque mel comedisse puellam, & simul ostendit eis illam adhuc labia sua lingentem, & propter hoc illicitum erat juxta morem gentilium illam necare.* Abominabilis sed notabilis ritus ad hunc locum.

(4) *Si libera fœmina lito nupserit.*) Itaque fœmina, si sciens volensque liti, (de cujus conditione supra diximus, & infra dicemus), nuptias secuta fuerit, in mariti conditionem transibat, quod etiam jure civili ex S. Consulto Claudiano obtinuit. Ulpianus Instit. tit. 11. §. 11. *Maxima capitis diminutio est, per quam civitas, & libertas amittitur, veluti cum in census aliquis venierit, aut cum mulier alieno servo se junxerit, denunciante domino, & ancilla facta fuerit, ex S. Consulto Claudiano.* Tertull. ad Uxorem: *Nonne insuper censuerunt servituti vindicandas, quæ cum alieno servo post dominorum denunciationem in consuetudine perseverarent?* quod deinde in muliere a Justiniano Imp. sublatum est. C. de Senat. Consulto Claud. toll.

(5) *Fuerit calumniatus.*) Calumniari pro accusare posteriori sæculo usurpatum, calumnia quæcumque actio dicta fuit. Infra tit. XI. §. 2. *Si litus semet ipsum propria pecunia a domino suo redemerit, & unum, vel duos, vel tres, vel quotlibet annos in libertate vixerit, & iterum a domino, de capitis sui conditione fuerit calumniatus.* Et §. 3. *Si aut calumniator, aut ille, cui calumnia illata est, se solum ad sacramenti mysterium perficiendum protulerit.* Formul. veterib. capite septimo: *Et si fuerit aut ego ipse, vel ullus de hæredibus meis, vel quælibet persona, quæ contra hanc precariam aliquam calumniam, vel repetitionem, aut contemptum generare præsumpserit.* Item capite decimo: *Et quod fieri non credo, si fuerit ulla quælibet persona, quæ contra hanc venditionem, quam ego mea spontanea voluntate fieri rogavi, aut qui contra eam aliquid agere, vel calumniam generare conaverit.* Et alibi centies. Hinc Gallicum *calange*, & *calanger*, actio, accusatio, accusare.

(6) *In compositionem mariti.*) Lege conditionem mariti.

(7) *In duplo componat.*) Jure Saxonum capitale fuit. L. Sax. tit. v. §. 2. *Qui domum alterius, vel noctu, vel interdiu suo tantum consilio, volens incenderit, capite puniatur.* Deinde, etiam pœnæ exasperatæ. Stat. Obstalb. Art. 3. *Incendiarii nocturni cementur, [illegible] in septuplum damnum incendii [illegible] recompensent, & in pœna viginti marcarum judicibus maneant obligati.* Jure civili quoque incendiarii cremantur; l. 9. ff. de Incend. l. 28. §. 12. ff. de pœnis.

(8) *Flammis ex ipsa domo.*) Nostrates *Moord brand*-adpellant, cujus atrocissimi criminis exempla in annalibus nimium quam sæpe occurrunt.

(9) *Ex edicto Regis.*) Francorum puta, nam quæ præcessit lex, antiqua & Frisica fuit.

TITULUS VIII.

De Notnumfti (1).

I. SI quis rem quamlibet vi rapuerit, in duplum eam reftituere compellatur, & pro freda folid. XII. componat, hoc eft, XXXVI. denarios.

Trans Laubaci in fimplo componat.

II. Et pro freda weregildum fuum.

TITULUS IX.

De Farlegani (2).

I. SI fœmina quælibet homini cuilibet fornicando fe mifcuerit, componat ad partem regis weregildum fuum. Hoc nobilis & libera faciant.

II. Lita vero ad partem domini fui.

III. Si vero ancilla & virgo erat (3), cum qua quislibet homo mœchatus eft, componat is, qui eam violavit, domino ejus folidos IV. hoc eft denarios XII.

IV. Si autem ab alio [1] (4) prius fuit conftuprata, folidos III.

V. Si vero tertius hic erat, qui tunc eam violavit, duos folidos.

VI. Si vero quartus, folidum unum.

VII. Si quintus, tremiffem unum, & quotcunque poftea accefferint, tremiffem unum tantum componant, id eft, culpabilis tremiffem.

VIII.

[1] Lindenbr. *ab aliquo.*

(1) *Notnumfti.*) Vix intelligo, nifi ex textu legis vim feu violentam rapinam interpretemur, quafi *need nimmers*, nam *need* Frifice vim fignificat. Etiam *Schaecraek* dicitur, in jure Frifico tit. *van Schaecraef. Dit is en Schaecraef. Whafo farat onbiradis mey onriuchter wald ti ena ftandara hufa, enda dir binima tha lioeden biara goed, dir bia fchoulden dat liiff mey veda, en biara fela van reda, fo bringt by bim falm inda fchakera rauwa, enda in biarra riocht, Ieff by dir tho biradit wirht dat by mitta fia beta fchil, fo fchil biit ewre fchot beta, ende da alder bagifta freda twifald beta, als da l'oeda wilkaret babbat.* Id eft: *Hoc eft Schaecraeff. Si quis inconfulto, & injuffus ad domi ftadium alicujus profectus, atque ibi hominibus bona fua rapit, de quibus corpus alere & animæ confulere deberent, feipfum in fchaecraef crimen, ejufque pœnam conjicit. Si eo inducatur, ut pecuniam componere debeat, in duplum componat, & fupremam fredam in duplum folvat, ut judices ftatuerunt.* Debuiffet hic titulus fequi titulum de furtis.

(2) *De Farlegani.*) Vix effet ariolari hujus tituli fignificationem, nifi textus ipfe de adulteriis, & ftuprationibus agi indicaret; refcribendum itaque de *Horleganis*, id eft, *Doerleggers*, ad verbum, de Concubinis; hinc concubina *bileggerfe*, & doctiffimus *Kilianus* in fuo Etymologico adnotavit, *bileggher* apud veteres concubinum, id eft, fcortatorem denotaffe. De Veterum *Germanorum* pudicitia ita Tacitus de morib. Germ. cap. XIX. *Pauciffima in tam numerofa gente adulteria, quorum pœna præfens, & maritis permiffa. Accifis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit; publicatæ enim pudicitiæ nulla venia, non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit: nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere, & corrumpi fæculum vocatur.* Divus Bonifacius, Frifiorum Apoftolus, & Martyr, Epiftola ad Ethelbaldum Regem Anglorum: *In antiqua Saxonia, ubi nulla Chrifti cognitio, fi virgo in materna domo, vel maritata fub conjuge adulterata fit, manu propria ftrangulatam cremant, aut cingulo tenus veftibus abfciffis flagellant eam caftæ matronæ, & de villa in villam miffæ occurrunt novæ flagellantes, & cultellis pungunt, donec interimant.* In veteri noftro jure Frifico: *Werfome een Brouwe wroeget, dat hioe en Brhoer deen halbe, fo aegbie her voormond tho fickeren, ief hyfe fickert, vrbreckt her de ra ludena, fo wertfe her voormond al fchieldich, fo aegh dy voormond dine ker, hor hyfe filla, fo hyfe handia mit ta fwird, deerfa onder ginga, dofe dat aefte begingh, fo hyfa tho hem nima, ende hiafe fickeria nellet, fo fchilma om da fonde da hermfcheed ontfaen, ende da hon beta mey try en tzechftich fchillinge.* Id eft: Ubi mulierem accufamus, quod adulterium commiferit, is, in cujus poteftate eft, eam purgare tenetur; fi eam purget, id eft, purgare fufcipiat, & facramenta deficiant, ei, in cujus poteftate eft, tenetur, eique optio datur, an ipfam excoriare, an gladio, fub quo domum (fponfi intellige) intrabat, ferire velit. Si ipfam ad fe recipere, nec purgare velit, propter peccatum, pœnitentiæ caufa peregrinetur, & bannum folvat tribus & fexaginta folidis. Ubi notandus vetus & folemnis ritus, quo uxor, vel fponfa, domum mariti vel fponfi folebat intrare. Quod vero *filen* excoriare interpretati fumus, non eam habet fignificationem, quod cutem totam detrahendi, fed cædendi, & flagellis corium tergoris rumpendi, poteftatem habuerit. Nam *filunge* veteribus flagellum fuit, *filun* flagellare. Vide Lipf Centuria III. ad Belgas Epift. 44. Præterea notandus hic vetus & folemnis ritus fponfam domum mariti deducendi. Siquidem ipfo nuptiarum die fponfa longo virginum, juvenumque comitatu, tum multo auro, argentoque onerata magis, quam ornata, paffis capillis, corona redimita, ad templum deducebatur; viæ, qua ibat, facibus, ignibufque ftramentitiis collucebant, fiebatque ea deductio more Romano, noctu. Stabat ad fores templi presbyter, vel vicarius ejus, qui adprehenfa fponfæ manu, eam ad aram deducebat, ubi ipfe fponfus cum fuis paranymphis ad finiftram fponfæ adftans, folemni ritu jungebatur. Quo peracto, ad domum fponfi deducebatur eadem pompa, ubi cum perveniffet, ex fponfi propinquis aliquis ante limen fcopas projiciebat, quas ipfa fponfa ominis, & maleficii averruncandi ergo, tranfire moris erat. Limen tranfitura alius ex vicinis, vel propinquis fponfi, gladio evaginato, quem januæ tranfverfum prætendebat, ingreffum impediebat fponfæ, multo conatu irrumpere conantis, nec admittebatur, nifi munufculo aliquo quafi mitigaffet. Quo ritu fponfa, pudicitiam & caftitatem viro fervaret integram, monebatur: quod fi eam proftituiffet, marito jus erat, de adultera, ipfo gladio, fub quo mariti domum intrarat, quemque *Aeftfwird*, id eft, gladium nuptialem vocabant, fupplicium fumere, ut fupradicta lex indicat.

(3) *Ancilla & virgo erat.*) Etiam ancillæ virgini ftuprum inferri dicitur jure civili.

(4) *Si autem ab alio.*) Id eft, fi alter prior pudorem ejus imminuerit, ut jam amplius virgo non fit, pœna domino præftanda quo-

que

VIII. Si quis puellam virginem rapuerit, & violatam demiserit (1), componat ei Weregildum ejus, sive nobilis sive libera fuerit ad satisfactionem, & ad partem Regis similiter.

IX. Tertium Weregildum patri, sive tutori puellæ.

X. Si vero puella lita fuerit, satisfaciat ei similiter solutione Weregildi sui, & domino ejus decem solidos componat.

XI. Si liberam fœminam extra voluntatem parentum ejus, vel eorum (2) qui potestatem ejus habent, uxorem duxerit, componat tutori ejus solid. xx. id est denarios LX.

XII. Si autem nobilis erat fœmina, sol. xxx.

XIII. Si lita fuerit, solid. x. domino ejus persolvere cogatur.

Inter Laubachi & Wisaram fluvium talis est consuetudo.

XIV. Si nobilis seu liber (3) libero vi aliquid abstulerit, aut ipsum, aut aliud simile in locum restituat, & XXIV. solid. pro facti scelere componat, & Weregildum suum ad partem Regis cogatur exsolvere.

XV. Si autem nobilis vel liber nobili vi aliquid abstulerit, medietate majori compositione facinus cogatur emendare, & Weregildum suum, ut superius, ad partem Regis exsolvat.

XVI. Inter litos vis facta, medietate minori compositione [1] solvenda est. Insuper Weregildum suum ad partem regis.

XVII. Si servus vi aliquid sustulit, dominus ejus pro illo quantitatem rei sublatæ [2] componat, ac si ipse sustulisset, & pro Weregildo servi IV. solid. hoc est, denarios XII. ad partem Regis componat.

TITULUS X.

De testibus.

I. Si quis homo super reliquiis sanctorum falsum sacramentum juraverit (4), ad partem Regis Weregildum suum componat, & alio Weregildo manum suam redimat,

1 Lindenbr. *minoris compositionis.*

2 Lindenbr. *sublatam.*

que minuebatur, ut & seq. §§. constituitur, quia ancilla violata non tanti pretii est, quanti virgo, l. 11. §. 5. ff. de Act. Empt. Quid si sæpius quam quinquies coitus admiserit? cessasse pœnam, & pro ea, quæ passim sui copiam faceret, habitam existimo. Vide infra tit. XIII.

(1. *Si quis puellam virginem rapuerit, & violatam demiserit.*) Fuit itaque raptus virginum capitalis, quod vergildo suo redimere poterant, eoque triplici, ad partem virginis, & ad partem tutoris, ut loquebantur. L. Sax. Tit. VI. §. 1. & 2. *Qui fœminam ab alio desponsatam rapuerit, CCC. sol. patri puellæ, CCC. sponso componat, & insuper CCC. solidis emat eam, & si cum matre euntem in via rapuerit, etiam & matri CCC. solidis componat.* Veteri jure Frisico, art. 40. de uxore alterius rapta. *Hot is riocht, wharsoma en wijff an neda nimpt, ende dat clagiet da frana, so schilma her volgia metta Aesga tida fordel ther hio binna is, en da frana schil her fregia. hose dir kome, hor willens so onwillens: hockera hia dan quet, so schil hia inda frana wald wessa tra nachta, truch da need derma aldir clagi t. Dis tredda drit aegse di frana, anda werff te bringhen, ende tue steven te setten, her willa tho barien. Byda ene steve stania hera Wegen, ende by da ora her man Jeff hia vida man geet, so bruckfa des manas mit willa, om dat hia hera ledena wald aegh. Jeff hia tida me gen geet, so schil hisa tweda jelda, en brand en breck tielda, ende tachtentich pond heren en lioeden jaen.* Id est: Juris est: Ubi fœmina vi rapitur, & ad Franam questus deferatur, sequentur eam cum Aesga ad fundum vel domum, in qua moratur, & Frana ipsam interrogabit, quomodo istuc venerit, volens, an invita. Quodcumque responderit, tribus noctibus in potestate Franæ erit, propter raptus accusationem. Tertio die Frana ipsam ad judicium producet, duosque palos terræ infiget, & mulieri liberam optionem dabit; ad unum consistent mulieris propinqui, ad alterum maritus, puta raptor ipsius. Si ad maritum, sui raptorem se receperit, utatur ipsa volente, quia membrorum suorum potestatem habet. Quodsi ad propinquos accesserit, ipsam duplici Wergildo componat, incendium & effracturam luat domino, id est, Regi, & judicibus LXXX. libras solvat. Frane, sive ut Saxones, Frone, apud veteres, hominem sapientem, juris peritum, sive virum præcipuum, & proprie judicem vicanum adpellabant, qui res vici sui curabat, delinquentes adprehendebat, inter vicanos de rebus minimis jus dicebat, tum etiam partes ad judicium citabat, ut passim ex jure veteri Frisico probari potest. *Aesge* vero judex erat ordinarius in caussis civilibus, quem Germani *Schuldaeysch* vocabant, nos *Schout* dicimus, quasi debitorum exactor, vel cujus auctoritate debita exigebantur. Verum apud Frisios diversi judices erant, siquidem *Aesgha*, ut modo dixi, de causis civilibus & pecuniariis jus dicebat, *Schout*, sive *Schelte*, ex parte Regis vel Comitis pœnas exigebat, & de criminibus cognoscebat: hinc frequenter in jure nostro *Aesgha doem*, & *Schelte ban*, id est, *Aesghae* sententia, *Scheltonis* bannum seu pœna.

(2) *Parentum ejus, vel eorum.*) Apud veteres Germanos fœminæ in perpetua tutela erant, maritorum uxores, patris puellæ, vel patre defuncto, fratris, patrui, vel alterius propinqui, quod Mundium seu Mundiburdium dicebant. L. Longobard. tit. LXXXIII. *Nulli mulieri liberæ, sub regni nostri ditione, legibus Longobardorum viventi, liceat in suæ potestatis arbitrium, id est, Selbmundio vivere, & semper sub potestate virorum, aut certe Regis debeat permanere.* Burchardus ex pœnitentiali Romano: *Rapuisti uxorem tuam, & vi sine voluntate mulieris vel parentum, in quorum Mundiburdio tenebatur, illam adduxisti.* Ex eodem jure etiam nunc in Hollandia, Geldria, Transisulania obtinet, nihil in judicio sine curatore ad actum illum dato mulieres agere posse. Sed alibi latius dicemus.

(3) *Si nobilis, seu liber.*) Pertinent sequentia ad finem tituli, proprie ad tit. præcedentem *De Notnumfti*, & transposita esse existimo, ut multa sunt in hoc libello, mutila, luxata, & non suo loco posita.

(4) De pœna eorum, qui in reliquiis Sanctorum pejerarunt. Moris erat apud veteres, juramenta præstari in causis magni momenti, in locis sacris, vel ad reliquias Martyrum, un-

mat, de conjuratoribus ejus unusquisque Weregildum suum persolvat.

TITULUS XI.

De lito (1).

I. SI liber homo spontanea voluntate, vel forte necessitate coactus (2) nobili seu libero, seu etiam lito in personam & in servitium liti se subdiderit, & postea se hoc fecisse negare voluerit, dicat ille, qui eum pro lito habere visus est: *Aut ego te nunc* [1] *conjuratoribus meis sex, vel septem, vel decem, vel duodecim, vel etiam viginti, sacramento meo mihi litum faciam, vel tu cum tuis conjuratoribus de mea potestate te debes excusare*. Si ille tunc jurare velit; juret, & servitute liberetur. Si autem jurare noluerit, ille, qui eum possidere, videbatur, juret, sicut condixit, & habeat illum, sicut cæteros litos suos.

II. Si litus semetipsum propria pecunia a domino suo redemerit (3), & unum, vel duos, vel tres, vel quotlibet annos in libertate vixerit, & iterum a domino de capitis sui conditione fuerit calumniatus, dicente ipsi domino: *Non te redemisti, nec ego te libertate donavi*; Respondeat ille: *Aut tu cum juratoribus tuis sex, vel duodecim, vel viginti, vel etiam, si triginta dicere voluerit, me tibi sacramento tuo ad servitutem acquire; aut me cum meis juratoribus tantis, vel tantis ab hac calumnia liberare permitte*. Si ille qui dominus ejus fuerat cum totidem hominibus, quorum [2] ei propositi sunt, jurare velit, conquirat eum sibi ad servitutem; sin autem, juret alter, & in libertate permaneat.

III. Si autem calumniator, aut ille, cui calumnia irrogata est, se solum ad sacramenti mysterium perficiendum protulerit, & dixerit: Ego *solus jurare volo, tu, si audes, nega sacramentum meum, & armis mecum contende*. Faciant etiam illud, si hoc eis ita placuerit, juret unus, & alius neget, & in campum exeant. Hoc & superiori capitulo constitutum est.

TITULUS XII.

De delicto servorum.

I. SI servus rem magnam quamlibet furasse dicatur, vel noxam grandem perpetrasse (4), dominus ejus in reliquiis san-

1 Herold. & Lindenbr. *cum*.

2 Lindenbr. *quanti*.

unde & Sacramenta dicebantur, & testes sacramentales, ut supra monebamus. Gregor. Turonens. lib. IV. cap. XLVI. *Requirit hominem Ursum nomine, quem ad altare clam adductum, jurare fecit, & dicere: Per hunc locum sanctum, & reliquias Martyrum beatorum*. Idem lib. X. cap. XXXII. *Si*, inquiunt, *est innoxia, super tumulum hoc beati Dionysii Martyris sacramentis adfirma*. Formula ejus juramenti frequenter occurrit apud Marculphum, & form. veteribus in hæc verba: *Hic juro per hunc locum sanctum, & Deum altissimum, & virtutem Sancti illius*. Veteres Frisii dicebant: *op da holgena witen*; & in Drentia, Transisulania, & alibi frequenter auditur: *Dat wil ik wel ten hilligen sweeren*. Si quis ita pejerasset, duplici Wergildo componebat, uno ad partem Regis, altero pro manus redemptione, dextræ scilicet, qua pejeraverat. Sed acriter reprehenditur hic abusus Synodi Meldensis cap. XXXIX. *Tantum hoc malum est, ut ad sanctuaria Martyrum, ubi diversorum ægritudines sanantur, ibi perjuri, licet manifeste interdum vexari non videantur, justo DEI judicio arripiantur a dæmonibus*.

(1) *De lito.*) De conditione litorum supra prolixe diximus, probavimusque, fuisse servos colonarios, sive adscriptitios, fundi vel prædii, quod ex præscripto domini colebant, sub certo servitii, & annui census modo, aliosque originarios fuisse, alios, qui sponte sua se servituti isti obnoxios reddiderant. Fuerunt isti ab ultima antiquitate per universam Germaniam sparsi, ut ex Tacito probavimus, & Sosimo intelligi puto, libro IV. ubi de Valentiniano Cæsare, Germanorum agricolas ad bellum evocante, sic scribit: *Quapropter maxima juvenum multitudine, tum de Barbaris Rheni accolis, tum de subjectarum Romano imperio gentium agricolis collecta, numerisque militaribus adscripta, sic eos bellicis in rebus exercuit, ut metu exercitationis, & experientiæ militum totos novem annos nemo Transrhenanorum subjecta Romanis oppida vexaret*. Hi ipsi sunt, qui in Notitia Imperii occidentalis læti adpellantur, & per provincias dispersi, sub præfectis suis militabant: inter quos censentur, læti Batavi, læti Suevi, læti Franci, & cætera. Lætos Romani vocabant, quos Germani litos, laitos, lassos, lessos a relinquendo, quod agris colendis relinquerentur, unde & herislitium, crimen exercitus relicti, vel quod postremi & minimi essent. In veteri glossario *Letiston*, Notitia, & *litici*, parvi. Judicet lector.

(2) *Spontanea voluntate, vel forte necessitate coactus.*) Solebant apud veteres Germanos seipsos vendere, perditi nimirum aleatores, qui sæpe uno jactu libertatis suę periculum subibant. Tacitus de Mor. Germ. *Aleam (quod mirere) sobrii inter seria exercent, tanta lucrandi perdendique temeritate, ut, cum omnia defecerunt, extremo & novissimo jactu de libertate & de corpore contendant. Victus voluntariam servitutem adit, quamvis junior, quamvis robustior, alligari se, & venire patitur*. Forsitan ab eo fluxit, ut & aliis ex causis seipsos venderent. Spontaneæ venditionis formula in form. Veter. form. X. *Domino semper meo illi, ego ille. Placuit mihi, ut statum ingenuitatis meæ in vestrum deberem obnoxiare servitium, quod ita & feci. Unde accepi a te pretium, in quo mihi bene complacuit, solid. tantos, ita ut ab hodierno die, quidquid de me servo tuo; sicut & de reliquis mancipiis tuis facere volueris, a die præsenti liberam habeas potestatem*. Necessarię vel coactę venditionis formula extat ibidem form. 44. *Dum & omnibus habetur percognitum, qualiter ego minime habeo, unde me pascere vel vestire debeam, ideo petii pietati vestræ, & mihi decrevit voluntas, ut me tam de victu, quam de vestimento, juxta quod vobis servire, & promereri potuero, adjuvare vel consulere debeas. Et dum ego in caput advixero, ingenuili ordine, tibi servitium vel obsequium impendere debeam*.

(3) *A domino suo redemerit.*) Vide formulas veteres, form. 2. 3. 4. 5.

(4) *Vel noxam grandem perpetrasse.*) Vide tit. III. de Thiubda §. 5. & 6. & quę ibidem notavimus,

ſanctorum pro hac re jurare debet.

II. Si vero de minoribus furtis & noxis a ſervo perpetratis fuerit interpellatus, in veſtimento vel pecunia jurare poterit (1).

Titulus XIII.

De ſtupro ancillarum.

I. QUi cum ancilla alterius, quæ nec mulgere, nec molere ſolet (2), quam bortmagad vocant, mœchatus fuerit, ſolid. XII. mulctam domino ejus cogatur exſolvere.

Titulus XIV.

De homine in turba occiſo (3).

I. SI homo quislibet in ſeditione aut [1] turba populi fuerit interfectus, nec homicida poterit inveniri propter multitudinem eorum, qui aderant, licet ei, qui compoſitionem ipſius quærere vult, de homicidio uſque ad ſeptem homines (4) interpellare, & unicuique eorum crimen homicidii objicere, & debet unuſquiſque eorum ſua duodecima manu objecti criminis ſe purificare ſacramento. Tunc ducendi ſunt ad baſilicam, & ſortes ſuper altare mittendi [2], vel ſi juxta Eccleſiam fieri non potuerit, ſuper reliquias ſanctorum. Quæ ſortes tales eſſe debent: Duo tali, de virga præciſi, quos tenos vocant (5), quorum unus ſigno crucis ignoſcatur [3] (6): alius purus dimittitur, & lana munda obvoluti, ſuper altare ſeu reliquias mittuntur, & presbyter ſi adfuerit, vel ſi presbyter deeſt, puer quilibet innocens, unum de ipſis ſortibus de altari tollere debet, & interim Deus exorandus, ſi

1 Lindenbr. *ſi*. 2 Lindenbr. *mittendæ*. 3 Herold. *inſcatur*.

(1) *In veſtimento vel pecunia jurare poterit.*) Pro criminis gravitate, & perſonę committentis ſtatu, purgationes majores vel minores requirebantur. In graviſſimis delictis, duello, vel ferro candenti locus erat, in minoribus ſacramenta ad reliquias Martyrum, in minimis ſolius ſe purgantis juramentum requiſitum. *In veſtimento jurare*, fuiſſe exiſtimo, ut jurans oram veſtis ejus, cui ſe purgabat, vel alterius teſtis, vel ſui ipſius adprehendens, ſolemni juramento ſe, vel ſervum ſuum purgaret. Infra in additionibus Sapientum Tit. III. §. 49. *Liceat ei, qui vulneratus eſt, ſua ſolius manu ſacramentum peragere, quod tot vulnera uno ictu ei fuiſſent illata.* Item tit. IV. §. 1. *Ter quater ſolidis componat, aut ſi negaverit, ſolus juret in manu proximi.* Supra de Thiubda tit. III. §. 5. *Si ſervus furti reus eſſe dicatur, dominus ejus in veſtimento ſuo ſacramentum pro illo perficiat. In pecunia* vero jurabant ita, ut prolato nummo ſolido, vel denario, in quo vultus Regis, vel crux effigiata, ei manum imponeret, atque ita, quaſi teſte Rege, vel cruce juraret. Extat in jure noſtro Friſico art. LXXXI. alia jurandi forma, ſeu ritus ſolemnis, quem adſcribere non gravabor. *Dit is dio riucbte Boedel eed, di da iena ſchwarra ſchil, der kamer en katen warada, ſo aegh hy op tho nimen mit ſiner winſtera hand ſine winſtera hara, ende der op tho lidſena tween fingeren mit ſima fora hand, en ſchwarra dan.* Hoc eſt legitimum juramentum ejus, qui in domo mortuaria cameras & claves cuſtodit. Tollat ſiniſtra manu ſiniſtros capitis capillos, eiſque imponat dextræ manus duos digitos, atque ita juret. Qui mos jurandi, cum apud majores noſtros eſſet frequentiſſimus, & ſanctiſſimus haberetur, proverbio locum dedit vicinis & finitimis populis, tum demum Friſio credendum, ſi manu capillos adprehendiſſet, atque ita ſacratiſſimo juramento fidem alteri adſtrinxiſſet. *Per arma* quoque jurabant, de quo Aimonius lib. IV. cap. *Pactum inter Francos & Saxones, ſacramento ſuper arma, ut eis mos erat, jurantibus, firmatum eſt.* Formulis veterib. form. XXX. *Ideo etenim, dum ſic veritas comprobatur, jam dictus ille, adprehenſam manum, vel arma judicis prædicti, ſicut mos eſt, apud homines XII. manu ſua tertiadecima, diſtractus, vel juratus dixit.*

(2) *Nec mulgere, nec molere ſolet.*) Ruſticanas ancillas intelligit, quarum miniſterium conſiſtebat in pecoribus mulgendis, lacte & caſeis conficiendis, tum frumento molendo, panibuſque pro ruſticana familia pinſendis. *Bortmagad* quæ fuerit, non adſequor, niſi *bertmagad* legamus, quæ in interiori domo pro domino, & familia, focum & ſtratum procurabat, quæ majoris pretii videtur fuiſſe, cum ſtuprum ejus XII. ſolid. ruſticanæ IV. ſolidis componeretur. Sed vereor, ne hic quoque titulus interpolatus ſit.

(3) *De homine in turba occiſo.*) Hoc capite tres modi explorandi homicidii in turba commiſſi proponuntur. Primus eſt per ſortis examinationem inter Laubachum & Flehum, quę hodie proprie Friſia, in *Doſtergaam*, *Weſtergoam*, & ſeptem Sylvas diſtributa, olim obſervatus, & antiquiſſimus, quem ſic deſcribit Tacitus, de Morib. Germ. cap. X. *Sortium conſuetudo ſimplex. Virgam frugiferæ arbori deciſam in ſurculos amputant, eoſque notis quibuſdam diſcretos ſuper candidam veſtem temere, ac fortuito ſpargunt. Mox ſi publice conſulatur, Sacerdos civitatis, ſi privatim, ipſe paterfamilias precatus Deos, cœlumque ſuſpiciens, ter ſingulos tollit, ſublatos ſecundum impreſſam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem conſultatio. Sin permiſſum, auſpiciorum adhuc fides exigitur.* Poſtquam Chriſtianis ſacris initiati fuimus, retenta quidem ſortium conſuetudo, ſed crux aliique ritus Chriſtiani adhibiti, & mutati.

(4) *Uſque ad ſeptem homines.*) Vide infra §. 3. Sed quamvis viginti, vel etiam triginta fuerint, non tamen amplius quam ſeptem interpellandi ſunt. L. Sal. tit. XLVI. de Homicid. in conv. fact. §. 2. *Si vero in illo plus quam ſeptem fuerint, non omnes teneantur obnoxii, ſed quibus fuerit imputatum, illi ſecundum legem componant.*

(5) *De virga præciſi, quos tenos vocant.*) Mallem: *de virga præciſi, quam tenam vocant. Tien* etiam nunc vimen dicitur, ex quibus corbes fiunt.

(6) *Signo crucis ignoſcatur.*) Leg. *dignoſcatur*. Putat doctiſſ. Bignonius ad form. Vet. Marculpho addit. hic deſcribi formam purgationis per crucem, ſed fallitur. Siquidem judicium crucis ita peragebatur, ut partes coram judicio venientes, poſt accuſationem & negationem hinc inde (Friſii *Jechtwird*, & *Deckwird* dicebant) interpoſitam, ad crucem ſtare per XLII. noctes juberentur, & qui perſtitiſſet, victor, qui ceſſiſſet, victus habebatur. Ejus ritus ita deſcribitur form. lib. poſt

form.

si illi septem, qui de homicidio commisso juraverunt, verum jurassent, evidenti signo ostendat. Si illum, qui cruce signatus est, sustulerit, innocentes erunt, qui juraverunt; si vero alterum sustulit, tunc unusquisque illorum septem, faciat suam sortem, id est, tenum de virga, & signet signo suo, ut eum tam ille, quam cæteri, qui circumstant, cognoscere possint, & obvolvant [1] lana munda, & altari seu reliquiis imponantur, & presbyter si adfuerit, si vero non, ut superius, puer innocens unumquemque illorum singillatim de altari tollat, & ei, qui suam sortem esse cognoverit, rogat. Cujus sortem extremam esse contigerit, ille homicidii compositionem persolvere cogatur, cæteris, quorum sortes prius levatæ sunt, absolutis.

II. Si autem in prima duarum sortium missione illam, quæ crucis signo notata est, sustulerit, innocentes erunt, sicut prædiximus, septem, qui juraverunt, & ille, si velit, alios de eodem homicidio interpellet, & quicunque interpellatus fuerit, sua duodecima manu perfectorio sacramento se debet excusare, & in hoc interpellatori sufficiat; nec ulterius ad sortem quemlibet compellere potest.

Hæc lex inter Laubachi & Flehum custoditur; cæterum inter Flehum & Sincfalam fluvium pro hujusmodi causa talis est consuetudo.

III. Is, qui compositionem homicidii quærit, in reliquiis sanctorum juret, se non alium de hac re interpellaturum, nisi eos, qui ei ipsius homicidii suspecti sunt, & tunc unum vel duos, vel etiam tres aut quatuor, vel quotlibet fuerint, qui eum, qui occisus est, vulneraverunt, de homicidio interpellet. Sed quamvis viginti vel etiam triginta fuerint, non tamen amplius, quam septem interpellandi sunt, & unusquisque eorum, qui interpellatus est, sua duodecima manu juret, & se post sacramentum judicio Dei examinandum, ferventi aqua innocentem ostendat. Qui primus juravit, primus ad judicium exeat, & sic per ordinem, cum judicio [2] probatus inventus fuerit, compositionem homicidii persolvat, & ad partem regis bis Weregildum suum. Cæteri conjuratores, sicut superius de perjuris dictum est.

De eadem re, inter Laubachi & Wisarum fluvium talis est consuetudo.

IV. Ille, qui compositionem homicidii quærit, unum hominem interpellet, homicidam eum proximi sui vocans, & eum leudem occisi debet persolvere; & ille, si responderit, & dixerit, se velle cum conjuratoribus suis sacramento se purgare, dicat ille, qui homicidam eum interpellavit, se in placito publico eum interpellare velle, et ita faciat, interpellet eum in placito coram judicibus, & ille, qui interpellatus est, si negare non poterit alium, quod sibi objectum est, homicidii reum ostendat, quod ita [3] facere debet.

V. Producat hominem, quem voluerit, & juret, quod ille homo [4] homicidii, de quo ego interpellatus sum, reus est, tenens eum

1 Lindenbr. *obvolvantur.* 2 Lindenbr. *Qui in judicio.* 3 Lindenbr. *qui ita.* 4 Lindenbr. *juret: ille homo &c.*

form. XII. *Sed venientes ad ipsum placitum, sicut eis fuit judicatum, ante ipsum Vigarium, vel ante ipsos pagenses, ad ipsum judicium, vel ad ipsam crucem visi sunt stetisse, sed ipse illum hominem, qui ipsam terram proprisit, ad ipsum judicium, vel ad ipsam crucem convicuit, sed ipse in ipso placito, ad ipsam crucem visus cadisse. Sed dum hæc causa sic fuit inventa, quod ipse ille, qui ad ipsum judicium, vel ad ipsam crucem cadisset, solidos tantos ei transsolvere deberet, quod ita & fecit, & de ipsa terra illum ipsum legibus revestire deberet: quod ita & fecit.* In Capitulari Caroli Magni: *Quod si accusator contendere voluerit de ipso perjurio, stent ad crucem: &, si jurator vicerit, lege sua accusator emendetur.* Altera explorandi, seu examinandi ratio describitur §. 3. quæ fiebat per aquam ferventem, & inter Flehum & Sincfalum, quæ olim occidentalis Frisia, vel Cisrhenana dicta fuit, in usu erat. Ejus purgationis ritus, quoniam in hisce legibus frequenter occurrit, operæ pretium erat, ex jure Frisico, latinis verbis, quia Frisica prolixa sunt, multisque capitibus constant, carptim describere. Si quis tanti criminis accusaretur, ut judicio DEI per aquam ferventem purgandus esset, ad judicem accedebat; is, postquam pronunciasset, ordalium (sic enim adpellabant purgationis judicium) ad vallum vel fossam templi, quod decanatus jure præsidebat cæteris, futurum post XLII. noctes, & sacramenta præstita, ad fossam templi, tamen extra aquæ benedictæ jactum, se sistebat cum presbytero, *Scheltone, Aesgone* (Judicum nomina sunt) & quatuor regiis testibus, qui dexteram ejus inspiciebant, & illæsam pronunciabant. Quo peracto, Sacerdos templi intra fossam & aquæ benedictæ jactum consistens, precibus judicium consecrabat, orabatque Deum, ut, si innocens esset, qui dextram in aquam ferventem missurus erat, sicut tres pueros Babylonios in ferventi camino, illæsam servaret; si vero culpabilis esset, suo justo judicio in corpore ejus manifestaret, & animam pœnitentis salvaret. Pendebat extra vallum vel circulum templi cacabus, vel olla profunda, plena aqua ferventi; in eam purgandus dextrum brachium nudum ad cubitum usque immittebat. Tertio die templum intrabat eum testibus prænominatis, brachiumque visitandum offerebat. Quod si sanum & illæsum esset repertum, is, qui alterum calumniatus erat, perjurium Wergildo, & Comiti, sive Judici duas libras solvebat. Quod si læsum, & ambustum adparebat, delictum, cujus accusatus erat, Comiti duabus libris, Decano synodatico, componebat: plura vide in Speculo Saxonico. Majores nostri hoc examinis vel purgationis judicium *Retelfang*, ab ulla, vel cacabo, in quo aqua effervescebat, adpellabant. Tertia examinationis species erat duellum, de quo §. 4 quod in orientali Frisia intra Laubachi, & Wisaram obtinebat, cujus jura, & solemnes ritus describuntur prolixe in Speculo Saxonico, ab Hotomanno disp. feud. cap. XIV. & Jure Frisico art. 53. 54. 55. 56. 57. & 58. imo legis ipse textus satis explicat.

eum per oram sagi sui (1): Ille autem, si hoc sacramentum negare velit, juret, & contra ipsum cum armis suis in campum procedat, et uter in ipso certamine convictus fuerit, et sibi concrediderit, solvat leudem occisi.

VI. Si autem occisus fuerit, hæres ejus proximus homicidii compositionem exsolvat.

VII. In hac tamen contentione licet unicuique pro se campionem mercede conducere, si eum invenire potuerit. Si campio, qui mercede conductus est, occisus fuerit, qui eum conduxit, LX. solid. id est libras tres ad partem regis comp. insuper et leudem occisi hominis exsolvat.

Et hoc in eadem regione taliter observatur.

Titulus XV.

De compositionibus (2) *Wergildo* (3).

I. Compositio hominis nobilis libræ XI. per veteres denarios (4).

II.

---

(1) *Tenens eum per oram sagi sui.*) Idem ritus describitur Speculo Sax. lib. I. art. LXIII. *Qui duellum indicere voluerit, sibi in generatione æquali, is judicem petat, ut sibi de jure liceat, suum comprehendere, vel invadere violatorem, quem ibi prospiciat constitutum. Cum hoc ei licere fuerit pronunciatum, tunc interroget, qualiter eum comprehendere debeat, ut ei proficiat in jure suo: pronunciabitur, quod mansuete, in superiori foramine vestimenti sui.* Porro sagum erat vestis militaris, Germaniæ populis olim peculiaris. Tacitus de Mor. Germ. *Tegumen omnibus sagum, fibula, aut, si desit, spina consertum.* Mela lib. III. *Viri sagis velantur, aut libris arborum, quamvis sæva hieme.* Erant vero saga, quæ armis superinduebant, non ultra genua descendentia, virgis aureis vel argenteis, vel alterius coloris variegata, circa collum fibula astricta. Auctor anonymus de vita Caroli magni, quem infra citabimus. *Ut mos est humani ingenii, cum inter Gallos Franci militantes, virgatis eos sagulis lucere conspicerent, novitate gaudentes, antiquam consuetudinem dimiserunt, & eos imitari cœperunt.* Tacitus Hist. II. cap. 20. de Cæcina. *Ornatum ipsius, municipia, & coloniæ in superbiam trahebant, quod versicolore sagulo, braccas tegmen barbarum indutus, togatos alloqueretur.* Scribit & Herodianus lib. IV. Cæsarem Germanicam vestem nonnunquam induisse, & in eorum sagulis argento variatis conspectum. Franci, tempore Caroli Magni, palliis utrimque ad talos dimissis utebantur, Frisii vero antiqua majorum saga retinuerant, quod Carolus in illis reprehendebat, ut notavit vetus auctor anonymus, cujus modo mentionem fecimus, S. Galli monachus in vita Caroli Magni ex Werimberto, cujus indicium nobis fecit doctissimus, & harum rerum peritissimus Joannes Isacius Pontanus, Orig. Francic. lib. VI. cap. 18. cujus verba huc facientia non pigebit adscribere, ubi post alia: *Ultimum habitus eorum erat pallium canum vel sapphyrinum, quadrangulum, duplex, sic formatum, ut, cum imponeretur humeris, ante & retro pedes tangeret, de lateribus vero vix genua contegeret.* Et mox paucis interpositis: *Sed, ut est mos humani ingenii, cum inter Gallos Franci militantes, virgatis eos sagulis lucere conspicerent, novitate gaudentes, antiquam consuetudinem dimiserunt, & eos imitari cœperunt. Quod interim rigidissimus Imp. idcirco non prohibuit, quia bellicis rebus aptior videretur habitus. Sed cum Frisiones hac licentia abutentes adverteret, & brevissima ista palliola sicut prius maxima vendere comperisset, præcepit, ut nullus ab eis, nisi grandia latissimaque illa longissima pallia, consuetudinario pretio coemeret, adjiciens: Quid prosunt ista pictaciola? In lecto non illis possumus cooperiri, caballicans contra ventos, & pluvias nequeo defendi, ad necessaria naturæ secedens, tibiarum gelatione deficio. Locus luculentus, & peculiaris, de Sagis Frisiorum.*

(2) *De compositionibus.*) Diximus aliquoties, videri nobis hunc libellum ex pluribus legum Frisicarum fragmentis esse consutum, in quo judicium nostrum confirmat hic titulus generalis de compositionibus, qui speciatim ex legibus Frisiæ inter Laubachi & Sincfalam desumptus, & de homicidiis agere videtur, quia de *Wergildo* mox sequitur.

(3) *Wergildo.*) Est pura puta Germanica vox, latine Compositio, Frisice *haudlesena*, id est, capitis redemptio. Dictum vero *Wergildum* a *Werra*, quod pugnam & cædem, & *gild*, quod valorem & æstimationem significat, quasi cædis & pugnæ æstimatio. Nam ut supra ex Tacito probavimus, luebatur apud veteres Germanos homicidium certo armentorum, ac pecorum numero, recipiebatque satisfactionem universa domus. Hinc in veteri jure Frisico: *Dat thi fria fresena sina fird schil beta mep sina fia.* Id est: Quod liber Frisius fredam suam pecoribus suis redimat. Nam pecora apud veteres certa pecuniæ summa æstimata pecuniæ loco fungebantur; hinc non solum pecora, sed tota hominis substantia seu opes *fia* dicebatur, quod veterum divitiæ in armentis & pecoribus consisterent. L. Longobard. Tit. LXV. §. 10. *Et si noluerit accipere, habeat ipsa mulier, & Morgengab, & quod de parentibus suis adduxit, id est, Badersfia.* Et tit. LXXX. §. 2. *Et filios si ex ipsa muliere habuerit, habeant filii Morgengab & Badersfia matris suæ mortuæ*, id est, donum nuptiale, quod *morganaticum* adpellant, & bona, quæ a patre accepit. De æstimatione pecorum alibi dicemus.

(4) *Libræ XI. per veteres denarios.*] Non est in tota antiquitate Germanica locus obscurior, quam res monetaria veterum, nulla tamen utilior, & sine cujus cognitione, veterum leges, quibus singulis nummariæ pœnæ occurrunt, difficile erit intelligere. Rationes ejus si inquirimus, duæ occurrunt. Prima, quod veteres Germani res gestas, & publica, privataque negotia minus accurate literis consignarint. Altera, quod pœnarum solutiones, & contractus privatos, magis permutationibus, & pecorum suorum æstimationibus peragerent, quam pecunia numerata, cujus maxima penuria laborabant, si cum nostro sæculo comparentur, quo mercator, vel nobilis, plus pecuniæ numeratæ possidet, quam olim Comes, vel Princeps aliquis. Quantum itaque ex hisce legibus adparet, veteres Franci, Frisii, & reliqui Germaniæ populi omnem pecuniariam rationem per libras, solidos, denarios & tremisses explicabant, de quibus, ut supra polliciti sumus, hic breviter dicemus. Libra non erat nummus, sed nummi pondus, & quantitas XII. unciis constans, verum an ejusdem ponderis cum libra Romana fuerit, mihi quidem non liquet. Ejus tres fuerunt species pro temporis diversitate, Maxima, Media, & Minima. Maxima, quæ & antiqua, & Salica dici potest, quod veteres Salii Franci ea usi fuerint, quæ viginti solidos, solidus quadraginta de-

II. Compoſitio liberi, libræ v. et dimidia per veteres denarios.

III. Compoſitio liti libræ II. et unciæ IX. ex qua duæ partes ad dominum [1], tertia ad propinquos ejus.

IV. Compoſitio ſervi libra I. et unciæ IV. et dimidia.

Inter Laubachi & Sincfalam [2].

[1] Addit Herold. & Lindenbr. *pertinent.*

[2] Iſta Lindenbr. ſeq. titulo connect t ita: *Inter Laubachi & Sincfalam de homicidio &c.*

---

denarios capiebat, ut in libra fuerint unciæ duodecim, ſolidi viginti, denarii octingenti, & tres unciæ habuerint ſolidos quinque, denarios ducentos. Quamquam in legibus Salicis ſolidorum & denariorum, non etiam libræ mentio fiat, ut dubitare poſſimus, an veteres Salii etiam ſolidos, & denarios ſuos ad libræ pondus exegerint: certe ſolidum quadraginta denarios cepiſſe, paſſim liquet ex ipſis legibus. Tit. XXIX. §. 1. *Si quis ingenuus cum ancilla aliena mœchatus fuerit, malb. Anilaſina DC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis judicetur.* Tit. XLI. §. 10. *Si vero ſequentem puletrum furaverit, malb. nare CXX. den. qui faciunt ſol. III. culpabilis judicetur.* Ter 40. faciunt 120. Tit. XLIV. *Si quis hominem in puteum jactaverit, & is exeundo vivus evadit, IV. M. den. qui faciunt ſol. C. culpabilis judicetur.* Centies quadraginta faciunt quatuor millia. Hinc in leg. Caroli Magni lib. III. cap. CVI. *Ut omnis ſolutio atque compoſitio, quæ in lege Salica continetur, inter Francos per XII. denarios ſolidus componatur, excepto, ubi contentio contra Saxones & Friſiones exorta fuerit. Ibi volumus, ut XL. denariorum quantitatem ſolidus habeat, quam vel Saxo, vel Friſio, a parte Salici Franci cum eo litigantis ſolvere debet.* Media, quæ Francica dici poteſt, quam a Gallis, poſtquam Franci Gallias occuparunt, ſumpſiſſe videri poſſunt, deſcribitur in adpendice libro de limit. agror. *Juxta Gallos vigeſima pars unciæ denarius eſt, & duodecim denarii ſolidum reddunt: ideoque juxta numerum denariorum tres unciæ quinque ſolidos complent. Sic & quinque ſolidi in tres uncias redeunt, nam duodecim unciæ libram XX. ſolidis continentem efficiunt. Sed veteres ſolidum, qui nunc aureus dicitur, nuncupabant.* Conſtabat itaque libra Francica unciis duodecim, quinque ſolidos tres unciæ capiebant, ſolidus duodecim denarios; ita ut libram conſtituerent viginti ſolidi, denarii ducenti quadraginta. Hiſce legib. Tit. præcedenti §. 7. *Si Campio, qui mercede conductus eſt, occiſus fuerit, qui eum conduxit, LX. ſolid. id eſt, libras tres ad partem Regis componat.* Viginti ſolidi libram unam, ergo ſexaginta, tres libras conficiunt. Minima libra Friſica erat, & Freſonica dicitur, quam ſolidos etiam viginti cepiſſe exiſtimo; ſolidum vero trium denariorum fuiſſe, ex hiſce legibus certum eſt. Supra tit. I. poſt §. 9. *Inter Fli & Sincfalam Vergildus nobilis C. ſolidi, liberi L. liti XXV. ſolidus denarii tres novæ monetæ.* Tit. ſequenti de fredo. *De homicidio ad partem dominicam pro freda XXX. ſolidis componitur, qui ſolidus III. denariis conſtat.* Infra Addit. Sapient. Tit. III. §. 44. *Si quis alium unguibus crataverit, ut non ſanguis, ſed humor aquoſus decurrat, quod claddolg vocant, ter decem denariis Friſonicis componat.* Et poſt §. 78. *Inter Laubachi, & inter Flehi tres denarii monetæ novæ ſolidum faciunt.* Inter Flehi & Sincfalam, & Laubachi, ac Wiſaram minor ſolidus fuit. Et infra eodem tit. poſt §. 73. *Inter Flehi & Sincfalam ſolidus eſt duo denarii & dimidius ad novam monetam. Inter Wiſaram & Laubachi, duo denarii novi ſolidus eſt.* Itaque libra Freſonica XX. ſolidis, LX. denariis conſtabat, ut libræ IV. Freſonicæ unam libram Francicam conficerent. Sequitur, ut de pretio ſolidi, & denarii dicamus.

Putant viri docti, ſolidum fuiſſe nummum aureum, & eundem cum coronato Francico, qui ſolaris dictus, non a ſole, ut quidam falſo exiſtimant, ſed a ſolido, quem & ſcutatum, Gallice *eſcus*, Sol appellant. Eorum inſcriptio ab ultima antiquitate fuit: CHRISTUS VINCIT, CHRISTUS REGNAT, CHRISTUS IMPERAT; in medio quinque cruces, una major, quatuor minores. Ab altera parte nomen Regis, in medio ejus effigies, & poſtea lilia, & alia quædam inſignia, nonnunquam una crux ſola pro libitu ejus, qui cudebat. Denarius erat nummus argenteus, ponderis & pretii cum denario Romano, regalis Caſtiliani, noſtræ monetæ ſtuferi tres, & ſemis. Ejus ἔκτυπα tria exhibet Guilielmus Choulius in ſuis antiquitatibus pag. 133. & 34. Primus ab una parte habet inſcriptionem CHRISTIANA RELIGIO, in medio templum, cui crux ſuperpoſita; ab altera HLUDOWICUS IMP. in medio quinque cruces, una major, quatuor minores. Alter ab una facie habet in medio LUGDUNUM, ab altera METALLUM abſque alia inſcriptione. Tertius in medio primæ faciei habet BITURIGES, ab altera crucem, abſque ulla inſcriptione. Quod ſi Choulius eadem curioſitate nobis pondus eorum adpendiſſet, jam ſciremus, an veri eſſent denarii: ſed ad rem. Mutabatur ſolidus aureus duodecim denariis argenteis, ut modo probavimus; quodſi denarius valuerit tribus ſtuferis, & ſemiſſe, ut putant viri docti, jam confectum habemus, veterem ſolidum Francum valuiſſe carolinis duobus, & totidem ſtuferis; quod vero proximum eſſe exiſtimo. Nam & apud majores noſtros, ante CC. & CCC. annos, ut ex antiquis tabulis conſtat, vetus ſcutatus Francicus, id eſt, *een olden francſen ſchild*, eodem pretio, in cenſu conſtituendo, & pœnis exigendis mutabatur. Solidus Friſicus novæ monetæ conſtabat denariis tribus, id eſt, quadrante ſolidi Francici, ſtuferis X. & ſemiſſe vel præterpropter. Tremiſſis erat cujuſque nummi tertia pars, ſive ſolidi, ſive denarii. De ſolidi tremiſſe Iſidorus Orig. lib. XVI. cap. 24. ubi de ſolido: *Hunc, ut diximus, vulgus aureum ſolidum vocat: cujus tertiam partem ideo dixere tremiſſem, eo quod ſolidum faciat ter miſſus.* Ripuariis tit. XXIII. §. 1. *Quod ſi ſervus ſervum ictu uno, vel duobus, ſeu tribus percuſſerit, nihil eſt, ſed tamen propter pacis ſtudium tremiſſem, id eſt, quatuor denarios componat.* Atqui quatuor denarii erant tertia pars ſolidi, ut modo diximus. Erat etiam dimidius tremiſſis, cujus mentio hiſce LL. tit. I. poſt. §. 10. De tremiſſe denarii ſupra tit. I. §. 4. *Si nobilis litum occiderit, XXVII. ſol. uno denario minus componat domino ſuo, & propinquis occiſi ſol. IX. excepta tertia parte unius denarii.* Item §. 7. & 10. titulo eodem. Nunc, ut rationes noſtras ad praxin perducamus, legem unam, atque alteram examinemus. Tit. I. hujus libri §. 1. *Si nobilis nobilem occiderit, LXXX. ſol. componat, de qua mulcta duæ partes ad hæredes occiſi, tertia ad propinquos ejus proximos pertineat.* LXXX. ſolidi Francici faciunt libras Francicas quatuor, ſolidi ſinguli capiunt denarios duodecim, ergo libra Francica capiebat ſolidos XX. denarios CCXL. qui per quatuor multiplicati faciunt denarios DCCCCLX. &

Titulus XVI.

De Fredo (1).

I. De homicidio ad partem dominicam pro freda xxx. ſolid. componuntur, qui ſol. tribus denariis conſtat.

Titulus XVII.

Hic Bannus eſt [1] (2).

I. Si quis in exercitu litem concitaverit, novies damnum, quod effecit, componere cogatur, et ad partem dominicam novies fredam (3) perſolvat.

II.

[1] Lindenbr. *De Banno*.

ad noſtram carolinam monetam redacti, conficiunt CLXVIII. carolinos; ejus dupla, id eſt, CXII. ad hæredem, ſimpla, id eſt, LVI. ad propinquos redibat. Si ad Friſicos ſolidos, & denarios reducere velis, pone quartam prioris ſummæ partem. Friſici novi ſolidi capiunt denarios tres, collige LXXX. per III. habebis denarios CCXL. carolinos XLII. Hæc ex diligenti veterum auctorum, & inſtrumentorum collatione, ita computabamus, libenter ceſſuri, ſi quis meliora, & certiora monſtraverit.

(1) *De Fredo.*) Superiori capite de *Wergildo* ſeu compoſitione, quæ hæredibus occiſi ſolvitur, diximus; nunc de fredo, ſeu freda, quę domino, id eſt, Imperatori, Regi, vel Comiti propter pacem violatam, dari ſolita. Illud fiſcus Regius capiebat; jure quidem Francico tertia pars erat compoſitionis ſeu Wergildi, quod hæredes accipiebant, nec ante ſolvebatur, quam cum hæredibus eſſet compoſitum, ut ſciretur, quid fiſcus pro fredo eſſet accepturus. Capitul. Caroli Magni lib. IV. cap. 56. *Hoc quoque jubemus, ut judices nominati, ſive fiſcales de quacumque libet cauſa freda non exigant, priuſquam facinus componatur. Si qui autem per cupiditatem iſta tranſgreſſus fuerit, legibus componatur. Fredum autem non illi judici tribuat, cui culpam commiſit, ſed illi, qui ſolutionem recipit: tertiam partem coram teſtibus fiſco tribuat, ut pax perpetuo ſtabilis permaneat.* Simile quid ex hac ipſa lege colligere eſt. In jure noſtro Friſico nihil frequentius, quam, *Hy ſchil dina ferd beta*, id eſt, fredam vel pacem publicam ſolvet, de quo alibi latius.

(2) *Hic Bannus eſt.*) Bannus, ſeu bannum varie ſignificat. Generaliter Juſſum vel Edictum publicum deſignat, & bannire, edicto aliquid jubere, vel vetare, aliquando etiam mandatam jurisdictionem Comitis aut Miſſi. Henricus II. in donatione Eccleſ. Traject. *Imo quidquid in jam dicta villa ad publicum bannum, ſeu diſtrictum pertinere viſum eſt.* Conradus Imperator in donat. Comitatus Teiſterbantiæ: *Et ut firmiora ſeſe inibi habeant, bannum ſtatuimus illi dare, quemcumque vellet Epiſcopus ad regendum eligere.* Fridericus Imp. in deciſione Controverſiæ Epiſcopi Trajectenſis & Comitis Florentii, de Comitatu Oeſtergoe & Weſtergoe: *Ambo concorditer eligent ſibi Comitem, qui vices eorum gerat in prædicto Comitatu, qui præſentatus ab eis dom. Imp. bannum, & poteſtatem judicandi a manu Dom. Imp. accipiet & juramentum præſtabit.* Hinc in jure noſtro Friſico art. 32. *Hot is riocht, dat di Greuwa der hyr Ban lab des fiarda ieer Bodting halda moet.* Id eſt: Jus eſt, ut Comes, qui hic bannum exercet, quarto anno generale judicium exercebit. Nonnunquam pœnam ſignificat. In jure noſtro Friſico ſæpius occurrit: *Hy ſchil da Ban beta*; id eſt: Bannum ſolvet. Hic vero in ſpecie duo etiam ſignificat. Mandatum ſeu Edictum Regis, quo provinciales, & ſubditi ad exercitum ire jubentur, & pœnam exercitus relicti, vel criminis in exercitu commiſſi. Edictum ipſum etiam Heribannum dicitur ab *Heir*, quod exercitum, & *Ban*, quod juſſum ſignificat, cujus formam ex lib. IV. cap. 105. L. Francicarum, adſcribere non pigebit: *De Heribanno volumus, ut Miſſi a modo exactare fideliter debeant abſque ullarum perſonarum gratia, vel blanditia, ſive terrore, ſecundum noſtram juſſionem, id eſt, de homine habente VI. lib. in auro & argento, bruncis, ferramento, pannis, caballis, bobus, vaccis aut peculiis, ita ut uxores aut infantes non fiant expoliati pro hac re de eorum veſtimentis, ſed recipiatur legitimum heribannum, vel libræ tres. Qui vero non habuerint amplius, niſi lib. II., ſol. X. Si vero libram unam, ſol. V. ita ut iterum ſe valeat præparare ad ſervitutem DEI, & in noſtram utilitatem.* Friſii autem ex ſpeciali privilegio Pipini Regis ultra Viſaram & Fleham exercitum ſequi non tenebantur, de quo in jure Friſico Tit. de XVII. Keſtis art. X. ſic habetur. *Dio tiaende Keſt is, dat da freſen thoren ner heerfaert fora ferra, dan aeſter tho da Weſera ende weſter tho da flee, Zuidwird naet fora ſo hia am ieunda wer moga coma an do owirrha, om datſe hiara lond behalda tho jenſt wetter ende dia heidana her. Do baed di Kuning Kaerl, dat hia fora aeſter tho da hiddes ekera end weſter tho da Sindfalla. Da beholden dina lioeda wijt dina Kuning Karl, dat ſe zijn vader Pipwijn fora weldighet ne hade.* Id eſt: Decima Keſt eſt. Quod Friſii non cogantur ulterius exercitum ſequi, quam in ortum ad Wiſaram, in occaſum ad Flevum, in auſtrum non ulterius, quam ut eodem veſpere ad continentem redire poſſint, ad terras ſuas tutandas adverſus mare, & paganos Principes, vel dominos. Tunc Rex Karolus petebat, ut ipſum ſequerentur in ortum ad Hiddonis agros, in occaſum ad Sindfalam. Sed obtinebant judices adverſus Regem Karolum, quod pater ejus Pipwinus non ulterius ire coegiſſet. Hoc vero titulo de Banno pœnali agitur, ejus, qui in exercitu aliquid deliquerit, ut ex textu planum eſt. Heribannum vero peculiare Friſiorum deſcribitur in jure noſtro Friſico parte prima art. XXXI. quod propter antiquitatis memoriam, in gratiam popularium meorum adſcribere juvat. *Hot is riocht, alder di fria freſena* XXX. *pond wird erues haet oen zijnre war, dat hy hors en wepen halda ſchil thi da landwer. Jef hem dis brect, ſo ſchil hy to jenſt dina frana mey twam pond beta. whaſo haet* XX. *pond wird erves, oen zijnre war di ſchil habbe truch langa wepen, jeſte mey twam pond beta. Whaſo hat* XII. *pond wird erves oen zijnre war dy ſchil habbe ſpeer, en ſchild thi da landwar, jeſte mey twam pond beta. Di dir haet leſſa die ſchil habbe koker en boga thia da landwer, jeſte mey twam ponden beta.* Id eſt: Jus eſt, ut liber Friſo, qui XXX. libras in agris poſſidet, ad landweram, id eſt, terræ defenſionem, equum & arma habeat, quæ ſi non habeat, ad partem franæ duabus libris componat. Qui XX. libras in agris poſſidet, longa arma ad landweram habeat, aut duabus libris componat. Qui XII. libras in agris poſſidet, lanceam & ſcutum ad landweram habeat, aut duabus libris componat. Qui minus poſſidet, pharetram & arcum ad landweram habeat, aut duabus libris componat.

(3) *Fredam.*) Id eſt, bannum ſeu pœnam pacis violatæ. Vid. conſtit. Imper. Frederici

de

II. Qui in curte ducis, in Ecclesia, aut in atrio Ecclesiæ hominem occiderit, novies Weregildum ejus componat, et novies fredam ad partem dominicam.

III. Si quis legatum Regis vel Ducis occiderit, similiter novies illum componat, et fredam similiter novies ad partem dominicam.

IV. Qui manu collecta hostiliter villam vel domum alterius circumdederit, ille, qui cæteros collegit et adduxit, Weregildum ad partem Regis componat, et qui eum secuti sunt, unusquisque solid. XII. ei [1] cui damnum, si etiam damnum illatum est, in duplo emendetur.

Ultra Laubachi [2] *vero in simplo.*

V. Qui mancipium in paganas gentes (1) vendiderit, Weregildum suum ad partem Regis solvere cogatur.

TITULUS XVIII.

De die dominico (2).

I. QUi opus servile (3) die dominico fecerit, ultra Laubachi solid. XII. in cæteris locis Frisiæ IV. solidos culpabilis judicetur.

II. Si servus hoc fecerit, vapulet [3], aut dominus ejus IV. solid. pro illo componat.

TITULUS XIX.

De parricidiis (4).

I. SI quis patrem suum occiderit, perdat hereditatem quæ ad eum pertinere debebat.

II. Si quis fratrem suum occiderit, solvat eum proximo heredi, sive filium aut filiam habuerit; aut si neuter horum fuerit, solvat patri suo vel matri suæ, vel fratri, vel etiam sorori suæ; quod si nec una de his personis fuerit, solvat eum ad partem Regis.

TITULUS XX.

De mordrito (5).

I. QUi obsidem occiderit, novies eum componat.

II. Si quis hominem occiderit, et absconderit, quod mordritum vocant, novem Weregildos componat, aut si negaverit, cum XXXV. juret.

III. Si servus dominum suum interfecerit, tormentis interficiatur. Similiter et litus.

TITULUS XXI.

De plagio (6).

I. SI quis hominem, vel nobilis nobilem aut liberum, aut liber liberum, vel liber nobilem extra patriam vendiderit, comp. eum,

1 Herold. & Lindenbr. *& ei.* 2 Herold. *in Laubachi.* 3 Herold. & Lindenbr. *vapuletur.*

---

de pace Constantiæ, &c.

(1) *In paganas gentes.*) Imo nec in Christianas sine consensu Regis extra provinciam scilicet, nam in provincia unusquisque mancipia sua distrahere poterat. L. Aleman. Tit. XXXIIX. §. 1. *Mancipia foris provincia nemo vendat, nec in paganos, nec in Christianos, nisi jussio Ducis fuerit. Infra provinciam, ubi necessitas est, unusquisque de mancipio suo potestatem habeat secundum legem judicandi.*

(2) *De die dominico.*) Dies Dominicus veteribus & majoribus nostris semper religiose cultus, ut & ex aliarum gentium legibus manifestum est. M. Adamus Bremensis in Historia Eccles. cap. XXIX. de S. Ansgario scribens: *unde Fresos*, inquit, *adiens, castigavit eos pro labore Dominici diei, pertinacius vero agentes igne cœlesti mulctavit.* Cultus ejus causa non erat sola præceptum divinum, sed quædam persuasio, qua credebant Deum, Sabbathi sancti violatione iratum, frugibus, pecudibusque cladem immittere. L. Bojoariorum Tit. IX. §. 5. *Quia talis causa vitanda est, quæ Deum ad iracundiam provocat, & exinde flagellamur in frugibus, & penuriam patimur, & hoc vetandum est in die Dominico.*

(3) *Opus servile.*) Quæ sint opera servilia, explicatur L. Franc. lib. I. tit. LXXII. ubi interdicitur, ne viri die Dominico ruralia exerceant, *nec vinea colendo, nec in campis arando, nec metendo, vel fœnum siccando, vel sepem ponendo, nec in sylvis stirpando, vel arbores cædere, vel in petris laborare, nec domos struere, nec in horto laborent. nec ad placita conveniant, nec venationes exerceant.* Et paulo post: *Item fœminæ opera textrilia non faciant, nec capulent vestitus, nec consuant, vel acubiculæ fiant, nec lanam carpere, nec linum battere, nec in publico vestimenta lavare, nec verveces tondere habeant licitum.*

(4) *De parricidiis.*) Apud Romanos lege Pompeja constitutum fuit, ut qui cognatos, vel affines, qui parentum liberorumve nomine continentur, fratremve aut sororem necasset, in culeum insueretur cum cane, gallo gallinaceo, vipera & simia, deinde in mare, vel profluentem projiceretur. Sed Germanorum legibus sola hæreditas interfecti ei, ut indigno, auferebatur, parricidæ vero bona in fiscum redigebantur. Vid. Constit. Henr. II. Imp. tit. de Parricidiis.

(5) *De mordrito.*) Mordritum non est simplex homicidium, sed clandestina & violenta hominis interceptio, & cadaveris occultatio, quod hodieque *Moorderye*, & Latiunculatores istos *Moordenaers* appellamus. L. Ripuar. Tit. XV. *Si quis ingenuus ingenuum Ripuarium interfecerit, & eum cum ramo cooperuerit, vel in puteum, seu in quocumque libet loco, celare voluerit, quod dicitur Mordritus, DC. sol. culpabilis judicetur, aut cum LXXII. juret.* L. Longobard. Tit. V. *de Morth. Si quis homicidium in absconso perpetraverit.*

(6) *De plagio.*) Ad hunc titulum pertinet §. ultimus Tit. XVII. *Hic bannus est.* Est vero plagium liberi hominis, vel servi alieni suppressio; hic pro venditione in exteras provincias accipitur, quod crimen apud veteres Germanos frequentissimum fuisse, ex legibus eorum apparet. Vid. leges Sal. titul. XLII. & Aleman. Tit. XLVII. & XLIIX. Adamus Bremen. Histor. Ecclesiast. cap. XXIII. de S. Ansgino: *Inde Hammoburgum reversus Nordalbingos de venditione Christianorum correxit:* & de Normannorum in Frisios plagio etiamnunc extant vestigia in Frisico Landrecht, art. ultimo.

eum, ac ſi ab ipſo fuiſſet interfectus, aut eum ab exilio revocare ſtudeat. Si vero, qui venditus fuit, reverſus fuerit, et eum, qui ſe vendiderat, de facinore convenerit, comp. ei bis juxta quod fuerat adpretiatus, et ſolid. XII. ad partem regis componat.

Ultra Laubachi vero Weregildum ſuum.

TITULUS XXII.

De Dolg (1).

I. SI quis alium per iram in capite percuſſerit, et eum ſurdum efficiat (2) XXIV. ſolid. comp.

II. Si mutus efficiatur, ſed tamen audire poſſit, XVIII. ſolid. componat.

III. Si quis alium ita percuſſerit, quod durlegi [1] (3) vocant, dimidium ſolid. comp.

IV. Si autem ſanguinem fuderit, componat ſolid. I.

V. Si eum percuſſerit, ut teſta appareat, cum duobus ſolid. componat.

VI. Si os perforatum fuerit, duodecim ſolid. componat.

VII. Si membranam, qua cerebrum continetur, gladius tetigerit, XVIII. ſolid. comp.

VIII. Si ipſa membrana rupta fuerit, ita ut cerebrum exire poſſit, XXIV. ſolid. comp.

IX. Si quis alteri aurem abſciderit (4), duodecim ſolid. componat.

X. Si naſum abſciderit, XXIV. ſol. componat.

XI. Si ſummam rugam frontis (5) quis ictu transverſam inciderit, duobus ſolid. componat.

XII. Si ſubteriorem inciderit, IV. ſolid. comp.

XIII. Si tertiam, quæ juxta oculos eſt, duobus ſolidis componat.

XIV. Si ſupercilium inciderit, duobus ſolidis componat.

XV. Si palpebram, aut ſuperiorem, aut ſubteriorem vulneraverit, duobus ſol. comp.

XVI. Si naſum tranſpunxerit, XV. ſolid. componat.

XVII. Si granonem (6) ictu percuſſam præciderit, duobus ſolid. componat.

XVIII. Si maxillam inciderit (7), VI. ſolid. comp.

XIX. Si unum dentem de interioribus (8) excuſſerit, duobus ſol. componat.

XX. Si unum ex angularibus dentibus excuſſerit, tribus ſol. componat.

XXI. Si de molaribus unum excuſſerit, quatuor ſol. componat.

XXII. Si jugulum inciſum (9) fuerit, IV. ſolidis componat.

XXIII.

[1] Herold. & Lindenbr. *durslegi*.

(1) *De Dolg.*) Dolg veteribus Germanis, Friſiiſque vulnus ſignificat, & Dolck pugionem; gloſſæ veteres, Doleg, exitialis. Otfridus Evarg. lib. III. cap. 25. *Thur ſy gheſunt ther ſelbe volck Turcb thes emen manes Dolck*, id eſt, ut per mortem ſeu exitium unius viri ſalvetur populus. Continet vero hic tit. (qui ex antiquiſſimo jure Friſico, antequam Chriſtianam fidem ſuſciperemus, deſumptus videtur) accuratam vulnerum compoſitionis diſtinctionem, quam in aliarum gentium legibus vix reperias, totamque hanc legem cum additionibus, quæ ſequuntur, eadem cura & diligentia majores noſtri in vulnerum compoſitionibus obſervarunt, ut ex jure noſtro patrio idiomate conſcripto, quod multorum manibus teritur, manifeſtum eſt. Imo & ſtatutis noſtris anno MDCII. in publicis comitiis reformatis ~~lib.~~ II. tit. II. totus pene paucis mutatis inſertus eſt. Nos pauca ad eum notabimus.

(2) *Surdum efficiat.*) Jus Friſicum Tit. *ban birekena Bota*, id eſt, de calculatione mulctarum cap. de Capite. *Weerſo een man dolghet wirt in zijn haud, iefta ven zijn haud, David hen zijn haud der fan, ſo is dio bota achthiende hael pond*; id eſt: ubi aliquis in capite vel ad caput ſuum vulneretur, ſi caput ex eo ſurdum reddatur, pœna erit XVII. libræ & ſemis.

(3) *Durlegi.*) Lege *duuſtſleke*. Tit. de mulctis in principio: *Duſinga is dat een menſcha ſlain ſe alſo ſeer, dattet hem itta ara David en duſet, ſo is dia bota* XVI. *graet*. *Duſingha* eſt, quando quis adeo percuſſus eſt, ut intra aurem ei tinniat, & caput ex ictu quaſi obſtupeſcat; pœna ſive mulcta eſt XVI. groſſorum.

(4) *Aurem abſciderit.*) *Jef dat ara al af ſlain is, jeſta korven, die bota is* IV. *ſchellinghen*; id eſt, ſi tota auris abſciſſa vel truncata ſit, pœna eſt quatuor ſolidorum. Tit. de mulctis, cap. de auribus.

(5) *Rugam frontis.*) De rugis frontalibus hodie in jure noſtro nihil extat.

(6) *Granonem.*) Infra in Addit. Sap. tit. III. §. 17. *Si granones præciſi fuerint, ter IV. ſolid. componat*. Granones, ut notat doctiſſimus Kilianus, barbare appellantur pili felis, ſive eluri ſupra os inter naſum, & ſupremum labium, quibus abſciſſis ferociam ponit. Hinc vetus proverbium: *De graen op?eecken*, id eſt, exclamare, fremere, ferocire. Hic vero pro myſtace, vel ſupremo labro cum pilis infra nares ſumitur. Jure Friſico tit. de pœnis ſeu mulctis *Weerbreka* appellatur, id eſt, labri ruptura, a *Wera*, quod labrum nobis ſignificat, quod dentes cuſtodiat, & defendat: *Alſo ſijr ſo dio wera tilſe van da toskena, ſo aegh hy enes inreed in zijne mond, ende een weerbreka ende een vlitwimelſa, ſo is dera elckerlijck* XVI. *graet*: id eſt, ſi labrum, a dentibus levatum, vel abſciſſum fuerit, mulctam habeat vulneris oris rupti, vel abſciſſi labii, & *vlitwimelſa*, id eſt, cicatricis, & cujuſque pœna eſt XVI. groſſorum. De Cicatrice dicam Addit. Sapient. Tit. III. §. XVI.

(7) *Maxillam inciderit.*) Friſice *Tzaackbreeck*, id eſt, genæ ruptura.

(8) *Dentem de interioribus.*) Lege *anterioribus*, qui & inciſores & gelaſini dicuntur, Belgice *buttertanden*. Angulares *boecktosken*, vel *hoecktanden*, quod angulos oris occupent. Molares, *backtanden*, quod cibum ab anterioribus dentibus inciſum porro molant.

(9) *Si jugulum inciſum.*) Non ipſum jugulum, ſed aſperam arteriam intelligit, ſpiritus conceptaculum, ut appellat Plinius, in quo vox & loquela formatur; Friſice *Strotbolle* dicitur. Jure Friſico Tit. de pœnis cap. de collo. *Weerſo een man in dio ſtrotbolla dolget wirt, en wirt hem dio ſpreka da fiarndeel ara, ſo aegh hy fijouwer pond. wirt dio da helfta ara, ſex pond.*

XXIII. Si costam transversam inciderit, duobus sol. componat.

XXIV. Si brachium ictu supra cubitum confractum fuerit, duodecim solid. componat.

XXV. Si infra cubitum unum ossium confractum fuerit, VI. sol. componat.

XXVI. Si utraque ossa fracta fuerint, duodecim solidis componat.

XXVII. Si manus in ipsa junctura, qua brachio adhæret, abscissa fuerit (1), XLV. solidis componat.

XXVIII. Si pollicem absciderit, tredecim solidis et uno tremisse componat.

XXIX. Si indicem absciderit, VII. sol. componat.

XXX. Si medium absciderit, uno tremisse minus septem sol. componat.

XXXI. Si annularem absciderit, VIII. sol. comp.

XXXII. Si minimum absciderit, sex sol. comp.

XXXIII. Si totos quinque digitos absciderit, XLI. sol. componat.

XXXIV. Palma manus abscissa, quatuor solid. componatur.

XXXV. Si quislibet digitus ex quatuor longioribus in superioris articuli junctura ita percussus fuerit, ut humor ex vulnere decurrat, quod liduwagi (2) dicunt, I. sol. comp.

XXXVI. Si in subteriori articulo hoc contigerit, duobus sol. componat.

XXXVII. Si in tertio articulo fuerit, tribus sol. componat.

XXXVIII. Si in junctura manus et brachii hoc evenerit, quatuor sol. componat.

XXXIX. Si in cubito idem evenerit, quatuor sol. componat.

XL. Si in summitate, qua brachium scapulæ jungitur, evenerit, quatuor sol. componat.

XLI. Si in pollicis superioris articuli junctura fuerit, duobus sol. componat.

XLII. Si in inferiori, tribus sol. componat.

XLIII. Si ad juncturam brachii et pollicis fuerit, quatuor sol. componat.

XLIV. Si in cubito, quatuor solidis, si in junctura scapulæ, similiter quatuor sol. comp.

XLV. Si quis oculum alterius ita percusserit, ut eo ulterius videre non possit, viginti solidos et duos tremisses componat.

XLVI. Si totum oculum eruerit, medietatem Weregildi sui componat.

XLVII. Si quis alium pectus foraverit, duodecim sol. componat.

XLVIII. Si præcordia, id est, herthamon (3) gladio tetigerit, XVIII. solid. componat.

XLIX. Si præcordia perforaverit, viginti quatuor solidis componat.

L. Si membranam, qua jecor et splen pendent, quod mithridri (4) dicitur, vulneraverit, XVIII. sol. componat.

LI. Si illud perforaverit, XXIV. sol. componat.

LII. Si in ventrem vulneraverit, XII. solid. componat.

LIII. Si botellum vulneraverit (5), XVIII., si perforaverit, XXIV. sol. componat.

LIV. Si contra stomachum vulneraverit, XII. sol. componat.

LV. Si stomachum tetigerit gladio, ut vulneretur, XVIII., si perforatus fuerit, XXIV. solid. componat.

LVI. Si botellus de vulnere processerit, et iterum interius remittitur, IV. solid. supra compositionem vulneris componat. Si de adipe aliquid percesserit, ut præcidatur, IV. sol. componat.

LVII. Si veretrum quis alium absciderit, (6) Weregildum suum componat.

LVIII. Si unum testiculum excusserit, dimidium Weregildum. Si ambo, totum componat.

LIX. Si testiculus exierit per vulnus, et iterum remittitur in locum suum, VI. solidis, supra compositionem vulneris componat.

LX. Si coxam supra genu vulneraverit, et os

---

pond. sint da twira delen a wey tiaen pond, allenlijc oen to bringen mey een sonderling etha; id est: ubi aliquis in aspera arteria vulneratus est, si loquela ipsius quarta parte deterior facta sit, quatuor libras, si dimidio deterior, sex libras, si tribus partibus deterior, decem libras habebit, & singulas deteriorationes singulis juramentis confirmabit.

(1) *Manus abscissa fuerit.*) Quod *gersfallich* Frisii appellant, quasi in gramen deciderit.

(2) *Liduwagi.*) Leg. *lidwater*. Infra Addit. Sap. Tit. III. §. 31. *Si quis in junctura membrum cujuslibet* (leg. *quodlibet*) *ita percusserit, ut humor ex vulnere decurrat, quem* Lidwagi *dicunt, ter IV. solid. componat. Lidwater* est ichor, serum sanguinis, & humor aquosus ex nervosis articulorum partibus læsis emanans.

(3) *Præcordia, id est, herthamon.*) Leg. *hertaem* vel *hertadem*, ubi vitæ spiritus prope cor continetur, quæ intestina & interanea vitalia adpellantur, & corde, ubi vitæ sedes est, quasi prætenta. Quin & cor *hert* dici putant docti, quasi focum, quod in eo, perpetua spiritus vitalis motione, vita conservetur.

(4) *Mithridri.*) Leg. *Midrist* vel *middelrist*, pellicula, qua exta ab intestinis inferioribus separantur, quam & præcordiorum adpellatione contineri docet Plinius lib. XI. cap. 37. *Exta homini ab inferiori viscerum parte separantur membranis, quæ præcordia adpellant, quod cordi prætenduntur, Græci* διάφραγμα.

(5) *Si botellum vulneraverit.*) Infra §. 56. *Si botellus de vulnere processerit, & iterum interius remittitur.* Et Addit. Sap. Tit. III. §. 31. *Si stomachus vel botellus perforatus fuerit, ita ut stercus per vulnus exierit.* Botellus inferius intestinum *de darmen* significat. L. Anglic. Tit. VI. §. 16. *Si intestina vel botelli perforati claudi non potuerint, similiter faciant, id est, totidem solidis apertionem vulnerum componat, quot pro ipso vulnere composuit.*

(6 *Veretrum absciderit.*) Jure Frisico Tit. de pœnis. *Warso en oderen sina Tilinga ben rupt, dio bota is vijf merck*; id est: Qui alteri veretrum vel mentulam absciderit, pœna erit quinque marcæ. *Tilinga* vocatur, quod sit instrumentum generationis, a verbo *telen*, quod procreare, generare significat.

et os transversum fregerit [1], XII. sol. componat.

LXI. Si tibia subtus geniculo media incisa fuerit, VI. solidis componat. Si tota, XII. sol. componat.

LXII. Si pes totus abscissus fuerit, quatuordecim sol. componat.

LXIII. Si pollicem pedis abſciderit, VIII. solid. componat. Si proximum digitum, VII. Si tertium, VI. Si quartum, V. Si quintum, IV. solidis componat. Reliqua pars pedis, quæ inter tibiam et digitos est, XV. solid. componatur.

LXIV. Si humor per articulos digitorum decurrerit, sicut superius de manu scriptum est, ita et in pede componatur.

LXV. Si quis alium iratus per capillos comprehenderit (1), duobus solidis componat, et pro freda quatuor solidis ad partem Regis [2].

LXVI. Vulnus, quod longitudinem habeat, quantum inter pollicem et complicati indicis articulum spannum (2) impleat, quatuor solidis componatur, quod integræ spannæ longitudinem habuerit, hoc est, quantum index et pollex extendi possunt, sex solidis componat.

LXVII. Quod inter pollicem et medii digiti spannum longum fuerit, tredecim solidis componat.

LXVIII. Quod a cubito usque ad juncturam manus longitudine fuerit, duodecim solvat.

LXIX. Quod a cubito usque ad summitatem pollicis longum fuerit, octodecim solidis componat.

LXX. Quod plene cubiti, id est, ad summos digitos manus extensæ longitudine fuerit, viginti quatuor solidis componatur; quod supra est, non componitur.

LXXI. Si de vulnere os exierit tantæ magnitudinis, ut jactum in scutum trans publicam viam (3) sonitus ejus audiri possit, quatuor solidis componat.

LXXII. Si duo ossa exierint, duo solidi adjiciantur, id est, VI.

LXXIII. Si tria exierint, unus solidus adjiciatur.

LXXIV. Si minora fuerint quam in scuto jacta trans publicam viam audiri possint, dimidio minori compositione solvatur.

LXXV. Vulnera tria vel quatuor, vel eo amplius uno ictu facta mensurantur, et juxta quod eorum fuerit longitudo, compositio persolvatur. Si vero tria, vel quatuor, vel quotlibet vulnera totidem ictibus fuerint facta, quod ex his maximum fuerit, juxta sui longitudinem componatur, cætera vero remaneant.

LXXVI. Si manus percussa manca pependerit, dimidio componatur, quo debuit, si fuisset abscissa, pes similiter, digitus similiter, qualiscumque fuerit, digitus pedis similiter.

LXXVII. Si brachium juxta scapulam abscissum fuerit, tribus solidis et semisse [3] componatur.

LXXVIII. Si brachium mancum pependerit, medietate, si abscissum fuisset, componatur.

LXXIX. Si quid [4] de brachio atque manu, ita de coxa ac pede judicatum est.

LXXX. Si per vulnus pulmo exeat, quatuor solidi supra quantitatem vulneris componantur.

LXXXI. Si spiritus per ipsum vulnus exierit, VIII. solid. componatur.

LXXXII.

1 Herold. & Lindenbr. addunt: *vel præciderit.* 2 *Et pro freda usque Regis*, desunt in Lindenbr. 3 Herold. & Lind. *tremisse.* 4 Lindenbr. *sicut.*

---

(1) *Per capillos comprehenderit.*) Quod Frisii *faxfang* appellant, a *fax* vel *vachs*, quod crines & capillos significat. Hinc vetus proverbium: *melcanderen inde vachs sitten*; id est, mutuo se lædere, vexare, vellere.

(2) *Spannum.*) Spannum vocamus mensuram longitudinis seu crassitudinis ejus, quod inter pollicem & indicem extensum comprehenditur, ab extendendo ita dictum. Nos hodie integrum spannum metimur spatio a pollice ad minimum digitum deductum.

(3) *Jactum in scutum trans publicam viam.*) Hic §. & duo sequentes ita explicantur in jure nostro. Tit. de pœnis cap. de Capite. *Tre beenbrecken schilma beta inda breyn danna mey* XXXII. *graet, dio lettera benis wtgongh mey* XVI. *graet, dio tredda benis wtgongh mey* VIII. *graet. So schil hy swarra met ena eda, datmet mochte hera clippa in een lewijn, jef het voel van zijne kne vur negen flappen, jelkers thormat naet beta.* Id est: Tria ossa a cranio vulnerato exeuntia componi debent. Primi ossis exitus sunt XXXII. grossi, secundi exitus XVI. grossi, tertii exitus VIII. grossi. Tunc jurabit uno juramento, quod in scuto tinnire audiri potuit, cum genu impositum in scutum, æreum scilicet, caderet, alioquin componere non tenemur. Infra, Addit. Sap. Tit. III. §. *Si ossa de vulnere exierint tantæ magnitudinis, ut in scutum jactum, duodecim pedum spatium distante homine, possit audiri, unum ter IV. solid. comp. aliud ter duobus, tertium ter uno solido.* L. Ripuar. Tit. LXX. §. 1. & 2. *Si quis in capite, vel in quocunque membro plagatus fuerit, & os exinde exierit, quod super viam XII. pedum in scuto jactum sonaverit, XXXVI. sol. factus ei culpabilis judicetur. Si autem plura ossa exierint, pro quocunque osse sonante sol. addatur.* Puto barbarum illum ritum ex Danica Tyrannide reliquum esse, quorum Reges, postquam Franciam, Frisiam, & finitimas regiones sub jugum misissent, per judices tale tributum, quod ex sono nummi in æneum scutum jacti vel recipi, vel rejici mos erat, exigebant, quod *clipschild* adpellabant. Huic tributo exigendo domum extruxerunt in Frisia occidentali prope Kinhem fluvium, in qua regius quæstor præsidebat, cujus formam modumque exigendi describit Saxo Grammaticus Hist. Dan. lib. IX. in fine, eoque nos a Carolo Magno liberatos, testatur ibidem Saxo, & jus Frisicum Kest. VII. & IX. ac in *ferdpennighen* & *huuslaga* mutatum, quod Carolo Magno ex jure fœderis sub eadem probationis forma solvimus, de quibus alibi latius dicemus.

LXXXII. Qui libero homini manus injecerit, et eum innocentem ligaverit (1), XV. solid. componat, et duodecim solid. pro freda ad partem Regis componat.

LXXXIII. Si quis alium juxta aquam stantem impinxerit, et in aquam, ita ut submergatur (2), projecerit, IV. solid. componat, et pro freda solid. II.

LXXXIV. Si quis brachium vel coxam alterius transpunxerit, VI. solid. componat.

LXXXV. Qui maxillas utrasque cum lingua sagitta, vel quolibet telo transfixerit, XV. solid. componat.

LXXXVI. Qui utramque coxam cum folliculo testium telo trajecerit, similiter XV. solid. componat.

LXXXVII. Si quis hominem casu quolibet in aquam prolapsum liberaverit (3), IV. sol. remunerationem accipiat.

LXXXVIII. Si quis liberam fœminam, et non suam per maxillam strinxerit (4), duobus solid. componat IV. et duos solid. pro freda.

LXXXIX. Si per verenda ejus comprehenderit, IV. solid. componat, & duos solidos pro freda.

EPILOGUS.

Hæc omnia ad liberum hominem pertinent; nobilis vero hominis compositio sive in vulneribus [1] & percussionibus, & in omnibus, quæ superius scripta sunt, tertia parte major efficitur.

Liti vero compositio sive in vulneribus [2], sive in percussionibus, sive in mancationibus, & in omnibus superius descriptis, medietate minor est, quam liberi hominis.

ADDITIO SAPIENTUM (5).

WLEMARUS.

TITULUS I.

De pace faidosi (6).

I. HOmo faidosus pacem habeat in Ecclesia, in domo sua, ad Ecclesiam eundo, de Ecclesia redeundo, ad placitum eundo, de placito redeundo, qui hanc pacem effregerit, & hominem occiderit, novies XXX. solid. componat.

II. Si vulneraverit, novies XII. solidos componat ad partem Regis.

III. Si quis caballum furaverit, aut bovem,

1 Herold. & Lindenbr. *in mulieribus*.

2 Lindenbr. *sive mulieris*. Herold. *mulieribus*.

(1) *Manus injecerit, & eum innocentem ligaverit.*) Crimen veteribus Germanis familiare. L. Ripuar. Tit. XLIII. §. 1. *Si quis ingenuus ingenuum ligaverit, & ejus culpam cum sex testibus in arabo non adprobaverit, XXX. sol. culpabilis judicetur*. L. Boiar. cap. III. Tit. VII. §. 1. *Si quis alterum funibus ligaverit contra legem, XII. solid. componat*.

(2) *Ita ut submergatur.*) Non ut in aqua pereat, sed vadum tentare non possit. Infr. in addit. Saxmundi §. 66. *Qui alium in flumine vel qualibet aqua in profundum impinxerit, ut pedibus terram tangere non possit, sed natare debeat, ter XII. sol. componat*. Jure Frisico Tit. de pœnis: *Jest een man word worpen in een onwad wetter, da thy met aegenen mey siaen. bor himel, ner yrda, ner dina grond reka mitta banden, ner mitta voten, so schilma hem beta met eenra lived wird, tribeet, jesta tot wasum, ontswarra*. Id est: Si quis in aquam mittatur profundam, non vadosam, ut cœlum, nec terram oculis intueri, nec vadum manibus pedibusve tentare possit, judicum sententia ter eum componat, aut duodecima manu juret. Hoc *wapeldranck* vocabant, hodieque lavatrinæ aquas sordidas *wapeling* appellamus.

(3) *Liberaverit.*) Infra Addit. Saxmund. §. 67. & jus Frisicum dict. tit.

(4) *Maxillam strinxerit.*) Nos *wringen* vel *knypen* dicimus. L. Ripuariæ Tit. XLI. §. 1. *Si quis ingenuæ mulieri manum strinxerit, XV. solid. culpabilis judicetur*. Atque hæc ad tit. de Dolg sufficiant.

(5) *Additio Sapientum.*) De hisce Additionibus, atque ipsis Sapientibus parum habeo, quod dicam. Non esse priscæ, & genuinæ Frisionum legi adcensendas, tam certum est, quam utique incertum, quando editæ, & qui Sapientes illi fuerint. Ut veteres Franci leges sibi a suis Sapientibus Wisogasto, Salogasto, Bodogasto, & Vindogasto dictari curarunt, aut certe corrigi, & in ordinem redigi, ita Saxmundum & Vulemarum Sapientes Frisiorum, Saxonum & Angliorum (nam & in illorum legibus reperiuntur) leges veteres interpretatos, & novis additionibus auxisse, atque in hoc corpus redegisse mihi plane persuadeo. Heroldus eorum ætatem circa 600. annum sub Francorum Rege Theodorico ponit: ut conjicere liceat jussu Theodorici Regis fuisse additas. Nam & is in præfatione legum Salicarum populis sibi subjectis leges dictasse dicitur. Sed hoc cunctanter, & suspensa manu scribimus, & sententiam nostram ampliamus, donec certius aliquid occurrat. Longius a vero recedit doctissimus Suffridus Petri libro de Scriptoribus Frisiæ decade VII. cap. X. qui ad annum Christi MCCLXIV. nullo argumento reicit: nam longe antiquiores esse, certo certius est. Illud lubenter ipsi adsentior, quod ex Orientali Frisia, Saxonibus finitima, oriundi fuerint, quod nomina eorum Saxonibus, finitimisque Frisiis peculiaria indicare videntur. Judicent docti: Ad ipsas additiones pauca notabimus, quod pleraque proximo titulo interpretati simus.

(6 *De pace faidosi.*] Faidam vocabant veteres Germani privatas inimicitias, quas ob propinquos interfectos, vel quamcunque injuriam illatam universam familiam suscipere jus erat, ut supra ex Tacito probavimus: ab antiquo verbo *Beed*, quod capitales inimicitias, & a-

vem, aut screonem effregerit (1), capitali sententia puniatur, vel vitam suam pretio redimat.

Titulus II.

Compositio vulnerum.

I. Si quis alteri manum absciderit, xxv. solid. & v. denarios componat.

II. Si indicem ad imum membrum præciderit, vi. solid. componat.

III. Si medium in eadem junctura præciderit, iv. solidos & dimidium.

IV. Si annularem, xii. solid., si minimus fuerit, solid. v.

V. Pollex ex toto abscissus sic componitur, sicut iv. digiti, si omnes abscindantur, id est, solid. xxii. & dimidio.

VI. Abscissio palmæ iv. solid. componatur, si manus abscissa terram cadens tetigerit, ipse casus iv. solid. componatur.

VII. Si digitus quilibet superiori articulo præcisus fuerit, tertia portio compositionis ejus exsolvatur.

VIII. Si in subteriori præcisus fuerit, duæ partes compositionis solvantur.

IX. Si in ima junctura, id est, ex toto abscissus, tota solutio componatur.

X. Si non præcisus, sed debilitatus & inutilis pependerit, medietas.

Titulus III.

Hoc totum in triplo componatur.[1]

I. Pes ex toto abscissus, componatur ut manus, id est, tribus et l. solid. et tremisse.

II. Pollex pedis undecim solid. et quarta parte solidi componatur.

III. Proximus digitus pollici, tribus sol. componatur.

IV. Secundus, duobus solidis et duabus partibus sol., tertius, et quartus similiter.

V. Si tertia pars digiti fuerit abscissa, tertia pars solutionis componatur.

VI. Si duæ partes, similiter duæ partes componantur.

VII. Si totus, tota solutio componatur.

VIII. Si quis alium ita in caput percusserit, ut surdus et mutus efficiatur, ter l. tribus solidis et tremisse componat. Si alterum, et non utrumque fuerit, medietas mulctæ componatur.

IX. Si auris ex toto abscissa fuerit, ter duodecim solid. [2] componatur.

X. Si nasus abscissus fuerit, ter duos solidos [3] et tremissem componat.

XI. Si nasus una parte perforatus fuerit, ter iv. solidis componatur.

XII. Si et cartilago perforata fuerit, ter viii. solidi componantur.

XIII. Si etiam ex altera parte telum exierit, ita ut tria foramina facta sint, ter xii. solidi componantur.

XIV. Si maxilla perforata fuerit, ter iv. sol. componat.

XV. Si supercilium in transversum præcisum fuerit, ter iv. solid. componat.

XVI. Si ex percussione deformitas faciei illata fuerit, quæ de duodecim pedum longitudine possit agnosci, quod *witilitivam* [4] dicunt (2), ter iv. sol. componat.

XVII. Si granones præcisi fuerint, ter iv. sol. componat.

XVIII. Si oculus vel os ita percussa fuerint, ut torqueantur, ter iv. solid. componat.

XIX. Si palpebra præcisa fuerit, ter iv. solidi componantur.

XX. Rugas frontis tres, si in transversum incisa fuerint, ter xii. solid. componantur.

XXI. Si una, ter iv. solidi.

XXII. Si homo ab alio ita in caput percussus fuerit, ut nec frigus nec calorem pro vulneris impatientia sufferre possit, ter iv. solidi componantur.

XXIII. Si quis alium in caput ita percusserit,

1 Lindenbr. *De vulneribus quæ in triplo componuntur.*
2 Lindenbr. *XII. sol.*
3 Herold. & Lindenbr. *ter XX. duos solidos.*
4 Herold. & Lindenb.. *vvulitivam.*

& apertas simultates significat: hinc *Dorvede* apud superiores Germanos testatio seu juramentum, quo quis inimicitiis & ultionibus renuntiat. L. Sax. Tit. II. §. 5. *Litus, si per consilium vel jussum domini sui hominem occiderit, ut puta nobilem, dominus compositionem solvat, vel* faidam *portet*. L. Longobard. Tit. XXX. §. 8. *Ut* faida, *quod est inimicitia, post acceptam suprascriptam compositionem, postponatur*. Hinc homo faidosus, qui in privatis inimicitiis constitutus, &, ut hisce legibus Tit. I. & II. frequenter occurrit, inimicitias propinquorum portat. Recte igitur sapientes homini faidoso pacem in domo sua, Ecclesia, placito, eundo & redeundo concessere: quod si contra factum, gravi pœna mulctabatur. Vid. leges Obstalb. Art. XVII.

(1) *Screonem effregerit.*) Leg. *Scrinium*. Solebant majores nostri, præsertim in pagis, unicum & ingens scrinium habere, in quo aurum, argentum, vestes & utensilia omnia convasabant, eratque quasi apotheca universæ rei familiaris, qualia & nostro seculo extant, & me vidisse memini; illud qui effringebat furandi animo, capitale committebat; extat & in aliarum gentium legibus.

(2) *Quod Witilitivam dicunt.*) Latine Cicatricem designat, sed *Vulitivam* rescribend. L. Saxon. Tit. I. §. 5. *Si os fregerit, vel Vulitivam fecerit, corpus, vel coxam, vel brachium perforaverit, CCXL. sol. vel cum XI. juret*. L. Fris. Tit. *de Bloedresene*. *Bloedresene onder da andleta mei Wlita ain pond*. Id est: Vulnus cum sanguinis emissione sub vultu cum cicatrice una libra. Et cap. de *Weerbreeck*: *Alse fijr dia wera tild se, vanda toscka so aegh by enes inreed in zijne mond en ain weerbrekis, en ain vlitwimelsa so is dera elckerliick* xvi. *graet*; quæ supra interpretati sumus, ubi de granonib. egimus.

ſerit, ut teſta perforetur, ter XII. ſolid. componat.

XXIV. Si oſſa de vulnere exierint, tantæ magnitudinis, ut in ſcutum jactum [1] XII. pedum ſpatio diſtante homine poſſit audiri, unum [2] ter IV. ſolid. componat, aliud ter duobus, tertium ter uno ſolido.

XXV. Si quis alium percuſſerit, ut ferrum in oſſe figatur, ter tribus ſolidis componat.

XXVI. Si os apparuerit, non tamen inciſum fuerit, ter ſolido & tremiſſe componat.

XXVII. Os quodcunque ferro præciſum fuerit, ter IV. ſolid. componatur.

XXVIII. Coſta ſi præciſa fuerit, ter tribus ſol. componat.

XXIX. Si non præciſa, ſed inciſa, perconfixa [3] fuerit, ter ſolido & ſemiſſe [4] componatur.

XXX. Si quis alium trans coſtam ita percuſſerit, ut vulnus ad interiora venerit, ter XII. ſolid. componat.

XXXI. Si ſtomachus vel botellus perforatus fuerit, ita ut ſtercus per vulnus exierit, ter XXIV. ſolid. componat.

XXXII. Si quis in juncturam [5] membrum cujuslibet ita percuſſerit, ut humor ex vulnere decurrat, quem lidwagi dicunt, ter IV. ſolid. componat.

XXXIII. Si quis alium ita percuſſerit, ut oſſe inciſo, medulla decurrat, ter quatuor ſolidis componat.

XXXIV. Si quis alium vulneraverit, & ipſum vulnus ſanatum, cicatricem depreſſam, & non reliquæ carni æquam duxerit, quod ſpido dicunt (1), ter quatuor ſolidis componat.

XXXV. Si brachium aut crus percuſſum fuerit, & ex ipſa percuſſione decreverit a ſua groſſitudine, quam prius habuerit, quod ſmelido (2) dicunt, ter quatuor ſolidis componat.

XXXVI. Qui de anterioribus dentibus unum excuſſerit, ter duos ſolidos componat.

XXXVII. Si de angularibus, ter tres ſolidos componat.

XXXVIII. Si de molaribus, ter quatuor ſolidos.

XXXIX. Si crinem alteri de capite abſtraxerit, ter quatuor ſolidos componat.

XL. Si illum per capillos comprehenderit, ſimiliter ter quatuor ſolidos componat.

XLI. Qui alium in aquam impinxerit, ita ut mergatur, ter quatuor ſolidos componat.

XLII. Qui alium fuſte percuſſerit, ut lividum fiat, ter ſolidum & ſemiſſem componat.

XLIII. Si tantum ſanguinem dimiſerit, ter ſolidum componat.

XLIV. Si quis alium unguibus crataverit (3), ut non ſanguis, ſed humor aquoſa [6] decurrat, quod cladolg vocant, ter decem denariis Freſionicis componat.

XLV. Si quis alium in tergum aut pectus ita vulneraverit, ut vulnus ſanari non poſſit, ſed per fiſtulas ſanies decurrat, ter duodecim ſolid. componat.

XLVI. Quodcunque membrum percuſſum, ita debilitatum fuerit, ut ibi inutile pendeat, medietate componatur, quam componi debuit, ſi penitus fuiſſet abſciſſum.

XLVII. Si quis oculum excuſſerit, ter quadraginta ſolidis componat.

XLVIII. Si non oculum excuſſerit, ſed pupillas, ter viginti ſolidis componat.

XLIX. Si quis alii duo, aut tres, aut eo amplius, vulnera uno ictu intulerit, & negare voluerit, quod uno ictu tot vulnera feciſſet, liceat ei, qui vulneratus eſt, ſua ſolius manu ſacramentum peragere (4), quod tot vulnera uno ictu ei fuiſſent illata, & componat juxta quod vulneris fuerit magnitudo; unumquodque vulnus ſecundum ſuam longitudinem componendum eſt.

L. Si longum fuerit, quantum ſummus articulus indicis eſt, uno ſolido componat.

LI. Si quantum duo articuli indicis ſunt, duobus ſolidis.

LII. Si quantum duo articuli & tertius dimidius, tribus ſolidis.

LIII. Si quantum totus index, quatuor ſolidis.

LIV. Si ſupra longitudinem indicis, ſpatium quod inter indicem & pollicem eſt, fuerit adjectum, quinque ſolidis.

LV. Si adjectus fuerit inferior articulus pollicis, ſex ſolidis.

LVI. Si & ſuperior adjiciatur, quod vocant ſmelo (5), hoc eſt, unius ſpannæ longitudinem habuerit, ter octo ſolidis componatur.

LVII. Si quantum inter pollicem & medium extendi poteſt, longum fuerit, ter duodecim ſolidis componatur.

LVIII. Si longius fuerit, iterum ad indicis articulos recurrat, & metiatur, & ſicut ſuperius adjiciatur & ſolidorum compoſitio.

Apud occidentales Freſiones, inter Flebi &

[1] Lindenbr. *jacta*. [2] Lindenbr. *auditi ſonus*. [3] Lindenbr. *vel confixa*. [4] Lindenbr. *tremiſſe*. [5] Lindenbr. *in junctura*. [6] Lindenbr. *aquoſus*.

(1) *Quod ſpido dicunt.*) Non intelligo, & mendam eſſe puto.

(2) *Smelido.*) Lege *Geſmalet*, extenuatum, contractum, gracilius redditum.

(3) *Crataverit.*) Quod eſt unguibus cutem lædere, & quaſi cancellare, a Græco χαράττω, id eſt, induco, cancello. Hinc in teſtamento B. Remigii carattura pro inductione & cancellatione. *Huic autem teſtamento dolus malus abeſt, aberitque, in quo, ſi qua litura, vel carattura fuerit inventa, facta eſt me præſente*; & alibi ſæpius. Hinc *claddolg*, quod ſequitur, vulnus ſeu maculatura ſanguinea & aquoſa cutis, unguibus raſa vel arata.

(4) *Sua ſolius manu ſacramentum peragere.*) Vide Notas noſtras ad Tit. X. de Teſtib.

(5) *Smelo.*) Neſcire me, quid ſit, ingenue fateor.

& Sincſalam (1), *quot unciarum fuerit longitudo vulneris, tot ſolidorum compoſitione perſolvitur: donec ad quinquaginta & tres ſolidos perveniat, & unum*

(1) *Apud occidentales Freſiones, inter Flebi & Sincſalam.*) Ergo reliqui Friſii inter Flevum, Laubachi & Wiſaram orientales. Juvat hic in gratiam popularium meorum me paululum diffundere extra ſpatium, metaſque notarum, in deſcriptione Friſiæ veteris, mediæ & hodiernæ, quod nec ipſis injucundum fore exiſtimo, donec uberior occaſio dabitur. Vetus Friſia, qualis tempore Plinii & Taciti fuit, in duas gentes diviſa fuit, Majores & Minores. Tacit. de morib. Germ. cap. 34. *A fronte Friſii excipiunt* (Angrivarios & Chamavos intelligit). *Majoribus Minoribuſque Friſiis vocabulum eſt ex modo virium; utræque nationes uſque ad Oceanum Rheno prætexuntur, ambiuntque immenſos inſuper lacus, & Romanis claſſibus navigatos.* Majores trans Rhenum colebant, & TransRhenani dicebantur. Tacit. Annal. IV. cap. 72. *Eodem anno Friſii, TransRhenanus populus, pacem exuere, noſtra magis avaritia, quam obſequii impatientes.* Idem lib. 4. Hiſt. cap. 15. ubi de Canninefatum rebellione: *Statimque accitis Friſiis* (*TransRhenana gens eſt*) *duarum cohortium hyberna, proximo occupato oceano irrumpit.* Capitolinus Clodio Albino: *Deinde per Commodum ad Gallias translatus, in qua, fuſis Friſiis TransRhenanis, celebre nomen ſuum, & apud Romanos & Barbaros fecit.* Incipiebant ortum verſus a Chaucis. Tacit. eod. lib. cap. 35. *Ac primo Chaucorum gens, quamquam incipiat a Friſiis, ac partem littoris occupet, omnium, quos expoſui gentium, lateribus obtenditur.* Utrumque populum Amaſus vel Amiſia fluvius diſterminabat. In occaſum ad Rheni littora ſe extendebat, quem Flehum Friſii vocabant, vadaque & æſtuaria ingentia colebant ad oceanum uſque ſeptentrionalem, ubi a Romanis in inſula Flavo caſtellum ejuſdem nominis impoſitum, & præſidio munitum, quod a Tacito Annal. IV. cap. 72. deſcribitur. Hæc vera antiqua, & Germana Friſia, quæ etiamnum κατ' ἐξοχὴν Friſia dicitur. Minores Friſii erant, qui Cis Rhenum in inſula Batavorum inter Kinhemum fluvium Canninefatum, & Rheni, ad oceanum uſque, ripam tendebant, de quibus Plinius lib. IV. cap. 15. *In Rheno ipſo prope centum M. P. in longitudinem nobiliſſima Batavorum inſula, Canninefatum, & aliæ Friſiorum, Chaucorum, Friſiabonum, Sturiorum, Marſatiorum, quæ ſternuntur inter Helium & Flevum. Ita appellantur oſtia, in quæ effuſus Rhenus, ab ſeptentrione in lacus, ab occidente in amnem Moſam ſe ſpargit: medio inter hæc ore modicum nominis ſui cuſtodiens alveum.* Hæc hodie Weſtfriſia appellatur, & Batavicæ ditioni adhæret. Et hi quidem limites Friſiæ tempore Taciti & Plinii, inter quos cum Romanis bella geſſimus. Sed poſtquam Chauci, Franci, & finitimi populi, relictis ſedibus avitis, Bataviam, Galliam, & partem Germaniæ inſedere, & a Juliano Imperatore victi, in Romanas legiones transſcripti ſunt, ac per Gallias, Germaniam, imo in ipſum orientem ad limites imperii tuendos diſtributi, ut ex Zoſimo lib. III. & notitia utriuſque imperii manifeſtum eſt, majores noſtri regiones illas cultoribus vacuas à Wiſurgi ad Sindfalam uſque novis coloniis implevere: & quicquid antea terrarum Chauci, Bructeri, Tubantes, Chamavi, Anſivarii, Salii, Batavi tenuerant, Friſiorum imperio complexum fuit. Contigit illud Juliani Imp. tempore, circa A. C. CCCLX. & paulo poſt. Majores noſtri omnem illam Friſiam in tres regiones diviſere. Prima & Orientalis a Wiſurgi ad Laubachum fluvium extendebatur, capiebatque orientalem, & Tranſamaſanam regionem, Omlandiarum ditiones uſque ad Ooſtergoam, quam Laubachus ſive Lavica ab iis diſterminabat. Wiſurgis hodie, Romanis popularibus & accolis Viſera, & Viſeris dictus. Apollinaris: *Bructerus ulvoſa, quem Viſaris alluit unda.* Ipſis vero Saxonibus Wirraha. Carolus Magnus in privilegio Eccleſiæ Bremenſis: *Sibique in Vigmodia in loco Bremon vocato ſuper flumen Wirraham Eccleſiam, & Epiſcopalem ſtatuimus Cathedram.* Adamus Bremenſ. Hiſtor. Eccleſ. cap. II. *Nobiliſſimi Saxoniæ fluvii ſunt, Albis, Sala, Wiſura, qui & Wirraha nuncupatur*, quaſi aqua tortuoſa, ſinuoſa: nam A & Aha & E veteribus aqua ſeu fluvius. Laubachi ſeu Lavica Latinis, *Lauwerts* Friſiis olim ex paludibus Ooſtergoenſibus, & ſylveſtribus Drentiæ vicinis caput levabat, aquiſque hinc inde influentibus, & uliginoſis marginibus vi ſua abraſis, ingens & navigabilis fluvius factus, aut potius ſinus inter fines agri Groningani & Ooſtergoij ad pontem Gerricomium in mare ſe effundebat. Verum ante ſæcula aliquot, accreſcentibus paulatim terris bituminoſis, nunc parvulus admodum rivulus eſt, vixque nomen tuetur, niſi ubi inter vada & æſtuaria curſum ac colorem ſuum aliquandiu retinet. De quo plura vide apud doctiſſimum & eloquentiſſimum noſtrum Hiſtoricum, Ubbonem Emmium, Decad. I. lib. I. & in vitis Sanctorum, & præcipue in vita Divi Luidgeri. Altera Friſiæ provincia inter Laubachi & Flevum ſternebatur, que hodie Ooſtergoam, Weſtergoam cum inſulis adjacentibus, itemque Septemſylvanos complectitur. Tres hujus provinciæ ditiones, quæ olim Æſtrachia, Weſtrachia, Stellingwerff & Comitatus Cuneranus dicebantur. Flevus vel Flevum Friſiis, Rhenus Romanis, ſive boreale Rheni brachium, & extremus Imperii Romani adverſus Germanos limes. Si quidem Iſula, qui per foſſam Druſianam ex Rheno aquis auctus, ſupra Campos civitatem diu alvei certus per paluſtres agros, quos mare auſtrinum nunc hauſit, deinde circa Cuneram in duo brachia, quæ Friſiam interſecabant, ſeſe diſpergens, continuo curſu juxta Flevum pluribus lacubus receptis in campos, ut inquit Mela, ſeſe diffundebat, atque ibi nomen amittens, ubi inſulam Flevum eſſet complexus, ſupra inſulam denuo continuo alveo apud Teſſaliam inſulam oceano miſcebatur. Tacit. Annal. II. Capite ſexto. *Nam Rhenus uno alveo continuus, aut modicas inſulas circumveniens, apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur, ſervatque nomen & violentiam curſus, qua Germaniam prætervehitur, donec Oceano miſceatur.* Pomponius Mela de hoc extremo boreali Rheno: *Ad dextram primo anguſtus, & ſui ſimilis: poſt ripis longe & late recedentibus, jam non amnis, ſed ingens lacus, ubi campos implevit, Flevo dicitur, ejuſdemque nominis inſulam complexus, fit iterum arctior, iterumque fluvius emittitur.* Ante A. C. MCCXXI. Rhenus ſive Iſula inter Stauriam, & Enchuſam fluvii latitudinem non excedebat, ſed paulatim maris violentia frequentibus diluviis & incilibus hinc inde per paludoſos & uliginoſos agros ductis totum illud terræ ſpatium, quod hodie ſinum auſtrinum implet, in mare converſum eſt, vixque tria ſæcula abiere, quod aggeres moleſque trabales furenti Oceano objici cœpere. Hæc provincia etiam Cisfli, ut titulo primo de Homicidiis poſt §§. 4. & 8. & alibi apparet, ſeu Cisflevana, reſpectu Laubachi & Wi-

unum tremissem. Ibi nobilis homo centum & sex solidis, & duobus tremissis, simpla compositione solvitur. Similiter inter Wisaram & Laubachi. Similiter manum ac pedem.

Wisaræ ab ortu in occasum procedendo, appellata est. Ut frustra Nobilissimus Douza Annal. Hol. lib. VI. popularium suorum faventiæ imputare voluerit, Flevum, & Giseli, vel Cisfli diversa flumina fuisse, & alterum circa hodiernam Flielandiam, alterum ad veteris Flevi æstuaria (ut nautę quidem indigitant) diversis alveis fluxisse, cum Cisfli ibi nihil aliud designet, quam leges illas inter Ciswisaranam, Transsabianam & Cisflevanam regiones obtinuisse, ac ut Cisfli ibi post §. 10. inter Fli & Cincfalam effertur, ubi non Flehi, sed Fli scribitur, hinc Gisfli, id est, CisFlevum. Tertia provincia fuit a Flevo ad Sincfalam. Quæ fuerit Sincfala, multi in dubium vocant. Nobilissimus Douza lib. Annal. Holl. VI. mire sibi blanditur in investigatione hujus fluminis, tum nominis explicatione. Modo prope insulam Tessaliam fluxisse, & nominis reliquias Wala ejus insulæ viculo servari, modo in austrum se vertens juxta t' *Bal van Brek* nomen, & cursum ejus venatur. Postremo ex Servio Honorato Virgilii interprete pari divinationis felicitate investigare pertentat. Nos certo scimus, & constanter adfirmamus, Sindfalam (non Sincfalam) esse Helium ostium Plinio descriptum, cujus verba supra ex libro quarto, capite decimo quinto citavimus. Ubi clare Plinius sinistrum ostium versus occidentem in Mosam spargi, atque inde porro in Oceanum fluere innuit. Sed clarius Tacitus lib. II. Annal. Cap. 6. ubi cum de dextro Rheni ostio seu Flevo dixit, de altero ita ait: *Ad Gallicam ripam latior, & placidior adfluens verso cognomento Vahalim accolæ dicunt, mox id quoque vocabulum mutat Mosa flumine, ejusque immenso ore eundem in Oceanum effunditur*. Item lib. V. Histor. cap. 23. ubi de Claudio Civili navalem aciem ostentare volenti: *Spatium*, inquit, *velut æquoris electum, quo Mosæ fluminis amnem Rhenus Oceano adfundit*. Locum itaque illum, quo Mosa in Oceanum effunditur, veteres Sindval, quod in Sincfal vel Sincfalam corruptum est, id est, fluminis in mare effusionem vel casum dicebant a *Sind*, vel *Sund*, quod fretum vel mare, & *Ballen*, id est, cadere significat. Hinc *SindBloedt* diluvium, id est, maris eruptio. Confirmat sententiam nostram vetus Scholiastes in Notis ad Historiam Ecclesiast. M. Adami Bremens. ad cap. CCIX. num. 75. *De Ripa in Flandriam ad Sindval velificari potest duobus diebus, & totidem noctibus. De Sendval ad Prol in Anglia duobus diebus, & una nocte*. Quid clarius, quid manifestius adferri potest? Nec aliud fuisse *Iambal* Servianum, plane mihi persuadeo, si levi verborum transpositione legamus: *Rhenus Galliæ fluvius bicornis, quia per duos fluit alveos, unum, qua Romanum imperium est, ubi Iambal dicitur, per alterum, qua interfluit Barbaros, & facit insulam Batavorum*. Nam qua Barbaros interfluit, Flevo scilicet, non recte dicitur facere insulam Batavorum, sed potius ubi incipit, id est, ad latus sinistrum, ubi Rhenus a cætera Gallia Insulam Batavorum disterminat. In vulgatis editionibus ita legitur: *Rhenus fluvius Galliæ bicornis, quia per duos fluit alveos, per unum, qua Romanum imperium est: per alterum, qua interfluit Barbaros, ubi Iambal dicitur, & facit Insulam Batavorum*. Ad Sindval itaque & Flandriam ea Frisiæ pars sese extendit, & Frisia Occidentalis dicta fuit. Mejerus Annal. Fland. ad A. C. MXI. XI. Kalend. Maji *Brugis ad memoriam Divi Donatiani Mulier cæca Ermingardis nomine Ostendæ oppido Frisiæ visum recepit. Est autem in pago Frisiæ monti Rorickberg vocabulo pene contigua*. At Ostenda, quam novam Trojam adpellare licet, in confinio Flandriæ sita. Lipsius Lovanio suo: *Frisiam*, inquit, *late illa ætas adpellat, & Hollandiam ipsam (observavi) includit*. Lambertus Schaffnaburgensis: *Henricus Imperator exercitum navalem per Rhenum duxit in Frisiam contra Godefridum, ejusque adjutorem Dedericum, ibique duas munitissimas urbes cepit Rinesburg & Flaerdingen*. Qui hanc provinciam incolebant, Frisii Occidentales dicebantur. Incertus auctor Annal. Francic. ad A. C. DCCCLXXVI. *Frisiones, qui vocantur Occidentales, cum Normannis dimicantes, victores extiterunt*, (ad Kinhemum fluvium intellige.) Et hoc ipso textu nostro: *Apud Occidentales Frisiones inter Flevum & Sindfalam, &c.* Franci, cum post prælium ad Tulpiacum, qua Alemannos omnes fœda internecione superarunt, paulatim Rheni ripam transcenderent, & adversus nos arma moverent; mansit quidem homo nomini Frisico, sed provinciam in varios Comitatus & Præfecturas divisere, quæ res primo originem Comitatui Hollandię, ipsis vero Comitibus prætextu Comitatus arma in reliquam Frisiam movendi occasionem præstitere, de quo alias dicendi locus erit. Hodiernam Frisiam appellamus, quidquid ab ortu in occasum Wisurgum & Kinhemum interjacet, quod ingens spatium Majores nostri in septem insulas, quas Zelandias vocabant, divisere. Earum *prima* hodie a Visurgi ad Iadam fluvium, *altera* a Iada in Amasum, & Dollarti sinum terminatur, quas jam ante secula aliquot hinc vicinorum Principum potentia, illinc domesticis Nobilium factionibus oppressas & distractas tandem A. C. MCCCCLIV. ULRICUS SYRCSENA ab Imperatore FREDERICO III. fiduciario jure sub Comitatus titulo salva populi libertate & legibus regendas impetravit, & Oost-Frisia dicitur. *Tertia* ab Amaso & sinu Dollartico in Laubachi seu Lavicam fluvium extenditur, quæ cum Groningensi civitate diversis fœderibus juncta, hodie unam Rempublicam facit, & antiqua libertate & majorum legibus, & institutis fruitur, ac Groningæ ac Omlandiarum titulo censetur. *Quarta*, *quinta* & *sexta* reliquarum omnium nobilissimæ, & potentissimæ, & Plinio Tacitoque memoratæ, a Laubachi in Flevum seu mare austrinum terminantur, & in tres Comitatus seu regiones Oostergoam, Westergoam, & Septem sylvas divisæ sub moderatissima Ordinum administratione antiquam, & Germanam libertatem tuentur: simulque & ἁπλῶς FRISIA dicuntur. *Septima* & postrema a Flevo ad antiquos Canninefatum terminos, fluviumque Kinhemum protenditur, complectiturque terras, lacus, paludes, quas olim Frisii minores, Frisiabones, Sturii, Chauci, Marsaci insedere, hodieque Frisia Occidentalis & Borealis Hollandia appellatur, quæ diu & bellis continuis adversus Comites Hollandiæ pristinam libertatem tutata, tandem A. C. MCCXCIX. ab Joanne I. Hollandiæ Comite oppressa certis parendi, & imperandi legibus in jus & ditionem Hollandiæ concessit, partemque illustrissimæ & potentissimę Reipublicæ Batavicæ nunc facit. Sed nimium in hisce æstuariis lacubusque vela laxamus, quare ripam denuo legamus.

HÆC JUDITIA (1) SAXMUNDUS DICTAVIT.

LIX. Oculum viginti quinque solidis [1] debere componi.

LX. Qui testiculos alii excusserit, ter quinquaginta tres solidos & tremissem.

LXI. Si brachium supra cubitum, aut coxam transpunxerit, ter sex solidis componat.

LXII. Si brachium sub cubito, aut tibiam transpunxerit, ter tribus solidis componat.

LXIII. Si nasum transpunxerit, ter duodecim solidos.

LXIV. Si unam partem [2] transpunxerit, sex solidos.

LXV. Si unam maxillam transpunxerit, sex solidos.

LXVI. Qui alium in flumine, vel in qualibet aqua, in profundum impinxerit, ut pedibus terram tangere non possit, sed natare debeat, ter duodecim solidos componat.

LXVII. Qui alium in periculo aquæ liberaverit, quatuor solid. mercedem accipiat.

LXVIII. Si caballus, aut bos, aut quodlibet animal, homini vulnus intulerit, dominus ejus, juxta qualitatem vulneris, in simplo componere judicatur, & tres partes de ipsa mulcta componantur, quarta portione dimissa.

Inter Wisaram & Laubachi tota compositio in simplo persolvitur.

LXIX. Si homo quislibet telum manu tenens (2), & ipsum casu quolibet inciderit super alium, extra voluntatem ejus, qui illud manu tenet, in simplo juxta qualitatem vulneris componatur.

LXX. Similiter & puer, qui nondum duodecim annos habet (3), si cuilibet vulnus intulerit, in simplo componat.

LXXI. Hæ omnes compositiones liberi hominis sunt.

LXXII. In nobili homine [3] dimidio majoris.

LXXIII. In lito medietate minoris.

Inter Flebi & Sincfalam solidus est duo denarii & dimidius, ad novam monetam. Inter Wisaram & Laubachi, duo denarii novi solidus est.

LXXIV. Si lingua præcisa fuerit, medio weregildo componatur.

LXXV. Si hominem [4] mortuum effoderit (4), & ibi aliquid tulerit, ut cætera furta componatur.

WLEMARUS DICIT.

LXXVI. Si quis liber uxorem alterius (5) contra legem tulerit, reddat eam, & facinus ter L. tribus solidis & tremissem componat, & pro freda ad partem Regis weregildum suum.

LXXVII. Si quis illicitas nuptias contraxerit, separabitur ab uxore sua, & liceat tam ei, quam et uxori legitime nubere.

LXXVIII. Si vero separati fuerint, et iterum ad invicem fuerint reversi, weregildum suum uterque componat.

Inter Laubachi & inter Flebi tres denarii novæ monetæ solidum faciunt.

TITULUS IV.

De eo qui alteri viam contradixerit (6).

I. SI liber libero in via manus injecerit, et contra legem viam contradixerit, aut aliquid tollere voluerit, ter quatuor soli-

[1] Lindenbr. *XV. solidis.* [2] Herold. & Lindenbr. *parietem.*
[3] Lindenbr. *ignobilis homin s.* [4] Herold. & Lindenbr. *si quis hom.*

(1) *Juditia.*) Leg. *Judicia.*

(2) *Telum manu tenens.*) Vide L. 52. §. 2. ff. ad l. Aquil. Divus Augustin. de lib. arb. *Cui invito atque imprudenti telum manu fugit, non mihi videtur peccare, si hominem occidit.* Senec. de benef. lib. IV. cap. 34. *Sic enim in prælio potest accidere, ut telum meum in commilitonem manus dirigat, aliquo errore decepta, & hosti tanquam meo parcam. Sed & hoc raro accidet, & non vitio meo: cui propositum est, hostem ferire, civem defendere.*

(3) *Nondum duodecim annos habet.*) Nondum pubes sed pubertati proximus, & doli capax, ideoque in delictis pro pubere habetur. L. pupillum. 3. ff. de R. I. ergo & ex L. Aquilia cum eo agi potest. L. 23. ff. de furt.

(4) *Mortuum effoderit.*) In Legibus Frisicis *Reesraeff* dicitur, Longobardis *Graffworffen* & *Graeffraub*. L. Longob. Tit. VI. *Si quis sepulturam hominis mortui ruperit, quod graffworphun dicitur, & corpus spoliaverit, aut foris jactaverit DCCCC. sol. sit culpabilis parentibus defuncti.* Et tit. seq. De *Graffraub* idem disponitur. Nos crimen violati sepulchri adpellamus. L. Bojoar. Tit. XVIII. cap. 1. *Si quis mortuum liberum de monumento exfodierit, cum XL. sol. componat parentibus, & ipsum, quod ibi tulit, furtivum componat.* Siquidem apud veteres Germanos in more positum videtur fuisse, ut mortuos cum vestimentis sepelirent. L. Bojoar. Tit. XVIII. De vestitu Mortuorum, cap. 3. *De vestitu utrorumque, quod Walaraupa dicimus, si ipse abstulerit, qui bos interfecit, dupliciter componat; si alter & non ipse reus, omnia furtivo more componat.*

(5) *Uxorem alterius.*) De adulteriis & nuptiis illicitis supra diximus ad Tit. nonum de *Farlegani* vel *Horleggers*, ut ibidem monebamus. In qua emendatione nos confirmat L. Bojoar. cap. XI. Tit. III. §. 1. *Si quis propter libidinem liberæ manum injecerit, aut virgini aut uxori alterius, quod Bojoarii Horttrifft vocant, cum VI. sol. componat.* Ubi enim rescribend. *Hoercrafft*, ut *Hoerleggers* pro *Farlegan.*

(6) *Qui alteri viam contradixerit.*) Nos hodie illud crimen *Straetschenderye* vocamus, quod veteribus Germanis non in usu modo, sed nec indecorum fuisse, scribit Tacitus, ideoque reliquarum quoque gentium legibus punitum. L. Sal. Tit. XXXIV. L. Ripuar. Tit. LXXXII. Similis plane lex extat, L. Aleman. Tit. LXVII. §. 1. *Si quis liber libero in via manus injecerit, & contra legem ei viam contradixerit, aut aliquid ei tollere voluerit, cum VI. solid. componat.* Apud Longobardos *Wegenworff* & Corbitaria dicitur. L. Longobard. Tit. X. §. 1., ubi non

lidos componat, aut si negaverit, solus juret in manu proximi.

Titulus V.

De eo qui alterum de caballo jactaverit (1).

I. Sic ei componat, quasi eum fuste percussisset, dimidium solidum componat.

Titulus VI.

De muliere occisa.

I. Si quis mulierem occiderit, solvat eam juxta conditionem suam, similiter sicut & masculum ejusdem conditionis solvere debet.

SAXMUNDUS.

Titulus VII.

De flumine obstruso.

I. Si quis in flumine viam publicam occluserit, XII. solid. componat.

WLEMARUS.

Titulus VIII.

De rebus fugitivis (2).

I. Si servus, aut ancilla, aut equus, aut bos, aut quodlibet animal, fugiens dominum suum, ab alio fuerit receptum, & quærenti domino negatum, & iterum depublicatum (3), reddat aut ipsum, quod suscepit, aut aliud simile, vel pretium ejus, & pro furto weregildum suum ad partem Regis componat.

Titulus IX.

De pignoribus.

I. Si quis in pignus susceperit aut servum aut equum, & ille servus aliquod damnum ibi fecerit, ad illum pertineat, cujus servus est, non ad eum, qui illum in pignus suscepit.

II. Si vero quislibet servum alterius per vim sustulit, pignoris nomine, quod Pant dicunt, & ille damnum aliquod ibi commiserit, ille, qui eum sustulit, pro damni qualitate mulctam cogatur exsolvere.

Titulus X.

De compositione.

I. Vis aut furtum in duplo componitur, & ad freda weregildum.

Titulus XI.

De re præstita (4).

I. Si homo alii equum suum præstiterit, vel quamlibet aliam pecuniam, talem, qualis ei præstita est, reddat domino ejus; & si forte pejoratum reddiderit (5), componat ei juxta quantitatem, qua rem ejus inpejoravit.

II. Quod si caballus, qui præstitus est, ipsum, qui illum habuit, calcibus percussit, aut forte occidit, nullus eum solvat.

Hoc trans Laubachi.

---

non Corbitaria, sed Chorditaria vel Chorditate legendum putat doctissimus Melchior Goldastus, Notis suis ad Paræneses Tyrolis, Regis Scotorum: quod chorda expansa vel vimineis cratibus viam clauderent, ac ita homines expoliarent. Ergo mihi non liquere, ingenue fateor. Solebant & isti grassatores & latrunculi personati incedere, vultumque larvis abscondere, ne agnoscerentur, quod Longobardi Walapaus dicebant. L. Longobard. Tit. XII. §. 11. *Walapaus est, qui se furtim vestimento alio induerit, aut sibi caput latrocinandi animo, aut faciem transfiguraverit.*

(1) *De caballo jactaverit.*) Quod Longobardi *Waraworff* vocabant, a *Waere* equo, ut & nos hodie *Werje* equam dicimus. Hinc *Waerschaicus* quasi præfectus equorum. L. Longob. Tit. XI. de *Waraworffi*. *Si quis hominem liberum de caballo in terram per quodlibet ingenium iniquo animo jactaverit, LXXX. sol. ei componat.*

(2) *De rebus fugitivis.*) Inscriptio tituli generalis est de quocumque animali seu jumento, cui & servum annumerat. Nam & jure civili servi jumentis æquiparantur. §. 2. Inst. de usufruct. Quicumque igitur servum aut animal quodcumque celaverit, & quærenti domino non reddiderit, pretium solvat, & pro furto Weregildum componat. Capitalis igitur fuit apud Frisios servi occultatio. Vide ejusdem Ulemari additionem supra ad Tit. de *Forresni II.*

(3) *Et iterum depublicatum.*) Puto leg. *atque ita depublicatum*, id est, in privata custodia animo furandi habitum, ejus contrarium *in publicum deducere*. L. I. §. 6. ꝟ. de fugit. *In publicum deduci intelliguntur, qui magistratibus municipalibus traditi sunt, vel publicis ministeriis.* His adde L. Alemann. Tit. LXXXVI. Longobard. Tit. LXIII. & Tit. CXI.

(4) *De re præstita.*) Res præstita dupliciter intelligitur. Primo de rebus mobilibus & moventibus accipitur pro eo, quod est ad usum commodare, ut hoc titulo accipiendum est: quamquam jure civili commodati significatio etiam ad res soli extendatur ex Cassii sententia L. I. §. 1. ꝟ. commodati. Secundo, quando res soli ita Ecclesiæ vel alteri traduntur, ut dominium utile ad vitam apud dominum maneat, post mortem vero Ecclesiæ, vel cui tradidit, cedat; cujus formulas vide apud Marculphum, & reliquas formulas & notas doctissimi Bignonii ad easdem. Ejusdem præstariæ forma etiam apud me servatur ex tabulario Cœnobii Clarocampensis scriptæ A. C. M. CCCLX. sed propter prolixitatem non adjicimus.

(5) *Pejoratum reddiderit.*) Ulpianus L. 3. §. 1. ꝟ. commodati. *Si reddita quidem sit res commodata, sed deterior reddita, non videbitur reddita; quæ deterior facta, non redditur, nisi quod interest, præstetur. Proprie enim dicitur res non reddita, quæ deterior redditur.*

TITULUS XII.

De honore templorum (1).

I. QUi fanum effregerit, & ibi aliquid de ſacris tulerit (2), ducitur ad mare, & in ſabulo, quod acceſſus maris (3) operire ſolet, finduntur aures ejus, & caſtratur (4), & immolatur Diis (5), quorum templa violavit.

HÆC HACTENUS.

---

(1) *De honore templorum.*) Unicum paganę ſuperſtitionis fragmentum, quod jure meritoque haſce leges auſpicari, quam finire debuiſſet. Sed compilatori; ac interpreti, homini Chriſtiano, religio fuit, paganas leges, rituſque præponere, quos omnino abolitos voluit, ſatiſque fuit; hanc unam referre, omiſſis reliquis, quæ ſequebantur, ut verba hæc in fine poſita, HÆC HACTENUS, indicio ſunt. Vetuſtiſſimi Germani, non templa, ſed lucos, Diis ſuis conſecrabant. Tacitus de Morib. Germ. cap. IX. *Cæterum nec cobibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris ſpeciem adſimilare, ex magnitudine cœleſtium arbitrantur. Lucos ac nemora conſecrant, Deorumque nominibus adpellant ſecretum illud, quod ſola reverentia vident.* Idem de Naharvalis populis. *Apud Naharvalos antiquæ religionis lucus oſtenditur. Præſidet ſacerdos muliebri ornatu, ſed Deos interpretatione Romani Caſtorem, Pollucemque memorant. Ejus numinis nomen Alcis: nulla ſimulacbra, nullum peregrinæ ſuperſtitionis veſtigium, ut fratres tamen, & juvenes venerantur.* Talis & in Friſiis lucus fuit Baduhennæ Deo, ſeu Deæ ſacer. Tacitus Annal. IV. cap. 73. *Mox compertum a transfugis nongentis Romanorum, apud lucum, quem Baduhennæ vocant, pugna in poſterum extracta, confectos.* In iiſdem lucis etiam ſtatis temporibus comitiorum, & concilii publici cauſa conveniebant. Tacitus lib. de Mor. Ger. cap. 39. ubi de Suevis Semnonibus. *Stato tempore in ſylvam, auguriis patrum, & priſca formidine ſacram, omnes ejuſdem ſanguinis populi legationibus coeunt.* Tacitus Hiſt. IV. cap. 14. de ſacro nemore in Batavia. *Civilis primores gentis, & promptiſſimos vulgi, ſpecie epularum, ſacrum in nemus vocatos, ubi nocte, & lætitia incaluiſſe videt, a laude gloriaque gentis orſus, injurias, & raptus, & cætera ſervitii mala enumerat.* Habuiſſe tamen alibi templa, ex eodem Tacito certum eſt Annal. I. cap. 51. de Marſorum ſtrage. *Profana ſimul, & ſacra, & celeberrimum illis gentibus templum, quod Tanfanæ vocabant, ſolo æquantur.* Abbas Urſpergenſ. in Chron. ad Annum C. MCLXIX. de Ziza Dea apud Auguſtam culta: *Hanc urbem conſtruxerunt* (de Germanis loquitur) *& non muris, ſed foſſatis eam firmaverunt, & ex nomine Deæ Zizæ, quam religioſiſſime colebant, Zizecheim eam nominabant. Hujus quoque Deæ templum, ex lignis barbarico ritu conſtructum, etiam poſtquam Romani eam incolere cœperunt, inviolatum permanſit.* In Friſia quoque Mercurii, Stavonis, Baduhennæ, Foſtæ, quam Veſtam fuiſſe putant, templa, & cærimonias Annales noſtri commemorant; de quibus alias latius dicemus.

(2) *Effregerit, & ibi aliquid de ſacris tulerit.*) Nos ſacrilegium adpellamus, & fures ipſos ſacrilegos, l. 6. & 9. ff. ad l. Jul. Pecul. *Nam*, ut Servius ad Eclog. IX. Virgilii notat, *legere, & ſublegere eſt furari, unde & ſacrilegus dicitur, qui ſacra legit, id eſt, furatur.*

(3) *Acceſſus maris.*) Veteres Friſii & Saxones maris acceſſum Lidunam, receſſum Malinam adpellabant. Gloſ. Iſidor. *Ledo, maris æſtuatio.* Divus Auguſtinus de Mirab. S. Scripturæ lib. I. cap. 7. *Hæc enim quotidiana inundatio, bis a tempore ad tempus, per horas XXIV. ſemper peragitur, & per alternas hebdomadas Ledonis; & Malinæ viciſſitudo comitatur. Sed Ledo ſex horas inundationis, & totidem receſſus habet: Malina vero grandis per quinque horas ebullit, & per ſeptem horas littorum dorſa redetegit.* Incertus Martyrologus doctiſſimo Furmerio oratione ſua adverſus diſertiſſimum Ubbonem Emmium citatus. *Friſones in loco, ubi Martyrum ſanguis erat effuſus*, (prope Dockingham civitatem in Ooſtergoa) *aggeſta terra collem exaltarunt, propter Lidonis, & Malinæ quotidianas eruptiones, ex maris æſtu quotidiano provenientes, ubi Eccleſiam extruxerunt.* Ex eodem fluxu, & refluxu maris, quod ex Lunæ adfectibus movetur, veteres Germani, Saxones, Friſii, qui littoribus maris adſidebant, annos & menſes ſuos diſpenſabant; anni & menſes eorum lunares erant, ut docet magnus Scaliger lib. II. de Emend. temp. Sed de Liduna & Malina vide porro eumd. Scalig. in Conjectaneis ad Varronem, de L. L. & Marcel. Empir.

(4) *Finduntur aures ejus, & caſtratur.*) Tanquam ſervus pœnæ, & Diis ſacer, quorum templa violaverat. Certe caſtratio apud veteres Germanos pœna ſervilis erat. Legis Salicæ Tit. XIII. De furtis ſervorum, vel effracturis §. 2. *Si vero furaverit, quod valet XL. denarii, aut caſtretur, aut CCXL. denarios, qui faciunt ſolid. VI. reddat*; & alibi in Leg. German.

(5) *Immolatur Diis.*] Germani veteres, ut ex Tacito, aliiſque auctoribus manifeſtum eſt, non ſolum maleficos, ſed & hoſtes captivos, & ex popularibus, ſorte ductos, variis ex cauſis ad aras mactabant: de quo barbaro ritu alias plura dicemus. Hic ſiſtimus.

LEX

LEX ANGLIORUM
ET WERINORUM
CUM NOTIS COLLECTORIS.

CAPITULA LEGIS ANGLIORUM ET WERINORUM.

EXPLICIUNT CAPITULA.

INCIPIT LEX ANGLIORUM
ET WERINORUM (1),
HOC EST, THURINGORUM (2).

TITULUS I.
De Homicidiis.

I. SI quis Adalingum (3) occiderit, DC. sol. componat.

II. Qui liberum (4) occiderit, CC. sol. componat.

III. Et de utroque si negaverit, cum XII.[1] juret, aut in campum exeat, utrum ille voluerit, ad quem caussa pertinet.

IV.

[1] Herold. *cum XI.*

---

(1) *Angliorum & Werinorum.*) Hoc legis titulo pulchre edocemur, *Anglios & Werinos*, quos Tacitus memorat German. C. XL. eos fuisse populos, e quorum potissimum sociali fœdere, Respublica & gens celeberrima quondam constiterat *Thuringorum*; quorum nomen veteribus inauditum, sequioribus ævis maxime illustre fuit. Edocemur itidem in celebratissimum illud fœdus Angliorum & Saxonum, *Anglosaxonum* nuncupatorum, qui Britanniam suo subegerunt imperio, non coaluisse omnes Anglos, (sicut & aliunde certum est nec coaluisse omnes Saxones); neque omnes Werinos, seu Warnos ad alias constitisse terras; de quibus Historici medii ævi mentionem faciunt.

(2) *Thuringorum.*) Cl. Wachterus in Glossario V. *Thor*, cum dixisset, vocem hanc significare *montem*, & antiquissimam esse, atque omnibus pene linguis orientalibus & occidentalibus, præcipue vero Celticis, usurpatam, hæc de Thuringis subdit: *Thuringi, vel Toringi, montani, monticolæ, gens Germanica inter Salam & Werram, serius quidem nominata, sed jam tum cum nominari cœpta, longe potentissima, aliis fortasse populis, sive vi, sive sponte, in nomen ejus transgressis. Thuringiam hodiernam, ex qua veteris magnitudo initium cœpit, montibus asperam esse nemo ignorat. Hæc vera nominis Thuringici origo. Qui aliam desiderat, adeat Sagittarium in Antiq. Regni Thuringici, & plaustra nugarum inveniet.*

(3) *Adalingum.*) Idest, ut vis vocis indigitat, *ex prosapia nobili natum*. Nobilium familiæ multo majori præ cæteris æstimatione civili gaudebant. Ex his Reges ac supremos Principes olim fuisse delectos innuit Tacitus Germ. c. VII. *Reges ex nobilitate .... sumunt.* Ac de quibusdam Langobardorum Regibus Paulus Diaconus lib. I. cap. 21. ait: *Hi omnes Lithingi* (alii codices legunt *Adalingi*, vel *Adelingi*) *fuerunt; sic enim apud eos quædam nobilis prosapia vocabatur.*

(4) *Liberum.*) Secunda classis in Republica. Intelligendi autem sunt, non simplices manumissi, aut generatim ii qui ex manumissorum genere ortum ducerent, sed vel ingenuo genere nati, vel ex Reipublicæ decreto inter ingenuos adsciti, qui pars Reipublicæ essent, & jure suffragii in Generalibus Comitiis frue-

IV. Qui servum (1) occiderit, xxx. solid. (2) componat, aut si negaverit, cum v. juret.

TITULUS II.

De ictu læsis.

I. QUi Adalingum ictu percusserit, xxx. sol. componat, aut cum v. juret.

II. Qui liberum, x. sol. componat, aut cum quinque juret.

TITULUS III.

De vulneribus.

I. SAnguinis effusio Adalingi xxx. sol. componatur; aut cum sex hominum sacramento negetur.

II. Liberi hominis, x. sol. aut sex hominum sacramento negetur.

TITULUS IV.

De fractura ossium.

I. OS fractum Adalingo xc. sol. componatur, aut xii. hominum sacramento negetur.

II. Libero xxx. solidis componatur, aut sex hominum sacramento negetur.

TITULUS V.

De transpunctione & membris læsis.

I. COrpus transpunctum similiter.

II. Coxa vel brachium transpunctum, ut sanguinis effusio.

III. Oculus unus, vel ambo excussi Adalingo, ccc. sol. componantur, libero, c. solidis; aut si negat, xii. hominum sacramento negetur.

IV. Nasus abscissus similiter. Auris similiter. Lingua similiter.

V. Manus vel pes abscissus, similiter: aut si manca pependerint, medietas componatur.

VI. Qui Adalingo unum vel ambos testiculos excusserit, ccc. sol. componat. Si libero, c. sol. componat, vel juret, ut superius.

VII. Si vectem similiter.

VIII. Qui pollicem absciderit, xxxiii. solid. et tremissem componat. Si indicem & impudicum similiter. Si medicum & minimum similiter.

IX. Articulus pedis abscissus ut os fractum componatur.

X. Vultivam [1] (3) l. solid. componat, vel cum sex juret.

XI. Qui alium percusserit, ut surdus fiat, Adalingo ccc. solid. componat; libero c. sol. componat, vel cum xi. juret.

HÆC JUDICIA WLEMARUS (4) DICTAVIT.

XII. Si contra stomachum vulnus factum erit, & claudi non potuerit, xii. sol. pro ipsa apertione componat.

XIII. Si ipse stomachus perforatus fuerit, nec vulnus medicamento claudi potuerit, pro vulneris apertione totidem sol. componat, quot pro ipso vulnere composuit.

XIV. Si intestina vel botelli perforati clau-

1 Herold. *Vulitivam.*

fruerentur. Consule, quæ dicta sunt in Præfatione generali. Qui hic *Liberi*, Nithardo lib. IV. sunt *Frilingi*, qui ab ipso Latine redduntur *Ingenuales*, idest, ex ingenuo genere orti.

(1) *Servum.*) Tria ergo hominum genera ex hoc Titulo extitisse colliguntur in Republica Thuringorum, scilicet *Adalingi*, *Liberi*, *Servi*. Quibus & quartum genus addas, hoc est, *Libertos*, seu manumissos, de quibus sermo fit infra Titulo IX.; atque his quatuor hominum classibus tota inter Barbaros ordinum differentia consistebat. Quatuor hasce classes & inter Saxones ex Einhardo enumerat Adamus Bremensis lib. I. cap. 5. *Quatuor igitur differentiis gens illa consistit, nobilium scilicet & liberorum, libertorumque, atque servorum.* Cui adamussim consonat Tacitus Germ. c. XXV. de Germanis in universum differens, cujus testimonium a nobis allegatum est in Præfatione generali, graphice exprimens præfatas quatuor hominum classes; *servos*, *libertos*, seu *libertinos*, *ingenuos*, *nobiles*.

(2) *XXX. Solid.*) Tacitus citato loco ait, quod inter Germanos *liberti non multum supra servos sunt*. At vero ex Thuringorum lege colligimus, æstimationem capitis servi XXX. solidorum fuisse; manumissi vero, seu liberti, ac libertini solidorum LXXX. Vide infra Tit. IX. Si ergo de existimatione civili sermo fit, manumissus ferme triplo major supra servum erat, cum tribus ferme servis æquiparatus sit in æstimatione capitis, a qua civilis existimatio desumebatur. Hic obiter adverte, inter Thuringos civilem æstimationem status *servi*, *liberti*, *ingenui*, *nobilis*, habitam fuisse juxta proportionem arithmeticam numerorum 30. 80. 200. 600. Sic inter Barbaros optime factum, ut ordinum supra ordines, & classium supra classes præcellentia adamussim definita fuisset. Nos profecto quidquam non habemus, quod hujuscemodi instituto æquiparare possimus, ut relativam classium & ordinum civilem existimationem exacta proportione dignoscamus.

(3) *Vultivam.*) Ex Vachtero V. *Wultava* explico damnum in facie vel decore vultus, quod Italice apta expressione dicimus, *uno sfregio nel volto*. Lindenbrogius, Spelmannus, Cangius, ut ipse Wachterus ait, hanc vocem tanquam obscuritate metuendam absque glossa dimiserunt; alii diversimodis interpretati sunt. Sed anne *Wultiva* esset vox a Barbaris latine loquentibus simpliciter derivata a vocabulo *Vultus*, & ad designandam cicatricem in vultu factam adhibita?

(4) *Wlemarus.*) Siccama ad Legem Frisionum Addit. Sap. censet, hunc eundem esse sapientem, cujus in Lege Frisionum plura dictata occurrunt.

claudi non potuerint, ſimiliter faciat, id eſt, totidem ſolid. apertionem vulnerum componat, quot pro ipſis vulneribus compoſuit.

XV. Si utraque coxa ferro vel quolibet telo trajecta fuerit, VI. ſolid. componat.

XVI. Si folliculus teſticulorum cum coxa, IX. ſol. componat.

XVII. Si utraque coxa cum teſticulis fuerint perforata, XV. ſol. componat.

XVIII. Si quis alium in facie percuſſerit, ut oculus vel os torqueatur, IIII. ſolid. componat.

XIX. Si quis alium in brachio vel in crure percuſſerit, ut ipſa membra decreſcant, & ita fuerit ſubtiliatum, ut duos [1] digitos minuatur, IV. ſolid. componat: ſi unum, II. ſolid. ſi digitus dimidius, ſolid. ſi ſexta pars digiti eſt, unum tremiſſem.

XX. Qui harpatorem, qui cum circulo (1) harpare poteſt, in manum percuſſerit, componat illum [2] quarta parte majori compoſitione, quam alteri ejuſdem conditionis homini. Aurifices ſimiliter. Fœminas [3] freſum facientes ſimiliter.

Titulus VI.

De Alodibus (2).

I. Hereditatem defuncti filius, non filia suscipiat. Si filium non habuit qui defunctus est, ad filiam pecunia et mancipia, terra (3) vero ad proximum paternæ generationis consanguineum pertineat.

II. Si autem nec filiam habuit, ſoror ejus pecuniam & mancipia: terram proximus paternæ generationis accipiat.

III. Si autem nec filium, nec filiam, neque ſororem habuit, ſed matrem tantum ſuperſtitem reliquit, quod filia vel ſoror debuerunt, mater ſuſcipiat, id eſt, pecuniam et mancipia.

IV. Quod ſi nec filium, nec filiam, nec ſororem, aut matrem dimiſit ſuperſtites, proximus qui fuerit paternæ generationis, heres ex toro ſuccedat, tam in pecunia atque mancipiis, quam in terra.

V. Ad quemcunque hereditas terræ pervenerit, ad illum veſtis bellica, id eſt lorica

rica

1 Herold. *ſub duos*. 2 Herold. *illud*. 3 Herold. *aurifici* .... *famine*.

(1) *Cum circulo*.) Venantius Fortunatus lib. V. carm. 8. *Romanus lyra, plaudat tibi Barbarus harpa*. Wachterus V. *Harfe* adductis teſtimoniis colligit, harpam fuiſſe inſtrumentum lyricum fidibus tenſum. Hoc autem (ut lex in qua verſamur ſatis indicat) circumacta quadam inſtrumenti parte pulſabatur. Et revera etiam Johannes Ihre vocem *harpa* derivari ſuſpicatur a *Huerfa*, circumagere. Mihi in mentem venit inſtrumentum illud fidibus tenſum, quo utuntur Allobroges cum lanterna magica pueros noſtros oblectantes; circumrotato circulo, quod interius poſitum, & manubrio inſtructum eſt, fides titillantur, & ſtridulum ſed non incomptum exprimunt ſonum.

(2) *De Alodibus*.) Facilius intelligitur res ipſa, quam primæva vocis ſignificatio, circa quam in diverſa abiere eruditiſſimi. Ego, ne longior ſim, unicam ſententiam referam, quæ genuina mihi videtur. *All* eſt totus, *od* poſſeſſio; ergo *allod* indigitat poſſeſſionem totalem, ſeu plenariam, ſicuti feudum (*febod*) poſſeſſionem denotat ſtipendiariam; *Feb* enim eſt ſtipendium. Ejuſmodi autem quondam fuit illud Beneficiorum genus, quod ſequentibus ævis *Feudum* dictum eſt, ut ſcilicet veluti ſtipendium pro fidelitate & ſervitio conferretur. Hæc explicatio apprime ſimplex veritatem ſuam comprobat ex ipſa natura feudi & allodii. Cæterum ad antiquorum morum exactiorem notitiam diligenter obſervandum eſt, ſpectatæ allodiorum notioni non tantum opponi feuda, & reliqua beneficiaria tenementa, ſed & *bona communalia*, in quibus nulla particularibus perſonis aut familiis proprietas eſt, ſed tantum jus ad utendum fruendum, quatenus communitatis membra eſſe cenſentur. Qualia antiquitus inter Germanos generatim obtinuerant, & quorum aliquota pars pluribus in locis permanet uſque modo.

(3) *Terra*.) Sanctionem huic parallelam habes in lege Salica Tit. LXII. lege 6., cum hoc tamen diſcrimine, quod hic ſimpliciter *Terra*, ibi vero *Terra Salica* memoretur. Diſcrimen autem hærere tantum videtur in verbo, non in reipſa, ſi uſque ad antiquiora Germanorum inſtituta aſcendamus. Recenſendum namque eſt, quod de Germanis ait Cæſar de Bello Gallico lib. VI. cap. 22. *Neque quiſquam agri modum certum, aut fines proprios habet. Sed Magiſtratus ac Principes in annos ſingulos, gentibus, cognationibuſque hominum, qui una coierunt, quantum eis, & quo loco viſum eſt, attribuunt agri, atque anno poſt alio tranſire cogunt*. Idem & Taciti ævo obtinebat, ut colligimus ex ejus libello *Germania* inſcripto cap. XXII. *Agri pro numero cultorum ab univerſis per vices occupantur, quos mox inter ſe ſecundum dignationem partiuntur. Facilitatem partiendi camporum ſpatia præſtant. Arva per annos mutant, & ſupereſt ager*. Ex quibus perſpicimus, agros non alodiali titulo a peculiaribus familiis poſſeſſos, ſed omnes communales fuiſſe, annuatim per vices populo ad utendum fruendum diſtributos. Quin ſi antiquiſſima conſulamus æva, nec fixas domos habuere Germani; at vero Taciti tempore jam obtinuerat, ut quiſque propriam poſſideret domum. Ita enim ille loco citato cap. XVI. *Vicos locant, non in noſtrum morem connexis, & cohærentibus ædificiis: ſuam quiſque domum ſpatio circumdat, ſive adverſus caſus ignis remedium, ſive inſcitia ædificandi. Ne cæmentorum quidem apud illos, aut tegularum uſus; materia ad omnia utuntur informi, & citra ſpeciem, aut delectationem. Quædam loca diligenter illiniunt terra ita pura & ſplendenti, ut picturam ac lineamenta colorum imitetur*. Ergo Taciti tempore, cum agri adhuc *communales* forent, annuatim per familias partiendi, domum tamen cum ſuo ambitu familiæ quæquam proprietatis jure poſſidebant; ſicque terra *alodialis* (de qua in lege, quam exponimus, de *alodibus* agente, ſermo eſt) non alia erat ac *terra ſalica*, ſeu terra ad ædem pertinens, ut ipſa vis vocis indigitat: *Sala* enim idem eſt ac *ædes*. Congruum eſt ergo primordia legis, in qua verſamur, ex illa antiquitate repetere, quæ tamen ſubſequentibus

tibus

rica (1), et ultio proximi (2), et ſolutio leudis (3), debet pertinere (4).

VI. Mater moriens filio terram, mancipia, pecuniam dimittat, filiæ vero ſpolia

colli

---

tibus ævis jure proprietatis ad agreſtes quoque terras extenſo, ex conſtructione inſtituti juris, etiam quoad has obtinuerit. Conſule Eccardum in notis ad citatum locum Legis Salicæ, cujus ſententia quamvis eruditis quibuſve non omnino probetur, antiquitati certe apprime conſona eſt. Apud noſtrates curtis ſepe, vel muro undique clauſa, quæ domui villicæ inhæret, aut illam ambit, hodiedum appellatur *Bearcium*, vernacule *Bearz*, quæ vox a Cangio me notata in Gloſſario Voce *Biarcium* abſque gloſſa dimiſſa fuit. Ego proprie terram ad habitationem ſpectantem ſignificare reor: *Bye earth* ſiquidem eſt *habitationis terra*; quod prorſus idem eſt ac *Terra Salica*.

(1) *Lorica*.) Veſtis nempe bellica maculis ferreis contexta, cujus egregium ſpecimen vidi inter poſtypa, quibus ornantur ſtipites portæ majoris Eccleſiæ Cathedralis Veronæ, cujus fabrica refertur verſus initia ſæculi IX. Ibi namque viſitur Heros, qui a ſpatha *Durindarda* (a noſtratibus corrupte appellata *Durlindana*) dignoſcitur eſſe Orlandus, ſeu Rolandus, in prælio ad Roncavallem anno DCCLXXVIII. honeſta morte perfunctus, Poetis & Romanticarum fabularum ſcriptoribus celebratiſſimus. Militaris indumenti, armorumque genus ex figura hic appoſita conſpice, haud multum abſimile veſtimento bellico veterum Samnitum, de quibus hæc Livius Decade I. lib. 9. *Forma erat ſcuti: ſummum latius, qua pectus, atque humeri teguntur, faſtigio æquali; ad imum cuneatior, mobilitatis cauſa: ſpongia pectori tegumentum: & ſiniſtrum crus ocrea tectum &c.* Alius ibidem cernitur Heros, forte Oliverius: hic armatus eſt clypeo & ferrea pila acuminibus referta, quam quidam inepte pro malo granato ſumpſere. Hæc utiliſſima ſunt dignoſcendis armis bellicis illius temporis.





colli (5), id est murenas, nuscas, monilia, inaures, vestes, armillas, vel quidquid ornamenti proprii videbatur habuisse.

VII. Si nec filium, nec filiam habuerit, sororem vero habuerit, sorori pecuniam et mancipia, proximo vero paterni generis terram relinquat.

VIII. Usque ad quintam generationem paterna generatio succedat. Post quintam autem filia ex toto, sive de patris sive matris parte, in hereditatem succedat, et tunc demum hereditas ad fusum a lancea transeat.

TITULUS VII.

De furtis.

I. QUi gregem equarum in parco [1] furatus fuerit, in triplum componat. Si autem foris gregem commovit, quot equæ fuerunt, tot capita in [2] commotionis mulctam componat, et quot abstulit, tot in triplum componat. Hoc de cervo [3], bove, vacca, ove, porco, judicatum est.

II. Qui scrofas sex cum verre, quod dicunt son, furatus est, in triplum componat, et delaturam sol. VII. et in freda totidem.

III. Qui ornamenta muliebria, quod rhedo (6) dicunt, furto abstulerit, in triplum componat, delaturam XII. sol. et in freda similiter.

IV. Homo in furto occisus, non solvatur: sed si proximus ejus dixerit innocentem occisum, campo eum comprobet innocentem, vel XII. hominum sacramento, furem credi juste occisum.

V. Qui hominem liberum infra patriam vendiderit, solvat eum quasi occisum, et in fredam solid. XII. Qui liberum extra solum vendiderit, solvat eum similiter, et in fredam sol. LX. Similiter de fœmina.

VI. Qui liberum ligaverit, X. sol. componat. Qui Adalingum XXX. sol. si negat, cum XII. [4] juret, aut campo decernat.

VII. In omni re furto ablata, si is cui res componenda est, dixerit capitale pejus esse, quam quod ablatum est, juret de debito solus, pejus non esse quod offert, illo quod abstulit, et ita solvat secundum legem.

TITULUS VIII.

De incendio.

I. QUi domum alterius noctu incenderit, damnum triplo sarciat, et in fredo solid. LX. aut si negat, cum undecim juret, aut campo decernat.

TITULUS IX.

De liberto occiso.

I. SErvus a domino per manumissionem libertate donatus, si occisus fuerit, LXXX. sol. componat, vel quidquid ei solvi debeat, medietas compositionis liberi hominis solvatur.

TITULUS X.

De vi.

I. QUi liberam fœminam rapuerit (7), reddat eam cum solid. CC. et quidquid cum ea tulit, restituat, addens ad unamquamquem rem sol. X.

II. Si libera fœmina, sine voluntate patris,

1 Herold. *in parrico*. 2 *In* deest in Herold. 3 Herold. *de servo*.
4 Herold. *cum XI*.

(2) *Ultio proximi.*) Hinc perspicue colligis inter hæreditaria jura ex publicis legibus habita fuisse jura & onera privatæ vindictæ, quæ ad proximos occisi, & occisoris, quondam pertinebant.

(3) *Solutio leudis.*) Id est mulcta, quæ solvebatur ob homicidium proximi. *Leude*, docente Cl. Wachtero. h. v., proprie est *homicidium*, quæ vox subinde sumi consuevit pro compositione homicidii sensu a delicto ad pœnam delicti translato. Etenim delictorum nomina mulctis communicata passim annotantur.

(4) *Debet pertinere.*) Cur masculi excluderent fœminas in terræ hæreditate, Eccardus supra allegato loco congruentes congessit rationes. At vero ex hac lege colligimus, Legislatores potissimum respexisse ad statum militarem, cujus fœminæ capaces non erant; adeo ut cum primum terræ familiis stabili jure assignarentur, eæ viris uti militibus (qui revera hoc titulo *pars Reipublicæ* esse censebantur) adscriptæ fuerint possidendæ. Quod confirmatur ex hujus Tituli lege VIII., qua ad hæreditatem ex toto vocantur fœminæ demum post quintam generationem, quando scilicet jura familiæ & agnationum in masculis ut extincta habebantur; lex namque ita sese explicat: *Tunc demum hæreditas AD FUSUM A LANCEA* transeat.

(5) *Spolia colli.*) Adverte si lubet, quænam ornamenta fœminis tunc essent in usu. Ad quorum intelligentiam consuli potest Cangii Glossarium.

(6) *Rhedo.*) Supellectilem uxoriam, vel ornamenta muliebria significare docet Wachterus V. *Gerade*, id deducens a verbo *vaten*, constituere. Inde derivatum credo vocabulum Italicum *corredo*.

(7) *Rapuerit.*) Non errabit forte qui dixerit, severiores leges adversus raptum constitutas fuisse a Barbaris, postquam ad Christiana sacra transierunt. Aliud enim ex antiquioribus rudioribusque moribus obtinuisse videtur præcipue in septemtrionali Germania. Stiernhokius lib. II. Juris Veteris Sveo-Gothic. cap. 1. *Nihil olim gloriosius habitum, quam bello & raptu maritari*. Et Olaus Magnus lib. XIV. Rerum Septemtrionalium cap. 4. verba faciens de hasta ex Svecorum more nuptiarum ritibus interveniente, subdit: *Quæ signat prima veterum connubia olim fuisse violenta ex rapta*. Ego suspicor antiquis raptum adeo in honore fuisse, ut ubi verus raptus haud interveniebat, quædam saltem intercederet belli, & raptus

tris, aut tutoris, cuilibet nupserit, perdat omnem substantiam quam habuit, vel habere debuit.

III. Qui fœminam nobilem virginem, nondum parientem occiderit, DC. solid. componat: si pariens erit, ter DC. sol. si jam parere desiit, DC. solid.

IV. Qui liberam non parientem occiderit, bis LXXX. et VI. solid. et duos tremisses componat: si pariens est, DC. solid. si jam desiit, CC. sol. componat.

V. [1] Si servus liberam fœminam rapuerit, dominus compositionem solvat, ac si occisa fuisset.

VI. Similiter de viduæ raptu, vel interfectione judicatum est.

VII. Qui alterum intra septa propria occiderit, in triplum componat, vel quidquid damni ibi commiserit, tripliciter emendet.

VIII. Qui nolens, sed casu quolibet, hominem vulneraverit, vel occiderit, compositionem legitimam solvat.

IX. Qui domum alterius collecta manu (1) hostiliter circumdederit, trium primorum qui fuerint, unusquisque solid. LX. componat, et rei similiter. De ceteris, qui eos secuti sunt, solid. X. unusquisque, et in bannum Regis solid. LX.

TITULUS XI.

Si quadrupes damnum fecerit.

I. SI quadrupes damnum quodlibet fecerit, possessor pro qualitate damni vel compositionem solvat, vel sacramentum juret.

TITULUS XII.

De minoribus caussis.

I. QUidquid homo alteri fecerit, quod injustum factum dicatur, X. solidis componat, aut cum quinque juret.

TITULUS XIII.

De potestate testandi.

I. LIbero homini liceat hereditatem suam cui voluerit tradere.

TITULUS XIV.

De veneficiis.

I. SI mulier maritum veneficio dicatur occidisse, vel dolo malo ad occidendum prodidisse, proximus mulieris campo eam innocentem efficiat: aut si campionem non habuerit, ipsa ad novem vomeres ignitos (2) examinanda mittatur.

TITULUS XV.

De campo.

I. A Duobus solid. usque ad maximam compositionem, in furto et vulneribus campus judicat.

TITULUS XVI.

De delictis servorum.

I. OMne damnum, quod servus fecerit, dominus emendet.

TITULUS XVII.

De animali alieno læso.

I. QUi quadrupedia alterius in sepem cujuslibet seu fossam minaverit, ibique vel mortua fuerint, vel damnum aliquod pertulerint, is qui ea minavit, damnum emendet.

II. Si homo laqueum, vel pedicam, vel quodlibet machinamentum, ad capiendas feras in sylva posuerit, ibique pecus vel jumentum alterius captum, vel mortuum fuerit, qui machinamentum fecit, damnum emendet.

1 Iste §. qui quintus est in Lindenbr. post nostrum octavum, & ipse octavus, habetur in Heroldina.

---

raptus imago. Ex Formulis Regni Italici Vol. II. hujus Collectionis editis ad Leg. CLXXXII. & CXCVI. Rotharis Regis, pater, seu is, qui jus potestatis tutelaris habebat in fœminam, sponsabat eam viro in uxorem *per istam spatam, & istum Wantonem*. Spatha autem, & Wanto, seu chirotheca procul dubio erant symbola monomachiam designantia. In quamplurибus ex nostris pagis Patriæ Fori Julii villici veterum institutorum maxime tenaces nuptiarum die quasdam ridiculas cæremonias hodiedum servant, quæ fictitii raptus speciem haud obscure præseferunt.

(1) *Collecta manu.*) Leges ejusmodi adversus vindictas & violentias *collecta manu* patratas constitutæ præcipue sunt, ut reor, ad avertendam lasciviam privatæ vindictæ, quæ ex antiquis institutis a propinquis lesi suscipiebatur, ut alibi notatum est. Si vera sunt, quæ ex relatu audivi, versus Albaniæ fines morbus hic adhuc extinctus non est, ut si propinqui hominis occisi validiores sint propinquis occisoris, sunt qui hoc fuga elapso, in res ejus grassari, agros depopulari, arbores, vineas, oliveta succidere, & domum ipsam *demoliri* non vereantur.

(2) *Ad novem vomeres ignitos.*) Hæc fœminarum, & quidem nobilissimarum quoque purgatio haud insueta fuisse videtur. Muratorius Antiq. Italic. Dissert. XXXVII. antiquis allatis testimoniis edocet, uxorem Caroli Crassi, Emmam Reginam Angliæ, S. Cunegundem S. Henrici Imperatoris conjugem (cujus tamen factum haud immerito verti potest in dubium) violatæ pudicitiæ insimulatas examen *ad ignitos vomeres* obtulisse, & Cunegundem & Emmam etiam perfecisse.

EXPLICIT LEX ANGLIORUM ET WERINORUM.

LEX SAXONUM

CUM NOTIS CAROLI GUIL. GÆRTNER.

CAPITULA LEGIS SAXONUM.

IN CHRISTI NOMINE INCIPIT

LEGIS SAXONUM

LIBER (1).

TITULUS I.

De vulneribus (2).

I. DE ictu nobilis XXX. solid. vel si negat, tertia manu juret (3).

II. Livor et tumor (4) LX. solid. vel sexta manu juret.

III. Si sanguinat, cum CXX. solid. (5) vel cum undecim [3] (6) juret.

IV. Si os paruerit (7), CLXXX. solid. vel cum undecim [4] juret.

V. Si os fregerit, vel vulitivam [5] fecerit (8), corpus vel coxam, vel brachium perforaverit, CCXL. solid. vel cum undecim [6] juret.

1 Lindenbr. *De occisionibus.*
2 Lindenbr. *De conjugio.*
3 Lindenbr. *fol. CCXX. vel cum XII.*
4 Lindenbr. *cum XII.*
5 Lindenbr. *vulitavam.*
6 Lindenbr. *cum XII.*

---

(1) *Legis Saxonum Liber.*) Sistitur hac ipsa lege antiquissimum, quod extat, veteris Saxonicæ Jurisprudentiæ monumentum. Prodiit primum in lucem typis impressum, & ex supellectile Bibliothecæ Collegii Fuldensis descriptum anno 1557. Basileæ, opera Basilii Joannis Herold, *in originum ac Germanicarum antiquitatum libris*, pag. 121. Postea eandem Legem pariter ad fidem Mss. veterum denuo publicavit Joannes Tilius, in opusculo, quod prodiit Parisiis anno 1573. sub titulo: *Aurei venerandæque antiquitatis libelli, Salicam Legem continentis, a Clodoveo, Childeberto & Clotario Christianissimis Regibus prius editi, & postremum a Carolo M. emendati & aucti; item Leges Burgundionum, Alamannorum, Saxonum, Bajuvariorum, Ripuariorum, ex veteribus libris emendatiores & auctiores.* Edidit quoque Fridericus Lindenbrogius *Codicem Legum Antiquarum*, Hanoviæ 1607. impressum, Francofurti anno 1613. recusum, cui, alio exemplari Ms. usus, hanc nostram Legem pag. 471. inseruit. Tandem etiam Godefredus Guilielmus Leibnitius eandem Legem, Lindenbrogianæ lectionis, inter *Scriptores rerum Brunsvicensium* Tom. I. p. 77. incidere passus, & perpaucis annotationibus commentatus est. Nobis ad præsentem editionem parandam inservire jussimus Heroldinam lectionem, quippe quam omnium accuratissimam cognovimus, variantes tamen ex reliquis editionibus suo loco adducere non negligemus. De ætate confectæ aut promulgatæ Legis haud liquido constat inter eruditos, & acriter propterea inter se disceptant. Spelmannus in Glossario sub voce *Lex Saxonum* videtur eam adscribere Heraldo, Daniæ Regi, qui anno 984. floruit, adductus auctoritate Alberti Stadensis, scribentis: *Certissimum est, eum (Heraldum) tam nostro populo, quam Transalbinis & Fresonum genti leges & jura constituisse, quæ adhuc pro tanti auctoritate viri servare contendunt*; & Helmondi in Hist. Slavor. L. I. cap. 15. ubi: *adeo claruit (Heraldus) ut leges & jura statuerit, quas auctoritate viri, non solum Dani, sed & Saxones hodie servare contendunt.* Sed ex adversa parte Lindenbrogius in Prolegom. ad

VI. Si gladio vestem, seu scutum alterius inciderit, xxxvi. solid. componat (9), vel tertia manu juret.

VII. Si per capillos alium comprehenderit,

---

ad Cod. Ll. ant. nostram Legem non solum Heraldi, sed & Caroli illius M. ætatem antecedere contendit, id quod tum ex membranæ & manus vetustate, tum quod plane consimilis sit reliquis ejus ævi legibus, observare voluit. Et Heraldi quidem Leges recentiores nostra esse, clarum reddi videtur ex testimonio Wittekindi, monachi Corbejensis, Historiar. L. I. quem ante Heraldum vixisse constat, & qui Saxonum legem diligenter descriptam inveniri, ibi testatur. Verum quod tempora Carolum M. præcedentia attinet, recte objiciunt Spelmannus l. c. & Conringius de origine Jur. Germ. cap. 13. Legem hanc diserte Francorum Reges Dominos agnoscere, latine esse scriptam, & Christianæ religionis principia prodere. Jam vero, quæ apud Saxones Regum Francorum auctoritas ante Regem Carolum I.? quis usus Latinæ Linguæ, vel scripturæ saltem? quis usus Christianæ religionis? Lis igitur, me judice, ita forte componenda erit: ut concedamus, Legem hanc continere receptos Saxonum ante Caroli ætatem mores, qui certe cum reliquorum Germaniæ populorum antiquis consuetudinibus optime conspirant, sed jussu demum Caroli Imperatoris factum esse, ut receptæ illæ populi consuetudines, seu jura usu comprobata in scripturam redigerentur, quod ipsius Eginhardi in vit. Carol. M. testimonio, clare satis confirmatur. *Omnium*, inquit, *Nationum, quæ sub ejus ditione erant, jura quæ scripta non erant, describi, ac litteris mandari fecit*. Quo & pertinet, quam ipse Lindenbrogius l. c. adduxit, Caroli M. Constitutio ab Impp. Friderico I. & II. confirmata, hujus tenoris: *Prout cunctis placuit prudentioribus Regni nostri, Legem Saxonum, Noricorum, Suevorum, Francorum, Ribuariorum, Salicorum, sicut mos & potestas Imperatorum est, & omnium antecessorum meorum semper fuit, distinxi, distinctam sub auctoritate regia & imperatoria stabilivi, non ex mea adinventione, vel corde prolatam, sed communi consilio a me renovatam & auctam in melius, sicut patres & prædecessores mei fecisse perhibentur*. Saxones autem, postquam in potestatem Francorum redacti fuerunt, propriis nihilominus & antiquis legibus usos fuisse, fidem nobis inter alios facit Poeta Anonymus Saxo in Annalib. Car. M. ad annum 803. canens;

Tum sub judicibus, quos Rex imponeret ipsis,
Legatisque suis permissi legibus uti
Saxones patriis & libertatis honore.

(2) *De vulneribus.*) Exponit Titulus I. varios mulctarum gradus, singulis injuriarum realium speciebus accommodatos. Et miranda certe est ubivis adhibita percussionum, vulnerum & mutilationum exacta distinctio, atque pro atrocitate delicti & damni illati observata pœnarum justa proportio, qualem in aliarum gentium legibus frustra quæres, si Frisionum Legem excipias, quam propterea summopere laudat Sibrandus Siccama ad ejusd. L. tit. 22. Invenies præterea magnam hujus legis & recentiorum consuetudinum in Saxonia convenientiam, quibus eadem sollicitudine & cura distinguuntur, atque diversimode puniuntur, *Haarraufen, braun und blau, Knittel schlagen, werfen, Beulen, Blutrunst, offne Wunden, Fleisch. Wunden, Kampffer-Fleisch, beinschreitige Wunden, Lahmde* &c. Vid. Spec. Sax. L. I. art. 68. L. 2. art. 16. ibique Gloss. junge *Weichb.* art. 79. seqq. & ex Jure Electorali Saxonico Ord. Provinc. de anno 1555. tit. *Was zu Ober-Nieder-und Erb-Gerichten gehöret.*

(3) *Tertia manu juret.*) Nobis erit *selb dritte schworen*, i. e. adhibitis duobus conjuratoribus. Moris nempe fuit apud veteres, adhibere in præstatione jurisjurandi eorum, qui de veritate jurabant, viros integræ famæ & fidei, qui de credulitate jurabant, nimirum quod veritatem crederent eum dicere, qui jurabat, ut est in cap. 3. X. de purgat. Canon. Tales dicebantur promiscue Sacramentarii, Juratores, Conjuratores, Purgatores, Compurgatores, Juramentales, Sacramentales & Consacramentales, quorum numerus, pro qualitate delicti, & conditione personarum, vel major, vel minor interdum requirebatur, quod ex subseqq. §§. nostr. L. & exemplis magno numero a Cangio in Glossario sub voce *jurare* adductis, poterit apparere. Qua autem ratione dicatur, tertia, quarta, quinta manu jusjurandum præstari, optime docet *Lex Alemannorum tit.* 6. §. 7. *Illa sacramenta debent esse jurata, ut illi Conjuratores manus suas super capsam ponant, & ille solus, cui causa requiritur, verba tantum dicat, & super omnium manus manum suam ponat, ut sic illi Deus adjuvet, vel illæ reliquiæ ad illas manus, quas comprehensas habet, ut de illa causa unde interpellatus est, culpabilis non sit*. Neque etiam ritus adhibendi conjuratores, omnino ignotus fuit recentiori ævo, id enim ostendunt verba Speculi Sax. L. I. art. 63. *Kampfes mag auch ein Mann seinem Verwanten weigern, ob sie beyde Magen seyn, und er das gewehren kan auf den Heiligen, selb siebend, dasz sie so nahe Freunde sind*. Plura vide apud Cangium l. c. & Siccamam ad L. Fris. tit. 1. §. 2.

(4) *Livor & tumor.*) Ictus inflictus, ex quo livor aut tumor apparet, Germ. *braun und blau*, quod dicitur in Addition. ad L. Frision. tit. 3. cap. 42. *Si quis alium fuste percusserit, ut lividum fiat*. Huc quoque pertinet in Specul. Sax. L. I. art. 68. *Wer den andern mit Knutteln schlagt, also, dasz ihm die Schlage schwellen.*

(5) *CXX. solid.*) Lindenbrogius *CCXX. Solid.* curatiorem tamen Heroldinam lectionem ob id suspicor, quod alterum tantum istius mulctæ continet, quæ in præc. §. livori præstituta habetur.

(6) *Cum undecim.*) Lindenbrog. *cum XII.* sed iterum præfero Heroldinam lectionem. Nunquam enim in legibus antiquis legitur jurare *decima tertia manu*, bene tamen *duodecima manu*, quod idem valet, ac si dixeris, cum undecim, eum in modum & sensum, ut habet Ditmarus Mers. L. 4. Chron. *Judiciali sententia duodecimus ipse sacramentis exsolvit*. Id quod dicitur in subs. tit. 2. §. 3. & in L. Fris. Tit. 14. §. 3. *sua duodecima manu jurare.*

(7) *Si os paruerit.*) Quæ verba interpretationem recipiunt ex Addit. ad L. Fris. tit. 3. §. 26. *Si os apparuerit, non tamen incisum fuerit.*

(8) *Vulitivam fecerit.*) Lindenbr. *Vultavam*, Tilius *Vultivam*. Et in Add. ad L. Fris. tit. 3. §. 16. dicitur Vuilitiva, ubi ita describitur: *Si ex percussione deformitas faciei illata fuerit, quæ de XII. pedum longitudine possit agnosci, quod Vuilitivam dicunt*. Siccama ad h. l. reddit cicatricem, & Cangius vulnus in vultu seu facie illatum, qui simul inde vocis etymon deducit. Sed nisi me omnia fallunt, erit vox origine mere Germanica; *Wult* enim in lingua prisca vel caput vel faciem designare videtur, ut apparet ex L. Bajuvar. tit. 7. §. 5. ubi *Wultworf* capitis aut faciei tegumentum est. Vox composita ex *Wult* & *Worf*, tegu-

rit, CXX. ſolid. componat, vel undecima manu [1] juret.

VIII. Quicunque gladio ſtricto ſuper alterum cucurrerit, et retentus ab alio fuerit, XII. ſolidos componat, vel in manu liti ſui, (10) vel ſua armata [2] juret (11).

IX. Si quis alium de ponte, vel manu [3] (12), vel ripa in flumen impinxerit, et ille evaſerit, XXXVI. ſolid. componat, vel tertia manu juret.

X. Si comprehenderit, et ita in aquam projecerit, CXX. ſolid. componat, vel cum undecim [4] juret.

XI. Qui oculum unum excuſſerit, DCXX. ſolid. [5] (13) componat. Si ambos MCCCCXL. ſolidos (14) componat [6].

XII. Similiter de una aure, vel ambabus, ſi ſurdus efficitur.

XIII. Similiter de naſo, ſi abſciſſus fuerit, DCCXX. ſolid. componat.

XIV. Similiter de manibus, de pedibus.

XV. Teſticulus, ſi unus abſciſſus fuerit, DCCXX. ſolidos, ſi ambo MCCCCXL. ſolidos componat.

XVI. Si auricula, vel oculus, vel naſus, vel pes, ita percuſſa manca loco remanſerint, vel pependerint, medietatem ſupradictæ compoſitionis exſolvat. Si movere ipſum membrum poſſit, quartam partem componat.

XVII. Pollex totus abſciſſus, CCCLX. [7] ſolidis componatur. Si dimidius CLXXX. [8] ſolidis componatur. Si minimus totus CCXL. ſolidis. Si unum digiti membrum LXXX. Si duo membra CLX. Si totum, ut ſupra [9],

XVIII. Si index, CLXXX. & per ſingula mem-

1 Lindenbr. *cum XII. manu*. 2 Lindenbr. *in armata*. 3 Lindenbr. *vel navi*. 4 Lindenbr. *cum XII.* 5 Lindenbr *DCCXX.* 6 In Lindenbr. §. 11. & ſubſeq. 12. 13. 14. & 15. unicum §. conficiunt. 7 Lindenbr. *CCXL.* 8 Idem *CLXX.* 9 Qui Heroldo ſunt §. 17. 18. 19. & 20. unicum nempe §. 13. conſtituunt in Lindenbr.

---

gumentum, ſicuti noſtrum eſt *Uberwurf*, Gallis *Surtout*, contra Lindenbrogium in Gloſſ. qui ſolam voculam *Wult* ad deſignandum capitis tegumentum ſufficere voluit. Vultiva autem forte idem erit ac *Wult-hieb*, ictus capiti aut faciei applicatus. *Hieb* namque nobis eſt *ictus*, *cædes*. Neque enim facile credendum, omnes Germaniæ populos una conſenſiſſe in barbariſmum ex latinorum *vultu* deflexum, præter Legem enim Saxonum & Friſionum, Vultivam quoque ſiſtit L. Angliorum & Werinorum tit. 5. §. 10.

(9) *Componat*.) *Solvat*, *luat*. Componere enim eſt mulctam aut pœnam luere, uti hoc ſenſu vocis uſus frequens in LL. Germanicis occurrit. Antiquiſſimis enim Germaniæ temporibus, quævis lites interveniente tranſactione, quaſi per amicabilem compoſitionem, dirimebantur, quod indicium erat popularis libertatis, & ita propter homicidium, aut vulnus inflictum, vel aliud damnum datum, antiquitus judex reum non niſi in id, quantum inter partes conveniebat, condemnare poterat, donec ob enormes ſæpe damni taxationes, certa quaſi delictorum pretia legibus inventa fuerunt; unde deinde legales compoſitiones obtinuerunt. Ante hanc compoſitionem reus faidoſus, hoc eſt, hoſtilitatibus propinquorum læſi expoſitus erat, ut habet L. Friſion. Tit. 2. §. 2. *Si vero homicida non fugerit, nihil ſolvat, ſed tantum inimicitias propinquorum occiſi hominis patiatur, donec, quomodo potuerit, eorum amicitiam adipiſcatur*. Poſt litem compoſitam autem, chartam compoſitionis vel ſecuritatis accipiebat, cujus exempla reperies in Formula Marculfi L. 2. cap. 18. ac in Formula ſecundum L. Rom. 39. & apud Bignonium *in Formulis incerti Auctoris*, 7. & 8. Conf. Bignonium ad cit. Form. Marc. Edit. Baluz. T. 2. p. 942. Nobis ex antiqua hac lites componendi ratione remanſit judiciorum nomen, quo *Ding*, *Dingeſtatte*, *Ding-Gerichte* audiunt, *Dingen* nempe Germanis eſt de pretio certare.

(10) *Vel in manu liti ſui*.) Ex mente Cangii l. c. ſub voce *jurare*, in manu alterius jurare, erit, cum quis jurat cum alio, ſive adhibito unico conſacramentali. Mallem tamen ea de ritu & modo jurandi intelligi, qua notione phraſis venit in addit. ad L. Friſ. Tit. 4. *aut ſi negaverit, ſolus juret in manu proximi*. Et in L. Longob. L. 2. tit. 52. §. 15. *Tunc ipſe judex, qui in ipſo loco eſt, faciat jurare homines ..... ut dicant veritatem: & ſi credentes homines fuerint, in manu comitis ſui dextram dent* Formam ipſam hoc modo jurandi deſcribit L. Bajuvar. tit. 16. §. 6. *Apprehendat manum proximi ſui, & dicat, ſic vero me DEUS adjuvet, & illum, cujus manum teneo*.

(11) *Vel ſua armata juret*. Lindenbr. *vel in armata juret*; ſed rectius Heroldus; nam ſua manu jurare dicebatur is, qui ſolus admittebatur ad jusjurandum, nec conjuratores habebat, qui cum eo jurarent. Ita enim Lex Friſiorum in addit. tit. 3. §. 49. *Liceat ei, qui vulneratus eſt, ſua ſolius manu, ſacramentum peragere*. Manu autem armata juramentum præſtare, inter ſolemnitates jurisjurandi referebatur, & ad majorem religionem conciliandam ſæpius lege injungebatur, uti videre eſt in L. Ripuar. tit. 33. §. 1. *Ambo conjurare debent cum dextra armata, & cum ſiniſtra ipſam rem teneant*. Jung. tit. 66. ejuſd. Leg. Arma autem videntur fuiſſe apud majores noſtros Diis dicata, nam univerſali quadam Septentrionalium gentium conſuetudine ad jurisjurandi religionem, probante Cangio, adhiberi conſueverunt; quod paganæ ſuperſtitionis fragmentum deinde a Chriſtianis hominibus ſervatum fuit.

(12) *Vel manu*.) Lindenbr. *vel navi*. Quæ ſane lectio ſenſum congruentem & clariorem, ac quidem Heroldina præbet; hanc tamen propterea prorſus falſam eſſe non exiſtimamus. Ea enim ratione, qua infimæ latinitatis ſcriptores *maniculam* dixerunt naviculam, ita enim intelligo verba Ottonis Morenæ, in Hiſtoria rerum Laudenſium, a Cangio citata: *Cremenſes vero per foſſatum ipſius caſtri cum rampinis & maniculis euntes*; eadem, inquam, ratione Compilator Legis Saxonicæ *manum* pro navi ſumere potuit.

(13) *DCXX. ſolid.*) Lindenbr. *DCCXX.* & rectius.

(14) *MCCCCXL. ſolid.*) Lindenbr. *ICCCCXL.* variantem tamen lectionem eſſe non agnoſcimus, ſed ſicuti litera I. numeralis, ſi ei recta linea ſuperaddatur, pro mille ſæpe apud veteres habetur, ita, nulla linea ſuperducta, ſi numeris centenariis præponatur, pariter mille ſignificat. Eadem forma hæc ſumma ſcripta reperitur apud Lindenbr. in ſubſequ. §. 15. & tit. 2. §. 1.

membra tertia pars totius mulctæ componatur.

XIX. Medius & Medicus uterque cxx. solidis componatur, & per membra eorum, ut de cæteris dictum est.

XX. Pollex pedis, medietate pollicis manus componatur. Tres articuli medii, medietate compositionis Medici & medii digitorum componantur. Minimus articulus, medietate unius de tribus articulis componatur.

TITULUS II.

De homicidiis [1].

I. QUi nobilem (1) occiderit MCCCCXL. solidos componat. Ruoda dicitur [2] (2) apud Saxones, cxx. solidi, & in

[1] Lindenbr. *de occisionibus*. [2] Lindenbr. *Ruoda quod dicitur*.

(1) *Nobilem*.) Cum hoc & subsequentibus titulis diversæ apud Saxones hominum conditionis mentio fit, non abs re erit, paucis deducere, quæ illa fuerit. Adamus Bremensis Hist. L. I. cap. 5. *Quatuor*, inquit, *gens illa* (Saxonum) *differentiis consistit, nobilium scilicet, & liberorum, libertorum atque servorum*. Wittekindus Monachus L. 1. solos Liberos, Litos & servos nominat. Capitulare Saxonum cap. 3. Nobilium, ingenuorum & Litorum conditionem distinguit, atque Nithardus Historiar. Libr. 4. pariter Saxones in tres ordines dividens ait: *Sunt inter illos, qui Edhilingi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lazzi, illorum lingua dicuntur. Latina vero lingua hoc sunt, Nobiles, ingenuiles atque serviles*. Quę testimonia licet inter se discrepare videantur, probant tamen, & certo certius est, quatuor veluti ordinibus Saxonum gentem olim fuisse distinctam, Nobilium nempe, Liberorum seu ingenuorum, Litorum vel Lassorum, & denique servorum. Atque easdem quatuor hominum conditiones agnoscit nostra Lex; meminit earum Lex Frisionum, pariter ac L. Angliorum & Werin. Nobilis nobis hodie dicitur *Edelmann*, Nithardo *Edlingus*, Legi Anglicorum *Adalingus*, nominibus paulisper aliter flexis, sed ex una radice descendentibus, nempe a voce perantiqua *ot*, sive *od*, prædium & possessio, unde *allod*. *Edelmann* igitur priscis dictus fuit *Odelmann*, vel *Odling*, prædii vel pagi possessor & dominus. Ex quibus simul, quæ fuerit Nobilium conditio, addiscitur. Indeque derivanda esse intelligo cognomina familiarum nobilium in Germania gentilitia, quæ pleramque cum hoc vel illo pago communia habent, cum ab antiquo a possessionibus & prædiis, quorum domini erant, nominari voluerint, quod inter alia probat particula *de* vel *a*, Germ. *von*, nominibus nobilium utplurimum præfixa. Quæ autem moverint Clariss. Eccardum *ad L. Salicam p.* 30. ut Nobiles veterum esse Principes nostros, & ingenuos eorum, qui nostro tempore Barones & Nobiles audiunt, dixerit, me non perspicere ingenue fateor. Hoc certum est, Saxones antiquos, populo libero, omne Principum dominium pacis tempore ignorasse, & solum ad bella gerenda communes sibi Duces elegisse. De reliquis populi conditionibus mox dicemus.

(2) *Ruoda dicitur*.) Vexatissimus locus, si ullus in tota hac Lege, quem obscuriorem sibi & reliquis Interpretibus reddidit Lindenbrogius legens: *Ruoda quod dicitur*. Ipse deinde Lindenbrogius lucem verbis accendere voluit, dum ait, *Ruod* veteri lingua Saxonica crucem significare, alludens, ni fallor, ad crucis supplicium. Spelmannus, qui quidem fatetur, hunc locum se non intelligere, hoc tamen forte eum voluisse divinat: quod interfector ultra cæteram mulctam, cruci etiam dominicæ, quæ in unaquaque Ecclesia habebatur, CXX. Solidos, veniæ redimendæ gratia delibaret. Sed recte Cangius sub hac voce de hisce sentit: *Quid ad compositionem MCCCCXL. Solidi, nisi ea compositione ejusmodi criminum rei se a crucis pœna redemerint? Neque enim conjecturam Spelmanni quisquam probet*. Hæc Cangius. Et certe Lindenbrogianæ imprimis conjecturæ obstant omnes fere Germanicarum gentium Leges antiquæ, in quibus nunquam capitis pœnam, multo minus crucis supplicium, homicidis præstitutum, bene tamen æstimandi rationem ubique receptam fuisse deprehendimus, in tantum, ut teste Spelmanno, jure antiquo Anglorum, ipsa regii capitis æstimatio obtinuerit, & 30. thymsarum millibus constiterit. Nobis, quod miraberis, *Ruoda* est homo liber & ingenuus, & lectio propterea hujus §. ita restituenda, vel potius redintegranda videtur: *Qui nobilem occiderit MCCCCXL. Solidos componat, qui occiderit eum, qui Ruoda dicitur apud Saxones, CXX. Solidos, & in præmium CXX. Solidos* scil. *componat*. *Ruoda* dictus est a *roten*, vel *roden*. i. e. terram offringere, rumpere, sulcare; vid. Schilt. Gloss. sub voce *Roten*, quæ vox non prorsus apud nos obsoleta, quippe in Spec. Saxon. L. 1. art. 54. in fin. occurrens, ubi: *Kein Zinsmann mag ohne seines Herren Urlaub Holk hauen, noch roden*; nobisque remansit in verbo *ausrotten*, vel *ausreuten*, i. e. funditus tollere. Neque aliam radicem habent *Ruptuarii*, *Rotarii*, *Rhodarii*, *Rutarii* & *Rotogeri*, scriptoribus medii ævi, probante Cangio, homines ignobiles & obnoxiæ conditionis, quales sunt rustici ac coloni. Atque hinc inde in hunc usque diem, hominem nobilitate generis non conspicuum, Gallis dici *Roturier*, cui opponitur vir nobilis, agnoscit Cangius. Pariter *Ruagium*, *Rouagium*, *Roturagium*, Gallis *Roture*, *Roturage*, in chartis antiquis designare agrum, idem Cangius fusius ostendit. Leibnitzius, qui quidem perspexit, hoc loco *Ruodam* Nobili opponi, aliunde tamen etymon vocis deducit, & vult, veruntamen auctoritate destitutus, *Ruodam* priscis significasse genus, stirpem, radicem; ipsique propterea Ruoda est homo familiam habens, Germ. *ein Geschlechter*, Polonis ex nostro *Schlachtiz*. Nostræ autem deductioni respondet antiquum Liberorum seu Frilingorum vitæ genus, in eo consistens potissimum, ut inhabitarent villas, namque eo tempore urbes in Saxonia nullæ erant conditæ, & ut agros, qui ad eos pertinebant, colerent. Vid. Siccamam ad L. Fris. tit. 1. de homicidiis. Plebem efficiebant hujus notæ homines ingenui, & dicebantur liberi, Nithardo Frilingi, Repkovio in Spec. Sax. L. 1. art. 2. ob id, quod in assessorum numerum susciperentur, *Schoppenbar freye*, ad distinctionem Lassorum & servorum, a quibus in eo potissimum differebant, & meliorem conditionem sortiebantur, ut essent a servitiis, oneribus & tributis liberi & immunes, quod probat locus apud Gregorium Turonensem L. 7. cap. 15. *Multos de Francis, qui tempore Childeberti Re-*

in præmium [1] (1) cxx. solidi.

II. Quicquid de superioribus factis in fœminam committitur (2), si virgo fuerit, dupliciter componatur; si jam enixa, simpliciter componatur.

III. Litus (3) occisus cxx. solidis componatur.

[1] Lindenbr. & *interpræmium*.

Regis Senioris ingenui fuerant, publico tributo subegit. Junge Gloss. ad Spec. Sax. l. c. *Schoppenbar frey sind, die ihre eigene F eyheit haben, an ihrem Eigen und an ihrer Person*. Legem vero nostram hoc loco per *Ruodam* præcise intelligere hominem liberum sortis plebejæ, ex eo apparet, quod distincte nobilium, liberorum, litorum & servorum plus una vice mentionem faciat, deinde hoc tit. 2. §. 1. nobilium, §. 3. litorum, & §. 4. servorum compositionem definiat, ut igitur credendum non sit, compilatorem legis, supina quadam negligentia, liberorum æstimationem in tam accurata reliquarum conditionum recensione, prorsus omisisse.

(1) *Et in præmium*.) Lindenbrogius: *& interpræmium*, quod in Glossario voluit esse idem ac *interpretium*, i. e. excessum pretii, sive quod de pretio rei restat, uti vocem explicat Cangius. Leibnitius ad h. l. integrum comma, *& in præmium* sive *interpræmium CXX. Solid.* per errorem librarii prodiisse judicat, & *interpræmium* nihil esse declarat. Putat nempe, in præcedente commate majorem summam, quam CXX. scriptam, deinde vitio scribæ divulsam, & bis dictam fuisse. Hoc extra dubium positum esse videtur, pro excellentiori ingenuorum conditione, eorum quoque æstimationem lautiorem fuisse, ac quidem litorum, quorum capita *in subs.* §. 3. Solidis CXX. æstimantur. Et ita Epilogus L. Frision. in fin. *Liti vero compositio, sive in vulneribus, sive in percussionibus, sive in mancationibus, & in omnibus superius descriptis, medietate minor est, quam liberi hominis*. Indeque colligo, bene se habere Heroldinam lectionem, nimirum compositionem hominis liberi constitisse CCXL. Solidis, quorum hemimeris agnatis occisi, altera nobili, cujus sub tutela fuerat, cedebat; quasi in præmium amissi civis & clientis. Premium enim optimæ etiam latinitatis scriptoribus sæpe est quodlibet pretium & commodum. Liberos autem sub tutela nobilium, quorum in pagis degebant, fuisse, probat Lex nostra infra in tit. 17. de exulibus, & Charta divisionis Caroli M. cap. 5. ubi: *Et unusquisque liber homo post mortem domini sui, licentiam habeat se commendandi*. Conf. L. Wisigothorum L. 5. tit. 3. §. 1. Vi itaque hujus tutelæ vel patrocinii pars dimidia Wergeldi, aut compositionis liberi hominis competebat Domino jurisdictionis, qui erat Nobilis. Nam ex compositione Liti duas tertias lucrabatur dominus, ut habet L. Frisionum tit. 15. *Compositio liti libræ II. & unciæ IX. ex qua duæ partes ad dominum pertinent*. Servi vero compositionem totam domino ejus obvenisse, ob id suspicor, quod tenebatur de delictis & homicidiis servorum. Vid. infra tit. 11. *de delictis servorum*. Ex quibus liquido constare poterit, antiquitus non semper, neque ex asse, quod vulgo creditur, Wergeldum agnatis fuisse præstitum, sed regulariter inter eos & dominum distributum. Et quidem ea pars compositionis, quæ interfecti agnatis persolvebatur, *Mægbot*, *Cynebot* & *Cenegild*, ea autem portio, quæ domino occisi præstabatur, *Manbot* apud veteres Saxones dicta fuit, de quarum vocum etymologia consule, si placet, Spelmannum & Cangium in Glossariis.

(2) *In fœminam committitur*.) Intelligit Lex hisce, me judice, fœminam solutam, nondumque marito nuptam; diserte enim non nuptarum duas constituit species, virgini nempe opponit enixam, talem scilicet, quæ ex coitu illicito & stupro peperit. Uxores enim maritis junctæ dupli æstimationem non habebant; quoniam ut sociæ maritorum, omnium jurium hisce competentium participes erant, & pro horum dignitate componebantur. Addit. ad L. Fris. tit. 6. de muliere occisa: *Si quis mulierem occiderit, solvat eam juxta conditionem suam, similiter sicut & masculum ejusdem conditionis solvere debet*. Imo recentiore Saxonum jure fœminarum Wergeldum cœpit dimidia parte minor, quam maris constitui. Spec. Sax. L. 3. art. 45. *Jegliches Weib hat ihres Mannes halbe Busze und Wehrgeld*. Dicitur autem fœmina, *si virgo sit*, dupliciter componenda, cujus dupli rationem in eo consistere autumo, quod filia in commercio erat, & a parentibus, vel ejus tutore sponso CCC. Solidis vendebatur, (vid. infra tit. 6. ibique notas); ut igitur puella virgine occisa, lucrum, ex venditione sperandum, cessans, imputaretur ejus compositioni. Et cum forte eo in pretio non essent, quæ in cælibe vita partum enixæ, teste enim Tacito de moribus Germ. cap. 19. publicatæ pudicitiæ apud veteres Germanos nulla venia erat; adeo ut non forma, non ætate, non opibus maritum invenerit, simpla compositio in illis sufficere visa fuit Legi. In L. Alemannorum tit. 50. qui hominem cæde clandestina sustulisset, novem Wergildis, qui fœminam, octodecim plectebatur, quoniam, ut opinatur Spelmannus in Gloss. *sub voce Wergild*, hæc imbellior esset ad defensionem.

(3) *Litus*.) Nomen varie flexum, & pro varietate dialectorum, *Liti* aliis dicti sunt *Luti*, *Lidi*, *Ledi*, *Litones*, duriusque pronunciantibus *Lassi* vel *Lazzi*: De quorum etymologia, origine & conditione, quot interpretes, tot ferme sententias habebis. Lazius in Gloss. ait: *Litz hodie Germanis idem ac lite; a lissen, lossen, i. e. redimere vel servare*, ut servos a servando dictos fuisse perhibet Justinianus. Lassorum nomen derivat Leibnitius in Archælogo Teutone a *Laszen*, dimittere, uti liberti Romanorum erant, qui ex justa servitute dimissi vel manumissi. Siccama ad L. Fris. tit. 1. a *Lesse*, quod veteri lingua Frisica postremum vel minorem significat. Auctor Speculi Saxonici, a *laszen*, sinere, L. 3. art. 44. *Und unsre Borfahren; die her zu Lande kamen, und die Doringen vertrieben .... und da ihrer so viel nicht waren, dasz sie den Acker bauen mochten, da sie die Thuringischen Herrn schlugen und vertrieben, liészen sie die Bauern sizen ungeschlagen, und bestetigten ihnen den Acker, zu solchen Rechten, als noch die Laszen haben. Und davon kommen die Laszen her*. Cui respondent verba Alberti Stadensis: *Plures autem se eis dediderunt proprios, & qui ab eis vivere sunt permissi, Litones sunt ab eodem vocabulo nuncupati. Inde Litones in provincia Saxonum sunt exorti*. Et eundem in modum alii aliter de eorum conditione sentiunt. Nithardus, Lazius, Spelmannus & Lindenbrogius Litos servorum genus esse volunt, & quidem dedititiorum, qui ingenuitatem suam pretio manciparunt; Cangius adscriptitiorum, aut glebæ servorum. Leibnitius l. c. Libertos eos fuisse propugnat, quod & fecit Adamus Bremensis Hist. Lib. 1. cap. 5. ac Auctor Glossæ ad Spec. Sax. L. 3. art.

ponatur: mulcta vero vulnerum ejus, per omnia duodecima parte minor, quam nobilis hominis. Solvatur autem ſolido majori [1] (1), vel ſi negat, ſua manu duodecima juret. Si in turba vel ſeditione fuerit occiſus, componatur ab eo, cui mors ejus imputatur, vel ſacramento duodecim hominum negetur.

IV. Servus (2) a nobili occiſus, XXXVI. ſolidis componatur, vel tribus jurantibus negetur.

1 Lindenbr. *quam nobilis hominis ſolvatur, aut ſolido majori.*

---

art. 2. *Laszen ſind die, welche unſere Borfahren frey lieſſen, da ſie die Lande bezwungen.* Amerbachius ad Conſt. Caroli M. anno 581. cap. 6. famulis noſtris æquiparat, provocans ad vocem *Liedlohn*, quę nobis hodie eſt merces famulorum. Etymologicis hiſce, & quæ de origine Laſſorum moventur, controverſiis me non immiſcebo, ſed quod eorum conditionem attinet, liceat meam in medium proferre ſententiam. Litos nempe omnino differentes eſſe a ſervis exiſtimo, ipſa enim Lex diſtinguit, & ita cum Cangio non ſentio, quoniam Saxonum ſervos non alios, quam glebæ adſcriptos homines fuiſſe, ad ſequ. §. dicemus. Neque Libertos eos dixerim indiſtincte, ſæpe enim ex ingenuo litus efficiebatur; vid. L. Friſ. tit. 11. §. 1. ubi: *Si liber homo in ſervitium liti ſe ſubdiderit.* Interim concedo, libertos ad Laſſorum claſſem pertinuiſſe, id enim innuit Spec. Sax. L. 1. art. 16. *der eigen Mann, den man frey laſt, behalt freyer Landſeſſen Recht*, & L. 3. art. 80. *Laſt der Konig ſeinen Dienſtmann oder ſeinen eignen Mann frey, der behalt freyer Landſeszen Recht.* Qui autem hoc loco dicuntur *Landſeszen*, ſunt illi ipſi Liti, vel Laſſi. Fuerunt autem Liti aut Laſſi, non alii, quam quos hodie vulgariter nominamus *Cenſiten*, *Zins-Bauern*, *Zins-Leute* & *Frohner*, ut noſtri hodienum plerique ruſticorum in Saxonia ſunt, homines domino ad præſtandum cenſum, & ad operas vel determinatas, vel indeterminatas, *zu gemeſſenen oder ungemeſſenen Frohn-Dienſten*, obnoxii, & quidem intuitu prædiorum, quæ poſſident; ratione perſonæ enim liberi erant ut ingenui. Quare in Spec. Saxon. L. 1. art. 2. libertate gaudere expreſſe dicuntur: *Freyheit iſt dreyerley: Schoppenbarer Leute, der Pflegſchafften und Landſeſſen.* Inque eo in ſpecie Litorum conditio deterior erat conditione Liberorum: hi enim, ut ſupra ad §. 1. huj. tit. adduximus, immunes erant ab omni onere, ſervitio & tributo. Hinc Legi Ripuariorum Tit. 62. §. 1. *tributarius* & litus ſynonyma ſunt; *ſi quis ſervum ſuum tributarium aut litum fecerit.* Et parem in modum interpretor verba Gloſſæ interlinearis Legis Salicæ, ubi *Litus* redditur, *Fiſcalinus* vel *Sanctuarius*, non, uti quidem vult Cangius, *Fiſcalinum* eſſe, qui in publicis *Fiſcis* ſeu prædiis degit, ſed qui fiſco regio tributarius eſt, quales dicuntur *liti regis*, infr. tit. 17. Videntur autem Laſſi apud Veteres in duas abiiſſe ſpecies; quidam enim propria prædia, quidam ſic dicta libellaria, *Laſz-Guther*, poſſidebant. Illi Epkovio l. c. dicuntur *Pflegſchafften*, quaſi *die in der Pflege hafften*, vel *angeſeſſen ſind*, latino Interpreti *Proprietarii*; hi *Landſeſſen*, i. e. *die im Lande ſikzen*, & *Bier-Gelden*, quaſi *gebohrne Gelden*, cenſitici nativi, Zobelio corrupte *Bauer-Gulden*, latino interpreti *Pagani*, quos Gloſſa ad cit. L. 1. art. 2. ita nobis depingit: *Pfleghafften ſind die, ſo in dem Lande eignes haben, da ſie pflichtig ſind, etwas darvon zu geben oder zu thun. Landſeſſen ſind die, die Zinsz-Leute heiſſen, die auch*, L. 3. art. 73. *Bauer-Gulden heiſſen; dieſe ſikzen auf gemietheten Laſz-Guth, da man ſie abweiſen mag wenn man will.* Et quamvis deinde Litorum quoſdam fuiſſe, perſuaſum habeam, qui neque propria, neque libellaria bona poſſiderent, ſi tamen ab his deſcenderent, Litorum ordini aſſignabantur, quorum meminit Spec. Saxon. L. 3. art. 45. *Andern freyen Leuten, die Landſeſſen heiſſen, die da kommen und fahren Gaſtweiſe, und haben kein eignes im Lande, den giebt man auch* 15. *Schillinge.*

(1) *Solvatur autem ſolido majori.*) Lindenbrogii lectio neutiquam admittenda eſt. Alternativa enim mulcta, quæ Lindenbrogio dicitur, aut *duodecima parte minor*, aut *ſolido majori ſolvenda*, efficeret, ut interdum compoſitio vulnerum hominis liti plus contineret, ſi ſolido maiori indiſtincte ſolveretur, quam viri nobilis. Hinc Leibnitius ad h. l. legendum eſſe, *ſolido minori*, animadvertit. Sed recte Heroldus, *ſolvatur autem ſolido majori*, nempe compoſitio vulnerum; ita enim infr. titulus finalis: *Solidus eſt duplex, unus habet duos tremiſſes, ... alter tres tremiſſes ... Majori ſolido aliæ compoſitiones, minori homicidia componuntur.*

(2) *Servus.*) Male ageret, qui ſervorum apud Germanos conditionem, ex ſtatu ſervorum Romanorum addiſcere vellet, longe enim mitior illorum ſors omni tempore fuit. Quare Tacitus Libr. de moribus German. ait: *Servis non in noſtrum morem, deſcriptis per familiam miniſteriis, utuntur; ſuam quiſque ſedem ſuoſque penates regit: frumenti modum dominus, aut pecoris, aut veſtis, ut colono injungit, & ſervus hactenus paret.* Eadem ex ratione Germanis nunquam ſervi, *Knechte*, ſed homines proprii, glebæ ſeu prædiis adſcripti, Germ. *Eigene*, *Leibeigene*, *Dienſt-Leute* ſunt dicti. Ipſa ſervitus in LL. antiquis audit *Eigenſchafft*; vid. Spec. Sax. L. 3. art. 42. Erat namque ſervi in proprietate & patrimonio dominorum, & præterea prædiis, quæ colebant, perpetuo & inſeparabiliter addicti, unde in L. Longobard. L. 2. tit. 32. §. 3. ſub nomine *maſſariorum* veniunt, quoniam maſſæ ſeu terræ addicti ſunt. Imo apud priſcos Saxones nomen a gleba & cæſpitibus, quibus adſcripti ſunt, obtinuerunt. Id enim ſignificat vox ſæpius in Speculo Sax. occurrens *der Tagewercken*, quos Codd. Mss. ſcribunt *Tageworchten* & *Tegewarchten*, de quibus L. 3. art. 44. in fin. *und von den Laſzen, die ſich verwirckten an ihren Rechten, ſind kommen die Tagewercken*; ibique Gloſſa: *Tagewercken aber ſind die, welche das Gut verwirckt haben, alſo, daſz man es ihnen genommen hat, und muſſen darum taglich und ohne Unterlaſz um ihre Nahrung arbeiten, und ihren Herrn dienen.* Originis vocis nempe ignari auctores Speculi & Gloſſæ, etymologiam quæſiverunt alter in verbo *verwircken*, *committere*, *peccare*, alter in *tage*, ſeu *taglich*, quotidie, & *wercken* laborare. Genuinum vero etymon latet in antiqua Celtarum lingua, qua *Tywarch* eſt gleba & cæſpes, uti vocem nobis ſervavit, & latine reddidit Davieſius, in Lexico Cambrico, auctoritate Regis Jacobi I. edito, & ex eo Boxhornius in *Linguæ Britannicæ Dictionariolo*, quod originibus Gallicis ſubjecit; item Leibnitius in *Specimine Gloſſ. Celtici*. Cæterum præcipua ſervitutis glebalis argumenta erant, ut adſcriptitii propria quidem bona tenerent, ſed ea ſine conſenſu dominorum, præſertim in homines ingenuos alienare prohiberentur; ſervilibus ob-

ſequiis

getur. A libero [1] vel lito pleno sacramento (1) negetur.

V. Litus, si per jussum vel consilium domini sui hominem occiderit, ut puta nobilem, dominus compositionem persolvat, vel faidam (2) portet. Si autem absque conscientia domini hoc fecerit, dimittatur a domino, & vindicetur in illo, & aliis septem consanguineis ejus (3) a propinquis occisi [2], & dominus liti se in hoc conscium non esse, cum undecim juret.

VI. Si mordum [3] totum (4) quis fecerit,

1 Lindenbr. *a liberto.* 2 Lindenbr. *& aliis septem de consanguineis ejus ad propinquos occisi.*
3 Lindenbr. *mordrum.*

---

sequiis penitus essent addicti; dominis suis ratione originis, domicilii non permutandi, & ad census exsolvendos omnino obnoxii, sæpius venderentur aut permutarentur; matrimonia, invito aut inconsulto domino, cum servis vel ancillis aliorum dominorum, inire non possent; & antequam libertatem a dominis suis consecuti, Clerici fieri vetarentur. Conf. Cangium in *Gloss. sub voce servi*. Et quidem servi, sicuti hactenus eos descripsimus, nondum desierunt in variis Germaniæ provinciis haberi; ferunt tales Lusatia, Marca Brandenburgica, Ducatusque Luneburgensis, Brunsvicensis, Megapolitanus & Holsaticus, ubi Jus proprietatis, sive *das Recht der Leibeigenscafft* in hunc usque diem viget, & quidem, quod notatu dignum, iisdem adscriptitiorum obligationibus continuantur, qui juramentum subjectionis præstare solent sequentis tenoris: *Ihrem Leibherren oder Halsherren nicht abschweifig oder fluchtsam, sondern treu, hold, und mit Fron-Diensten, Leib-Steuer, Poen, Fallen, Gelassen gewartig zu seyn, auch ihr Leib und Gut, Weib und Kinder, so leibeigen, nicht zu verandern zur heyligen Ehe, zur Geistlichkeit, zu Ziehung in die Reichs-Stadte &c.*

(1) *Pleno sacramento.*) Plenum sacramentum me interprete idem erit, quod supra tit. 1. §. 3. 7. 10. *cum undecim jurare*, & h. tit. §. 3. *sua manu duodecima* jurare, item *sacramentum duodecim hominum*, dicitur. Quamvis enim jurare vigesima, trigesima, centesima manu passim in chartis antiquis reperiatur, nunquam tamen invenio conjuratorum numerum in L. Saxonica ultra XI. processisse.

(2) *Faidam.*) *Faida, Fayda, Feida*, nobis hodie *Fehde*, Anglo-Saxonibus quondam *Fath & Fæhthe*, sive *Fehthe*, venit ab antiquo Saxonum *Fah*, Anglis hodie *Foe*, i. e. hostis, inimicus. Vid. Spelmannum & Wilkins in Glossariis. *Befehdung*, & quæ idem significat vox latina medii ævi *diffidatio*, ex eodem fonte promanarunt. Faidam autem Schilterus in Prax. Jur. Rom. T. 2. Exerc. 19. §. 8. interpretatus est pœnam pecuniariam, ex facto culposo aut doloso, læsis competentem, & ita vindictam damni injuria dati denotantem, pro qua alias bellum privatum sive diffidatio, malo more erat introducta. Et ita opinatur Clar. Eccardus ad L. Salicam p. 170. Sed rectius Lindenbrogius, Spelmannus, Cangius & Wilkins *Faidam* reddunt simultates, inimicitias, hostilitates; non tamen de qualibet intelligunt inimicitia, sed de aperta illa & capitali apud Germanos, barbarosque aquilonares populos sæpe exorta, qui privatas inimicitias gentiles fecerunt & mortiferas. Nam privatæ rixe inter has gentes per totam cognationem diffundebantur, adeo, ut si ex ea quis interfectus esset, cædis satisfactio a tota cognatione exigeretur, ac in eam pro libito vindicaretur. Est igitur *Faida*, nostrum *Fehde*, bellum privatorum hominum contra eque privatos, & *Fehde-Brief, litteræ diffidatoriæ*, ejusmodi belli indictio. Quare in Legibus Inæ Regis Anglo-Saxonis, cap. 73. ab interprete latino, *Factio* redditur, & Glossa antiqua *Faidam* exprimit *vindictam mortis*, Regino vero de Disciplina Eccl. L. 2. cap. 5. *vindictam parentum*. Placabantur autem ejusmodi inimicitiæ sive Faidæ per compositionem, sive transactionem, ut supra ad tit. 1. §. 6. annotavimus, & ut habet L. Frision. tit. 2. §. 2. *Si vero homicida non fugerit, nihil solvat, sed tantum inimicitias propinquorum hominis occisi patiatur, donec quomodo potuerit, eorum amicitiam adipiscatur.* Neque tamen licuit faidam ob quamlibet frivolam causam litigandi suscipere, sed ob graviores tantum læsiones perpessas; hinc infr. titul. 12. *Si animal quodlibet damnum cuilibet intulerit, ab eo, cujus esse constiterit, componatur, excepta faida*, i. e. nulla propterea faida admissa. Ultimo loco notamus phrasin, quæ hoc §. occurrit, *Faidam portare*, non esse active, uti quidem Cangius voluit, alicui hostilitates inferre, sed passive, esse talem, qui hostilitatibus & exitio peti potest.

(3) *Et vindicetur in illo, & aliis septem consanguineis ejus.*) Hæc omnia optime respondent iis, quæ de faida ejusque natura modo adduximus, nempe eam in familiam inimici simul fuisse directam, & a familia læsi susceptam. Tam arctum enim societatis vinculum consanguineos singulæ gentis junxisse videtur, ut quilibet ex agnatis alteri ad vindicandum pariter ac defendendum præsto adesse deberet, ac damnum uni ex familia illatum, vel delictum ab uno perpetratum, causam statim totius gentis communem efficeret. Qua de re suo jam ævo testatus est Tacitus de morib. German. ajens: *Suscipere tam inimicitias, seu patris, seu propinqui, quam amicitias necesse est.* Conf. Bignonium ad Marculfi L. 2. form. 18. Atque ea ita probata erant majoribus nostris, ut legibus de hac communione periculi, satisfactionis & pœnæ, caveretur sæpius, & gradus ac numerus agnatorum definirentur, in quos vindictam exercere permissum, & quos excedere nefas erat. Ita namque hoc §. septem consanguinei faidæ implicantur, & in § seq. disponitur: *& ille ac filii ejus soli sint faidosi.*

(4) *Mordum totum.*) Vox mere Germanica, & latina saltem terminatione adornata, Junguntur autem *mordum & totum*, sicuti nobis moris est combinare *Mord und Todtschlag*, id enim sibi vult *mordum totum*, cædem nempe & homicidium. Vel si mavis *totum* esse nostrum *That*, i. e. factum, actio, tunc *mordum totum* erit idem ac *Mordthat*. Eadem vox passim in reliquis Germaniæ antiquis Legibus, etsi paululum aliter flexa, occurrit. In L. Alemannorum tit. 49. & 76. *mortaudo*, vel, ut legit Heroldus, *Mortitudo*, & *mortaudus* sonat. In L. Longob. L. 1. tit. 9. l. 15. *morth*, & tit. 36. l. 1. *mort.* In L. Bajuv. tit. 18. c. 2. *murdrido*. In L. Ripuariorum *mordridus*. In L. Frision. tit. 20. *mordritum*; & quod est in L. Salica verbum Malbergi *Mosedo*, in Cod. Guelpherbytano semper legi *murdo*, fidem nobis facit Eccardus ad h. l. tit. 16. §. 1. Est igitur *mordum totum* species homicidii, sed qualificati, veluti Matth. Parisius Histor. p. 283. ait: *pessimo mortis genere, quod Angli murdrum appellant.* Et in quo differat a simplici homicidio, accurate definiunt L. Ripuarior. l. c. *Si ingenuus ingenuum Ripuarium interfecerit, & cum*

rit, componatur primo in ſimplo, juxta conditionem ſuam, cujus mulctæ pars tertia, a proximis ejus (1), qui facinus perpetravit, componenda eſt, duæ vero partes ab illo, & inſuper octies ab eo componatur (2), & ille ac filii ejus ſoli ſint faidoſi (3).

VII. Si nobilis nobilem extra ſolum vendiderit (4), & reducere non potuerit, componat eum, ac ſi occidiſſet. Si vero reduxerit eum, emendet (5) ei, juxta quod placitare (6) potuerit; Si autem ille ſua ſponte

---

cum ramo cooperuerit, vel in puteo, ſeu in quocumque libet loco, celare voluerit, quod dicitur mordridus; L. Bajuvar. l. c. *Si quis liberum occiderit furtivo modo, & in flumen ejecerit, vel in talem locum, ut cadaver reddere non quiverit, quod Bajuvarii murdrido dicunt*; & L. Friſionum tit. 20. *Si quis hominem occiderit, & abſconderit, quod mordritum vocant*. Non male itaque Eccardus, Lindenbrogius & Cangius latrocinium illud exponunt, ſolent enim latrones, qui lucri & ſpolii cauſa occidunt, plerumque cadavera a ſe interfectorum occultare, & terra abſcondere. Vocis originem apud Cambro-Britannos ſupereſſe, feliciter detexit doctiſſimus Eccardus l. c. Illis *murnio* eſt occultare, inſidiari, hinc *murn*, *murndwn*, homicidium occultum. Idem preterea Eccardus obſervavit, in L. Salica *mord* triplici notione venire, aliquando deſignare exſpoliationem clandeſtine factam, interdum homicidium occultum & præmeditatum, aliquando homicidium & exſpoliationem ſimul. Quæ propterea ſilentio præterire nolui, quoniam ex iis optimam interpretationem recipere mihi videtur diſtinctio illa, quam inſtituit Spec. Saxon. L. 2. art. 13. inter *Mordbrennen* & *brennen ſonder Mord*, de cujus ratione nihil hactenus intellexerunt interpretes.

(1) *Cujus mulctæ pars tertia, a proximis ejus.*) Quæ ad præc. §. de obligationibus propinquorum ad ſuſcipiendas ſimul agnati inimicitias adduxi, ad compoſitiones ſeu mulctas pecuniarias ſeſe quoque continuo extenderunt. Nam partem de pecunia pro damno injuria dato ſoluta, quilibet ex agnatis, qui concurrebat in faida, percipiebat. & pariter pro rata ſinguli in præſtatione compoſitionis ſortem conferebant. Tacitus de morib. Germ. *Nec implacabiles durant* (inimicitiæ). *Luitur enim homicidium certo armentorum ac pecudum numero, recipitque ſatisfactionem univerſa domus*. Quam ratam portionem leges ſæpe definiverunt, ut hoc loco factum fuiſſe deprehendimus. Parilem apud Scaniæ incolas obſervatam conſuetudinem ſiſtit Andreas Sueno, Archi-E. Lundenſis, in LL. Scaniæ L. 6. c. 5. *Servum ſtatim atque libertatem conſecutus erat, auctoritate conſuetudinis approbatæ, ingenuorum aliquis ſuo generi conjungebat, eum in ſuum conſanguineum eligendo, & qui pro factis ejus ſe ſponderet reſponſurum, & hoc facto pro parte tertia præſtandæ ſatisfactionis onus ſentiebat, vel pro parte tertia recipiendæ ſatisfactionis lucrum percipiebat*. Et in L. Salica tit. 65. habetur: *Si cujuſcunque pater occiſus fuerit, medietatem filii in compoſitione colligunt, & aliam medietatem parentes, qui proximiores fuerunt, tam de paterna, quam de materna generatione dividunt.*

(2) *Et inſuper octies ab eo componatur.*) Similiter ac in L. Alemannorum edit. Lind. tit. 49. Herold. tit. 50. *Si quis hominem liberum occiderit, quod Alemanni Mortaudo dicunt, IX. Werigeldos ſolvat.*

(3) *Faidoſi.*) Homo faidoſus in legibus antiquis dicitur, qui faidam nondum compoſuit, nec inimicos legitimo modo placavit, quemque propterea propinqui occiſi, omni hoſtilitatum genere perſequi impune poſſunt. Hac enim notione vox venit in Addit. ad L. Friſ. tit. 1. ubi: *Homo faidoſus pacem habeat in Eccleſia, in domo ſua &c.*

(4) *Extra ſolum vendiderit.*) Solum pro terræ diſtrictu, provincia, ſive patrio ſolo ponitur. Obſerva præterea, hoc §. crimen plagii notari, quo homo liber dolo malo pro mancipio diſtrahitur atque venditur. Eo autem ſceleris genere veteres Germanos frequenter ſe contaminaſſe, indicio ſunt variæ hujus criminis coercitiones, quæ paſſim in LL. antiquis occurrunt. Ita L. Friſion. tit. 21. inſcribitur de plagio. L. Wiſigoth. L. 7. tit. 3. ſi ſervum vel ancillam ingenuus plagiaſſe detegatur, & de ingenuorum filiis plagiatis. L. Salic. tit. 42. de plagiatoribus. Et per L. 6. Capitul. tit. 9. nec non Edictum Theoderici Regis, cap. 78. capitis pœna in plagiarios ſtatuta habetur.

(5) *Emendet.*) Emendare idem eſt ac mulctari, damnum reſarcire; quod in priſcis noſtris LL. variis comprobatur auctoritatibus, quas collige ex parte apud Lindenbrogium, Spelmannum & Cangium in Gloſſariis. Emenda enim veteribus mulcta; ut alii ſentiunt, quod mulcta eſt quaſi emendatrix vitiorum; ut ego opinor, per modum Germaniſmi ſic dicta, *Beſſern* enim & *verbeſſern* noſtra in Lingua in duplici ſignificatu venit, & vel denotat idem, quod latinis eſt emendare, vel etiam mulcta pecuniaria damnum reparare. Ita vocem ſæpius in Speculo Sax. occurrentem latine reddidit Interpres. Vid. L. 2. art. 16. L. 3. art. 86. & paſſim alibi. Sæpius quidem, quod monendum eſt, emenda & emendare pro quavis pecuniaria mulcta ſumitur, ut in LL. Edovardi cap. 35. *Domino Regi graviter emendare debent*. Conf. Bignon. ad form. Marculf. L. 1. cap. 20. Verum regulariter in LL. Saxonicis emenda mulctæ in ſpecie ſic dictæ contradiſtinguitur. Illa ſtylo vernaculo audit *Buſze*, priſcis *Bote*, hæc *Wette*, ſive *Gewette*; ab Anglo-Saxonico *Wite*, i. e. pœna, mulcta; illa in compenſationem parti læſæ tribuitur; hæc judici datur. Nam eum in modum diſtinguit Specul. Sax. L. 3. art. 53. *Ieglicher Richter hatt Gewette in ſeinem Gerichte, und Keine Buſze. Denn der Richter mag beyde Klager und Richter nicht ſeyn. Man giebt auch niemand Buſze, denn dem Klager*. Quæ latine expoſuit interpres hiſce: *Judex in ſuo judicio mulctam habet, & non emendam, eo quod judex agere non poteſt, & judicare, nemini vero emendatur, niſi actori*. Gallis hinc inde eſt *amende*, idem quod mulcta.

(6) *Placitare.*) Gloſſæ antiquæ Freheri *placitum* reddunt *plaid*, & *placitare dingen*. Plerumque in LL. antiquis ſignificat judicialiter agere, litigare, in foro lite contendere. Unde Gallis *plaider* idem eſt, ac cauſas in foro perorare. Placitum autem priſcis erat, vel dies deducendæ liti præfixus, vel etiam judicium & conventus publicus, juris dicendi cauſa inſtitutus. Ita L. Friſion. in addit. tit. 1. *Homo faidoſus pacem habeat ... ad placitum eundo, de placito redeundo*. Deinde *placitare* idem eſt, ac paciſci, de mulcta convenire, qui ſignificatus noſtræ legis erit. Et ut rem dicamus uti eſt, prior ſignificatus a poſteriori deſcendit. Non enim, uti quidem viſum eſt Clar. Eccardo ad L. Sal. p. 81. placitum exinde vocatur, quod terminus judicialis, ſive dies, quæ com-

re (1) reverſus fuerit, medietatem weregildi (2) ejus componat. De muliere ſimiliter.

VIII. Qui in Eccleſia hominem occiderit, vel aliquid furaverit, vel eam effregerit, vel ſciens perjuraverit [1], capite puniatur (3).

IX. (4) Qui neſciens perjuraverit, manum

[1] Lindenbr. *perpetraverit, ſi infra patriam fuerit factum, capite puniatur: ſi autem infra patriam non fuerit, in qualicunque loco fuerit, ſecundum illorum legem. Et qui neſciens* &c.

---

comparendum in judicio eſt, ſecundum partis utriuſque, vel ad arbitrorum beneplacitum præfigeretur olim; ſed placitum dictum fuit propterea, quod exprimeret optime Germanorum *Ding*. *Dingen* enim, unde *Ding*, hodie *Gedinge*, proprie eſt paciſci, *eine Sache bedingen*, de pretio rei certare, *mit dem Bedinge*, ſub hac conditione, *Abdingen*, detrahere aliquid de pretio. Antiquiſſimo nempe Germaniæ ævo, ut ſupr. ad tit. 1. §. 6. annotavi, quævis lites, ſive civiles, ſive criminales, interveniente tranſactione dirimebantur, unde frequens mentio compoſitionum in Lege noſtra habetur. Suſcipiebantur autem ejuſmodi tranſactiones & amicabiles compoſitiones plerumque coram judice, vel in loco judicii, quo, ſi partes inter ſe non convenirent, judex eas ſua auctoritate, & ex æquo & bono ad tranſigendum adigeret. Inde uſus vocis increbuit, ut ipſa judicia dicerentur *Ding*, ſive *Dinc*, & *Dingſtatte*, atque citare partes, ut certo die coram judice compareant, *Tagedingen* ſive *teidingen*, quod initio erat tranſactioni certum diem præfigere. Hinc illi, qui primum mores Germanorum in ſcripturam redegerunt, & latine ſunt interpretati, apprime ſatis, licet minus latine, *Dinc* reddiderunt placitum. Sicuti enim pactum dicitur a paciſci, ita ſimiliter placitum ab eo, quod placet, ut ait Iſidorus L. 4. Orig. cap. 24. addens: *Alii dicunt pactum eſſe, quod volens quis facit: placitum vero, ad quod quiſquam nolens compellitur, veluti quando quiſquam paratus ſit in judicio ad reſpondendum, quod nemo dicere poteſt pactum, ſed placitum.* A *placito* autem ductum deinde eſt *placitare*.

(1) *Sua ſponte.*) I. e. Si redux factus non ope & beneficio plagiarii, ſed quod ipſe occaſionem ſe redimendi, vel evadendi & revertendi nactus fuerit.

(2) *Weregildi.*) Priſcos Saxones ex more univerſæ Germaniæ, homicidia pecuniis commutaſſe, integer tit. præf. ſatis demonſtrat, ſimul confirmans Taciti teſtimonium, qui Libro de morib. Germ. *Luitur enim*, inquit, *homicidium certo armentorum ac pecudum numero*. Æſtimabantur autem peremtorum capita, pro diverſo conditionis, imo & ſexus ſtatu, unde aliter nobiles, aliter liberi, aliter liti, aliter ſervi h. tit. §. 1. 3. & 4. componi dicuntur, & qui Weregeldus cuilibet ſtatui hominum contingat, definit Spec. Sax. L. 3 art. 45. Hodie nulla differentia admiſſa, maſculi Weregeldum eſt 20. Vallenſium, fœminæ 10. (vid. Carpz. Quæſt. Crim. 34.) quæ æſtimatio, ſive hominis interfecti pretium, *Wera*, frequentius *Weregeldum* & *Wergeld*, nuncupabatur. Quidam deducunt vocabulum ab antiquo *Werra*, Anglis *Warre*, Gallis *guerre*, bellum, pugna; alii a *wehren*, ſe defendere, ut ineptit auctor Gloſſ. ad Spec. Sax. L. 1. art. 65. *Und es heiſt darum ein Wehr-Geld, daſz man ſich damit aller Klagen erwehren mag*. Sed radix eſt procul dubio Anglo-Saxonicum *Wer*, quod hominem & virum notat, unde nobis hodiernum ſupereſt nomen λυκάνθρωπος, *Werwolf*, ſive ſtrigo, quem ope diaboli in lupum transformatum ſibi fingit vulgus. Eſt igitur Wergeld hominis vel viri compenſatio, nam *geld*, *gilt*, eſt quælibet præſtatio vel compenſatio, & Germanis hodie ipſa pecunia dicitur *Geld*. Erat autem Wergeldum proprie illud pretium, quod in cauſa homicidii parentibus & propinquis ob conſanguineum interfectum pendebatur, unde alio nomine, ut ſupra diximus, *Mægbot*, *Cynebot*, *Cinegild* audiebat, & illa pars Wergeldi, quæ ad dominum occiſi pertinebat, *Manbot* dicebatur. Aliis in Legibus antiquis dicitur *Leudis* vel *Leudum*; eadem ratione, ut *Wergeld* a *Wer*, viro, ita *Leudum* a *Leute*, qui priſcis & nobis ſunt homines. Voce tamen *Wergeldi* conſtanter uſæ ſunt Leges Saxonicæ ad deſignandam pro homicidio mulctam, quare uſus vocis frequens habetur non ſolum in Speculo Saxonico, ſed & in ipſis hodiernis Electoralibus Legibus. Illud tamen monendum eſſe cenſemus, *Wergeldum* initio, ut ipſa ejus etymologia probat, de ſola hominis compoſitione intellectum, ſucceſſu temporis autem ad quævis damni dati pretia, & ad æſtimationem quoque brutorum interemptorum fuiſſe tractum, ut videre eſt in Spec. Sax. L. 2. art. 40. L. 3. art. 48. & 51. Abuſus originem detexit Clar. Eccardus ad L. Salic. tit. 55. leg. 1. nempe a *Weregildo* differebat olim *Widrigeldum*, quod erat compoſitio quævis alius rei æquivalens, ſive quodcunque, quo alia res judicialiter compenſabatur. Formatum id erat a *Wider*, iterum, adverſus, re, ἀντί, & *geld*, compenſatio, nobis hodie *Wiedererſtattung*. Confuſis itaque hiſce duabus voculis, facile per non diſtinctam pronunciationem confundendis, evenit, ut jam *Wergeld* in genere nobis ſit retributio & pretium damni dati.

(3) *Capite puniatur.*) Lindenbrogius plura habet, quæ legere eſt in variantibus lectionibus. Eadem interpolatio in ſubſequ. §. 10. h. tit. & Tit. 4. §. 8. iiſdem plane verbis apud Lindenbrogium occurrit, ſed videtur eſſe repetitæ prælectionis, admittenda tamen, quoniam complura delicta apud Saxones gravioribus pœnis ſubjecerunt, quam quidem apud reliquos populos Germaniæ. Diſcimus præterea ex hoc & aliis noſtræ Legis locis, non omnia indifferenter crimina, majoribus noſtris mulctuaria erogatione redimenda fuiſſe, ſed quædam, quæ atrociſſima & peſſimi exempli eſſe reputabantur, pœna capitali fuiſſe notata. Quo pertinuerunt præprimis homicidia in loco ſacro, vel die dominica commiſſa, ſacrilegium, perjurium, crimen perduellionis, furtique ſpecies nonnullæ; vid. §. ſubſ. 10. & tot. tit. 3. & 4. Hinc diſtinctio obtinuit, ut quædam delicta dicerentur *emendabilia*, quædam *inemendabilia*, ut habet Henrici I. Lex 12. in Collectione Wilkinſiana LL. Anglo-Sax. p. 244. *Ex his placitis quædam emendantur centum Solid. quædam Wera, quædam Wita, quædam non poſſunt emendari, quæ ſunt husbreche, & bernet, & openthifthe, & eberemoth, & Hlafordswice, & infractio pacis Eccleſiæ, vel manus Regis per homicidium*. Quæ ſi curate conſideras, cum noſtris mirifice conſpirant. Et de homicidio in loco ſacro perpetrato, eundem in modum ac noſtra Lex, diſponit L. 2. Regis Cnuti apud Wilkins l. c. p. 127. *Si unquam aliquis homo poſt hæc Dei eccleſiaſticam pacem adeo violaverit, ut intra Eccleſiæ parietes homicida fieret, tunc illud eſt inexpiabile*.

(4) In Lindenbrogiana Editione §. 8. jungitur, & noſter decimus ibi nonum conſtituit.

num ſuam redimat (1) auctor ſacramenti.

X. Qui homini ad Eccleſiam, vel de Eccleſia die feſto pergenti, id eſt, Dominica, Paſcha, Penthecoſte, Natali Domini, ſanctæ Mariæ, ſancti Johannis Baptiſtæ, ſancti Petri & ſancti Martini, inſidias poſuerit, eumque occiderit, capite puniatur [1]. Si non occiderit, tamen inſidias fecerit, bannum ſolvat (2) de reliquis.

Titulus III.

De conjuratione & læſa dominatione (3).

I. Qui in Regnum vel Regem Francorum (4), vel filios ejus, de morte conſiliatus fuerit, capite puniatur.

II. Qui dominum ſuum occiderit, capite puniatur.

III. Qui filium domini ſui occiderit, vel filiam, aut uxorem, aut matrem ſtupraverit, juxta voluntatem domini occidetur.

IV. Qui hominem propter faidam in propria domo (5) occiderit, capite puniatur.

V.

(1) Addit Lindenbr. *ſi infra patriam fuerit. Sin autem in quali loco, ſecundum illorum legem.*

(1) *Manum ſuam redimat.*) Perjurii pœna ab antiquiſſimis temporibus fuit manus amputatio, redimi tamen plerumque ſolita. Ita L. Longob. Lib. 2. tit. 58 l. 2. *De eo qui perjurium fecerit ſe ſciente, nullam redemtionem habeat, niſi manum perdat.* Caroli Imp. Capit. ad L. Salic. tit. 2. §. 4. in fin. *Et ſi quis convictus fuerit perjurus, manum perdat aut redimat.* L. Friſionum tit. 10. *Si quis homo ſuper reliquiis ſanctorum ſacramentum falſum juraverit, ad partem regis Weregildum ſuum componat, & alio Weregildo manum ſuam redimat.* Id quod in L. Bajuvar. tit. 9. cap. 4. dicitur *componere cum manu reſciſſa.* Forte ob id manus præſciſſio perjuriis præſtituta, quo delinquens quaſi eo membro, per quod peccavit, pœnam promeritam lueret: nam legali ceremonia jurantes, manum ponebant ſuper Evangeliis, Sanctorum reliquiis, altari, cruce &c. idque dicebatur actus corporalis; inde nobis hodie iuramenta, corporalium nomine veniunt; inde mos hodienum dextram in præſtatione ſacramentorum efferendi. Quo autem pretio manus redimenda fuerit, nos docet L. Cnuti Regis Anglo-Sax. §. 33. apud Wilkins p. 139. *ſi quis perjurium in Sanctuario juret, & convictus fuerit, perdat ibi manum, vel dimidium æſtimationis capitis.* Et ſimiliter dimidium Wergeldi antiquitus apud Saxones fuiſſe compoſitionem manus, ex collatione noſtræ L. tit. 1. §. 14. & tit. 2. §. 1. poterit conſtare, ubi compoſitio viri nobilis 1440. Solid. ejus manus autem 720. Solid. dicitur eſſe.

(2) *Bannum ſolvat.*) Multiplices ſunt, quos in antiquis legibus & chartis ſignificatus recipit vox *banni*, nec nobis hodie unus idemque eſt. Sæpe enim pro mulcta & pœna, ſæpe pro edicto & mandato, aliquando pro tributo, exilio, proſcriptione, vexillo, confiſcatione, ſeu fiſco ipſo, & interdum etiam pro diſtrictu & juriſdictione ſumitur: quarum ſingularum notionum varia exempla apud Gloſſatores reperies. Omnes autem iſti diverſi ſignificatus videntur radicem ſumere ab antiquo Saxonico *Pan*, ſive *Ban*, quod omne extenſum ſeu expanſum denotavit olim. Vid. Spelmannum in Gloſſ. ſub voce *Ban*. Ad intelligentiam autem hujus loci pertinet bannum pro edicto & mandato ſumtum, & *bannum ſolvere*, eſt mulctam exſolvere pro neglecto banno, ſive quod idem erit, propter tranſgreſſum & violatum regium mandatum. Inde enim uſus vocis increbuit, ut bannum deinde venerit pro ipſa mulcta. Non tamen omnes indifferenter mulctuariæ pœnæ banno deſignabantur, ſed eam inter bannum & reliquas pecuniariæ mulctæ ſpecies, puta *Witam* & *fredum*, deprehendi differentiam, ut *Wita* ſit quaſi genus, quamlibet mulctam deſignans, & ſi ob legem contemtam & tranſgreſſam præſtanda eſſet, diceretur *bannum*, ſi ob pacem violatam, *fredum*. Interim tamen non ubique hoc diſcrimen à priſcis legum compilatoribus fuiſſe obſervatum, lubens concedo. Ita namque Legis Friſion. tit. 17. inſcribitur: *Hic bannus eſt*; in toto autem titulo, quæ banni ſolutionem deſignare debent, ſub fredi nomine veniunt. Inprimis vero ævo confecti Speculi Saxonici uſus harum denominationum talis fuit, ut *Ban*, ſeu *bannum*, eſſet mulcta Regi Germaniæ præſtanda; *Witta* autem, ſive *Wette* & *Gewette*, quæ judici inferiori pendebatur. De banno vid. L. 2. art. 61. & de Witta L. 1. art. 53. & L. 2. art. 14. Fredum quod attinet, ejus nomen & rem habebis L. 3. art. 9. *den Briede ſoll man entreden oder beſſern binnen Gerichte*, & art. 36. in fin. *man richtet uber ihn nach Briedes-Rechte*; uti Codd. Mss. vett. omnes, qui nobis ad manus ſunt, lectionem exhibent. Interpres latinus *Briede*, *Friede* vel fredum, pacem ibi dixit. Videtur præterea bannitoria mulcta ab ipſo Imp. Carolo M. LX. Solidis determinata fuiſſe, ut habet Capitulare I. ejuſd. Imp. inc. ann. cap. 57. *ut bannus, quem per ſemetipſum Dominus Imperator bannivit, ſexaginta ſolidis ſolvatur*; & L. 6. cap. 96. Capit. ejuſd. *In triplo cui aliquid abſtulit, legibus componat, & inſuper bannum noſtrum, id eſt, LX. Solid. nobis perſolvat.* Unde colligo, ſua hauſiſſe auctorem Spec. Sax. L. 2. art. 61. *wer bierinnen* (*in denen Banſorſten*) *Wild fahet, der ſoll wetten des Konigs Bann, das ſind 60. Schillinge.* Quo pretio etiam *ſummam Wittam*, *das hochſte Gewette*, judici inferiori competentem fuiſſe, cujus mentio fit L. 2. art. 14. vult Gloſſa margin. ad h. l. Conf. Gloſſ. ad L. 1. art. 53. & Gryphiandrum de Weichbildis Sax. cap. 58. n. 22.

(3) *Læſa dominatione.*) De læſa dominatione inſcribitur titulus, vel ob id, quod §. 2. & 3. de delictis in dominum commiſſis, quæ ſtylo feudali *feloniam* dixeris, agatur, vel, uti ego reor, ob id, quod *dominatio* titulus eſſet aliquando Regum Francorum honorarius, qui ſicuti κατ' ἐξοχὴν ſæpe domini, ita frequenter etiam, præſertim in ſecunda perſona, dominationes ſunt ſalutati, cujus rei exempla invenies in Epiſt. Francic. Tom. 1. hiſtor. Franc. Epiſt. 29. 52. 55. 64. ut & paſſim in Capit. Carol. Calv. Forte igitur *læſa dominatio* idem, quod crimen læſæ Majeſtatis, de quo in ſpecie tractat §. 1. h. tit.

(4) *In Regnum vel Regem Francorum.*) Quæ verba, tempore confectæ hujus legis, Saxones Francorum imperio paruiſſe, clare ſatis probant, & ad confutandam Lindenbrogii de antiquiore Legis ætate ſententiam, quam ſupr. ad rubr. Leg. adduximus, ſufficere poſſunt.

(5) *In propria domo.*) Ut habet L. Friſion. in addit. tit. 1. *Homo faidoſus pacem habeat in Eccleſia, in domo ſua &c.* Ergo, modo quis domi ſe contineret, a perſecutionibus inimicorum, qui nempe faidam ipſi portabant, in tan-

V. Capitis damnatus, nusquam habeat pacem. Si in ecclesiam confugerit, reddatur.

Titulus IV.

De furtis (1).

I. Qui caballum furaverit, capite puniatur.

II. Qui alvearium apum infra septa [1] alterius furaverit, capite puniatur.

III. Extra septa [2] furatum, novies componendum est.

IV. Qui noctu domum alterius effodiens vel effringens intraverit, & duorum solidorum pretium abstulerit, capite puniatur. Si ibi occisus fuerit, non solvatur.

V. Si in screona [2] (2) aliquid furaverit, capite puniatur.

VI. Qui bovem quadrimum, qui duos solidos valet, nocte furto abstulerit, capite puniatur.

VII. Qui in re qualicunque, vel interdiu vel noctu trium solidorum pretium furto abstulerit, capite puniatur.

VIII. Quicquid vel uno denario [3] minus tribus solidis, quislibet furto abstulerit, novies componat, quod abstulit: & pro fredo (3), si nobilis fuerit duodecim solidos, si li-

1 Lindenbr. *sepem*. 2 Lindenbr. *qui infra screonam*. 3 Lindenbr. *incluso denario*.

---

tantum securus esse poterat, ut impune inibi simultatibus apertis peti non posset. Hæc securitas domestica priscis dicebatur *der Husvrede*, nobis *Haus-Friede*, cujus violatio omni ævo pacis publicæ fractioni æquiparata fuit, ita ut hodienum, qui ædes coadunatis viribus violant, & lares familiares vi armata turbant, capitalem pœnam incurrant. Effectus quoque sic dictę pacis domesticę in causis civilibus nonnumquam se exerunt, ubi debitores ob æs alienum ex habitaculis ad carceres trahi nequeunt.

(1) *De furtis*.) Pœnam furti apud reliquos Germanię populos pecuniariam, apud Saxones, si furtum trium solidorum, vel cum effractione conjunctum esset, capitalem fuisse, ostendit præsens titulus. Quam propterea Legis dispositionem ægre tulit Leibnitius, *Quid*, invehitur in h. l., *incongruum magis, quam caballi furtum capite puniri, nobilissimi viri cædem pecunia lui? Eant nunc, & veteres Germanorum Leges revocent in usum viri docti, explosis Romanis, hoc est, a fruge ad glandes revertantur*. Ipsi quidem sufficienter satis responsum, & Lex ab iniquitatis nota vindicata est a doctissimo Christiano Godofr. Hoffmanno in Specimine conjectur. de orig. LL. Germ. p. 61. sed ut, quæ mea sit hac in causa sententia, exponam, conjectura est, eaque non levis, priscos Saxones, non tam homicidiis, aliisque criminibus, quibus mulctę imponebantur pecuniariæ, quam furtis & rapinis manus commaculasse. Ut igitur, cum tunc temporis furta essent frequentiora cædibus, quam maxime ad prudentiam Legislatoris pertinuerit, illa severioribus suppliciis coercere. Quid enim justius, quid consultius fuit, quam ea ætate, qua omnia fere delicta in Germania pecuniis erant luenda, furta excipere, & capitali pœna coercere? Id idem enim deinde homicidiis venit, ut iis creberrimis & crescentibus ultimum supplicium dictaretur. Solos præterea Ripuarios cum nostra gente hac in parte parilem observasse capitalem furtorum pœnam, & quidem in specie suspendii supplicium, argumentor ex L. Ripuar. tit. 81. *Si quis homo propter furtum comprehensus fuerit, & legitime superjuratus, & judicio principis pendutus fuerit, vel in quocunque libet patibulo vitam finierit, omnes res ejus hæredes possideant*.

(2) *In screona*.) Occurrit vox in L. Salica tit. 14. §. 1. *Si qui tres homines puellam de casa aut screona rapuerint*. Tit. 29. §. 33. & 35. *Si quis screonam quæ clavem habet, effregerit . . . , Si vero screonam quæ sine clave est, effregerit*. In Addit. ad L. Frision. §. 2. *Si quis caballum furaverit, aut bovem, aut screonam effregerit*. Ubi in quibusdam Codd. Mss. loco *screona*, legi *screuna* testatur Lindenbr. in Gloss. Sicuti idem ille observavit, lectionem quę habetur in L. Burgundionum tit. 29. §. 3. *Effractores omnes, qui aut domos, aut scrinia exspoliant*, in aliis Mss. esse *screunias* & *sceunias*. Certant autem Glossatores, quid sibi proprie velit *screona* vel *screuna*, *screunia*, *sceunia*. Pithœus ad L. Salicam intelligit esse cameras illas demersas in humum, multo insuper fimo oneratas, in quibus hyeme puellę simul convenientes, pervigilant sæpe ad mediam noctem, & quas suo tempore Campanis rusticis *escrenes* dictas fuisse asserit, eum in modum, ut habet Tacitus de mor. German. *Solent & subterraneos specus aperire, eosque insuper multo fimo onerant, suffugium hyemi, & receptaculum frugibus: quia rigorem frigorum ejusmodi locis molliunt*. Wendelinus in Glossario Salico hinc descendere ait *Schrane*, quod suis Taxandris adhuc significare tugurium memorat, condendis frugibus vel fœno, in metam opere subitario acuminatum. Hinc reliqui interpretes sua hauserunt, & omnes propterea Sibr. Siccamam ad cit. L. Frision. *screonam* scrinium reddentem, taxant. Ast, me judice, non penitus removenda erit Sibrandi versio; nostrę enim vernaculę gnari mecum intelligent, scrinium hodienum Saxonibus dici *ein Schrein*, unde scriniarius *ein Schreiner*. Et ut ego quidem opinor, screona, *Schrein*, latiorem olim admisit significatum, ac quidem hodie, & majoribus nostris designavit omne receptaculum & promptuarium clausum, recipiendis hominibus conservandisque rebus & frugibus destinatum. Ita enim in hunc usque diem Saxones tugurium, vel potius horreum nominant *eine Scheune*, vel *Scheuer*, vocabulis nempe ab ipsa voce *Schrein* deflexis, sicuti *Schrein* ab interioris Saxoniæ incolis pronunciatur *Scherne*. Atque inde quid in Lege Burgund. supra adducta varians lectio, *scrinii* nempe, *screuniæ* & *sceuniæ* sibi velit, nunc facile quisque percipere poterit.

(3) *Pro fredo*.) Fredi vox passim & sæpius in Legibus antiquis obvia, in L. Frision. tit. 3. dicitur *Freda*, & est mulcta, Regi vel fisco debita, aut propter pacem violatam, aut quo delinquens a Rege vel magistratu pacem & securitatem consequatur. Utraque enim hujus vocis ratio & etymologia admitti poterit; nam de posteriori significatu testatur L. Ripuarior. cap. ult. *Tertiam partem fredi coram testibus fisco tribuat, ut pax perpetua stabilisque permaneat*. Ad priorem notionem pertinent, quę Fridericus Imp. L. 2. Feud. tit. de pace tenenda constituit, ut fur tanquam *publicæ pacis turbator*, laqueo suspendatur. Hinc Siccama ad L. Fris. tit. 3. recte conjicit, fredum olim ad partem Regis solutum fuisse, quod furto etiam pax violari intelligebatur. Ipsum præ-

liber ſex, ſi litus quatuor, & conſcius ſimiliter (1).

Titulus V.

De vi & incendiis.

I. QUi homini in hoſte, vel de hoſte, (2) ad palatium (3), vel de pala-

---

præterea *fredum*, noſtrum eſt *Friede*, pax. Ea autem ſecuritas, quam mediante fredo obtinebant delinquentes, antequam parti læſæ ſatisfactum eſſet, non concedebatur, ut habet L. Ripuariorum cit. cap. ult. §. 1. *Hoc quoque jubemus, ut judices ſupra nominati, ſive fiſcales, de quacunque libet cauſa, freda non exigant, priuſquam facinus componatur*. Quæ iiſdem plane verbis tranſumta occurrunt in Capitul. Caroli M. L. 4. cap. 56. Cujus diſpoſitionis cauſam in eo quærit Siccama l. c. quod jure Francico fredum eſſet tertia pars compoſitionis, a reo parti læſæ vel ejus hæredibus exſolvendæ; indeque fredum ante non potuiſſet pendi, quam donec cum hæredibus eſſet compoſitum, ut ſciretur, quid fiſcus pro fredo eſſet accepturus. Sed vereor, ut hæc noſtræ legi poſſint accommodari; nam quamvis ex cit. L. Ripuar. & Capitul. Car. M. appareat, interdum fredum fuiſſe tertiam partem ſolidæ compoſitionis, ſæpe tamen, ut in noſtra quidem lege, fredum certa determinatione fixum erat, quod pro conditione delinquentium & pro qualitate criminis commiſſi, diverſimode definitum fuiſſe cernimus. Qualenam autem diſcrimen inter bannum, Witam & fredum, olim interceſſerit, ſupr. ad tit. 2. §. 10. jamjam annotavimus. Et quamvis lapſu temporis hiſce mulctarum, puta fredi & banni nominibus promiſcue uſi fuerint veteres legum auctores, ſæpe tamen ea ſedulo diſtincta fuerunt. Ita Legis Friſ. tit. 16 inſcribitur de fredo; & ſubſequens tit. 17. de banno, utut in hoc ipſo titulo deinde bannum & fredum confundantur; & in Capitul. Caroli M. in part. Saxon. cap. 16. eadem diſtinctio habetur: *undecunque cenſus aliquid ad fiſcum pervenerit, ſive in qualicunque banno*. Conf. præter Gloſſatores, Wendelinum ad L. Salicam tit. 14. & Bignonium in Form. Marculfi cap. 3. Edit. Baluz. p. 880.

(1) *Si litus quatuor, & conſcius ſimiliter.*) Hæc verba omittuntur in Lindenbrogiana editione, & loco eorum leguntur ſequentia: *De hac re quod ſuperius dictum eſt de furto, qui infra patriam furaverit aliquid, unde mori debeat, ſi foris patria hæc fecerit, non moriatur, ſed ſecundum illorum legem, ubi factum fuerit, componat*. Vid. notas noſtras ad ſupeſ. tit. 2. §. 8.

(2) *Homini in hoſte, vel de hoſte.*) I. e. caſtra ſequenti, aut ex expeditione bellica domum revertenti.

(3) *Palatium.*) Idem quod *curia* vel *curtis regia*, cujus mentio in L. Friſion. tit. 17. §. 2. L. Bajuvar. tit. 2. cap. 12. & 13. & paſſim alibi. Palatii autem nomen quod in Saxonum Lege occurrat, Francorum imperio deberi, certo certius eſt. Palatiorum enim uſus Regibus Franciæ præcipue, imo unice, proprius fuit. Hinc tam frequens commemoratio palatiorum in antiquis eorundem Regum diplomatibus fuit, ut vix ullum reperias ævo Caroli M. & poſt eum exaratum, quod palatium, ex quo datum, in ſubſcriptione non exhibeat. Docte exinde oſtendit Mabillonius de re diplomatica in Pręf. L. 4. multum prodeſſe hanc locorum notationem ad hiſtoriam, tum quia inde eruitur notitia loci, ubi Princeps tunc temporis erat, cum aliquod diploma daret, tum quia itinerum, quę pro Rei publicę uſu Reges obibant, ratio hinc colligi poteſt, & non minus ad Francici imperii dignitatem palatia faciunt, quam ad diplomaticę tractationis integritatem. Integrum propterea catalogum, ordine alphabetico diſpoſitum, eorum palatiorum, quę in chartis antiquis paſſim commemorantur, idem Mabillonius l. c. & ante eum Cangius in Gloſſario exhibuerunt. Erant autem in ſingulis regni Francici provinciis complura Regis palatia, a Carolo M. imprimis magno numero condita; & ut videtur, erant domus regię in villis exſtructę, unde paſſim eorum memoria ſub nomine villarum publicarum, aliquando etiam fiſci nomine celebratur. Initio deſtinata erant uſibus Regum Francorum, qui illo tempore deſultoriam vitam agebant, quo ſi iter ipſis facere incumberet, in ea diverterent, ac interdum hyemarent. In illis deinde, vel in campo prope palatium, annua regni comitia, itemque conventus generales optimatum habebantur. Tandem etiam habitationibus Miſſorum regiorum conceſſa fuerunt, ut inibi abſque ſubditorum diſpendio commorarentur, qui Miſſi ſucceſſu temporis, eam ob cauſam, quod palatia inhabitarent, Comites dicti ſunt Palatini, ſive ſacri Palatii Comites, omnique poſtea juriſdictionis loco, palatii nomen impoſitum fuit. Hinc undenam evenerit, ut in noſtra Lege iter ad palatium ſuſceptum in ſpecie privilegio donatum ſit, quilibet facile intelligere poterit. Equidem recentiore ævo hæc regia palatia, ut in aliis Germaniæ provinciis, ita & in Saxonia, omnia fere deleta ſunt; aſt res ipſa noſtris temporibus cognita eſt, & nomen adhuc ſuperſtes habemus. Sic vaſta & inſignis Germaniæ Provincia ad Rhenum, in hunc uſque diem nomen ſortitur Palatinatus, ejuſque Principes titulo ſalutantur Comitum Palatinorum. Memini prætèrea, varias Germanicarum civitatum, e. gr. Argentoratenſis, curias hodienum vulgo nominari Palatia, Germ. *Pfalzen*. Et legi merentur, quæ habet Specul. Saxonic. L. 3. art. 53. *Jegliche Deutſchlande haben ihre eigene Pfalz-Grafen, Sachſen, Beyern, Francken und Schwaben*; & art. 62. *Funff Stadte ſind, die Pfalzen heiſſen, die liegen in dem Lande zu Sachſen, da der Konig ſeinen rechten Hoff haben ſoll. Die erſte iſt, Gruna, die andre iſt Werla, die iſt nun zu Goſzlar gelegen, Wallenhauſen iſt die dritte, Altſtede die vierdte, und Merſeburg die funffte*. Pauca ſunt, quæ de etymologia vernaculæ vocis *Pfaltz*, quæ palatium deſignat, addam, cum ſciam, pleroſque in ea eſſe ſententia, ut putent, eam corrupte eſſe figuratam a latinorum palatio. Ego vero & hac in parte honorem originis vernaculæ eſſe tribuendum, & *Pfaltz* nullo modo deſcendere a palatio, variis adductus rationibus opinor. Illud enim, quod nos communiter hodie effamur *Pfaltz*, priſcis dictum fuit *Palenz*, & *Palanz*, ut ego reor a *Pal*, vel *Phal*, ſtipes, unde nobis & Gallis *Paliſades*, a durius pronunciantibus poſtmodum dictum *Pfal*, quo ſono hodie utimur, eodem certe modo, ac voci *Pfaltz* noſtro ævo contingit. Hinc *Pala*, vel *Phala*, caſtellum ligneum veteribus ſignificat, uti vocem exhibet Liber Ms. redituum Eccleſiæ N. a Schiltero in Gloſſ. ſub hac voce citatus: *Notandum eſt etiam, quod in dicta villa B. eſt quædam Phala, ſive caſtellum ligneum*. *Pala* autem deinde facili opere mutatum fuit in

Pa-

latio pergenti, malum aliquod fecerit, in triplo componat.

II. Qui domum alterius, vel noctu, vel interdiu, suo tantum consilio, volens incenderit, capite puniatur (1).

III. Qui alteri dolose per sacramentum res proprias tollere vult, duobus aut tribus de eadem provincia (2) idoneis testibus vincatur, & si plures fuerint, melius est (3).

Titulus VI.

De conjugiis.

I. Uxorem ducturus, CCC. solidos det parentibus ejus (4).

II. Si autem sine voluntate parentum, puel-

Palans, contracte *Palz*, vel *Pfaltz*. Et ego quidem persuasissimum habeo, eo tempore ædes illas regias non nisi ligneas, & ex stipitibus circummunitas fuisse, unde nomen sortitæ. Atque ejusmodi architectura illo ævo satis superba, & regio splendori par videri poterat, ubi reliquæ habitantium casæ stramineæ ut plurimum, & e limo ac luto compositæ erant. Hincque intelligo causam, cum Interpres latinus Spec. Sax. vocem ibi occurrentem *Pfaltz* noluerit exprimere *Palatium*, sed *Palantiam*, & Comites Palatinos dixerit *Palans graviones*. Ineptit Glossa ad cit. art. 53. in derivatione vocis, utut agnoverit, non esse deducendam a Palatio, ibi: *Der Nahme aber Pfaltz-Graf ist aus dem Welschen und Deutschen zusammen gesetzt. Denn in Welscher Sprache heist ein Phallenz einen bezwungenen Herrn, oder ein uberwunden Reich, ein Graf aber bedeutet nach alten Sachsischen Teutschen einen Richter*; & porro: *Pfaltz-Grafen, welche sind die Richter eines bezwungenen Reichs*.

(1) *Capite puniatur.*) Non una fuit apud Germaniæ populos incendium dolosum puniendi norma. Plerisque mulctaria pœna suffecit, quam habet L. Salica tit. 18. L. Alemannorum tit. 81. L. Frisionum tit. 7. Perpauci capitalem effecerunt, & quidem non indistincte, sed Edictum Theoderici Regis l. 97. servos demum vel colonos incendiarios flammis tradi voluit, & L. Frision. tit. 5. §. 1. non nisi in flagrante delicto deprehensum incendiarium permittit impune occidi. Severior propterea Lex nostra, quæ omne incendium consilio, id est, dolose susceptum, capite puniri jussit. Sed inde non fluit, quæ æquitatis regulas excedit, & ab auctore Glossæ ad Spec. Sax. L. 2. art. 51. conceditur licentia, incendiarios culposos, incendium celantes, privata auctoritate concremandi.

(2) *De eadem Provincia.*) In testibus requirebatur olim, ut essent ex eadem provincia oriundi, cujus dispositionis rationem, justo non absonam, reddit L. Longobard. L. 2. tit. 51. §. 11. in fine: *Testes vero de qualibet causa non aliunde quærantur, nisi de illo comitatu, in quo res illæ positæ sunt, unde causa agitur. Quia non est credibile, ut de statu hominis, vel de possessione cujuslibet, per alios melius veritas cognosci valeat, quam per illos, qui viciniores sunt.* Sunt etiam verba Imp. Ludovici in Capit. ad L. Salic. §. 1. & Caroli M. in Capit. L. 4. §. 23. Hinc L. Longob. l. c. §. 2. *Et ut de ipso pago, non de altero testes eligantur: nisi forte extra comitatum longius sit causa quærenda.* Quæ verba repetiit Carolus M. in Capitul. ad L. Salic. 2. §. 4. Nec alia lege testes ad testimonium dicendum admittit Speculum Sax. cujus exemplum habes in L. 2. art. 22. *das gezeuget er selb dritte derer Dingpflichtigen, die da zu Gerichte geben.* Requirebatur præterea, ut essent ejusdem conditionis, ac ipse producens, cujus testes erant; ita L. Frision. tit. 1. §. 8. *juratores suæ conditionis* poscit. Vid. Siccamam ad h. l. & Spec. Sax. cit. l. *Man mag es auf ihn wohl gezeugen ohne Gericht, selb sieben seiner Genossen.*

(3) *Et si plures fuerint, melius est.*) Eum in modum, ut dispositum est in Specul. Sax. L. 1. art. 22. *Was man mit sieben Mannen bezeugen soll, da mag man wohl 21. Mann um das Gezeugnus befragen.* Nempe apud veteres testimonia numerabantur magis, quam ponderabantur. Hinc in priscis LL. Anglo-Saxonicis Hlotarii & Eadrici, leg. 5. consacramentales lepide satis dicuntur *Rim æwda manna*, homines ad juramentum annumerandi, a *Rim* numero, ut optime observavit Wilkins ad hanc l. p. 8. Nam forma probandi per testes ea fuit antiquitus, ut qui majorem numerum testium in suis partibus haberet, ad probationem asserti admitteretur, & vinceret, nisi alteri forte idem numerus aut major ad manus esset, quod probat L. Frision. tit. 11. §. 2. ubi: *Aut tu cum juratoribus tuis sex, vel duodecim, vel viginti, vel etiam, si triginta dicere voluerit, me tibi sacramento tuo ad servitutem acquire; aut me cum juratoribus tantis vel tantis ab hac calumnia liberare permitte.*

(4) *CCC. solidos det parentibus ejus.*) Fœminas apud Saxones in matrimonium tradendas, venales, & sponsis ab earum parentibus vel tutoribus emendas fuisse, hoc tit. & subseq. tit. 7. §. 3. 4. nec non tit. 18. docemur. Idem uxores emendi ritus nec aliis tum Germaniæ, tum exterarum regionum populis incognitus fuit, quorum hac in parte mores operose collegit, & erudite illustravit, nuper defunctus Nicolaus Hieronymus Gundling in Diss. de emtione uxorum, dote & Morgengaba, habita Halæ anno 1722. Sed ambigo, an huc pertineat Romanorum sic dicta coemtio matrimonialis, quam describit Boethius ad Ciceronis Topica: *Matres familias*, inquit, *erant, quæ ducebantur per coemtionem .... Coemtio fiebat, cum se in coemendo invicem interrogabant. .... Itaque sic mulier viri conveniebat in manum; & vocabantur hæ nuptiæ per coemtionem.* Et quamvis concesserim, ab utroque nubentium alteri pretium aliquod mutuo solutum fuisse, quod colligi poterit ex Nonii verbis in voce *nubentes*, fuit tamen mere fictitium, nec justum, quare reliquis Romanorum fictionibus juris, hanc coemtionem accensere malim. De Græcis res clarior est, apud quos matrimonia emtitia fuisse, testatur Aristoteles Polit. L. 2. cap. 6. qui simul cap. 8. ea tanquam inhumana ac barbara exprobrat. Ante eum Homerus Iliad. I. jam commemorat, uxores Græcas pro alimentis commutatas fuisse. Qui Græcorum mos iis forte arridebit, qui Saxonum originem ad Macedones referunt, aut cum H. Mutio, Chron. Germ. L. 12. sentiunt; nam ille tradit, quod Leges a quopiam, qui Philosophiam in Græcia audierat, institutæ apud Saxones essent. *Multa enim*, inquit, *Platonis legibus conveniebant.* Sit fides penes auctorem, nos ea mittimus, nec nostra ullo modo facere volumus. Inter Germaniæ antiquas Leges, præter Saxonicam, quod mirandum, sola L. Burgundionum distincte hujus emtionis mentionem facit, tit. 14. §. 3. *Illud etiam præsenti lege placuit continere, ut si mulier maritum habens, sine filiis de hac luce transierit,*

puella tamen conſentiente, ducta fuerit, bis ccc. ſolidos parentibus ejus componat.

III. Si vero nec parentes, nec puella conſenſerunt, id eſt, ſi vi [1] rapta eſt, parentibus ejus ccc. ſolidos, puellæ ccxl. componat, eamque parentibus reſtituat.

TITULUS VII.

De hæredibus & viduis.

I. PAter aut mater defuncti, filio, non filiæ, hæreditatem relinquit [2] (1).

II.

1 Lindenbr. *ſi per vim.* 2 Lindenbr. *relinquant.*

ſierit, maritus defunctæ uxoris pretium, quod pro illa datum fuerit, non requirat. Et tit. 34. *Si quis uxorem ſuam ſine cauſa dimiſerit, inferat ei alterum tantum, quantum pro pretio ipſius dederat.* Ex L. Salica quidem huc vocant tit. 47. de *Reipus*; ſed præterquam quod de ſolo viduarum matrimonio agat, in dubio nos relinquit, an arrhæ, an emtionis nomine tres ſolidi & denarius ibi nominati venerint. De arrha enim potius vel ad maximum fictitia quadam emtione intelligerem, quæ habet Fredegarius cap. 18. *Legati offerentes ſolidum & denarium, ut mos erat Francorum, eam partibus Chlodovæi ſponſant*: quibuſcum convenit formula vetus apud Bignonium: *dum ego te per ſolidum & denarium ſecundum Legem Salicam viſus fui ſponſare.* In L. Bajuvar. tit. 7. §. 6. & L. Alemannor. tit. 52. videntur adeſſe veſtigia veteris illius emtionis, ſed obſcura ſunt, & in utramque partem conjecturis flectenda. Neque huc facere cenſeo, quæ in L. Longobardorum, de *meta*, *methio*, vel *meffio*, diſponuntur; ea enim potius ad dotem, emtioni contra diſtinctam, pertinere, infra docebo. Propterea autem non nego, hiſce populis emtionem uxorum in uſu fuiſſe, quin potius Gundlingio ſuffragor, qui cit. loc. cap. 1. §. 30. ait: *Quod enim in lege ſcripta ejus rei diſtinctam explicationem non obſervamus, inde provenit forte, quod tota hæc res quotidiano uſu omnium [illegible] nec pueris amplius puelliſque erat obſcura.* Clariora ſunt, quæ huius emtionis monumenta Legibus Anglo-Saxonicis traduntur, ut vel exinde pateſcat, Saxonicas conſuetudines cum populo in Angliam tranſiiſſe. Ita L. Æthelberti 76. in Collectione Wilkinſiana p. 7. *Si vir virginem mercetur pretio, emta ſit, ſi ſine dolo factum ſit.* L. 82. *Si ea alteri in pretio deſponſata fuerit.* Et in LL. Inæ, l. 31. *Si quis uxorem mercetur, & pretium non proveniat.* Eam tamen emendi uxores neceſſitatem deinde remiſit non ſolum, ſed & prohibuit Rex Canutus in L. 72. l. c. p. 145. ubi: *Et non cogatur neque uxor neque puella ad eum, qui ipſi diſplicet, neque pretio ea vendatur, niſi ille aliquid ex propria voluntate dare velit.* Dicitur autem in noſtra Lege, pretium pro uxore eſſe CCC. Solid. quod tamen non de omni conditione intelligendum eſſe exiſtimo. Procul dubio enim nobiles virgines plebejis, & liberæ litis & ancillis cariores fuerunt. Nondum tamen conſtat, pro cujuſnam conditionis uxore CCC. illi ſolidi fuerint exigendi. Ego crediderim pro virgine libera plebejæ conditionis, & ut illud credam, me movet, quod totus titulus VI. de liberis plebejis agere videatur, nam in §. 3. puella, vi rapta, componenda eſt CCXL. ſolidis, quod ſupr. tit. 2. §. 1. Wergeldum eſt mulieris ingenuæ plebejæ. Ceterum opinor, parentes vel tutores ſæpe partem pretii remiſiſſe, cum haberent filias aut cognatas deformes, & quæ non facile in matrimonium petuntur.

(1) *Filio, non filiæ, hæreditatem relinquit.*) Non ſolum Saxones ſed & reliquos Germaniæ populos omnes indiſtincte olim ſucceſſionem fœminarum ignoraſſe, teſtantur gentis antiquiſſimæ leges, quæ, ſi fœmineum ſexum in ſucceſſione parentum admiſerunt, factum eſt demum deficiente maſcula prole, & ut aliquando etiam hoc rerum ſitu, non integrum ſuccedendi jus filiabus concederetur. Ita enim L. Anglior. & Werinor. tit. 6. §. 1. *Hæreditatem defuncti filius, non filia, ſuſcipiat. Si filium non habuit, qui defunctus eſt, ad filiam pecunia & mancipia, terra vero ad proximum paternæ generationis conſanguineum pertineat.* Et §. 8. eod. *Uſque ad quintam generationem paterna generatio ſuccedat. Poſt quintam autem filia ex toto, ſive de patris, ſive de matris parte in hæreditatem ſuccedat, & tunc demum hæreditas ad fuſum a lancea tranſeat.* Quo collineant verba famoſæ illius legis 6. in Pacto L. Salicæ tit. 62. *De terra vero Salica in mulierem nulla portio hæreditatis tranſit, ſed hoc virilis ſexus requirit, hoc eſt, filii in ipſa hæreditate ſuccedunt.* Quam legem perperam ad jus publicum hæreditariamque regni ſucceſſionem trahi, optime obſervavit Conring. de Orig. Jur. Germ. cap. 7. Conf. Coccei. & Eccard. ad h. l. Pari modo in L. Ripuar. tit. 56. §. 3. diſpoſitum: *Sed cum virilis ſexus extiterit, fœmina in hæreditatem aviaticam non ſuccedat.* In L. Alemann. tit. 58. *Si autem duæ ſorores abſque fratre relictæ poſt mortem patris fuerint, ad ipſas hæreditas paterna pertingat.* Et in L. Burgund. tit. 14. §. 1. *Inter Burgundiones id volumus cuſtodiri, ut, ſi quis filium non reliquerit, in loco filii, filia in patris matriſque hæreditate ſuccedat.* Qua de cauſa, ſi parentes, qui filios habebant, filiabus quicquam ex hæreditate relinquere intenderent, id per expreſſum conſtituere tenebantur, ut probat Marculfi L. 2. form. 12. hujus tenoris: *Dulciſſimæ filiæ meæ illi, ille. Diuturna, ſed impia inter nos conſuetudo tenetur, ut de terra paterna ſorores cum fratribus portionem non habeant. Sed ego perpendens hanc impietatem, ſicut mihi a Domino æqualiter donati eſtis filii, ita a me ſitis æqualiter diligendi, & de rebus meis poſt meum diſceſſum æqualiter gratulemini; ideo per hanc epiſtolam te, dulciſſima filia mea, contra germanos tuos, filios meos illos, in omni hæreditate mea, æqualem & legitimam eſſe conſtituo hæredem.* Conf. ejus form. præc. §. 10. Legibus igitur ſupra allatis apprime reſpondent Saxonum mores, hoc titulo commemorati, qui non ſolum filios, ſed etiam nepotes ex his, filiabus in hæreditate parentum anteferri voluerunt. Ut tamen deinde, maſcula prole non exiſtente, omnis hæreditas ſive in rebus mobilibus, ſive immobilibus conſiſtens, ad filias noſtro jure pervenerit, vid. infr. §. 5. & 8. Atque eandem ſuccedendi rationem, quam noſtra Lex ſiſtit, Saxones deinde ad ævum uſque Speculi Saxon. confecti, mordicus retinuiſſe, clare ſatis oſtendit ej. Spec. L. 1. art. 17. *Des Vaters, der Mutter, der Schweſter und des Bruders Erbe nimmt der Sohn, und nicht die Tochter. Es ſey dann, daſz da kein Sohn ſey, ſo nimmt es die Tochter.* Subjungit quidem Gloſſa ad hunc locum: *Die Tochter nimmt zu*

unſrer

II. Qui mortuus viduam reliquerit, tutelam (1) ejus filius, quem ex alia uxore habuit, accipiat. Si is forte defuerit, frater idem defuncti [1]: si frater non fuerit, proximus

1 Lindenbr. *qui frater est defuncti.*

---

unsrer Zeit zugleich Erbe mit dem Sohne, quod & nostris moribus verum est; ast hanc patrii juris immutationem unice Juris Romani & Canonici admixtioni nos debere, certo certius est. Rem præterea si æquo animo introspiciamus, antiquum illud institutum fœminas ab hæreditate excludens, in familiarum conservationem salutare admodum fuit, imo & justum pro ratione illorum temporum, quibus servitiorum militarium onus filiis incumbebat, filia non solum nuptiis in alienam familiam transibat, & sustentationem ibi inveniebat, sed & præterea dote satis larga a novo sponso instruebatur, quo post mortem ejus haberet, unde vitam duceret vidua. Pontifex Gregorius, sive IX. sive XI. fuerit, damnavit hac in causa Jus Saxonicum, & inter articulos reprobatos retulit illum, qui existentibus masculis fœmineam successionem exulare jussit. Legitur reprobatio hujus articuli in Collectione Buxtorfiana loco decimo tertio. At ipse summus Legislator populo Israelitico quondam eamdem succedendi rationem suasit, causam in favorem filiorum, Numer. cap. 27. decidens, id quod curatius textum inspicientibus, clarum reddi debet.

(1) *Tutelam.*) Eodem fere modo, ut veteres olim Romani, & ante eos Græci, ita prisci etiam Germani mulieres in perpetua virorum tutela esse voluerunt; puellas nempe in tutela parentum vel agnatorum, uxores in tutela maritorum, & viduas in tutela affinium. De Græcis meminit Cicero in Orat. pro L. Flacco cap. 30. *Emtiones, falsas prædiorum proscriptiones, cum mulierculis, aperta circumscriptione fecisti, tutor his rebus Græcorum Legibus adscribendus.* Conf. Sebast. Monticum de patria potest. cap. 1. n. 2. & 3. testes hujus rei domesticos adducentem Platonem, Demosthenem & Isocratem. Illudque institutum Græcis adeo comprobatum fuisse, ut etiam matres in filiorum suorum puberum, tanquam in dominorum potestate essent, evincit Ubbo Emmius in Descript. Reipubl. Atheniens. tit. *leges matrimoniales.* Vid. Eybenium in Differt. de tutel. fœmin. Part. 1. membr. 1. §. 6. & uberius de hac re tractantem Cl. Everardum Ottonem de perpetua fœminarum tutela, cap. 1. §. 6. Tom. 1. Diss. 4. atque de eodem Jure Romanis olim usitato, præter Ulpianum in Fragm. tit. 11. §. 17. 22. seqq. nos docent varia, quæ apud auctores passim occurrunt hujus rei testimonia. Ita M. Portius Cato apud Livium L. 34. cap. 2. *Majores nostri nullam, ne privatam quidem rem agere fœminas, sine auctore voluerunt: in manu esse parentum, fratrum, virorum.* Loca parallela congessit Rittershusius ad L. XII. tabb. part. 2. Cl. 2. cap. 13. & laudatus Everard. Otto l. c. §. 4. Eandem Gallorum tutelam commemorat Cæsar L. 6. de bello Gall. cap. 18. & idem jus muliebris tutelæ Germanorum Tacitum innuere censeo, dum cap. 8. ait: *mares sexum infirmum suæ custodiæ atque curæ subjiciendum existimasse.* Clarius de ea re loquuntur Longobardorum, Alemannorum & Saxonum leges, ut, reliquis licet tacentibus, valida inde sit de universali quadam apud Germanos, fœminas in tutela habendi consuetudine, conjectura. Et quidem memoriam hujus tutelę sub *mundii* nomine plerumque celebrant prædictæ Leges, unde nostrum *Vormund*, & ita legitur in L. Longobard. Lib. 2, tit. 10. *Nulli mulieri liberæ sub regni nostri ditione, legis Longobardorum viventi, liceat in sui potestatis arbitrium, id est, selpmundio vivere, nisi semper sub potestate virorum, aut certe Regis debeat permanere. Nec aliquid mobilibus aut immobilibus, sine voluntate ipsius, in cujus mundio fuerit, habeat potestatem donandi aut alienandi.* Separatim deinde in eadem lege occurrunt rubricæ titulorum, de mundio puellarum, viduarum, ancillarum & Religiosarum. In L. Alemannor. tit. 55. §. 2. maritus uxoris mundium ab ejus patre sibi acquirere dicitur: *Si autem ipsa fœmina sub illo viro mortua fuerit, antequam illi mundium apud patrem acquirat, solvat eam patri ejus CCCC. Solid. Et si filios aut filias genuit ante mundium, & omnes mortui fuerint, unumquemque cum Wergeldo suo componat patri fœminæ.* Pariter LL. Æthelberti 74. & 75. apud Wilkins p. 7. dum de tutela viduæ violatæ disponunt, *mund* nominant eam, interpres reddit patrocinium. Ex chartis antiquis ejusdem tutelæ varia testimonia collige apud Glossatores, sub voc. *mundium.* Inde factum esse apparet, ut hodie in plerisque Italiæ civitatibus, in Gallia, Hispania, Belgio, Burgundia, Suecia, & in universa fere Germania, præprimis iis in provinciis, ubi jure Saxonico vivitur, eandem sexus tutelam, quam antiquissimæ consuetudines introduxerunt, adhuc constante robore perdurare videamus. De singulis nominatis regionibus testes fide dignos sistit Eybenius l. c. & ex eo Otto l. c. cap. 2. §. 3. 4. Atque Saxonum observantiam probat Specul. Sax. L. 1. art. 41. ubi: *Klaget eine Iungfrau oder Wutwe zu Land-Recht uber ihren Vormund, ... darnach sey der Richter der Frauen Vormund*; art. 42. *Wenn ein Kind zu seinen Iahren kommt, darnach mag es wol Vormund seyn seines Weibes*; art. 43. *In Nothhafften Klagen, da sie nicht zu Kampffe gehen, mag der Richter wol Vormunden geben der Frauen, und in allen hanthafften Thaten, da sie ihres rechten Vormunden zu Hant nicht haben mogen.* Conf. art. seqq. & L. 2. art. 45. 63. atque ex recentiori jure Saxon. Const. Div. Aug. Elect. 15. P. 2. Recesserunt tamen ex parte moderni mores ab antiqua tutores muliebres habendi forma & necessitate. Ita namque marito mortuo viduam in tutela affinium non agnatorum esse, expressis verbis pronunciat lex nostra, primo loco in ordine tutorum viduæ legitimorum esse jubens filium privignum, secundo fratrem demortui mariti, tertio reliquos ejusdem agnatos, qui viduæ sunt affinitate proxime juncti. Et quidem putat Schilterus Exercit. in ff. 37. §. 241. rationem hujus antiquæ tuendi formæ pendere ex jure familiæ, quod maritus veteri Germanorum more, sibi ac familiæ suę acquirebat, hoc effectu, ut si vidua ad secunda vota procederet, novus maritus emtionis pretium tutori solvere teneretur; sed me judice in eo posita erit, quod illo ævo, quo filiæ plerumque ex paterna hæreditate nihil percipiebant, viduæ non nisi bona dotalia ex munificentia & liberalitate mariti defuncti possiderent, ut mox ad sequ. tit. dicendum erit. Atqui cum tutela quælibet illo ipso ævo esset usufructuaria, & jus succedendi in bonis personæ tuendæ simul & absolute involveret, justum quodammodo erat, ut potius ad agnatos defuncti, a quo nimirum omne usufructus & hæreditatis lucrum proveniebat, pertineret tutela, quam ad agnatos viduæ, qui nihil contulerant. Verum

mus paterni [1] generis ejus [2] consanguineus (1).

III. Qui viduam ducere velit, offerat tutori pretium (2) emtionis ejus, consentientibus ad hoc propinquis ejus.

IV. Si tutor abnuerit, convertat se ad proximos ejus, et eorum consensu accipiat illam, paratam habens pecuniam, ut tutori ejus, si forte aliquid dicere velit (3), dare possit, hoc est, solidos ccc.

V. Qui defunctus non filios, sed filias reliquerit, ad eas omnis hæreditas pertineat, tutela vero earum, fratri, vel proximo paterni generis deputetur.

VI. Si vidua filiam habens, nupserit, filiumque genuerit, tutela filiæ ad filium, quem tunc genuerat, pertineat.

VII. Si autem filium habens nupserit, filiamque genuerit, tutela filiæ non ad filium prius genitum, sed ad fratrem patris, vel ad proximum ejus pertineat.

VIII. Qui filiam ac filium [3] habuerit, & filius uxore ducta, & [4] filium genuerit, & mortuus fuerit, hæreditas patris ad filium filii, id est, nepotem, non ad filiam pertineat.

Titulus VIII.

De dote.

I. Dotis ratio duplex est (4), Ostfalai & Angrarii volunt; si fœmina filios

1 Herold. in marg. *patri*. 2 Lindenbr. *vel ejus*.
3 Lindenbr. *qui filium aut filiam*. 4 *Et* deest in Lindenbr.

rum enim vero, uti jam monui, alio tempore aliter visum, & hæc antiqua Juris dispositio in tantum immutata fuit, ut jure recentiori, Speculi nimirum Saxonici, affines prorsus excluderentur a tutela viduæ, & legitimus ejus tutor esset proximus, vel interdum quilibet mulieris agnatus. Lib. 1. art. 45. *Und darum musz auch ihr Vormund seyn ihr nechster ebenburtiger Schwertmagen, und nicht ihres Mannes*; & art. præc. 43. *Gehet aber die Klage zu Kampff, so musz ihr Vormund seyn ein ieglicher, der ihr ebenburtiger Schwertmagen ist*. Ex quibus simul addiscimus, jure Speculi ad solos fœminarum agnatos potestatem easdem tuendi spectasse, cum Lex antiqua admitteret etiam virginis cognatos, qualis est §. sub. 6. frater uterinus, ex secundis matris nuptiis procreatus. Ego causam immutatæ consuetudinis a diversa succedendi ratione pendere censeo, quæ alio tempore alia fuit. Nam tutela sexus pari jure ac tutela ætatis apud majores nostros fuit æstimata, ut nempe utraque ad instar tutelæ Romanorum jus succedendi in bonis tuendorum tuendarumve, si nulla relicta prole decederent, tribueret, eo inquam tempore, ubi testamentariæ dispositiones Germanis in usu non erant. Quo spectat Spec. Sax. L. 1, art. 45. in fin. *Iungfern aber oder unbemannte Weiber mogen wol verkauffen ihr Eigen, ohne ihres Vormunds Urlaub, er sey denn Erbe darzu*. Quare postquam omnia antiquæ istius tutelæ emolumenta & effectus, quæ ad tutorem olim spectabant, penitus ceciderunt, necessitas quoque in fœminis suscipiendi tutores inter cognatos, agnatos, aut affines, recentissimis consuetudinibus simul remissa fuit. Nostro enim jure, quo nunc in Saxonia utimur, liberum est fœminæ solutæ eligere, quem sibi velit tutorem constitui, etiam extraneum, quo nec opus habet, nisi ad actus, quos vocant, judiciales. Unde etiam forte evenit, ut stylo forensi hodie non tutores, sed curatores sexus dicantur, quonsam pro captu juris Romani, nomen curæ magis, quam tutelæ rei significatui nunc convenit. Et non male judicavit Beyerus in Specim. Jur. Germ. L. 1. cap. 27. n. 39. totum hoc curę muliebris negotium, cum magno apparatu suo, propemodum in ludibrium abiisse, ejusque abrogationem, ex rationibus gravissimis in universum optasse aliquando Status Provinciales Saxonicos.

(1) *Proximus paterni generis ejus consanguineus*.) Lindenbrogius: *proximus paterni generis, vel ejus consanguineus*. Ast particulam disjunctivam *vel* male inseri, cum hoc ipso viduæ consanguinei ad tutelam admitti videntur, ex iis, quę supra annotavimus, poterit constare.

(2) *Offerat tutori pretium*.) Quod tutori pretium emtionis offerendum fuerit, dependet ex natura tutelæ veterum, apud quos omnis tutela usufructuaria, ut bene perspectum habuit Beyerus in Spec. Jur. Germ. L. 3. cap. 10. §. 14. *quod potestas erat*, inquit, *apud Romanos, id Germanis constanter appellatur Vormundschafft, quæ penes patres, maritos & tutores eadem fuisse, & in jure usufructus atque obligatione alterum alendi constitisse videtur*. Ejusmodi usufructuariæ tutelæ exemplum in domino directo, vasalli impuberis tutore, occurrit in Jur. Feud. Saxon. cap. 26. dictumque fuit *das Angefalle*, Gallis hodie *le Droit de Seigneurie*. Indeque fit, ut mariti hodienum in Saxonia usumfructum & administrationem habeant omnium earum rerum, quas uxor intulit, cum & hodie maritus post conscensionem thalami, uxoris sit legitimus tutor. Nam illud jus maritis competere vi tutelæ legitimę, non male colligunt juris Germanici peritiores. Et quid vetat ex adductis porro deducere, illud idem pretium in emtione uxorum parentibus exsolvendum, ad ipsos non alio titulo pertinuisse, quam quod essent tutores usufructuarii filiarum? In L. Frision. tit. 9. §. 9. idem jus usufructus tutoribus competiisse, declarant verba: *tertium Werigeldum patri, sive tutori puellæ*.

(3) *Si forte aliquid dicere velit*.) Est purus putus Germanismus, quo & nunc vulgus utitur: *so er etwas sagen wolte*; dicere nempe hoc loco idem est, ac desiderare, vel contradicere. Discimus præterea ex hoc & præced. §. puellas parentibus orbatas, pariter ac viduas, cum neutra earum sui juris unquam fieret, ad contrahendum matrimonium tutoris & consanguineorum consensu opus habuisse, qui hodie amplius non desideratur. Solius tamen tutoris dissensus nec olim nuptiis impedimento esse poterat, modo reliqui consanguinei consentirent, & ipsi pretium legitimum exsolveretur.

(4) *Dotis ratio duplex est*.) Saxonum gens, licet ab initio una fuerit, & semper communi nomine insignita, aucto tamen populo, cœpit communiter in *Angrarios*, *Ostphalos* & *Westphalos* dividi, quos Wittechindus, Monachus Corbejensis, Annal. L. 1. in *Orientales*, *Angrarios* & *Westphalos*; Venerabilis Beda autem Histor. Eccl. Angl. L. 1. cap. 15. ad annum 449. in *Saxones Orientales*, *Meridianos* & *Occiduos*,

lios genuerit, habeat dotem, quam in nuptiis accepit (1), quamdiu vivat, filiisque di-

duos, a situ nempe provinciarum, quas inhabitabant, distinguit. Nostra Lex eos *Ostfalaos*, *Westfalaos* & *Angrarios* nominat. De distinctis sedibus & terminis divisæ gentis vide sis Schatenium in Hist. Westphaliæ L. 1. p. 13. L. 3. p. 176. & L. 7. p. 420. Factum autem est hac ipsa populi & provinciarum distinctione, quod plerumque in longa locorum distantia accidit, ut inter se etiam quodammodo differrent Saxonum mores, uti præter L. nostram, hujus rei testem habemus cit. Wittechindum Corbej. dict. loc. tradentem: *Gentem Saxonicam triformi genere ac lege dividi*. Hoc tamen ex nostra Lege certum reddi videtur, Ostphalos & Angrarios communes servasse consuetudines, diverso autem jure in quibusdam morum apicibus Westphaliæ incolas usos fuisse, cujus igitur antinomię exempla circa dotem & bonorum communionem præbent præs. & subsequ. tituli.

(1) *Habeat dotem, quam in nuptiis accepit.*) Dotem, quam Romani dicebant esse bonorum quantitatem, quæ marito ad sustinenda onera matrimonii datur, l. 7. pr. l. 56. §. 1. ff. de jur. dot. eam apud Germanos Tacitus de morib. Germ. cap. 18. ita nobis describit: *Dotem non uxor marito, sed uxori maritus affert. Intersunt parentes & propinqui, ac munera probant, munera non ad delicias quæsita, nec quibus nova nupta comatur, sed boves & frenatum equum & scutum cum framea gladioque. In hæc munera uxor accipitur, atque invicem ipsa armorum aliquid viro affert.* Nempe veteres Germani, qui uxores sibi pretio comparabant, dotem si nil iisdem constituebant; quare L. nostra *ad fœminam pertinere*, ait, *dotem, quam in nuptiis accepit*; & L. Bajuvarior. cap. 19. §. 2. *Mater vero, si habeat proprias res, & cum dote sua, quam per legem habet, egrediatur.* Conspirant L. Ripuarior. tit. 37. §. 1. & 2. *Si quis mulierem desponsaverit, quicquid ei per tabularum seu chartarum instrumenta conscripserit, perpetualiter inconvulsum permaneat. Si autem per seriem scripturarum ei nihil contulerit, si virum supervixerit, quinquaginta Solidos in dotem recipiat.* L. Alemannor. tit. 55. & 56. *Si quis liber mortuus fuerit, & reliquit uxorem sine filiis aut filiabus, & de illa hæreditate exire voluerit, nubere sibi alio coæquali, sequatur eam dotis legitima. Si autem proximus mariti defuncti contradicere istam dotem illi mulieri voluerit &c.* L. Burgundion. tit. 62. *Mulier, si ad alias nuptias transierit, omnia perdat: dote tamen sua, quam a marito suo acceperat, quamdiu vixerit, utatur, filio proprietate servata.* In L. Longobard. L. 2. tit. 4. §. 2. *Si quis conjugi suæ metam dare voluerit*, §. 3. *Nulli sit licentia conjugi suæ de rebus suis dare amplius, per qualecunque ingenium, nisi quod ei in die votorum in methio & morgengaba dederit*, §. 3. *Metam & Morgengab habeat in antea. Methium* autem & *meta*, sive, ut legit Heroldus, *Miffium*, nihil aliud, quam Longobardorum dos est, *methium* dicta, ut opinor, quasi *Mitthum*, hodie *Mit-Gifft*; *thum* namque rem, quæ in bonis est, quamlibet designat, e. gr. *Eigenthum*, *Bischofthum*; miffium vero exprimere *Mieth-Vieh*, conjectura est Schilteri. Formulam veterem, qua pater sponsi, sponsæ dotem constituit, habes apud Marculfum, L. 2. cap. 15. & pariles in Formul. Andegavens. cap. 34. 35. 36. & 39. in Appendice ad form. Marculf. cap. 37. & in form. secundum L. Roman. cap. 14. Uxor igitur Germanica, quod ex dictis planum esse debet, antiquissimis illis Germaniæ temporibus, Romano more non vixit, & marito dotem non attulit, sed ipsa eam ab hoc conferendam expectavit. Et quidem eo tempore, quo uxores emebantur a viris, quo ad filias ex hereditate parentum raro aliquid perveniebat, dotem ab uxore non fuisse allatam, facillimæ probationis est; hæc enim plerumque non habuit, unde sumeret, & pater ejus multo minus constituit, alias enim emtione & pretii solutione a parte sponsi opus neutiquam fuisset. Equidem me non fugiunt, quę passim in LL. priscis de uxorialibus bonis marito allatis, monumenta habentur, nam ipse Tacitus l. c. armorum meminit, L. Alemannor. cit. tit. 55. viduis salvum relinqui jubet, *quicquid parentes earum legitime placitaverint, & quicquid de sede paterna secum attulerunt*. Et L. Longobardor. sæpius *Faderphium* nominat, libr. 1. tit. 12. *Habeant filii morgingap & Faderphium suæ matris*; Lib. 2. tit. 14. *De Faderphio, id est, de alio dono, quantum pater aut frater dederit ei, quando ad maritum ambulaverit*. Unde alii dotem ab uxore allatam fuisse sibi fingunt, quorum in numero sunt Salmasius & Choppinus, sed ille propterea a Gundlingio Differt. de emt. uxor. cap. 2. §. 13. hic a Schiltero Exercit. 26. §. 71. merito reprehensus. Et res salva est; illa enim dona, quæ ex munificentia parentum vel fratrum, ut & reliqua bona, quæ hæreditario jure ad fœminam pervenerunt interdum, nullo unquam tempore dotis, bene tamen illatorum nomine apud Germanos venisse, alio loco in Differt. cui titulus, *Distinctionem juris Romani inter dotem & parapherna, Germaniæ foris non esse accommodandam*, anno superiori a me habita, plenius deduxi. Et quidem illatio ejusmodi bonorum pro dote prius haberi non cœpit, quam cum Romanis Legibus operam darent Germani, &, seducti illis, crederent congruere hisce bonis de paterna domo advectis, dotis Romanæ celeberrimum nomen. Sunt verba B. Gundlingii l. c. Jam vero videamus, num hæc antiqua Germanorum dotem constituendi forma nostris hodiernis moribus conveniat, an potius inversa, & Romanorum de dote institutis accommodata fuerit. Plerosque enim esse, probe scio, qui mihi non concedent, dotem, sicut olim a marito uxori constituebatur, hodienum in connubiis celebrari. Sed in meas partes forte transibunt isti boni viri, si mecum pensi habere velint, quę hunc in finem in medium proferam. Ante omnia autem addiscenda est antiqua dotis a sponso constitutæ ratio & natura. Constituebatur nempe dos a viro potissimum eam ob causam, quo uxor, vidua facta, haberet, unde vitam duceret, vel ejus tutor fundum acciperet, unde vi tutelæ usufructuariæ, quæ onus alendi inferebat, eam sustentaret. Hinc dos, etsi in ipsis auspiciis matrimonii a marito dicta regulariter fuerit & determinata, non tamen uxori propterea statim tradita, & jure dominii cessa fuit, quæ potius, non nisi soluto matrimonio, eam, & quidem jure solum usufructuario, ex hæreditate defuncti mariti percipiebat; partim ob rationem adductam, partim quod maritus, si vel maxime tempore nuptiarum uxori dotem tradidisset, ut legitimus ejus tutor, omnia uxorialia bona, adeoque dotem, in tutela & administratione habebat, & durante matrimonio conjugi alimenta præstabat. Ita namque interpretanda sunt verba, quæ commentamur: *habeat dotem, quam in nuptiis accepit*; quod colligo ex L. Ripuarior. tit. 37.

§. 2.

mittat (1).

II. Si vero filii matre ſuperſtite moriuntur, ipſaque poſt obierit, dotem proximi ejus in hæreditatem accipiant.

III. Si autem filios non habuerit (2), dos ad dantem, ſi vivit, revertatur; ſi defunctus eſt, ad proximos hæredes ejus.

IV. Apud Weſtfalaos, poſtquam mulier filios genuerit, dotem amittat, ſi autem non genuerit [1] (3), ad dies ſuos dotem poſſideat; poſt

1 *Dotem amittat, ſi autem non genuerit*: iſta omiſſa ſunt in Lindenbr.

§. 2. *ſi virum ſupervixerit, 50. Solid. in dotem recipiat*. L. Alemann. tit. 57. §. 1. *ſi proximus mariti defuncti dotem contradicere voluerit*; & in L. Burgundion. tit. 42. mulieri, defuncto demum marito, tertia bonorum pars, quæ dos erat, conceditur; nec alia ex cauſa in ead. L. Burgund. tit. 69. dos eadem ad uxorem pertinens, *Wittemon* dicitur, quod noſtrum eſt *Wittum*, *Wittwe* nempe Germanis eſt vidua. Nunc ſi non ad omnium Germanię populorum, ad Saxonum tamen mores, qui hodie vigent, provoco, quibus eadem antiqua dotis ratio, licet mutatis nominibus, hodienum ſolemnis eſt. Quod enim dos fuit veterum, illud ipſum eſt, quod *dotalitium* recentiori ævo dictum fuit, & nunc dicitur, alias *doarium*, item *vidualitium*, Germ. *Leibgedinge*, *Wittum*, *Leibzucht*, cujus naturam fuſe non interpretabor, cum unicuilibet conſtare debeat, eſſe uſumfructum, aliquando duplicatum vel quadruplicatum, certæ cujuſdam ſummę, ad ſuſtentationem viduarum erogatæ. In tantum enim, in quantum dotalitii ſorti non imputantur viduæ illata, non alius rei, quam dotis antiquæ conditio ſpectatur. Purior quoque nobis remanſit antiquitas morum circa dotem, in ea portione, viduæ, etſi nulla bona in matrimonium advexerit, poſt mortem mariti ex hujus hæreditate competente, quam ſtatutariam vocant, quod ſtatutis & legibus municipalibus in pleriſque Saxoniæ civitatibus iis ſit aſſignata, & vel ad quartam, vel tertiam, vel dimidiam partem bonorum a defuncto relictorum, reſtricta. His addo juris theſin, quę noſtris conſuetudinibus unice debetur, qua ſtuprator virginis dicitur obſtrictus, ut ſtupratam aut dotet, aut ducat. Quæ ſingula, me judice, ſufficienter ſatis probare poſſunt, non alium nobis eſſe, ac quidem priſcis dotem conſtituendi modum, nempe eandem hodie, ſi quæ conſtituatur, a viris dici; nam nec noſtris temporibus hoc nomine quicquam ab uxoribus in domum mariti afferri, alio tempore, in cit. nempe diſſert. de diſtinct. Roman. inter dotem & paraphern. demonſtravi. Videtur autem antiquiſſimo Saxonum jure dotis quantitas arbitraria fuiſſe, & ex conventione contrahentium, ſive liberalitate ſponſi pependiſſe, cum aliæ vetuſtæ Germanorum Leges conſultius duxerint eam circumſcribere, & ad certam vel bonorum partem, vel ſortis pecuniariæ ſummam reſtringere, unde diſtinctio dotis in legalem & conventionalem venit. Ita dos legitima L. Ripuarior. tit. 37. erat L. ſolidorum; in L. Burgund. tit. 42. dicitur eſſe tertia pars totius ſubſtantiæ mariti; L. Bajuvariorum tit. 14. §. 6. exiſtentibus ex matrimonio filiis, filialem portionem dotis loco viduæ aſſignavit; L. Alemannor. tit. 55. §. 2. XL. Solidos eſſe voluit; & L. Longobard. L. 2. tit. 4. §. 2. licentiam dedit ei, qui magiſtratum gerit, CCCC. Solidos, nobili vero CCC. Solidos in dotem ſubſcribendi.

(1) *Quamdiu vivat, filiiſque dimittat.*) Diximus jam ſupra, dotem antiquitus fuiſſe uſufructuariam, quod ita verum eſt, ut morte viduæ plerumque exſpiraret, & tunc ad filios, vel ad dantem, qui ſæpe erat mariti pater, vel ad defuncti agnatos reverteretur. Hoc enim indicat noſtra L. h. t. §. 1. 3. & 4. niſi quod vi §. 2. vidua tanquam hæres filiorum, videatur dotem pleno jure acquiſiviſſe, ſi filii ex matrimonio defuncti mariti ſuperſtites, ante matrem deinde diem obirent. Eadem dotis jura apud Alemannos obtinuiſſe, ex argumento L. Alemann. tit. 56. colligo, quo proximus defuncti mariti excluditur a ſucceſſione dotis poſt mortem viduæ, ſi huic de dotis conſtitutione controverſias moverit, & a muliere judicio duellico, vel jurejurando convictus fuerit. Clarior hujus rei conſtitutio reperitur in L. Burgund. tit. 42. §. 1. *Tertiam totius ſubſtantiæ mariti, uſque ad diem mortis ſuæ ſecura poſſideat: ſic tamen, ut poſt tranſitum ejus ad legitimos mariti hæredes omnia revertantur.* Atque eodem Burgundionum jure uſusfructus dotis extinguebatur non ſolum morte viduæ, ſed & ejuſdem ſecundis nuptiis, cit. tit. 42. *Ut ſi mulier ad ſecunda vota non ierit, tertiam .... poſſideat.* Et tit. 69. §. 1. *Mulier, quæ ad ſecundas nuptias traditur, Wittemon ejus a prioribus parentibus mariti vindicetur.* Quodſi tamen tertia vice matrimonium iniret vidua, dos ex ſecundis nuptiis profecta, ei relinquebatur, §. 2. eod. L. Bajuvarior. tit. 14. §. 7. vidua ad ſecunda vota procedens, pariter dotis emolumento privatur, ibi: *Quodſi mater ad alias nuptias forte tranſierit, ea die uſufructuariam portionem, quam de bonis mariti fuerit conſecuta, filii inter reliquas res paternas, qui ex eo nati ſunt conjugio, vindicabunt.* Poterunt alii cum hiſce conferre dotalitii noſtri naturam, & habebunt utriuſque rei ex aſſe conſpirantia Jura, nam ita de dotalitio diſponit Spec. Saxon. L. 1. art. 32. *Es mag kein Weib ihre Leibzucht zu eigen behalten, noch ihre Erben nach ihrem Tode, dieweil man gezeugen mag, daſz es ihr allein zu ihrem Leben gegeben war.* Conf. ibi Gloſſam. L. 2. art. 21. *Hat auch ein Weib Leibzucht an eigen oder an Lehn, was ſie von Gebaude darauf ſtehen hat, wenn ſie ſtirbet, das erbt nicht an ihren nachſten Freund, ſondern es nimmts der, dem das Guth ledig wird.* Et L. 3. art. 38. *Das Weib erbt auch kein Gebaude auf ihren Erben, das auf ihrem Leibgedinge ſtehet.* Quod autem hodie in Saxonia uſusfructus dotalitius duplicatis vel quadruplicatis uſuris præſtandus ſit, ejus rationem ſufficienter & hiſtorice monſtravit ſæp. cit. Gundl. dict. loc. cap. 2. §. 24. Recte propterea Scherzius in Diſſert. de dotalitio, monet, quod ſine ſpeciali conventione dotalitium in fœminæ patrimonio eſſe nequeat, cujuſmodi pacti, quo plenum dominium viduis in re dotalitia conceſſum, exempla exhibet Gundling. l. c. §. 19. & iiſdem conventionum legibus factum eſt, ut portio ſtatutaria hodie viduis cedat proprio & pleno jure, atque cum facultate libere de eadem inter vivos & mortis cauſa diſponendi.

(2) *Si autem filios non habuerit.*) Addit Lindenbrogius; *Sicque diem obierit.*

(3) *Dotem amittat, ſi autem non genuerit.*) Quæ verba Lindenbrogiana editio omittit, ſed ad integritatem ſenſus omnino faciunt, eaque recte propterea ſiſtit Heroldina Lectio. Ubi enim noſtra Lex hoc tit. §. 1. expoſuit, duplicem eſſe apud gentem Saxonicam dotis ra-

poſt deceſſum ejus, dos ad dantem, vel ſi deeſt, ad proximos hæredes ejus revertatur.

nem accipiat (1): hoc apud Weſtfalaos. Apud Oſtfalaos & Angrarios, nihil accipiat, ſed contenta ſit dote ſua.

Titulus IX.

De acquiſitis.

I. DE eo, quod vir & mulier ſimul conquiſierint, mulier mediam portionem accipiat (1): hoc apud Weſtfalaos. Apud Oſtfalaos & Angrarios, nihil accipiat, ſed contenta ſit dote ſua.

Titulus X.

De raptu mulierum.

I. QUi fœminam ab alio deſponſatam rapuerit (2), CCC. ſolid. patri puellæ,

---

rationem, eodem deinde §. & ſubſ. §. 2. & 3. nos docuit, Oſtphalorum & Angrariorum uxores, indiſtincte, ſive filios ediderint ex matrimonio, ſive minus, dote, quam in nuptiis acceperant, ad dies vitæ uſas fruitas fuiſſe. Hoc itaque §. 4. Lex differentiam adducit, vi cujus alio jure apud Weſtphalos de dote diſponebatur, ut nempe eorum uxores, poſtquam filium progeneraverant, dotis ſpem amitterent. Neque id ulli durum, aut quaſi in locum pœnæ conſtitutum apparere debet, ſumma enim æquitas nationem Weſtphalicam commovit, ut hac in parte ab Oſtphalorum & Angrariorum, dotem conſtanter viduis relinquendi more recederent, cujus genuinam rationem, niſi me omnia fallunt, in ſubſequente titulo 9. *de Acquiſitis*, latere exiſtimo. Nimirum in Angrariæ & Oſtphaliæ partibus, communio bonorum inter conjuges locum non habuit, adeoque vidua, marito mortuo, præter dotem pactam ex ejus hæreditate nihil prorſus percepit; ad neceſſarios igitur alimentorum ſumtus ipſi, aut certe ejus tutori, ſemper & indiſtincte dotis uſusfructus concedendus fuit. Verum cum Weſtphalorum jure dicta inter conjuges communio bonorum obtineret, qua ſemiſſis bonorum, durante matrimonio conquiſitorum, ad viduam pertinebat, ita fœmina Weſtphalica habuit, unde ſe poſt mortem mariti ſuſtentaret, in quem ſcilicet uſum dos, ut diximus, potiſſimum conſtituebatur. Accedit, quod filii ad relinquendam matri dimidiam paternæ hæreditatis partem obſtricti, nimio onere fuiſſent prægravati, ſi præter ea ad dotem præſtandam adigerentur, quo facile fieri potuiſſet, ut totum as hæreditatis ſoli matri cederet. Facilius igitur, marito ſine prole deceſſo, admitti potuit, ut vidua ejus, una cum parte dimidia acquiſitorum, dotem ſimul lucraretur.

(1) *Mulier mediam portionem accipiat.*) Quibuſdam Germaniæ populis, non dicam omnibus, in uſu quondam fuit, ut mariti certo modo bona cum uxoribus haberent communia, non quidem cuncta, ſed ea ſolummodo, quæ durante matrimonio acquiſita fuerant. Cenſebant enim procul dubio majores noſtri, hanc communionem bonorum deberi jure meritoque mutuo uxorum adjutorio, in quod velut ſuſcipiebantur matrimonium ineuntes fœminæ, ea ætate, de qua Tacitus de moribus Germ. cap. 18. teſtatur: *Mulier admonetur, ne ſe extra virtutum cogitationes, extraque bellorum caſus putet, venire ſe laborum periculorumque ſociam, idem in pace, idem in prælio paſſuram auſuramque. Hoc enim juncti boves, hoc paratus equus, hoc data arma denunciant.* Hinc puto venire, quod illa communio ea bona, quæ non conſtante matrimonio, nec mutua ope, acquiſita fuerant, non attigerit, ita enim ediſſerit L. noſtra: *de eo, quod vir & mulier ſimul conquiſierint, mulier mediam portionem accipiat.* Quibus reſpondet L. Ripuarior. 37. §. 2. *Mulier, ſi virum ſupervixerit, ... tertiam partem de omni re, quam ſimul collaboraverint, ſibi ſtudeat evindicare.* Et Anglo-Saxonum Legibus tunc demum uxorem ſociam bonorum habitam fuiſſe, cum partum vivum edidiſſet, probat L. Æthelberti 77. ap. Wilkinſ. p. 7. quam de communione bonorum interpretor, *ſi uxor vivum fœtum peperit, medietatem bonorum habeat, ſi vir ante moriatur.* Hoc tamen lubens concedo, illud, quod de bonis communiter acquiſitis noſtra lege conſtitutum legitur, recentiori ævo deinde ad univerſa conjugum bona extenſum fuiſſe. Nam ubi hodie in Germania adhuc ſervatur bona inter conjuges communia habendi conſuetudo, ibi univerſalem eſſe bonorum ſocietatem, teſtantur morum Germanicorum interpretes; nec diverſi generis bona diſtinguit Spec. Sax. L. 1. art. 31. ubi ſedes hujus materiæ: *Mann und Weib haben nicht gezweyt Guth bey ihrem Leben*, pro quibus male ponit Zobelius *zu ihrem Leibe*. Junge Spec. Suevic. ejuſdem tenoris. Nullo tamen ævo per univerſam Germaniam, quod plerique falſo credunt, ſeſe extendit hæc eadem, quam interpretamur, communionis conſuetudo, nam ipſa noſtra lex in fin. huj. tit. diſertis verbis teſtatur, Oſtphalos & Angrarios eam non probaſſe, utpote quorum uxores ſola dote contentæ eſſe debebant. Cauſam hujus non-uſus eandem eſſe reor, quam in præc. tit. §. ultim. adduxi., ubi uxores in Weſtphalia, ſobole data, dotem amittere dicebantur. Nempe lautior dos & dimidia bonorum uxori ſimul convenire non poterant. Quare aliis Germaniæ populis dotis, aliis communionis bonorum potior ratio fuit, & apud quos uſufructuaria dos tertiæ vel alius legitimæ partis bonorum viduis aſſignabatur, apud eos communioni bonorum locus non erat, & vice verſa. Hinc noſtris moribus idem obſervatur, & cum in ſuperioris Saxoniæ, aliiſque Germaniæ tractibus dotalitii portioniſque ſtatutariæ uſus jamdudum prævaluerit, ita ibidem conjugum communio bonorum prorſus hodie ignoratur. Et ex adverſa parte, quam, neglecta dote, ab antiquo coluit communionem bonorum Weſtphalia, eam in hunc uſque diem ſancte cuſtodiunt pleræque inferioris Saxoniæ civitates, expertes pariter ſtatutariæ portionis & dotalitii. Cujus rei, præter Henelium, Heeſelium, Weſelium, qui integris Commentariis de hac bonorum communione egerunt, teſtes habebis Mevium ad Jus Lubecenſ. L. 1. tit. 5. art. 5. Cruſium ad Statut. Mindenſ. L. 1. tit. 13. art. 6. Daſſelium ad Statut. Luneburg. §. 5. alioſque complures.

(2) *Rapuerit.*) Subiiciendus fuiſſet præſens titulus ſuperiori titulo 6. de Conjugiis, ubi §. 2. & 3. de pretio & compoſitione puellarum, invitis parentibus ductarum, aut vi raptarum, jam jam diſpoſitum fuit. Ibi quidem de non promiſſa, hoc tit. de deſponſata filia agitur. Inter utramque autem hæc differentia intercedit, quod filia nondum in matrimonium promiſſa, & vi ab alio rapta, CCC. Solid. componenda, & parentibus reſtituenda fuerit; deſ-

læ, ccc. sponso componat, & insuper ccc. solidis emat eam.

II. Et si cum matre euntem in via rapuerit, etiam & matri ccc. solidos componat.

II. Si servus scelus quodlibet nesciente domino commiserit, ut puta homicidium aut furtum, dominus ejus pro illo, juxta qualitatem facti, mulctam componat (2).

III. Si servus perpetrato facinore fugerit, ita ut a domino ulterius inveniri non possit, nihil solvat.

IV. Si domino factum servi imputetur, (3) quasi consentiret, sua duodecima manu jurando se purificet.

V. Si servus iterum a domino receptus fuerit, mulctam pro eo componat.

TITULUS XI.

De delictis servorum.

I. QUicquid servus, aut litus, jubente domino perpetravit, dominus emendet (1).

TI-

---

desponsata autem alicui potuerit a raptore in uxorem suscipi, modo legitimum pretium patri præstaretur, & præterea altero tanto parentibus æque ac sponso satisfieret. Forte ob id Saxonibus hæc placuerunt, quod patris, filiam venum exponentis, parum interesse judicaretur, cui ea in matrimonium collocaretur, cum, antequam ipsi venalis esset, merito ejus arbitrio relinqueretur, utrum eam dimittere ex potestate, an condicere vellet. Cum Lege Saxonum convenit L. Alemann. tit. 52. *Si quis sponsam alterius contra legem acceperit, reddat eam, & cum CC. Solid. componat, Si autem reddere noluerit, solvat eam CCCC. Solid.* Verum per Capitularia Regum Francorum raptus crimen severius punitum fuit, & raptori nullo modo licuit, vi raptam sibi conjugio jungere, si vel maxime parentes in id consenserint. L. 4. tit. 22. *Si quis sponsam alienam rapuerit, aut patri ejus, aut ei, qui legibus ejus defensor esse debet, cum sua lege eam reddat: ... Sponso vero legem suam componat, & insuper bannum nostrum ... & quanto tempore nobis placuerit, in exilio maneat, & illam fœminam ei habere non liceat.* L. 6. tit. 96. *Si quis alterius sponsam virginem aut viduam, nec dum desponsatam rapuerit, vel furatus fuerit, placuit, ut sive eam postea sponsaverit, sive dotaverit, seu non, sive cum parentum ejus voluntate quocunque commento ipsam accipere vel tenere potuerit, nunquam illam uxorem habeat, sed raptori aut furi auferatur, & proximis suis alio viro, tempore congruo, si ipsa hoc malum non consenserit, nuptura legibusque accaptura reddatur.* Et Lib. 7. tit. 311. *Placuit, ut hi, qui rapiunt fœminas, vel furantur, aut seducunt, ut eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis postmodum conveniat, aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint, ... sed propinquis suis eam legibus reddat, & in triplo plenum bannum dominicum componat, & insuper canonice publicam pœnitentiam gerat.* Atque per Edictum Theoderici Regis tit. 17. in raptores æque ac raptas, quæ in raptum consenserunt, capitalis pœna statuta habetur: *Raptorem ingenuæ mulieris aut virginis, cum suis complicibus vel ministris, rebus probatis, juxta leges jubemus extingui: & si consenserit rapta raptori, pariter occidatur.* Hujus criminis tamen pœnam non nisi in puero regis vel lito, ingenuam rapiente, capitalem esse voluit L. Salica tit. 14. §. 6. reliquos raptores mulcta pecuniaria plectens, qualem raptui indistincte irrogarunt L. Ripuarior. tit. 35. L. Anglior. tit. 10. §. 1. L. Fris. tit. 9. §. 8. L. Bajuvar. tit. 7. §. 6. 7. 16. L. Burgund. tit. 12.

(1) *Dominus emendet.*) Dominus nempe tanquam mandans delictum ex mandato tenetur, & servus domini jussis illicitis obediens, plenarie excusatur, ut est in L. Wisig. Libr. 7. tit. 2. §. 5. *Si dominus cum servo suo ad furtum faciendum ierit, hanc compositionem non servum, sed dominum implere jubemus: ita tamen, ut dominus ejus juxta leges centum flagellis fustigetur. Servus autem ideo erit indempnis, quia domini jubentis obedivit imperiis.* Et tit. 3. §. 5. eod. *Si servus ingenuum plagiaverit ex domini jussione, ipse dominus compositionem, quæ est de ingenuis constituta, compellatur implere: ita ut dominus centum flagella publice suscipiat, & servum jussa domini complentem molestia non attingat.*

(2) *Dominus ejus .... mulctam componat.*) Sicuti, quod supra ad tit. 2. §. 1. jam ex parte annotavimus, domino injurias servo suo illatas vindicanti, omnes compositiones hoc nomine solutæ applicabantur, quare ejusmodi mulctæ in causa homicidii *Manbot* dictæ sunt; ita vice versa ex delictis servi ille idem veluti ex quasi delicto obligabatur, & pœnam pro servo delinquente solvebat, forte ob regulam justi: qui lucrum habet rei, ejus onus etiam sentiat; vel quod servis plerumque nihil in bonis esset, & noxæ deditionem non agnoscerent veteres Germani. Quare domini dicuntur legitimi fidejussores servorum in LL. Cnuti Reg. Angl. l. 28. quæ inscribitur: *De hero propriæ familiæ fidejussore*, ubi: *Et quilibet dominus famulos suos in propria fidejussione habeat; & si quis eum alicujus rei accuset, respondeat in ea Centuria, ad id, cujus accusatus sit, prouti lex justa est. Et si accusetur, & effugerit, solvat dominus servi illius æstimationem capitis.* Conf. Guilielmi Conquestoris l. 49. apud Wilkins p. 227. cujus rubrica: *De hero, ut familiæ sistendæ fidejussor sit.* Parem igitur in modum pronunciat L. Frision. tit. 9. §. 17. *Si servus vi aliquid sustulit, dominus ejus pro illo quantitatem rei sublatæ componat, ac si ipse sustulisset.* Quo & pertinet tit. 12. §. 1. eod. *Si servus rem magnam quamlibet furasse dicatur, vel noxam grandem perpetrasse, dominus ejus in reliquiis sanctorum pro hac re jurare debet.* L. Anglior. tit. 16. *Omne damnum, quod servus fecerit, dominus emendet.* Sed hæc in tantum solummodo locum apud Saxones sibi vindicabant, in quantum dominus ex futuris servi operis indemnitatem erogatæ mulctæ sperare poterat; quodsi enim servus fuga se subduxisset, ejus nomine dominus amplius non tenebatur. Vid. subs. §. 3. & 5.

(3) *Si domino factum servi imputetur.*) Hæc nemini superflue dicta videbuntur, quamvis dominus utroque casu, sive conscius & correus delicti, sive eo inscio crimen a servo perpetratum fuerit, dicatur ad luendum obligatus. Aliter enim Nobilis vel ingenuus, aliter litus aut servus delicta expiabant, ut multum interesset, utrum ex facto proprio, an unice ex facto servi, dominus conveniretur, quod ex sup. tit. 2. liquido constare poterit. Deinde etiam in causis capitalibus, e. g. furto, dominus delinquens capitali supplicio subjacebat, pro servo autem intercedens ad maximum servi Wergeldum, mulctæ loco exsolvebat.

Titulus XII.

De damno casu illato (1).

I. Si arbor ab alio præcisa, casu quemlibet oppresserit, componatur mulcta, pleno weregildo, a quo arbor præcisa est.

II. Si arbor accensa ceciderit, hominemque oppresserit, a mane usque ad mane, vel a vespera usque ad vesperam, ex quo ignis accensus est: si infra hoc tempus cadens hominem oppresserit, ab eo, qui incendit arborem, componatur. Si post, nihil solvat.

III. Qui laqueum fossamve ad feras capiendas fecerit, & hæc damnum cuilibet fecerint, qui eas fecit, mulctam solvat.

IV. [1] (2) Si fossa vel laqueus ad feras capiendas præparata, damnum quodlibet fecerint, a quo parata sunt, componatur.

V. Si ferrum manu elapsum, hominem percusserit, ab eo, cujus manum fugerat, componatur, excepta faida (3).

Titulus XIII.

De animali, quod damnum dat.

I. Si animal quodlibet damnum cuilibet intulerit, ab eo, cujus esse constiterit, componatur (4), excepta faida.

Ti-

1 Omittit Lindenbr. editio §. hunc IV. & subseq. V. Subnectit tamen utrumque titulo seq. XIII. sub num II. & III.

(1) *De damno casu illato.*) Nota est, quæ vulgo constituitur inter delictum culposum & casum fortuitum juris distinctio, cujus effectus is, ut culpa admissa, licet dolus absit, pœnæ & quidem arbirrariæ, vel extraordinariæ subjaceat, casum autem fortuitum nemo præstare dicatur. Sed has juris apices non calluisse, aut minimum non admisisse Majores nostros, ostendit præsens titulus, in quo culposa delicta æque ac casus fortuiti pari censu æstimantur, & communi nomine dicuntur *damna casu illata*, forte quoniam vix casus fortuitus animo concipi potest, qui facto hominis contingit, in quo quædam committentis culpa, & necessariæ circumspectionis negligentia non sit deprehendenda. Hinc fit, ut hoc jure ob culpam & casum, damni dati restitutio indifferenter requiratur, & homicidium tum culposum, tum casuale, integro occisi Weregeldo sit compensandum, cujus dispositionis testimonia non solum præs. tit. exhibet, sed & recentiori Saxonum jure in causa præsertim homicidii luendi, ab hac culpam æque ac casum præstandi norma, discessum non fuit. Jure enim Speculi L. 2. tit. 14. homicidium ex moderamine inculpatæ tutelæ commissum, quod necessarium & casuale dicendum erit, pariter ac homicidium culposum tit. 38. ejusd. Libr. Weregeldi præstatione veniunt redimenda, & Glossa ad *Weichbild* art. 38. ait: *Haut einer einen Baum nieder, und hatte die Leute mit seinem Geschrey gewarnet, und ware dieses bey einer offenen Straszen; oder deckte einer ein Hausz, oder mauerte er es offentlich, todtete dieser iemand vom Geschicht, er wurde mit seinem Wehr-Gelde losz, und dieses heist homicidium casuale.* Ita etiam veteres Saxoniæ Scabinos pronunciasse, apparet ex sententia, quæ in Zobeliana Editione Speculo Sax. subjungitur sub tit. *von Wette und Busze.* Lex quoque Frisionum idem innuere videtur in Addit. tit. 3. §. 69. *Si homo quislibet telum manu tenens, & ipsum casu quolibet inciderit super alium, extra voluntatem ejus, qui illud manu tenet, in simplo juxta qualitatem vulneris componatur.*

(2) Re curatius inspecta, apparebit §. 4. non nisi mutatis verbis repetere ea, quæ in præcedente §. 3. dicta fuerunt.

(3) *Excepta faida.*) De faida supra ad tit. 2. §. 5. fuse satis commentati sumus; ibi faidam portare dicebatur homicida, talis nempe, qui dolo malo aliquem interfecerat; hoc loco igitur, ubi de homicidiis culposis & involuntariis agitur, defenditur ejusmodi homicidii reus a faida, sive hostilitatibus propinquorum occisi, quas propter culpam aut casum homicidæ inferri, nefas duxerunt leges. Atque hoc sibi volunt verba legis, *excepta faida*, quæ denuo occurrunt in subsequ. tit. 13. in fin.

(4) *Componatur.*) Quam in servis damnum injuria dantibus non admisere leges Saxonicæ noxæ deditionem, multo minus agnoverunt, si quadrupes pauperiem fecisse dicatur; sed indistincte damnum ab animali illatum, a domino ejus repeti posse voluerunt, pariter ac in L. Anglior. tit. 12. *Si quadrupes damnum quodlibet fecerit, possessor pro qualitate damni, vel compositionem solvat, vel Sacramentum juret.* Et in L. Alemannor. tit. 99. §. 23. *Si caballus, porcus aut bos hominem occiderit, totum Weregildum solvat.* Prorsus præterea singularis ac barbarus est modus acquirendi integrum Wergeldum ob proximum a cane interfectum, quem præscribit cit. L. Alem. l. c. §. 22. Edit. Herold. tit. 102. *Si canis alienus hominem occiderit, medium Weregeldum solvat. Et si totum Weregeldum quærat, omnia ostia sua claudantur, & per unum ostium semper intret & exeat: & de illo liminare novem pedes suspendatur* (sc. canis) *usque dum totus putrescat, & ibi putridus cadat, & ossa ipsius ibi jaceant. Per aliud ostium non intret, nec exeat. Et si canem ipsum inde jactaverit, aut per aliud ostium intraverit in casam, ipsum Wergeldum medium reddat.* Hanc tamen legis duritiem emolliverunt quodammodo posteriores nostræ gentis mores, quibus noxæ deditio bruti, aut potius ejus abdicatio, certo respectu deinde concessa fuit, nimirum si dominus animal, damno dato, eoque comperto, non recipit in possessionem. Amittit enim legis beneficium, si illud postea possidere reperiatur, & non statim expulerit; nam tunc omne damnum resarcire tenetur, per textum expressum Specul. Sax. L. 2. art. 40. *Wes Hund, Eberschwein, Saue, Pferd oder Ochs, oder welcherley Thier es sey, einen Menschen todtet oder lahmet, oder ein solch Vieh das andre, sein Herr soll den Schaden gelden nach seinem rechten Wehr-Gelde, oder das todte Thier nach seinem Werthe bessern, ob er es wieder an seine Gewehr nimmt, nachdem er es erst erfahret; Schlaget er es aber aus, und hauset noch hofet es nicht, noch atzet und trancket es nicht, so ist er unschuldig an dem Schaden; So unterwinde sichs jener vor seinen Schaden, ob er will.* Et eundem in modum antiquam consuetudinem correxit L. Burgund. tit. 18. §. 1. *Si quodcumque animal quolibet casu, aut morsus canis homini mortem intulerit, jubemus etiam inter Burgundiones antiquam e-*

xinde

TITULUS XIV.

De eo, qui animal læserit.

I. QUi in foſſam vel ſudem acutam ſuæ vel alienæ ſepis [1] pecus quodlibet agitaverit, ibique confixum vel cadens perierit, mulctam componat.

TITULUS XV.

De traditionibus.

I. TRaditiones & venditiones (1) omnes legitimæ, ſtabiles permaneant.

II. Nulli liceat traditionem hæreditatis ſuæ facere, præter ad Eccleſiam, vel Regi, ut hæredem ſuum exhæredem faciat.

III. Niſi [2] forte famis neceſſitate coactus, ut ab illo, qui hoc acceperit, ſuſtentetur; mancipia liceat illi dare ac vendere.

TITULUS XVI.

De terra aliena invaſa.

I. QUi terram ſuam occupatam ab altero dixerit, adhibitis idoneis teſtibus, probet eam ſuam fuiſſe; ſi occupator con-

1 Lindenbr. *vel alienam ſepem.*

2 Lindenbr. *nec hered.m .... faciat; niſi &c.*

xinde calumniam removeri. Quia, quod caſus operatur, non debet ad damnum aut inquietudinem hominis pertinere. Ita, ut ſi de animalibus ſubito caballus caballum occiderit, aut bos bovem percuſſerit, aut canis momorderit, ut debilitetur, ipſum animal aut canis, per quem damnum videtur admiſſum, tradatur illi, qui damnum pertulit.

(1) *Traditiones & venditiones.*) Liberum de rebus ſuis diſponendi arbitrium dominis earum, aliis Germaniæ Legibus antiquis relictum fuiſſe, ut poſſent eas vendere, donare, permutare, teſtamento relinquere, & quovis modo alienare, diſcimus ex Edicto Theoderici Regis cap. 147. ubi: *Placita bona fide & definita venditio a venditore reſcindi non poteſt.* Et L. Longob. L. 2. tit. 18. leg. 4. ait: *Abſolute faciat unuſquiſque de rebus ſuis, quod velit.* Lex Anglior. tit. 14. *Libero homini liceat hæreditatem ſuam, cui voluerit, tradere.* Sicuti in L. Burgund. addit. 1. tit. 12. & L. Ripuar. tit. 59. §. 1. quævis venditiones & alienationes validæ pronunciantur, modo certus & legitimus teſtium numerus contractui adhibeatur. Verum enim vero, quamvis eandem alienandi facultatem dominis rerum ſuarum hoc loco concedere videatur lex noſtra, ex ſubſequ. tamen §§. h. t. ac infr. tit. 17. ut & ex poſterioribus gentis legibus apparet, eam apud Saxones valde reſtrictam & limitatam fuiſſe, nec licuiſſe indiſtincte dominis ſine conſenſu hæredum de rebus ſuis diſponere. Qua in re explicanda, cum veteris juris interpretes valde vacillare deprehendam, paucis dicam, quæ ſit ejuſdem juris Saxonici antiquioris diſpoſitio. Hoc nempe intuitu res conſiderantur, vel ut mobiles, vel ut immobiles, & rerum quidem mobilium alienatio irrequiſito hæredum conſenſu, antiqua lege, argumento ſubſ. §. 3. in fin. indiſtincte, jure autem Speculi in tantum ſolum dominis permiſſa, in quantum corpore vegeto ac valente, alieno adjumento non indigentes, & armis induti, equum conſcendere queunt. Spec. Sax. L. 1. art. 52. *Alle fahrende Habe giebt der Mann wohl ohne Laub der Erben, in allen Stadten und an allen Orten, und laſſet und verleibet ſein Guth, alldieweil er ſich alſo vermag, daſz er begurt mit einem Schwerdt und mit einem Schild auf ein Roſz kommen moge, von einem Stein oder Stock einer Daumellen hoch, ohne iemands Hulffe, alſo doch, daſz man ihm das Roſz und den Stegreiff halte. Wann er das nicht thun mag, ſo mag er ſein Guth weder vergeben noch verlaſſen, noch geleihen, dadurch er es iemand entfremde, der es wartend ware nach ſeinem Tode.* Quibus addit Gloſſa ad h.l. *Daſz es allein von den Rittern zu verſtehen ſey; Ein Burger aber mag die fahrende Habe alle vergeben, ſo viel er derſelben bey geſundem Leibe hinweg antwortet, oder in dem Gerichts-Dinge iemand vergiebt; doch ſagen etliche, daſz er auf ſeinem Siech Bette die Dinge vergeben moge, welche er uber das Bett-Bret hinweg reichen konne. Ein Bauer aber mag dieſer Dinge vergeben, alldieweil er einen Umgang verpflugen mag, eines Morgens lang; Eine Frau aber, wenn ſie zu der Kirchen gehen mag, von welcher ſie zwanzig Ruthen geſeſſen ſey.* Prout autem rerum immobilium dominium quis vel ex hæreditatibus, vel ex quæſtu proprio adeptus eſſet, ita pro diverſa hac tituli conditione in alienandis hiſce bonis conſenſum hæredum adhibere compellebatur; res nimirum hæreditario jure obtentas, non niſi conſentientibus legitimis hæredibus, ſive inter vivos, ſive mortis cauſa, valide alienabat, reliquæ jure rerum mobilium veniebant. Ita enim interpretor verba ſubſ. §. 2. *Nulli liceat traditionem hæreditatis ſuæ facere, ut hæredem ſuum exhæredem faciat.* Hæreditas enim hoc loco non delationem hæreditatis, ſed res hæreditarias ex hæreditate parentum & conſanguineorum acquiſitas, deſignat, ut legitur in Spec. Sax. L. 1. art. 34. *Ohne des Richters Urlaub mag ein Mann ſein Eigen wohl vergeben mit der Erben Gunſt, alſo, daſz er behalte eine halbe Hufe oder eine Hoffſtatt, da man einen Wagen innen gewenden moge.* Et cit. art. 52. eod. *Ohne der Erben Laub und ohne echt Ding mag kein Mann ſein eigen Gut, noch ſeine Leute vergeben, vergiebt er es aber wider Recht, ohne der Erben Urlaub, ſo mogen die Erben ſich des wohl unterwinden mit Recht, als ob der todt ware, der es gab, darum, daſz er es nicht vergeben mochte.* Ubi Gloſſa: *Solches vernimm von angeſtorbenen Eigen, nach Weichbild Recht; aber nach Dorff-Recht, verſtehet man es von allerley Eigen, es ſey gegeben, ererbet oder erkaufft.* Et ad cit. art. 34. *Erbeigen mag man ohne der Erben Laube nicht vergeben, wohlgewonnen Eigen mag man aber wohl vergeben.* Ex quibus ſimul, me non monente, per ſe liquet, priſcis Saxonibus teſtamentarias diſpoſitiones prorſus in uſu non fuiſſe, cum nec licuerit inter vivos in fraudem hæredum de rebus ſuis diſponere. Unde vix aliter fieri potuit, quam ut, introductis ex diſciplina Romana teſtamentis, inextricabiles difficultates in materia ſucceſſionum hodie ſeſe exerant. Ita namque e. g. Juris Saxonici regulam, qua maritus dicitur uxoris ſuæ hæres mobiliaris, cum facultate teſtandi, quæ Saxonicis mulieribus nunc conceditur, nullo modo conciliare poteris, ut reliquos teſtamentorum effectus taceam, qui omnem fere hæreditatum aſſignationem, Jure Saxonico in-

contradixerit, campo dijudicetur (1).

II. Si occupator sibi concrediderit [1] (2), reddat hoc quod occupavit, non amplius.

TITULUS XVII.

De exulibus.

I. Liber homo, qui sub tutela nobilis (3) cujuslibet erat, qui jam in exilium miss-

1 Lindenbr. *recrediderit*.

introductam, pariter ac alienandi prohibitiones, quæ mox attulimus, funditus nostris temporibus sustulerunt.

(1) *Campo dijudicetur.*) Inter varios probandi purgandique modos, quos prisci ad controversias ambiguas, quæ nec per testes, nec ordinario judicio terminari poterant, dirimendas adhibere consueverunt, & in specie *Ordalia* vel *Ordela* dixerunt, usitatissimum genus fuit *judicium duellicum*, sive monomachia litigantium, in quo certamine, qui suum adversarium vicerat, justiorem causam & Deum judicem ac vindicem justitiæ habuisse reputabatur. Qui mos probandi, finiendæque litis, procul dubio a Septentrionalibus populis, nostris Germanis quondam communicatus fuit, nam de illis scribit Vellejus Paterculus, armis decernere lites suas solitos fuisse. Et quidem suscipiebatur illud duellum auctoritate judicis, in area ampliori & undique cancellis clausa, quam campum nominabant, & Repkovius in Spec. Sax. L. 1. art. 63 *den Ring & Warf* vocat, unde duellum ipsum deinde campus dictum fuit, ut habet Regino L. 2. de disciplina Eccl. 77. *De pugna duorum, quod nostri campum vocant*; qui significatus nostræ etiam legis est, & in chartis & legibus antiquis frequenter occurrit. Admittebantur autem & decernebantur ejusmodi monomachiæ non solum in caussis capitalibus, sed & sæpe levissimi momenti, ut est in L. Anglior. tit. 15. *A duobus solidis usque ad maximam compositionem, in furto & vulneribus campus judicat.* Imprimis vero videntur fuisse adhibita duella præter causas criminales in probationibus proprietatis prædiorum, sicuti nostra lex in tali controversia ad campum provocat, & lex Alemannor. tit. 84. in parili causa decisionem prælio committit, cujus legis verba, cum processum juris duellici in materia possessionum curiose præscribant, integra huc adscribere non piget. Sunt vero hæc: *Si quæ contentio orta fuerit inter duas genealogias de termino terræ eorum, & unus dicit, hic est noster terminus, alius revadit in alium locum, & dicit, hic est noster terminus. Ibi præsens sit Comes de plebe illa, & ponat signum, ubi iste voluerit terminum, & girent ipsam contentionem. Postquam girata fuerit, veniant in medium, & præsente Comite, tollant de ipsa terra, quod Alemanni curffodi dicunt, & ramos de ipsis arboribus infigant in ipsam terram, quam tollunt, & illæ genealogiæ, quæ contendunt, levent illam terram præsente Comite, & commendent in sua manu, usque ad statutum placitum. Tunc spondeant inter se pugnam duorum. Quando parati sunt ad pugnam, tunc ponant ipsam terram in medio, & tangant ipsam cum spathis suis, cum quibus pugnare debent, & testificentur Deum creatorem, ut cujus sit justitia, ipsius sit & victoria; & pugnent. Qualis de ipsis vicerit, ipse possideat illam contentionem, & illi alii præsumtuosi, quia proprietatem contradixerunt, componant cum XII. Solidis.* Reliquas hujus monomachiæ regulas, a decertantibus observandas, longa serie recensitas exhibet Spec. Sax. L. 1. art. 63. inter quas de armatura dimicantium hæc habentur: *Der Richter sol zwey Boten geben, iwren tegliconen einen, die da fechten sollen, die da sehen, dasz sie angelegt werden nach rechter Gewohnheit. Leder und leinen Ding mogen sie wohl anthun als viel als sie wollen. Haupt und Fusse sollen ihnen fornen blosz seyn, und an den Handen sollen sie nicht mehr haben dann dunne Handschue, ein blosz Schwerd in der Hand, und eines oder zwey umgegurt, das stehet dann in ihrer beyder Willkuhr, einen doppelten Schild in der andern Hand, da nichts dann Holtz und Leder an sey, die Bockeln mogen wohl eisern seyn, einen Rock ohne Ermel uber der Gare.* Plura vide apud Doctiss. Cangium in Glossar. sub voce *Duellum*.

(2) *Sibi concrediderit.*) Lindenbrog. *sibi recrediderit.* Et utraque lectio admittenda; *concredere* enim & *recredere* depravatæ latinitatis scriptoribus est delictum & culpam agnoscere, per duellum se victum profiteri, & hosti sese tradere ac reddere, quæ proprie vis est vocis *recredendi* & *concredendi*. Hac namque notione hæc vocabula sæpius occurrunt in tabulis antiquis, cum accusativo tamen constructa. In Capit. Car. Calv. tit. 16. §. 3. *Quia sese concrediderit & humiliaverit, & emendare voluerit.* Vetus notitia apud Sirmondum: *Cognoscentesque rei veritatem, atque comprobationem, statim se recrediderunt.* Et in Annalibus Francorum Bertinianis ad ann. 787. *Tassilo venit per semetipsum, tradens se in manus Domini Regis Caroli in Vassaticum, & recredidit se, in omnibus se peccasse.* Plura testimonia prabet Cangius.

(3) *Liber homo, qui sub tutela nobilis.*) Eum in modum, ut Romulus olim, teste Dionysio Halicarn. L. 1. n. 63. populum Romanum in Patres & plebeios distinguens, illos patronos, hos eorum clientes esse voluit, ut nempe patronos oporteret lites pro clientibus suscipere, & si ii in jus vocarentur, accusantium impetus sustinere, unde deinde *jus applicationis* Romanis dictum fuit, cum plebeji se in clientelam patriciorum commendarent; ita apud veteres Germanos in potentiorum & nobilium tutelam ac protectionem se & bona sua ponebant inferioris conditionis homines, villarum incolæ, liberi tamen & ingenui, ut haberent, qui se & sua tuerentur ac protegerent contra inimicos, aut bonorum invasores. Hunc clientelarem nexum plebeii initio, eoque tempore, quo faidæ, diffidationes bellaque privata pravis gentis consuetudinibus introducta, nemini tranquillam & securam rerum suarum possessionem relinquebant, magis necessitate coacti, quam lege adducti subibant. Sed mox legitimum effectum est patrocinium, ut videtur posse colligi ex Charta divisionis Caroli M. cap. 5. *Et unusquisque liber homo post mortem domini sui licentiam habeat se commendandi inter hæc tria regna ad quodcunque voluerit, similiter & ille, qui nondum alicui commendatus.* Et ex L. Wisigoth. L. 5. tit. 3. §. 1. *Si vero alium sibi patronum elegerit, habeat licentiam, cui se voluerit commendare: quonjam ingenuo homini non potest prohiberi, quia in sua potestate consistit.* Atque ex formulis secundum L. Romanam cap. 44. apparet, ingenuos se aliquando hac lege alterius patrocinio subdidisse, ut, absque tamen libertatis præjudicio, servitium & obsequium se exhibituros promitterent,

missus est, si hæreditatem suam, necessitate coactus vendere voluerit, offerat eam primo proximo suo; si ille emere noluerit, offerat tutori suo (1), vel ei, qui tunc a Rege super ipsas res constitutus est. Si nec ille voluerit, vendet eam cuicunque voluerit.

TITULUS XVIII.

De liti conjugio [1].

I. LIto Regis (2) liceat uxorem emere, ubicunque voluerit.

II. Sed non liceat ullam fœminam vendere.

TITULUS XIX.

De solidis.

I. SOlidus est duplex (3), unus habet duos

1 Lindenbr. *de conjugio.*

---

terent, & se subtrahendi deinde facultati renunciarent. Interdum in compensationem protectionis annuam præstationem exsolvebant, quæ in specie *salvamentum & commendatio* dicebatur, de quibus vide Cangium suis locis. Nostrisque magistratibus hodienum in usu est a subditis jurisdictionis pro tuitione canonem exigere, quem congruo nomine *das Schutz-Geld* vocamus. Supra etiam ad tit. 2. §. 1. ostendimus, vi hujus tutelæ, homini libero præstitæ, partem dimidiam Wergeldi pro cliente occiso, patrono ejus competiisse. Lege præterea Wisigothor. l. c. cautum, ut *quicunque in patrocinio constitutus, suo patrono aliquid acquisiverit, medietas ex omnibus in patroni vel filiorum ipsius potestate consistat.*

(1) *Tutori suo.*) Qui nullus alius est, quam ille ipse nobilis, cujus sub tutela liber homo hactenus, antequam exulare juberetur, degerat.

(2) *Lito Regis.*) Liti Regis qui fuerint, ex iis, quæ supr. ad tit. 2. §. 3. de Conditione Litorum commentati sumus, liquido constare poterit, nempe fuisse eos homines, ad tributum Regi solvendum obnoxios, qui alio titulo *fiscalini* passim audiunt, quod fisco regio essent tributarii. Hæc clara sunt, sed quare hoc §. litis regiis in specie privilegium aliquod uxores emendi, ubicunque voluerint, tribuatur, ulteriori inquisitione indigere videtur, cum ex aliis nostræ legis locis non appareat, hanc uxores emendi licentiam reliquis litis, vel alius conditionis hominibus fuisse circumscriptam. Me quidem interprete, hæc legis dispositio respicit alias gentis Saxonicæ consuetudines, quas nostra Lex tanquam tunc temporis in vulgus notas, silentio præteriit, quarum autem diserte meminit Adamus Bremensis Histor. Ecclesiast. L. 1, cap. 5. *Et id legibus firmatum, ut nulla pars in copulandis conjugiis, propriæ sortis terminos transferat: sed nobilis nobilem ducat uxorem, & liber liberam, libertus coniungatur libertæ, & servus ancillæ. Si vero quispiam horum sibi non congruentem, & genere præstantiorem duxerit uxorem, cum vitæ suæ damno componat.* Et parilis ea de re Regis Rotharis constitutio, licet de servis solum disponens, extat in L. Longobard. L. 2. tit. 9. §. 2. *Si servus liberam mulierem aut puellam ausus fuerit sibi conjugio sociare, animæ suæ incurrat periculum; & illam, quæ servo fuerit consentiens, habeant parentes potestatem occidendi, aut foris provinciam transvendendi, & de rebus ipsius mulieris faciendi, quod voluerint. Et si parentes ejus infra anni spatium hoc facere distulerint, tunc liceat gastaldio Regis, aut actori, aut sculdasio ipsam in curtem Regis ducere, & inter pensiles ancillas constituere.* Nec non in L. Wisigothor. L. 3. tit. 2. l. 2. *Si mulier ingenua servo suo vel proprio vel liberto, se in adulterio commiscuerit, aut forsitan eum maritum habere voluerit, & ex hoc manifesta probatione convincatur, occidatur; ita ut adulter & adultera ante judicium publice fustigentur, & ignibus concrementur. Cum autem per reatum tam turpis admissi, quicunque judex, in quacunque regni nostri provincia constitutus, agnoverit dominam servo suo, sive patrono libertam fuisse conjunctam, eos separare non differat,* L. 3. eod. *si mulier ingenua servo alieno, sive Regis, se in matrimonium sociaverit, sive etiam per adulterium jungere præsumpserit, statim, ubi primum hoc judex agnoverit, eos ad separandum festinare non differat, ut pœnam, quam merentur, excipiant: hoc est, singuli eorum centena flagella suscipiant.* Cum igitur non liceret personis diversæ & inæqualis conditionis connubia inire, indultum fuit regio lito, ut impune & valide ad matrimonium mulieris liberæ, vel etiam nobilis aspirare posset; ita namque præsentem titulum intelligo.

(3) *Solidus est duplex.*) Recte Siccama ad Leg. Frision. tit. 15. §. 1. animadvertit, non esse in tota antiquitate Germanica locum obscuriorem, quam rem monetariam veterum, nullam tamen utiliorem, & sine cujus cognitione leges priscas, quibus nummariæ pœnæ occurrunt, difficile est intelligere. Operose propterea ipse, pariter ac Wendelinus in Glossario Salico, Pithœus, Lindenbrogius, Spelmannus & Cangius in eruendo nummorum antiquorum vero pretio & pondere egerunt. Verum cum tot fere fuerint antiquitus nummorum genera, interdum ejusdem nominis, sed diversi valoris, quot populi Germaniæ, ita, ut interpretum conjecturæ cunctis legibus veniant applicandæ, valde vereor. In genere ex inspectione legum apparet, Maiores nostros computasse per *Libras, Solidos, denarios & tremisses*. Libras argenti nominat L. Frision. tit. 15. & tres earum species fuisse opinatur Siccama l. c. maximam nempe sive Salicam, mediam sive Francicam, & minimam sive Frisicam. *Maxima libra* ipsi constat unciis duodecim, sive viginti solidis, quorum unus quadraginta denarios capiebat; *Media* pariter unciis duodecim & viginti solidis, sed quorum unus non nisi duodecim denarios efficiebat; *Minima* tandem æque solidis viginti, quorum autem unus trium denariorum fuit, ita ut libræ quatuor Frisonicæ unam libram Francicam efficerent. In eo præterea conveniunt eruditi, *Solidum* nummum fuisse aureum, *denarium* vero argenteum, & observante Wendelino, Solidus vel fuit Romanus, in auro obryzo quarta pars unciæ, planissime respondens *Nobili Rosato*, tam pondere, quam metalli bonitate, vel Salicus, sive Francicus, minoris pretii, quam Romanus, etsi ejusdem ponderis, propter metalli vilitatem, valoris *Floreni Rhenensis*, ex mente Siccamæ *Coronati Francici*. Denarii Wendelino videntur fuisse oboli illi bracteales, sive

duos tremiſſes (1), quod eſt[1] bos anniculus (2), duodecim menſium, vel ovis cum agno.

II. Alter ſolidus tres tremiſſes, id eſt, bos XVI. menſium.

III. Majori ſolido aliæ compoſitiones, minori homicidia componuntur (3).

1 Lindenbr. *qui eſt.*

ve bracteati, quorum copiam plurima gazophylacia in Germania aſſervant, & ſingulum taxat Siccama tribus ſtuferis & ſemi, monetę Hollandicæ, quod pretium duobusgroſſis monetę Saxonicę proxime accederet. Horum denariorum quadraginta ſolidum Francicum conſtituebant, ut habet Gloſſa interlinearis Codicis Regii ad Caroli M. Capitula Legis Longobardorum §. 15. a Baluzio citata: *Per Salicam enim legem conſtitutum fuerat, ut ſolidi ſemper ſolverentur quadraginta denariis.* Sed ævo jam Pipini obtinuiſſe videtur, ut ſolidus ad duodecim denariorum valorem redigeretur, & pro aureo argenteus conſtitueretur, quod probat Synodus Remenſ. cap. 41. *Ut dominus Imperator ſecundum ſtatutum b. m. Pipini, miſericordiam faciat, ne ſolidi, qui in lege habentur, per XL. denarios diſcurrant.* Unde Carolus M. L. 4. Capit. cap. 45. & in Capitul. ad L. Longob. §. 15. nec non Ludovicus Imp. in Capit. ad L. Salic. §. 2. edixerunt, *ut omnis ſolutio atque compoſitio per XII. denariorum ſolidum componatur, excepto ubi contentio inter Saxones & Friſiones exorta fuerit, vel Saxo aut Friſo Salicum occiderit;* ibi voluerunt, *ut XL. denariorum quantitatem ſolidus habeat.* Ipſius autem Caroli M. Capitulare Saxonum, anni 797. §. ult. 11. deinde ſolidum Saxonicum cum ſolido Francico exæquavit, ſtatuens: *in argento XII. denarii ſolidum faciant.* Hæc an illuſtrandis ſolidis Saxonicis ſufficiant, alii judicent. Tu autem cave putes, ſolidos illos, quos adhibet auctor Speculi, antiquis illis convenire, viliores enim iſtis fuerunt, & ferme ejus pretii, quo tremiſſis, de quo mox dicemus, valuit.

(1) *Unus habet duos tremiſſes.*) Tremiſſis, ut etymologia vocis probat, regulariter fuit pars tertia ſolidi, quare Iſidorus Origin. Libr. 16. cap. 24. *Cujus* (Solidi) *tertiam partem ideo dixere tremiſſem, eo quod ſolidum faciat ter miſſus.* Eius præterea mentio in Legibus Friſionum, Wiſigothorum & Alemannorum frequenter occurrit. Quodſi igitur ſolidus Saxonicus, ſecundum ſuperius dicta, XII. denariis compoſitus fuit, quorum ſingulus valorem duorum groſſorum obtinuit, æſtimatio tremiſſis fugere nos deinceps nequit. Exinde porro colligimus, cum hoc & ſubſ. §. duplicis ſolidi mentio fiat, unius duobus, alterius tribus tremiſſibus conſtantis, eam inter hos ſolidos fuiſſe differentiam, qualis hodie inter florenum argenteum & Vallenſem intercedit. Et neſcio, an antiquæ huic computandi rationi tribuendum ſit, quod in Saxonia in hunc uſque diem floreni in comparatione Vallenſium dicantur *zwey Drittel-Stucken;* hic enim numerandi modus idem infert, ac ſi dixeris nummum duorum tremiſſium, & noſtræ deductioni ſolidorum & denariorum optime & accurate reſpondet. Idem ſolidus duorum tremiſſium, qui hic nominatur, poſteriori ævo adhuc in uſu fuit Goſlarienſibus, cum conderent ſtatuta, in quibus tit. *von Vrede Bracke*, leg. 55. legitur: *We ſtelet, dat vif ſcillinghe wert is, de vorſchuld des Galgen;* ubi gloſſa MSta addit: *vif ſcillinghe das ſind funf Gulden.*

(2) *Quod eſt bos anniculus.*) Tacitus de morib. German. *Sed & levioribus delictis pro modo pœnarum, equorum pecorumque numero convicti mulctantur. Luitur etiam homicidium certo armentorum ac pecorum numero.* In magna nempe Majorum noſtrorum paupertate vix fieri potuit, ut parata pecunia debita ſolverentur, unde nummos pecoribus commutare oportebat, quorum ergo pretium legibus determinandum erat. Hinc teſte Siccama ad L. Friſion. tit. 1. §. 1. antiquo jure Friſico diſpoſitum fuit: *dat alle Freſena biara fird beta mey biara fia*, i. e. ut omnes Friſii pœnam vel fredam ſuam pecoribus redimant. Cum noſtra lege propterea convenit Capitulare Saxonum de anno 797. cap. ult. *Illud notandum eſt, quales debent Solidi eſſe Saxonum: id eſt, bovem annoticum utriuſque ſexus autumnali tempore, ſicut in ſtabulum mittitur, pro uno ſolido: ſimiliter & vernum tempus, quando de ſtabulo exiit, & deinceps, quantum ætatem auxerit, tantum in pretio creſcat.* Et Lex Ripuarior. tit. 36. §. 11. jubet: *Si quis Weregeldum ſolvere debet, bovem cornutum videntem & ſanum pro duobus ſolidis tribuat, vaccam cornutam videntem & ſanam pro uno ſolido tribuat, equum videntem & ſanum pro ſex ſolidis tribuat, equam videntem & ſanam pro tribus ſolidis tribuat, ſpatam cum ſcogilo pro ſeptem ſolidis tribuat, ſpatam abſque ſcogilo pro tribus ſolidis tribuat, bruniam bonam pro duodecim ſolidis tribuat, helmum cum directo pro ſex ſolidis tribuat, bainbergas bonas pro ſex ſolidis tribuat, ſcutum cum lancea pro duobus ſolidis tribuat, acceptorem non mutatum pro tribus ſolidis tribuat, commorſum gruarium pro ſex ſolidis tribuat, acceptorem mutatum pro duodecim ſolidis tribuat.*

(3) *Homicidia componuntur.*) Lindenbrogius ex tribus noſtris §§. unicum conſtituens, finalibus verbis ſequentia addit: *Weſtfalaiorum, & Angrariorum & Oſtfalaiorum ſolidus eſt, ſecalis ſceffila XXX. ordei XL. avenæ LX. Apud utroſque duo, ſi de mallis ſol. quadrimis bos duo ſolidi: duo boves, quibus arari poteſt, quinque ſol. bos bonus tres ſolidi. Vacca cum vitulo, ſolidi duo & ſemis.* Forte hæc interpolatæ lectionis ſunt, & ex cit. cap. ultim. Capitularis Saxonum maximam ad partem depromta, ubi: *De annona vero bortrinis pro ſolido uno ſcapilos XL, donant, & de ſigale XX. Septentrionales autem pro ſolido ſcapilos XXX dent, & ſigale XV. Mel vero pro ſolido bortrenſi ſiglæ I. & medio donant: Septentrionales autem duos ſiclos de melle pro I. ſolido donent. Item hordeum mundum ſicut & ſigale pro I. ſolido donent.* Ex quibus quidem certum redditur, Saxones olim ſicuti pecora, ita & frugum quantitatem pro nummis ſubſtituiſſe, eum in modum, uti recentioribus noſtræ gentis & dicaſteriorum in Saxonia pronunciandi conſuetudinibus obtinuit, fures ferarum minorum mulcta 100. florenorum, vel *centum modiorum avenæ, um 100. Scheffel Haber* puniri. Quare quomodocunque hæc adducta verba in Lindenbrogianum noſtræ Legis exemplar irrepſerint, non inconcinna ſunt, & ſi admittenda, concludendum exinde erit, priſcis Saxonibus ſolido uni LX. modios avenæ fuiſſe æquatos, hordei XL. ſecalis XXX. *Sceffilum* namque, vel *Sceffilus*, quod in Capitulari adducto dicitur *Scapilus*, eſt noſtrum *Scheffel*, modius nempe, quo & nunc in menſurando frumento utimur. Sed obſcura ſunt, quæ apud Lindenbrogium ſequuntur: *Apud utroſque duo, ſi de mallis ſol.* quæ propterea nemo facile intelliget. Verum, niſi me omnia fallunt, ſunt verba miſere corrupta,

CAROLI MAGNI (1)
CAPITULATIO (2)
DE PARTIBUS SAXONIÆ (3).

HÆC DE PARTIBUS SAXONIÆ CONSTITUTA SUNT.

INCIPIUNT CAPITULA.

1. *De honore Eccleſiarum.*
2. *De confugio ad Eccleſiam,*
3. *Si quis Eccleſiam per violentiam intraverit, aut furatus fuerit, aut incenderit.*
4. *De*

---

rupta, & incurioſe deſcripta ex cit. Capitulari Sax. in cap. ult. *Septentrionales autem duos ſiclos de melle pro uno ſolido donent*; ut igitur lectio eſſe debuerit *apud utroſque duo ſicli de melle* (ſunt) *ſolidus*. *Siclus* nempe eſt menſura liquidorum, ſicut *Sceſſilus* aridorum, ut probandum eſt ex L. Alemannor. tit. 22. *Servi eccleſiæ tributa ſua legitime reddant, XV. ſiclas de cereviſia, porcum valentem tremiſſe uno.* Porro apud Lindenbrogium leguntur: *quadrimis bos duo ſolidi*, quæ verba videntur eſſe arceſſita ex ſuper. tit. 4. de furtis, §. 5. *Qui bovem quadrimum, qui duos ſolidos valet, nocte furto abſtulerit, capite puniatur.* In fine Legis idem Lindenbrogius addit: *Explicit Lex Saxonum*; quæ eſt coronis, priſcis legum deſcriptoribus quam maxime ſolemnis.

(1) Imperatoris Caroli M. gentis Saxonicæ domitoris, Capitularia duo de rebus Saxonicis, quorum alterum inſcribitur *Capitulatio de partibus Saxoniæ*, alterum *Capitulare Saxonum*, diu abſcondita, & eruditorum notitiam penitus fugientia, latuerunt in Bibliotheca Vaticana, donec ſolertiſſima illuſtriſſimi Principis Ferdinandi Furſtenbergii, Paderbornenſis Epiſcopi, ac de orbe litterario immortaliter meriti, inquiſitione, dum Romæ verſaretur in aula Alexandri VII. Pontificis, ex ſcriniis ejuſdem Bibliothecæ eruta, in lucem primum producta, & viris antiquitatum amantibus communicata fuerunt. Vid. ejuſd. Principis Furſtenbergii hujus rei teſtimonium, in ejus Præfatione ad Privilegium Car. M. Oſnabrugenſi Eccleſiæ datum, in Monument. Paderb. p. 324. Quo facto, Romæ eorum editionem typis impreſſam paravit Bibliothecæ Vaticanæ tunc temporis Præfectus, Lucas Holſtenius. Atque juxta illud Romanum Exemplar eadem Capitularia duo denuo edidit, & Libro ſuo de Origine Juris Germanici publicavit Hermannus Conringius, p. m. 339. ſeqq. Ipſe deinde eorum repertor, laudatus Princeps Ferdinandus, cum ederet Monumenta Paderbornenſia, iis citata Capitularia pag. 329. ſeqq. ſubnexuit. Antea igitur in Collectionibus Capitularium Anſegiſi, Benedicti Levitæ, Herardi, Iſaaci, Heroldi, Tilii, Sirmondi, Pithoei, Amerbachii, Lindenbrogii, hæc Saxonum Capitularia locum non habebant, ſed nunc in recentiſſima eorundem Capitularium Regum Francorum editione, quam Stehano Baluzio debemus, Tom. I. p. 250. & 275. iiſdem verbis, ut reliqui ſiſtunt, leguntur, niſi quod in Baluziana editione numerus capitulorum, ex eo, quod procemium inter illa retulerit, reliquarum lectionum capita uno ſuperet. Idem Baluzius quoque Tom. II. Capit. p. 1039. & 1047. quædam, ſed perpauca octo vix notulis, ad illa annotavit. Ultimo loco Hermannus Adolphus Meinders, JCtus Bielfeldenſis, Tractatui ſuo de ſtatu Religionis & Reipubl. ſub Car. M. qui anno hujus ſæculi undecimo prodiit, p. 23. ſeqq. hæc eadem duo Capitularia inſeruit, & commentario illuſtravit, in quo tamen conficiendo nimium ſe diffudit, etſi plurima lectu non ſpernenda adduxerit. Ætas poſterioris Capitularis ex procemio ejus certa redditur, & annum poſt C. N. 797. præfert; ſed prius, *Capitulatio* nempe *de partibus Saxonum*, incerti anni eſt, & agnoſcit Baluzius, difficile eſſe pronunciare de anno, quo edita ſunt ejus capitula, utut ipſe ea anno 788. adſcribat, adductus teſtimonio quodam Ditmari Merſeb. & binis Caroli M. præceptis *de inſtitutione Epiſcopatuum per Saxoniam*, ac *pro Trutmanno Comite*, anno 789. datis, ac pag. 246. ſeqq. a ſe exhibitis. Curatius conſiderantibus apparebit, utrumque Capitulare pene totum legibus eccleſiaſticis, & ad religionem ſpectantibus confici, quibus Imperator Carolus populum devictum, & noviter ad Chriſtum converſum, indictis graviſſimis pœnis, in fide ſuſcepta, & obſequiis continere tentavit. Furſtenbergius l. c. notatu digna in illis invenit, quod triplicem Saxoniæ diviſionem, in Weſtphaliam, Angrariam & Oſtphaliam ſuis nominibus exhibeant, interfuerintque a Carolo evocati ex his provinciis proceres, quorum conſenſu hæ leges ſancitæ ſunt, atque religionis Chriſtianæ initia, proſcriptæque ex Saxonia veteres populi ſuperſtitiones inde addiſcantur. Sunt præterea, qui putant, hæc Capitularia Saxonum fundamentum fuiſſe Judiciorum Weſtphaliæ occultorum, aut certe hæc ad illa ſuſtinenda fuiſſe inſtituta, qua in ſententia fuiſſe deprehendo Stephanum Baluzium in not. ad Capit. p. 1039. cenſentem, huc pertinere verba Trithemii, qui Libr. 6. Polygraphiæ de bellis Caroli M. cum Saxonibus loquens, ſcribit: *Veritus autem, ne denuo, ſicuti pluries fecerant, apoſtatarent a fide, ſecretos quoſdam inſtituit exploratores, quibus judiciariam contulit poteſtatem, qui totam Saxoniam peragrantes, de fide ac moribus gentis ſecrete inquirerent diligenter, & quoſcunque reperirent apoſtataſſe a fide, raptores, adulteros, blaſphemos, Eccleſiæ ac ſacerdotum ejus & mandatorum contemtores, ſeu notoriis criminibus Chriſtianam Rempublicam perturbantes, aut populum ad paganiſmum revocantes, vel ſollicitantes, ſine dilatione imperiali & regali auctoritate, impune laqueo ſuſpenderent, vel alias, ut poſſent, necarent.* Sed alii de hac re aliter ſentiunt, & occultorum illorum judiciorum inſtitutionem Carolo

Imp.

4. *De Jejunio quadragesimali observando.*
5. *De interfectione Clericorum.*
6. *De magis & strigis occisis.*
7. *Ne corpora defunctorum crementur.*
8. *Qualiter puniantur Saxones, qui ad baptismum venire noluerint.*
9. *De his, qui homines dæmonibus immolant.*
10. *Quæ pœna eos maneat, qui cum paganis adversus Christianos conspirant.*
11. *De eo, qui infidelis est domino Regi.*
12. *De eo, qui filiam domini sui rapuerit.*
13. *De eo, qui dominum vel dominam suam interfecerit.*
14. *Vita ei concedatur, qui de mortalibus criminibus latenter commissis pœnitentiam agere voluerit.*
15. *De rebus & mancipiis Ecclesiarum.*
16. *Ut decima detur Ecclesiis de omni re, quæ ad fiscum pervenerit.*
17. *Ut omnes decimam partem substantiæ & laboris sui donent Ecclesiis.*
18. *Ne dominicis diebus placita teneantur.*
19. *Ut infantes baptizentur infra annum.*
20. *De conjugiis prohibitis.*
21. *Qualiter puniendi sint, qui vota ad fontes, aut ad arbores, vel lucos faciunt.*
22. *Ut corpora defunctorum in cœmeteriis Ecclesiæ sepeliantur.*
23. *De divinis & sortilegis.*
24. *De latronibus & malefactoribus.*
25. *Ut nullatenus alterum aliquis pignorari præsumat.*
26. *Ut nulli ad Regem pro sua reclamatione venienti viam contradicere aliquis præsumat.*
27. *De fidejussoribus dandis.*
28. *Ut munera super innocentem nullus accipiat.*
29. *Ut Comites pacem & concordiam ad invicem habeant.*
30. *De eo, qui Comitem interfecerit.*
31. *Qualiter bannus solvatur pro faida.*
32. *De juramento in Ecclesia præstando.*
33. *De perjuriis.*
34. *Ne Saxones agant conventus publicos nisi per jussionem Regis.*

INCIPIUNT SUPRASCRIPTA CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

De honore Ecclesiarum.

I. PRimum de majoribus capitulis (4) hoc placuit omnibus (5), ut Ecclesiæ Christi, quæ modo construuntur in Saxonia, & Deo sacratæ sunt, non mino-

 rem

Imp. tribuendam esse dubitant, de qua controversia consule Freherum, Thomasium, Menkenium, in differt. de hisce judiciis, Okelium de Palatio Regio pag. 15. Gryphiandrum de Weichb. Saxon. cap. 59. Conringium de judiciis German. §. 40. ac eundem de origin. Jur. Germ. cap. 19.

(2) *Capitulatio.*) Nomen huic legi impositum, quo nullam aliam antiquioris ævi præter hanc inscriptam hactenus reperi. Reges enim Francorum Carolingici, ipse imprimis Carolus M. nostræ legis auctor, sua sancita constanter titulo *Capitularium* promulgaverunt, id quod Volumina collectorum Capitularium, & subsequens Capitulare Saxonum satis ostendunt. Interim idem significatus, eadem etymologia *Capitulationis & Capitularis* erunt. Nomen autem Capitularium generale esse, & in universum intelligi de omni opere scripto, in capita diviso, probat Baluzius in Præf. ad capit. §. 2. & scriptum capitulis distinctum reddit Cangius in Gloss. sub hac voce. Imprimis autem hæc appellatio porrecta fuit ad constitutiones & decreta, ex eadem ratione, ut recte adnotant Sirmondus & Baluzius l. c. §. 3. quod capitulatim concepta distinctaque essent. Observante autem Cangio, Regum præsertim sanctiones Capitularia appellata sunt, non tamen omnes, sed eæ, quæ in publicis Comitiis, vel Synodis, vel Conciliis, Episcoporum ac populi consensu edebantur. Videntur præterea Capitularia a legibus in specie sic dictis ex duplici ratione distincta fuisse. Primo nempe leges dicebantur de rebus secularibus, causisque civilibus confectæ, Capitularia vero, quę de causis ecclesiasticis & ad statum religionis spectantibus constituebantur, ut non solum id innuit prologus Ludovici Pii ad Capitul. an. 816. ubi: *Quid etiam in legibus mundanis, quid quoque in capitulis inserendum foret, adnotaverimus*; sed & ipsa nostra Capitulatio & subsequens Capitulare probant, utpote de Religione & ecclesiastica disciplina, ceu diximus, mere conscripta. Deinde Capitula erant quasi legum appendices & additamenta, interdum emendationes & derogationes, unde prostant Capitula ad L. Salicam, ad L. Ripuariorum, ad L. Longobardorum &c & ipse Imperator in Capitul. de anno 821. ait: *Capitula, quæ præterito anno Legi Salicæ per omnium consensum addenda censuimus, jam non ulterius Capitula, sed tantum lex dicantur, & pro lege teneantur.* Ut igitur conjectura sit, eaque non levis, hæc duo Capitularia de rebus Saxonicis compilata, fuisse supplementa & additamenta illius ipsius Legis Saxonum, quam in superioribus commentario illustrare suscepimus, & ita intelligo infr. Capitul. 32. ad eandem legem provocare: *De perjuriis secundum legem Saxonum sit.*

(3) *De partibus Saxoniæ.*) Saxoniam in partes, id est, in distinctas provincias, a situ denominatas Angrariam, & Ostphaliam, & Westphaliam, fuisse divisam, jam supr. ad L. Saxon. tit. 8. §. 1. annotavimus. Hujus igitur divisionis intuitu Capitulatio dicitur *de partibus Saxoniæ*, quod in subsequ. Capitulari redditur: *Congregatis de diversis pagis, tam de Westfalabis & Angrariis, quam & de Ostfalabis.*

(4) *De majoribus capitulis.*) Capitula priscis dicuntur loca, in quibus conveniunt monachi & Canonici, teste Papia inde sic dicta, quod Capitula, id est, regulæ ibi legantur. Et ita antiquitus obtinuit, ut & conventus inferiorum clericorum sub hoc nomine venirent, sicuti ex nostra Capitulatione perspectum haberi poterit, ubi in procemio *Capitula majora*, in capit. subs. 14. *minora Capitula* nominantur. Sed nostris temporibus Capitulum proprie loquendo dicitur respectu Ecclesiæ Cathedralis, sive Episcopalis, quod hoc loco nuncupatur Ca-

rem habeant honorem, sed majorem & excellentiorem, quam fana (6) habuissent idolorum.

De confugio ad Ecclesiam.

II. Si quis confugium fecerit in Ecclesiam, nullus eum de Ecclesia per violentiam expellere præsumat, sed pacem habeat (7), usque dum ad placitum præsentetur; & propter honorem Dei, sanctorumque Ecclesiæ ipsius reverentiam, concedatur ei vita & omnia membra. Emendet autem caussam, in quantum potuerit, & ei fuerit judicatum, & sic ducatur ad præsentiam domini Regis, & ipse eum mittat (8), ubi clementiæ ipsius placuerit.

Si quis Ecclesiam per violentiam intraverit, aut furatus fuerit, aut incenderit.

III. Si quis Ecclesiam per violentiam intraverit, & in ea per vim vel furtum aliquid abstulerit, vel ipsam Ecclesiam igne cremaverit, morte moriatur (9).

De Jejunio quadragesimali observando.

IV. Si quis sanctum quadragesimale jejunium pro despectu christianitatis contempserit, & carnem comederit, morte moriatur (10). Sed tamen consideretur a sacerdote, ne forte caussa necessitatis hoc cuilibet proveniat, ut carnem comedat.

De

Capitulum majus, in quo sedes & cathedra est Episcopi, vel Archiepiscopi, sicuti intuitu inferioris Ecclesię, Conventus hodie haberi intelliguntur. Conf. Cangium sub hac voce. Capitulorum igitur ejusmodi majorum, sive quod idem erit, Episcopatuum, si fides habenda Adamo Bremens. Libr. 1. histor. Eccl. Carolus Imper. populo Saxonico ad fidem Christianam converso, octo instituit, inque tot diœceses Saxoniam Christianam divisit. Sic dictum *Præceptum*, quod Carolo M. vulgo tribuitur, *de Institutione Episcopatuum per Saxoniam*, ad Ecclesiam Bremensem spectans, idem Adamus Brem. l. c. & ex eo Baluzius Tom. 1. Capit. p. 245. exhibent. Aliud de Episcopatus Verdensis institutione publicavit, & Adami Bremensis Historiæ subjecit Joachimus Joannes Maderus, quod tamen corruptum & interpolatum in quibusdam locis, declarat Baluzius l. c.

(5) *Placuit omnibus.*) Hæc ad formam ferendorum Capitularium spectant, quam nobis erudite depingit sæp. cit. Baluzius in Præf. ad Capit. §. 7. seq. Condebantur nempe leges istę auctoritate equidem Regum & Imperatorum, verum in publicis semper regni comitiis, conventibus & placitis, adstante frequenti Episcoporum, Abbatum, Nobilium & magistratuum corona, quos in consilium adhibebant Reges, iisque Capitula, quæ promulgari debebant, examinanda prius exhibebant. Approbata ab his legebantur coram populo, qui de consensu declarando interpellabatur, & postquam omnes consenserant, novis illis capitulis subscribebant. Testatur id subscriptio Capitular. 2. anno 803. apud Baluz. Tom. 1. p. 391. & Capitular. 3. ejusd. anni Capit. 19. *ut populus interrogetur de capitulis, quæ in lege noviter addita sunt, & postquam omnes consenserint, subscriptiones & manufirmationes suas in ipsis capitulis faciant*. Et in Caroli M. Constitutione ab Impp. Frider. I. & II. confirmata legitur: *Prout cunctis placuit prudentioribus Regni nostri, Legem Saxonum .... distinxi, distinctam sub auctoritate Regia & Imperatoria stabilivi, non ex mea adinventione, sed communi consilio a me renovatam & auctam in me.m., sicut patres & prædecessores mei fecisse perhibentur*. Idem quoque Carolus M. alio loco, Capitular. Libr. 6. cap. 371. ait: *Et quando, vita comite, DEO auxiliante, ad generale placitum venerimus, consultu omnium fidelium nostrorum scriptis firmare, nostris nostrorumque atque futuris temporibus infragabiliter manenda, firmissime Domino adminiculante cupimus. Modo ea, quæ generalia sunt, & omnibus conveniunt ordinibus, statuere, ac cunctis Sanctæ Ecclesiæ, nostrisque fidelibus ob DEI omnipotentis amorem & recordationem tradere parati sumus, & ad proximum Synodalem nostrum conventum ac generale placitum, ubi plures Episcopi & Comites convenerint, ista, sicut postulatis, firmabimus*. Plura in eam rem loca adduxit Baluz. l. c. ut recte inde conjecerit Marcus Antonius Dominicus, omnium ordinum consensum desideratum fuisse, si capitula legis vim habere deberent.

(6) *Fana.*) Baluzius legit *vana*, & in notis dicit esse lectionem Editionis Romanæ. Germanicæ habent fana. Cæterum ex his infirmum redditur Taciti testimonium, Libro de morib. Germ. scribentis: *Germani nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem assimilare, ex magnitudine cœlestium arbitrantur*.

(7) *Sed pacem habeat.*) Collato in Ecclesias & templa asylorum jure, præsens Capitulum emendatio erit Legis Saxonum tit. 3. §. 5. ubi: *capitis damnatus, nusquam habeat pacem. Si in ecclesiam confugerit, reddatur*. Jure tamen recentiori Saxonum, locus sacer non tuetur maleficum, si in illo delictum fuerit. Spec. Sax. L. 2. art. 10. *Wer den Frieden bricht in gebundenen Tagen, den beschirmen die gebundene Tage nicht: Also thut auch die Kirche nicht, noch der Kirchhoff an der That, die ein Mann darinne thut*.

(8) *Eum mittat.*) Id est, in exilium, ut habet Capitulare Ludovici Imp. ad L. Salicam cap. 13. *Faciat illum Comes ad nostram præsentiam venire, ut eum ad tempus, quod nobis placuerit, in exilium mittamus*.

(9) *Morte moriatur.*) Templorum effractores, sacrilegos & incendiarios ultimo supplicio esse afficiendos, jamjam in L. Saxon. tit. 2. §. 8. dispositum est: *Qui in Ecclesia . . . aliquid furaverit, vel eam effregerit, ... capite puniatur*. Et tit. 5. §. 2. *Qui domum alterius, vel noctu, vel interdiu, suo tamen consilio, volens incenderit, capite puniatur*. Conf. Spec. Sax. L. 2. art. 13.

(10) *Morte moriatur.*) Baluzius in hunc locum: *Durum sane*, inquit, *istud, capitalem in eum sententiam dici, qui in quadragesima carnem comederit, si per contemtum fecerit Christianæ fidei. Sed ita in populo contumaci fieri necesse erat, ne semper relaberetur in paganismum. Ævo Ditmari Merseburgensis hæc erat consuetudo inter Polonos, ut, qui carnem post septuagesimam manducasset, dentium evulsione puniretur. Ita enim ipse scribit in initio Libri octavi*: Qui-

cun-

De interfectione Clericorum.

V. Si quis Episcopum aut Presbyterum, sive Diaconum interfecerit, similiter capite punietur (1).

De magis & strigis occisis.

VI. Si quis a diabolo deceptus, crediderit secundum morem Paganorum, virum aliquem aut fœminam strigam esse (2), & homines comedere, & propter hoc ipsam incenderit (3), vel carnem ejus ad comedendum dederit (4), vel ipsam comederit, capitis sententia punietur.

Ne corpora defunctorum hominum crementur.

VII. Si quis corpus defuncti hominis secundum ritum paganorum flamma consumi fecerit (5), & ossa ejus ad cinerem redegerit, capite punietur.

cunque post septuagesimam carnem manducasse invenitur, abscissis dentibus graviter punitur. Lex namque divina in his regionibus noviter exorta, potestate tali melius, quam jejunio ab Episcopis instituto corroboratur.

(1) *Capite punietur.*) Ex more universæ Germaniæ, apud Saxones etiam, homicidium pecuniaria mulcta olim fuisse luendum, integer tit. 2. Legis Saxon. satis superque probat. Sed sicuti dicta lex, religionis reverentia ducta, eum, qui aliquem ad servitium divinum proficiscentem interfecerit, cit. tit. 2. §. 10. capite puniri jussit, ita eadem religionis causa suasit, ut capitali sanctione tuerentur Ecclesiæ ministri, quibus procul dubio populus, armis, metu & vi ad fidem Christianam conversus, infensissimus eo tempore erat.

(2) *Virum aliquem aut fœminam strigam esse.*) Striga minus latine pro strige sæpius in antiquis legibus ponitur. Vid. Leg. Longob. Lib. 1. tit. 11. l. 9. ibique edict. Rotharis tit. 16. l. 2. Est autem strix proprie loquendo avis nocturna inauspicata, *sed quæ sit avium, constare non arbitror*, inquit Plinius Hist. Nat. L. 11. cap. 39. Ovidius vero L. 6. Fastor. v. 135.

Sunt avidæ volucres, non quæ Phineia mensis
Guttura fraudabant, sed genus inde trahunt.
Grande caput, stantes oculi, rostra apta rapinæ,
Canities pennis, unguibus hamus inest.
Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactentia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.
Est illis strigibus nomen. Sed nominis hujus
Causa, quod horrendum stridere nocte solent.

In ejusmodi itaque infaustas aves se transformare vetulas maleficas, & hominum sanguinem sugere, nervosque clam comedere credidit antiquitas credula, ut probat locus apud Festum: *Striges aves nocturnas Græci στρίγγας appellant: a quo maleficis mulieribus nomen inditum est, quas volaticas etiam vocant.* Et ille Petronii cap. 134. *Quæ striges comederunt nervos tuos.* Atque hæc fabula ita increbuit, ut etiam ad Veteres Germanos perveniret, & fide digna ab iis reputata fuerit. Nam & ii striges pro maleficis mulierculis, & persuasum habuerunt, eas hominibus intestina exedere. Ita namque L. Salica tit. 67. §. 2. *Si quis mulierem ingenuam striam clamaverit aut meretricem, & convincere non poterit, VIIMD. Denar. .... culpabilis judicetur.* Et §. 3. *Si stria hominem comederit, & convicta fuerit.* Verum cum flebiles effectus sæpissime produceret hæc ethnica superstitio, & morti ut plurimum traderentur innocentes ii, in quos hujus magicæ transformationis suspicio cadebat, indigna visa fuit Christianis hominibus posteriori ævo, & legibus non solum refutata sæpius deinde, sed & omnis persecutio hoc nomine severissime interdicta L. Longobardor. L. 1. tit. 11. l. 9. *Nullus præsumat aldiam alienam aut ancillam, quasi strigam, quæ dicitur Masca, occidere: quod Christianis mentibus nullatenus est credendum, nec possibile est, ut hominem mulier vivum intrinsecus possit comedere.* Quo & pertinet Canon ille Concilii Anquirensis: *Quisquis credit, posse aliquem transformari in aliam speciem, nisi ab ipso Creatore, qui omnia fecit, procul dubio infidelis est, & Pagano deterior.*

(3) *Incenderit.*) Antiquissimum igitur apud Germanos, præprimis Saxones, veneficio & magiæ præstitutum supplicii genus, fuit vivi comburium, quod retinuerunt recentiores nostræ gentis leges. Specul. Sax. L. 2. art. 13. *Welcher Christenmann oder Weib unglaubig ist, oder mit Zauberey umgehet, oder mit Vergifftung, und der uberwunder wird, die soll man auf einer Horden brennen.* Constit. Crim. Carol. V. art. 109. *So iemand den Leuten durch Zauberey Schaden oder Nachtheil zufuget, soll man ihn straffen vom Leben zum Tod, und man soll solche Straffe mit dem Feuer thun.* Conf. Constit. Elect. Saxon. 2. Part. 4.

(4) *Ad comedendum dederit.*) An hæc anthropophagia, quam præsens Capitulum notat, Saxonibus ipsis aliquando in deliciis fuerit, quæ est sententia Clarissimi Meinders ad h. l. an potius ita intelligenda sit, ut cadavera interemtarum strigum in vim aggravati supplicii & terrorem aliarum, post mortem canibus aliisque bestiis projicerentur olim, me non satis intelligere, lubens fateor. Hoc certum est, scriptorum testimonia non reperiri, quibus constare possit, antiquis Germanis carnem humanam unquam esui fuisse. Mallem propterea in posteriorem sententiam abire, & suspicari, hancce pœnam in striges & maleficas fuisse statutam quondam ab ethnicis hominibus, ut, quæ credebantur striges vivæ in bestias transformatæ homines comedere, jure quasi talionis, nunc mortuæ bestiis devorandæ objicerentur.

(5) *Flamma consumi fecerit.*) Morem cadavera demortuorum cremandi, Germanis gentilibus cum aliis orbis terrarum populis communem fuisse, in vulgus notum est. Tacitus de morib. Germ. *Funerum nulla ambitio, id solum observatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur. Struem rogi nec vestibus, nec odoribus cumulant; sua cuique arma, quorundam igni & equus adjicitur. Sepulchrum cæspes erigit. Monumentorum arduum & operosum honorem, ut gravem defunctis aspernantur.* Cum autem rogus deflagrasset, cineres & ossa collecta, inque urnam recondita, in tumulis reponebantur, unde in hunc usque diem variis in Germaniæ locis non raro quamplurimæ cineribus ossibusque repletæ effodiuntur ejusmodi urnæ, quas Majorum rei funebri nos debere, hactenus nemo in dubium vocavit. Christianis autem jam diu placuit, rejecta concremandi consuetudine, corpora defunctorum terra condere. Paganus igitur reputabatur ritus crematio cadaverum; quare ut ab eo abstinerent, & Christianorum more vivere inciperent Saxones ad fidem conversi, Capitulo præsenti statutum habetur.

Qualiter puniantur Saxones qui ad baptismum venire noluerint.

VIII. Si quis deinceps in gente Saxonum (1) inter eos latens non baptizatus se abscondere voluerit, & ad baptismum venire contempserit, paganusque permanere voluerit, morte moriatur (2).

De his qui homines dæmonibus immolant.

IX. Si quis hominem diabolo sacrificaverit (3), & in hostiam more paganorum dæmonibus obtulerit, morte moriatur.

Quæ pœna eos maneat qui cum paganis adversus Christianos conspirant.

X. Si quis cum paganis consilium adversus Christianos inierit, vel cum illis in adversitate Christianorum perdurare voluerit, morte moriatur. Et quicunque hoc idem fraude contra Regem vel gentem Christianorum consenserit, morte moriatur.

De eo qui infidelis est domino Regi.

XI. Si quis domino Regi infidelis (4) apparuerit, capitali sententia punietur.

De eo qui filiam domini sui rapuerit.

XII. Si quis filiam domini sui rapuerit (5), morte moriatur.

De eo qui dominum vel dominam suam interfecerit.

XIII. Si quis dominum suum, vel dominam

---

(1) *In gente Saxonum.*) Baluzius ad hunc locum sequentia ex Alcuini epist. 104. adducit: *Idcirco misera Saxonum gens totiens baptismi perdidit Sacramentum, quia nunquam habuit in corde fidei sacramentum.* Vide Chronicon Moyssiacense ad annum 797.

(2) *Morte moriatur.*) Idem Baluzius ad hunc locum ait: quamvis religionis non sit, cogere religionem, ut pluribus dictum est in Notis ad Agobardum p. 38. Sed recurrit hæc observatio paulo ante sumta ex Ditmaro. Itaque Andreas primus, Hungariæ Rex, a perturbationibus hostium securus effectus, tanquam Carolum M. imitari vellet, anno M. XLVII. *præcepit universæ genti suæ, sub pœna capitalis sententiæ, ut deposito paganismo prius eis concesso, ad veram Christi fidem reverterentur*; ut ait Joannes de Thwroz cap. 42. Chronicæ Hungarorum, quod etiam proditum est ab Antonio Bonfinio, decad. 2. L. 2. Rer. Hungaric.

(3) *Hominem diabolo sacrificaverit.*) Saxones, ut & reliquos Germanos, antequam a gentili superstitione discederent, quamplurimos coluisse Deos, docebunt Ph. Cluverius, Elias Schedius & Paul. Hachenbergius, qui de antiqua Germanorum Religione Diisque erudite scripsere: Saxones imprimis ea tenuit opinio, ut crederent esse Deos bonos, esse & Deos malignos, statuentes simul, quemadmodum illi, ut auctores boni, essent deveneranadi, ita hos, ne mala infligerent, esse adorandos. Notat nempe Georgius Fabricius L. 1. Orig. Saxon. ante tempora Caroli M. Saxones præter *Finnum* Deum & Deam *Sibam*, veneratos esse malum aliquem Deum, quem atrum nominarunt, & propitiandum putarunt, ne noceret. Pari modo, ut de Slavis scribit Helmoldus L. 1. Chron. Slav. cap. 53. *In conviviis & compotationibus suis pateram circumferunt, in quam conferunt, non dicam consecrationis, sed execrationis verba, sub nomine Deorum, boni scilicet atque mali: omnem prosperam fortunam a bono Deo, adversam a malo dirigi profitentes. Ideo etiam malum Deum sua lingua Diabol, sive Zeernebocb, id est, nigrum Deum appellant.* Quæ verba sua fecit Cranzius, & de Vandalis protulit Lib. 3. cap 37. Fabricius præterea l. c. memorat, eundem Deum malignum, quem Vandali & Slavi dixerunt *Zeernebocb*, a Saxonibus fuisse appellatum *Tybilenum*, & inde nostrum *Teufel*, priscis *Tivel*, diaboli nomen derivandum esse opinatur. Diis autem suis victimas & hostias sacrificare, solemne erat quondam priscis Germanis, quas sanguine paratas, Diis magis complacere credebant. Testatur ea de re Tacitus de morib. Germ. cap. 9. *Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus, humanis quoque hostiis litare fas habent. Herculem & Martem concessis animalibus placant.* Idem alio loco ait: *Suevi stato tempore in sylvam coeunt, cæsoque publice homine, celebrant barbari ritus horrenda primordia.* Quin de Francis refert Procopius L. 2. de bello Gothico, eos, licet ad Christianam religionem traductos, humanis tamen ad suum ævum hostiis usos fuisse. Pariter de Normannis & Danis prodit Ditmarus Merseb. L. 1. eos quotannis mense Januario Diis suis immolasse XCIX. homines, totidemque equos cum canibus & gallis, & ab ea barbarie Henricum Aucupem eos demum abduxisse. Facile igitur fides habenda, Saxones quoque olim Dæmonibus sive diis suis atris & malignis, truculento ejusmodi sacrificio humano litasse, cum teste Cranzio in Vandalicis L. 3. cap. 22. vulgata inter omnes opinio fuerit, delectari eos sanguine, & facilius ex imis sedibus cieri, atque ad edenda oracula invitari, si pro victimis homines immolarentur.

(4) *Domino Regi infidelis.*) Pari modo ut dispositum est in L. Saxonum tit. 3. de conjuratione & læsa dominatione, §. 1. *Qui in regnum vel Regem Francorum, vel filios ejus de morte consiliatus fuerit, capite puniatur.* Cæterum de reiterata sæpius Saxonum in Regem Carolum perfidia & rebellione testatur Eginhardus in vita ejusdem Imperatoris, scribens: *Susceptum est igitur contra Saxones bellum, quod magna utrinque animositate, tamen majore Saxonum, quam Francorum damno, per continuos triginta tres annos gerebatur. Difficile dictu est, quoties superati, ac supplices Regi se dediderint, imperata facturos polliciti sint, obsides, qui imperabantur, absque dilatione dederint, legatos, qui mittebantur, susceperint. Sed sicuti ad hæc facienda aliquoties proni, sic ad eadem pervertenda, semper fuere præcipites. Ut non facile æstimare possis, ad utrum horum faciliores verius dici possint: quippe cum post inchoatum ab iis bellum, vix annus unus exactus sit, quo non ab eis hujuscemodi facta sit permutatio.*

(5) *Filiam domini sui rapuerit.*) Pœna raptus, antiqua Lege Saxonum, pecuniaria fuit, ut videre est in ejusd. L. tit. 6. §. 2. 3. & tit. 10. Hanc igitur in eo, qui domini filiam rapuerit, exasperandam & capitalem efficiendam duxit Capitulatio Caroli, argumento forte ducta L. Saxon. tit. 3. §. 3. ubi: *Qui filium domini sui occiderit, vel filiam, aut uxorem, aut matrem stupraverit, juxta voluntatem domini occidatur.*

nam suam interfecerit (1), simili modo punietur.

Vita ei concedatur qui de mortalibus criminibus latenter commissis pœnitentiam agere voluerit.

XIV. Si quis vero pro his mortalibus criminibus latenter commissis, aliquis sponte ad sacerdotem confugerit, et confessione data agere pœnitentiam voluerit, testimonium sacerdotis de morte excuset.

De rebus & mancipiis ecclesiarum.

XV. De minoribus capitulis consenserunt omnes; ad unamquamque ecclesiam, curtem (2), et duos mansos (3) terræ, Pagenses ad ecclesiam recurrentes condonent; Et inter centum viginti homines, nobiles et ingenuos, similiter et litos, servum et ancillam eidem ecclesiæ tribuant.

Ut decima detur ecclesiis de omni re quæ ad fiscum pervenerit.

XVI. Et hoc Christo propitio placuit, ut undecunque census aliquid ad fiscum pervenerit, sive in Frido, sive in qualicunque banno, & in omni redibutione (4) ad Regem pertinens, decima pars ecclesiis & sacerdotibus reddatur.

Ut omnes decimam partem substantiæ & laboris sui donent ecclesiis.

XVII. Similiter secundum Dei mandatum præcipimus, ut omnes decimam partem (5) substantiæ & laboris sui, ecclesiis & sacerdotibus donent, tam nobiles, quam ingenui, similiter & liti: juxta quod Deus unicuique dederit Christiano, partem Deo reddant.

Ne in dominicis & festivis diebus placita publica teneantur.

XVIII. Ut in dominicis diebus conventus & placita publica non faciant (6), nisi forte pro magna necessitate, aut hostilitate cogente; sed omnes ad ecclesiam recurrant ad audiendum verbum Dei; & orationibus, vel justis operibus vacent. Similiter & in festivitatibus præclaris Deo & ecclesiæ conventui deserviant & secularia placita dimittant.

Ut infantes baptizentur infra annum.

XIX. Similiter placuit his decretis inserere, quod omnes infantes infra annum baptizentur (7). Et hoc statuimus, ut si quis in-

---

(1) *Dominum suum, vel dominam suam interfecerit.*) Eamdem capitis pœnam jamjam introduxerat L. Saxon. tit. 3. §. 2. *Si quis dominum suum occiderit, capite puniatur.*

(2) *Curtem.*) De laxiori *curtis* significatu, plurima dabunt Glossatores. Hoc loco designat atrium rusticum & impluvium, stabulis ædificiisque cinctum: nobis *eine Hoffstadte, Hoffrothe, ein Bauer-Hoff*. Sic passim usurpant L. Alemannor. tit. 81. §. 2. *Si domum infra curtem incenderit.* Tit. 82. §. 6. *Si canem, qui curtem defendit, aliquis occiderit.* L. Salic. tit. 6. §. 3. *Si quis canem custodem domus sive curtis occiderit.* Gallis hodienum inde superest *la Cour*, Italis *la Corte*.

(3) *Duos mansos.*) Mansus priscis fuit certa agri portio, quam 12. jugeribus terræ constitisse dicit Papias, & qui ejus fuerint limites in Saxonia, nos docet Charta Frederici, Episcopi Hamaburgensis, a Cangio sub h. voce citata, ibi: *Mansi vero mentione, ne discordia imposterum in populo haberetur, quæ mansio in longitudine septingentas & viginti, in latitudine vero triginta habet regales virgas.* Plura vide apud Glossatores.

(4) *In omni redibutione.*) Ita legit Furstenbergius, pariter ac Baluzius, sed rediubtione in exemplari Conringiano extat. Correxit lectionem Clariss. Meinders, substituendo *redhibitionem* loco *redibutionis*, & recte; nam *redhibitio* illius sæculi legibus significavit mulctam, vel etiam tributum, ut est in L. Burgundion. tit. 49. §. 4. *Quod si convictus fuerit, triplici redhibitione teneatur obnoxius.* Et in L. Longobard. Lib. 3. tit. 12. §. 1. *Audivimus, quod juniores Comitum, vel aliqui Ministri Reipublicæ redhibitiones vel collectiones a populo exigere solent.* Igitur & hoc loco redhibitio frido & banno jungitur, quoniam & hæc mulctuariæ erogationis species sunt, de quibus vide, quæ supr. ad L. Saxonic. tit. 2. §. 10. & tit. 4. §. 8. apposuimus.

(5) *Decimam partem.*) Acriter contendit Gryphiander de Weichbild. Saxon. cap. 30. originem decimarum in Saxonia, institutioni Ottonis M. ejusque successorum unice deberi, existimans a Sacerdotibus & Præsulibus, quæstus & commodi causa earum auctorem confictum fuisse Carolum M. quem dixerunt universali sanctione jus decimas a laicis in Clericos transtulisse. Forte aliter sensisset Gryphiander, si ipsi præsentes Capitularium tabulas inspicere licuisset, utpote quę omnino hujus census ecclesiastici instauratorem Carolum Imperatorem produnt, & confirmant præterea testimonium Poetæ Saxonis Anonymi ad annum 803. qui de conditionibus pacis inter Saxones & Francos initæ, ita canit:

At vero censum Francorum Regibus ullum
Solvere nec penitus deberent atque tributum,
Cunctorum pariter statuit sententia concors.
Sed tantum decimas, divina lege statutas
Offerrent, ac Præsidibus parere studerent.

(6) *Placita publica non faciant.*) Placitum priscis dictum fuisse vel diem deducendæ liti præfixum, vel etiam judicium & conventum publicum, juris dicendi causa institutum, supra ad L. Saxonum tit. 2. §. 7. n. 1. demonstravimus, ibique, quæ ad etymon vocis pertinent, fuse sumus interpretati. Hoc loco eodem sensu usus vocis venit, & parilis dispositio Caroli M. extat in ejus Capitulari I. anni 813. cap. 15. *Ne dominicis diebus mercatum fiat, neque placitum, & ut his diebus nemo ad pœnam vel ad mortem judicetur, & de operibus cavendis admoneatur.*

(7) *Infra annum baptizentur.*) Brevius quippe temporis spatium definiri eo ævo haud poterat, quo ex veteri Canonum disciplina, sacrum baptismale lavacrum, non in nostrum morem qualibet anni die, sed statutis demum temporibus ordinandum erat, quæ, qualia fuerint actui huic sacra, discimus ex Libr. 5. Capitul. Carol. M. & Ludov. Pii cap. 171. *Ut baptismum non fiat, nisi statutis temporibus, id est, Pascha & Pentecosten, nisi infirmitas inte-*

cei-

infantem intra circulum anni ad baptiſmum offerre contempſerit ſine conſilio vel licentia ſacerdotis, ſi de nobili genere fuerit, CXX. ſolidos fiſco componat, ſi ingenuus LX. ſi litus XXX.

De conjugiis prohibitis.

XX. Si quis prohibitum vel illicitum conjugium (1.) ſibi ſortitus fuerit, ſi nobilis ſolidos LX. ſi ingenuus XXX. ſi litus XV.

Qualiter puniendi ſint qui vota ad fontes aut ad arbores vel lucos faciunt.

XXI. Si quis ad fontes, aut arbores, vel lucos votum fecerit (2), aut aliquid more gentilium obtulerit (3), & ad honorem dæmonum comederit, ſi nobilis fuerit, ſolidos LX. ſi ingenuus XXX. ſi litus XV. Si vero non habuerint, unde præſentialiter perſolvant, ad Eccleſiæ ſervitium donentur (4), uſque dum ipſi ſolidi ſolvuntur.

Ut corpora defunctorum in cœmeteriis Eccleſiæ ſepeliantur.

XXII. Jubemus, ut corpora Chriſtianorum Saxonum ad cœmeteria eccleſiæ deferantur, & non ad tumulos paganorum (5).

De divinis & ſortilegis.

XXIII. Divinos & ſortilegos (6) eccleſiis & Sacerdotibus dare conſtituimus.

De

---

ceſſerit. Et in Capit. Car. M. de an. 804. Presbyteris dato, cap. 10. *Ut nullus baptizare præſumat, niſi in Paſcha & Pentecoſten, excepto infirmo*.

(1) *Prohibitum vel illicitum conjugium.*) Quale reputabatur olim, apud Saxones, quod inter perſonas diverſæ conditionis iniebatur, ut ſupra ad L. Saxon. tit. 18. §. 1. ex Adami Bremenſis teſtimonio luculenter demonſtravimus. Deinde procul dubio, prohibitis conjugiis accenſetur matrimonium inceſtuoſum, cujus, qui fuerint ætate Caroli M. gradus prohibiti, monſtrat Capitular. Libr. 5. cap. 166. *Contradicimus quoque, ut in quarta vel quinta, ſextaque generatione nullus amplius conjugio copuletur*. Capit. ſequ. 167. *Nullus igitur nec filiolam, nec commatrem ducat uxorem, nec illam, cujus filium vel filiam ad confirmationem tenuerit*. Et cap. 168. *Si quis viduam uxorem duxerit, & poſtea cum filiaſtra ſua fornicatus fuerit, ſeu duabus ſororibus nupſerit, ſeu cum patre & filio*. Quæ iiſdem fere verbis leguntur in Concilii Moguntini d. a. 813. cap. 54. 55. & 56. ſuoque Decreto inſeruit Gratianus C. 32. q. 2. c. 21. C. 30. q. 1. & C. 32. q. 7. c. 30. Erant autem inceſtuoſa matrimonia eo ævo mulctuaria erogatione redimi ſolita, ut non ſolum ex præſ. Capitulo diſcimus, ſed & ex capit. 419. Libr. 6. Capit. ubi: *Præcipimus, ut juxta Decreta canonum adulteria & inceſtuoſa matrimonia, quæ non ſunt legitima, prohibeantur, & Epiſcoporum judicio emendentur*.

(2) *Ad fontes, aut arbores, vel lucos votum fecerit.*) Magnam & diuturnam per multas Germaniæ gentes, fontium, arborum & nemorum quondam fuiſſe venerationem, quod Diis eſſent ſacrata, vel domicilia Deorum crederentur, teſtantur omnes rerum Germanicarum Scriptores. Ita Tacitus de morib. German. *Lucos & nemora conſecrant, Deorumque nominibus appellant ſecretum illud, quod ſola reverentia vident*. De Saxonibus in ſpecie Adamus Bremenſis ait: *Frondoſis arboribus frondibuſque venerationem exhibebant*. De Slavis teſtis eſt Helmoldus Lib. 1. Hiſtor. Slavic. cap. 1. ubi: *Uſque hodie profecto inter illos, cum cætera omnia communia ſint cum noſtris, ſolus prohibetur acceſſus lucorum ac fontium, quos autumant pollui Chriſtianorum acceſſu*. Quare cum & inter Longobardos maxime vigeret arborum lucorumque cultus, lata eſt lex Luitprandi Regis: *Qui ad arborem, quam ruſtici Sacrivam vocant, adoraverit, vel incantationes fecerit, componat medietatem pretii ſui in ſacro palatio*.

(3) *More gentilium obtulerit.*) Sacra plerumque ſua conviviis in honorem Deorum inſtitutis finiebant olim veteres Germani, ad quæ inſtruenda affluentes undique ditiores viri pariter ac fœminæ donaria offerebant, uti ex noſtris quoque moribus erudite obſervavit Philipp. Thomaſinus, Italus, in tractatu de Donariis & tabellis votivis, quem pluribus hac de re tractantem, ſi libet, adi.

(4) *Ad Eccleſiæ ſervitium donentur.*) Ut eſt in L. Bajuvar. Tit. 1, cap. 11. *Et ſi non habet tantam pecuniam, ſe ipſum & uxorem & filios tradat ad ipſam Eccleſiam in ſervitium, uſque dum ſe redimere poſſit*. Et Tit. 2. cap. 5. & 6. *Cætera vero quæcunque commiſerit peccata, quouſque habet ſubſtantiam, componat ſecundum legem; ſi vero non habet, ipſe ſe in ſervitio deprimat, & per ſingulos menſes vel annos, quantum lucrare quiverit, perſolvat, cui deliquit, donec univerſum debitum reſtituat*. Indeque derivandam eſſe reor diſpoſitionem recentioris juris Saxonici, qua cautum, ut debitor non ſolvendo exiſtens, ad manus creditoris tradatur, *an Hand und Halfſter gegeben werde*, qui ejus ſervitiis tam diu utatur, donec operis ſuis, vel alia ratione integrum debitum diſſolvat. Spec. Saxon. L. 3. art. 39. *Wer Schuld fordert vor Gerichte auf einen Mann, der nicht gelden mag, noch Burgen ſetzen, der Richter ſoll ihm den Mann antworten fur das Geld, den ſoll er halten gleich ſeinem Geſinde mit Speiſe und mit Arbeit. Will er ihn dann ſpannen mit einer Halden, das mag er thun, anders aber ſoll er ihn nicht peinigen*.

(5) *Ad tumulos paganorum.*) Chriſtianis demum hominibus debetur mos habendi in urbe, aut prope urbem certa loca ſepulturæ humanorum corporum deſtinata, ut plurimum circa templa & monaſteria ducta, unde nobis nomen cœmeterii, *ein Kirchhoff*. Ethnici, & inter eos priſci Germani, locum religioſum mortuum inferendo pro lubitu conſtituebant, & colles imprimis eligebant, ut probant Leges Weſtrogothicæ apud Loccenium, ubi: *Situs eſt in colle, quia ethnicus erat*. Hinc proprie loquendo, ſepulcra eorum dicebantur tumuli, quod in locis tumuloſis eſſent ſita, vel ea ex ratione ſic nuncupata, quam affert Tacitus de morib. German. *Sepulcrum cæſpes erigit. Monumentorum arduum & operoſum honorem, ut gravem defunctis, aſpernantur*.

(6) *Divinos & ſortilegos.*) Vetuſtiſſimus & religioſiſſimus ſortium & divinationum uſus apud veteres Germanos omni tempore fuit, quarum rationem jam ſuo ævo annotavit Tacitus de morib. German. cap. 10. ſcribens: *Sortium conſuetudo ſimplex. Virgam frugiferæ arbori deciſam, in ſurculos amputant, eoſque notis quibuſdam diſcretos, ſuper candidam veſtem temere ac fortuito ſpargunt. Mox ſi publice conſula-*

De latronibus & malefactoribus.

XXIV. De latronibus & malefactoribus, qui de uno comitatu ad alium confugium fecerint, si quis eos receperit in sua potestate, & VII. noctibus (1) secum detinuerit, nisi ad præsentandum, nostrum bannum solvat (2). Similiter si Comes eum absconderit, & ad justitiam faciendam præsentare noluerit, & ad hoc excusare non potest, honorem suum perdat.

Ut nullatenus alterum aliquis pignorare præsumat.

XXV. De pignore, ut nullatenus alterum aliquis pignorare (3) præsumat; & qui hoc fecerit, bannum persolvat.

Ut nulli ad Regem pro sua reclamatione venienti viam contradicere aliquis præsumat.

XXVI. Ut nulli hominum contradicere viam ad nos veniendo (4) pro justitia reclamandi aliquis præsumat: & si aliquis hoc facere conaverit, nostrum bannum persolvat.

De fidejussoribus dandis.

XXVII. Si quis homo fidejussorem invenire non potuerit, res illius in forbanno mittantur (5), usque dum fidejussorem præsentet. Si vero super bannum in domum suam intrare præsumpserit, aut solidos decem, aut unum bovem (6) pro emendatione ipsius banni componat; & insuper, unde debitor existit, persolvat. Si vero fide-

---

sulatur, sacerdos civitatis, sin privatim, ipse pater familiæ, precatus Deos, cœlumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundum impressam ante notam interpretatur. Si prohibuerunt, nulla de eadem re in eundem diem consultatio: sin permissum, auspiciorum adhuc fides exigitur. Invecto quoque jamjam Christianismo retenta fuit sortium superstitio, hoc saltem cum discrimine, ut crux aliique ritus Christiani dein fuerint adhibiti. Cujus moris luculentissimum testimonium exhibet L. Frision. tit. 14. §. 1. late sortilegium ejus temporis describens.

(1) *VII. noctibus.*) Observa antiquam tempora dimetiendi formam per noctes, non, uti nobis moris est, per dies, quam cum universis Germanis communem habuere Saxones, nam de illis Tacitus ait: *Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant. Sic constituunt, sic condicunt. Nox ducere diem videtur.* Inde idem computandi modus solemnis ubique fuit Auctori Speculi Sax. quem vid. L. 1. art. 67. *Wen man beklagt uber Ungerichte, dem soll man tagedingen dreymal immer uber* 14. *Nachte*; & passim alibi.

(2) *Bannum solvat.*) Qualis fuerit *bannum* mulctuariæ erogationis species, supr. ad L. Saxon. tit. 2. §. 10. satis clare sumus interpretati, simulque ibi ex Capitularibus Caroli M. ostendimus, videri hanc bannitoriam mulctam ab eodem Imperatore LX. solidis fuisse determinatam.

(3) *Pignorare.*) Pro pignorari sæpius antiquis in chartis occurrit. Id tamen probant nonnullæ vetustę leges, licuisse priscis quorundam Germanorum consuetudinibus, ut quis posset privata auctoritate pignorari. L. Burg. tit. 11. §. 10. *Quicunque noluerit satisfacere creditori, & necesse fuerit, fidejussorem suum pignorare, & voluerit ille fidejussor resistere, fidejussionis suæ debitum, quantum ab illo reposcitur, de suo satisfaciat.* L. Longobard. Libr. 2. tit. 21. l. 1. *Si quis debitorem habens, appellet eum semel, & bis, & usque tertio: si debitum non reddiderit, aut non composuerit, tunc debeat eum pignorare in his rebus, in quibus pignorare licitum est.* Edicto autem Theoderici Regis cap. 123. aliter cautum, & ut pignora nisi auctoritate judicis capiantur, dispositum: *Capiendorum pro suo arbitrio pignorum unicuique licentiam denegamus: ita ut, si probabile fuerit, hoc agendi judicis præstet auctoritas.* Et in L. Bajuvar. tit. 12. §. 1. *Pignorare nemini liceat, nisi per jussionem judicis.* Atque ita quoque præsens capitulum esse interpretandum, discimus ex posterioribus gentis legibus. Spec. Saxon. L. 1. art. 53. *Wer Gewette und Busze nicht giebt zu rechter Zeit, den soll der Fronbote darum pfenden, ... Nicht aber mag der Fronbote pfanden, er werde denn mit Recht darzu gewonnen.* Limitatur tamen hæc juris Saxonici prohibitio in art. 27. L. 2. Spec. Sax. *Wer einen unrechten Weg schleget, und bestellte Felder fahret, vor ieglich Rad soll er geben einen Pfennig zur Busze; und soll darzu den Schaden gelden, ob Saat darauf stehet. Darfur mag man ihn denn nuch pfanden.*

(4) *Contradicere viam ad nos veniendo.*) Qua de re in L. Saxon. Tit. 5. §. 1. ita dispositum: *Qui homini in hoste vel de hoste, ad palatium vel de palatio pergenti, malum aliquod fecerit, in triplo componat.* Conf. quæ ibi annotavimus. Non solum enim olim majores controversiæ semper in palatiis Regum disceptabantur, sed & licebat populo adversus Comitum & judicum injuriam aut negligentiam quovis tempore ad Regem ipsum, ejusque decisionem provocare, ut habet Spec. Saxon. L. 3. art 33. *Ein ieglich Mann hat sein Recht vor dem Konig.* L. 2. art. 12. *Schilt man ein Urtel, des soll man sich ziehen an den hohern Richter, und zuletzt vor den Konig. Da soll der Richter seine Boden darzu senden, die da horen, welcher mit der Sache vollkomme vor den Konig.*

(5) *Res illius in forbanno mittantur.*) *Forbannum* priscis legum auctoribus sæpe & plerumque significavit idem ac proscriptio & relegatio, ut in L. Longobard. L. 1. tit. 25. l. 63. *Ut Comes, qui latronem in forbanno miserit, vicinis suis & aliis civitatibus notum faciat, eundem latronem a se forbannitum esse, ut illi eum non recipiant.* Ast hoc loco, id, quod Glossatores non animadverterunt, *forbannum* est judicialis bonorum debitoris sequestratio, hujusque sic dicta eximissio, quæ etiam hodie in vim actus executivi in Saxonia contra morosum debitorem adhibetur.

(6) *Aut solidos decem, aut unum bovem.*) Alia solidorum æstimatio habetur in L. Saxonum tit. fin. *Solidus est duplex, unus habet duos tremisses, qui est bos anniculus XII. mensium; alter solidus tres tremisses, id est, bos XVI. mensium.* Et in subsequ. Capit. Sax. cap. ult. *Bovem annoticum utriusque sexus autumnali tempore, sicut in stabulum mittitur, pro uno solido.* Me judice, si non vitio scribentis X. solidi positi, hoc loco solidi argentei, ibi aurei intelligi debent. Vid. quæ supr. ad L. Saxon. cit. l. annotavimus.

dejussor diem statutum non observaverit, tunc ipse tantum damni incurrat, quantum manus sua fidejussoris exstitit (1). Ille autem qui debitor fidejussori exstitit, duplum restituat pro eo, quod fidejussorem in damnum cadere permisit.

Ut munera super innocentem nullus accipiat.

XXVIII. De præmiis & muneribus, ut munera super innocentem nullus accipiat: & si quis hoc facere præsumpserit, nostrum bannum solvat. Et si, quod absit, forte Comes hoc fecerit, honorem suum perdat.

Ut Comites pacem & concordiam ad invicem habeant.

XXIX. Ut universi Comites pacem & concordiam ad invicem habere studeant, & si forte inter eos aliqua discordia aut conturbium (2) ortum fuerit, ut nostrum solatium vel perfectum (3) pro hoc non demittant.

De eo qui Comitem interfecerit.

XXX. Si quis Comitem interfecerit, vel de ejus morte consilium dederit, hæreditas (4) illius ad partem Regis eveniat, & in jus ejus redigatur.

Qualiter bannus solvatur pro faida.

XXXI. Dedimus potestatem Comitibus bannum mittere infra suo ministerio de faida vel majoribus causis in solid. LX. (5) De minoribus vero causis Comitis bannum in solid. XII. constituimus.

De juramento in Ecclesia præstando.

XXXII. Si cuilibet homini sacramentum debet (6), aframeat illum (7) ad ecclesiam sacramento ad diem statutum: & si jurare contempserit, fidem faciat (8), & so-

---

(1) *Quantum manus sua fidejussoris exstitit.*) I. e. quantum fidejubendo dare stipulata manu promisit.

(2) *Conturbium.*) Pro dissidiis. Vocabulo utuntur Annal. Francor. ad Ann. 773. *Sine læsione vel aliquo conturbio.*

(3) *Solatium vel perfectum.*) Legerim *solatium vel profectum*; perfectus enim hac notione nullibi occurrit, sæpe tamen *profectus* ejus ævi scriptoribus est omne lucrum ac commodum, unde Gallis *profit*, ut habet Capitulare de Villis cap. 36. *Accipitres & sparvarios ad nostrum profectum provideant.* *Solatium* autem veteres dixerunt auxilium. L. Longobard. L. 1. tit. 14. §. 2. *Si quis duci suo ad justam causam persequendam denegaverit solatium.* Capitul. Carol. M. L. 7. cap. 165. *Is, ad quem recurrit, solatium ei defensionis impenderit.* Sensus igitur hujus comminatis erit, ut Comites propter privatas rixas non negligant Regi auxilio esse, & commodum ejus promovere.

(4) *Hæreditas.*) Quo nomine veniunt res hæreditariæ, ex parentum vel consanguineorum hæreditate acquisitæ, ut ad L. Saxon. tit. 15. de traditionibus notavimus.

(5) *In solid. LX.*) Forte inde sua hausit Auctor Speculi Sax. L. 3. art. 63. *Der König* Constantin *gab dem Pabst* Sylvestro *das weltliche Gewette zu dem geistlichen. sechzig Schillinge.* Indeque probatur distinctio, quam instituit Glossa ad Spec. Sax. in Summam & reliquam Wittam judici præstandam, ubi illam, *das hochste Gewette*, LX. Solidis definit. Vid. Gloss. margin. ad L. 2. art. 14. conf. notas nostras ad L. Sax. Tit. 2. §. 10. in fin.

(6) *Si cuilibet homini sacramentum debet.*) Lege, *Sacramentum debetur*. Optimam præterea interpretationem recipere præsens capitulum mihi videtur ex Spec. Sax. L. 2. art. 11. ubi: *Wer Eyde gelobet vor Schuld zu schweren, und leistet er sie nicht zu rechter Zeit, er ist der Schuld uberwunden, da die Eyde um gelobet waren.*

(7) *Aframeat illum.*) Raro *aframire*, frequentius *adrhamire* vel *adframire*, interdum & rectius *adramire* aut *arramire* in legibus & formulis antiquis legitur. Sola enim, quod sciam, formula vetus 22. incerti auctoris cum nostro capitulo habet aframire, ubi: *Repetebat ei, dum diceret eo, quod hominem aliquem nomine illo, ante ipsum Comitem aframitum habuisset.* Formula I. ejusdem auctoris ponit adrhamitum: *Dum diceret eo, quod ante hos dies ipse homo Sacramentum contra ipsam casam Dei vel ipsius Abbatis habuisset adrhamitum ad suam ingenuitatem defensandum.* Et ita L. Salica tit. 40. *Ille, qui per vestigia sequitur, res suas per tertiam manum adrhamire debet.* Titulus 49. autem eod. inscribitur: *De adframire.* Capitularia denique Caroli M. L. 3. cap. 58. legunt arramire: *Ut sacramenta, quæ ad palatium fuerunt arramita, in palatio finiantur.* Sed varia est de significatu & etymologia hujus vocis interpretum sententia. Wendelinus in Glossar. Salico eam a *ramalibus*, sub quibus judicia habebantur, Bignonius in notis ad L. Salic. tit. 39. ab *arrha data*, & Belius ad eiusd. L. tit. 49. ab *affirmare* derivant; Schilter. in Gloss. sub voce tramen, *alienare*, Pithœus in Glossar. L. Salic. tit. 39. *jurare*, & Cangius sub voce adramire, *testes & sacramenta offerre*, reddunt. At valde falluntur omnes, ut docte ostendit Eccard. ad L. Salic. tit. 40, aframire enim, aut rectius adramire, nihil aliud est, quam citare, sive de die, qua in judicio comparendum, cum adversario convenire, & etymon vocis barbare latet in latinorum *ramo*. Qui enim olim alteri litem intendebant, præsentibus testibus eidem ramum sive surculum offerebant, in signum factæ vocationis in jus, simulque eum ad comparendum certo die coram judice citabant. Quodsi igitur susciperet adversarius ramum, declarabat eo ipso, se citationi pariturum, & statuto die in judicio compariturum esse; quodsi recusaret oblatum surculum, actor in sinum ipsius illum jactabat, & hoc modo legitimam citationem absolvebat, a quo ritu & nobis hodie superesse, quod minus latine dicimus *insinuare citationes*, recte observavit Eccard. l. c. Et sic omnia a nobis adducta exempla facile & juste poterunt exponi. Itaque, quod in nostro Capitulo legitur, *Aframeat illum sacramento*, idem est ac si dixeris: citet illum, ramo dato, ad juramenti præstationem; ut clarissimis verbis formul. vet. incerti auctor. 2. phrasi utitur: *Sacramentum per festucam adrhamire.*

(8) *Fidem faciat.*) Id est: ille, qui alterum aframivit, testes, quos ramum adversario offerendo, eumque citando, adhibuit, producat.

ſolid. xv. componat, qui inactivus apparuit, & deinceps cauſam pleniter emendare faciat.

De perjuriis.

XXXIII. De perjuris ſecundum legem Saxonum ſit (1).

Ne Saxones agant conventus publicos niſi per juſſionem Regis.

XXXIV. Interdiximus, ut omnes Saxones generaliter conventus publicos nec faciant; niſi forte miſſus (2) noſter de verbo noſtro eos congregare fecerit. Sed unuſquiſque Comes in ſuo miniſterio placita & juſtitias faciat. Et hoc a ſacerdotibus conſideretur, ne aliter faciat.

CAPITULARE SAXONUM.

INCIPIUNT CAPITULA.

Anno ab Incarnatione Domini (3) noſtri Jeſu Chriſti DCCXCVII. & XXX. ac XXII. (4) regnante Domno Karolo, præcellentiſſimo Rege, convenientibus in unum Aquis palatio (5) in ejus obſequio venerabilibus Epiſcopis & Abbatibus, ſeu illuſtribus viris comitibus V. Kal. Novembr. ſimulque congregatis Saxonibus de diverſis pagis (6), tam de Weſtfalahis & Angrariis, quam & de Ooſtfalahis, omnes unanimiter conſenſerunt, & aptificaverunt (7), ut de illis capitulis, pro quibus Franci, ſi Regis bannum tranſgreſſi ſunt, ſolidos LX. (8) componunt, ſimiliter Saxones ſolvent, ſi alicubi contra ipſos bannos fecerint.

HÆC SUNT CAPITULA.

De juſtitia Eccleſiarum, viduarum, orphanorum, & minus potentum. De raptu & incendio, & de exercitu.

I. UT eccleſiæ (9), viduæ, orphani, & minus potentes juſtam & quietam pacem habeant. Et ut raptum & fortiam (10), nec incendium infra patriam quis facere audeat præſumptive; & de exercitu nullus ſuper bannum Domni Regis remanere præſumat.

De obſervatione ſuperiorum Capitulorum.

II. Si quis ſupradicta VIII. capitula (11) tranſgreſſus fuerit, omnes ſtatuerunt & aptifica-

(1) *Secundum legem Saxonum ſit.*) Atqui in L. Saxonum Tit. 2. §. 8. & 9. legitur: *Qui ſciens perjuraverit, capite puniatur. Qui neſciens perjuraverit, manum ſuam redimat auctor ſacramenti.* Ut igitur hoc jure perjurii doloſi pœna fuerit ultimum ſupplicium, perjurii autem ex errore commiſſi, manus amputatio, aut ejus redemtio.

(2) *Miſſus.*) Miſſi proprie erant Regum Francorum Legati & Judices extraordinarii, quos in provincias & civitates mittebant, ut in Comitum & Judicum mores & juſtitiæ adminiſtrationem inquirerent, populique querelas audirent, qui ad proferendas eas plebem convocabant, & quater in anno legationes ſuas obibant, menſibus nempe Januarii, Aprilis, Julii & Octobris, cum per reliquos menſes Comites & ceteri judices placita haberent, & juri dicendo præeſſent, ut in Capitularium L. 2. 3. 4. & paſſim alibi, hujus jurifdictionis ordinandæ diſpoſitiones variæ habentur. Plura vide apud Cangium, qui ad amuſſim Miſſorum officium, dignitatem & poteſtatem fuit interpretatus.

(3) *Anno ab Incarnatione Domini.*) Non defuerunt ſuperioris in primis ſæculi viri doctiſſimi, qui varia diplomata, pro genuinis ventilata, & Carolo M. tributa, ſubleſtæ fidei atque ſuppoſititia declarare non dubitaverunt, eo in primis contra eorum fidem uſi argumento, quod annus Incarnationis Dominicæ, contra ævi illius morem adſcriptus, in illis reperiatur. Hancque ob rationem Gryphiander de Weichbild. cap. 9. Winckelmannus de Notit. Saxon. vet. L. 2. c. 5. & 9. Cruſius ad Præcept. pro Trutmanno, atque inter ipſos pontificios ſcriptores Cointius Tom. IV. Annal. Eccl. Francor. p. 825. Henschenius & Papebrochius in Propyleo Antiquario de Diplomatibus diſcernendis, ad Tom. 2. Actor. Sanct. Aprilis Part. 1. cap. 2. Mabillonius de Re Diplomatica L. 2. cap. 3. §. 7. *Caroli M. Præceptum de inſtitutione Epiſcopatuum per Saxoniam, Bremenſi Eccleſiæ datum,* & ab Adamo Bremenſi in

caverunt, ut Saxones ſimiliter, ſicut & Franci LX. ſolidos componant,

De

in hiſtoria ſua primum recitatum, quod & Capitularibus Reg. Franc. Tom. 1. p. 246. inſeruit Baluzius, pariter ac illud, quod ejuſdem tenoris eſt, *Præceptum Caroli M. de fundatione Epiſcopatus Verdenſis*, a Madero publicatum, ut & *Præceptum pro Trutmanno Comite*, apud Baluz. l. c. p. 250., adulterina, & ab otioſis hominibus poſterioris ævi nobis obtruſa eſſe, non male judicaverunt, propterea quod reliqua Caroli Diplomata, quæ indubitata ſunt, niſi per regni & imperii annos conſignata conſpiciuntur, cum Carolo Craſſo Imperatore demum invaluerit, Anno incarnationis Tabulas ſignari. Sicque aliud *Diploma*, cujus auctor Carolus M. fertur, *datum Divo Ludgero pro Werthinenſi Cœnobio condendo*, quoniam Annum Incarnationis, præter morem tabularum publicarum eo ævo receptum, adjectum habet, ſuſpectum eſt Bollando. Jam igitur hæc eadem argumenta noſtro Capitulari, quod eundem annum Incarnationis in fronte gerit, obſtare, eoque ſuſpectam reddi ejus fidem, & quod Caroli M. auctoritate ſit compilatum, dubitari poſſe, quilibet perſpicit. Verum enim vero, quamvis illud argumentum ab oppoſita æra Chriſtiana deſumtum, maximi ponderis fuerit olim, & nunc ſit ad perſtringenda prædicta Caroli diplomata ſuſpecta, dubito tamen, illud fidei & exiſtimationi noſtri Capitularis quicquam detrahere poſſe. Non utar iis teſtimoniis, quibus Schatenius L. 9. Hiſtor. Weſtphal. cauſam prædictorum Caroli M. diplomatum ſuſpectorum acriter defenſum ivit. Provocat enim ille ad Eginhardum, apud quem Caroli M. Teſtamentum Anno Incarnationis ab ipſo Carolo inſcriptum legitur; laudat Diploma ipſi a Werthinenſibus communicatum, Caroli manu & ſigillo ſignatum, quo Ludgero, adſcripto anno Incarnationis 802. Lothuſum donat; atque in ſuis partibus habet Sigonium ex Alutinenſi Tabulario ejuſdem Caroli aliquod Diploma producentem, in quo expreſſe legitur: *Anno ab Incarnatione Domini noſtri JESU Chriſti DCCCI. Indictione IX.* Namque his plurima regeri & opponi poſſent. Sed id notandum, & probe in vindicatione pariter ac damnatione chartarum antiquarum obſervandum, multum diſcrepare ſtylum in Diplomatibus uſitatum ab eo, qui conficiendis Capitularibus olim adhibitus fuit. Et quidem obſervant rei diplomaticæ antiquæ periti, magis fixas fuiſſe Caroli M. ejuſque ſucceſſorum diplomatum formulas, quam quidem epiſtolarum & Capitularium, horum enim varia ſemper eſt inſcriptio, ut exempla quamplurima a Mabillonio de re Diplomat. L. 2. cap. 3. §. 11. congeſta, probant, qui ſimul hujus diſcriminis genuinam rationem erudite indigitat, inquiens: *Cur vero tantopere diſcrepent Capitularium formulæ, tum a ſeipſis, tum a formulis diplomatum; hæ vero magis fixæ ſint ac uniformes: illud in cauſa eſſe puto, quod Capitularium ſcriptores erant Epiſcopi vel Abbates, qui præſentes aderant conventui, in quo hæc Capitularia condebantur: Diplomata autem & præcepta, ab iiſdem Cancellariis & Notariis edita, vulgarem ſequerentur ſtilum Cancellariæ, ſub unoquoque Principe ab exordio inſtitutum.* Ut itaque argumentum ab inſolitis ac inconſuetis formulis deductum contra diplomatum fidem valide procedat, non æque vero contra Capitularia.

(4. *Et XXX. ac XXII.*) Ita Editiones Romana Holſtenii & Baluziana habent; Germanicæ Conringii & Furſtenbergii legunt: *& XXI. ac XXII.* Conſtat autem hiſce numeris Caroli deſignari regni annos, quos diplomatibus & legibus addere moris ſemper fuit tum Carolo, tum ejus ſucceſſoribus, uti omnes fere eorundem Regum & Imperatorum chartæ abunde probant. Verum cujuſnam regni numeri hiſce indicentur, non utique certum eſſe videtur, variis enim regni epochis in ſubſignandis tabulis uſus eſt Carolus M. cum & diſtinctis temporibus Regnum Francorum & Longobardorum, Patriciatum Romanum, ac tandem Imperatorium diadema adeptus eſſet. Facili tamen labore ex præmiſſo Incarnationis anno 797. reliquos enudari poſſe, exiſtimo. Variantem quod attinet lectionem numeri XXI. & XXX. in Germanicis & Romana editionibus, curatior erit Romana trecennalis, & erit annorum regni Francici; anno enim poſt C. N. 768. Carolum patri Pipino in Francia ſucceſſiſſe, extra dubium poſitum eſt, & probant Annal. Franc. ad dict. annum. Annus alter, viceſimus nempe ſecundus, annotante Schatenio in Hiſtor. Weſtph. p. 564. viceſimus quartus ſcribi debuiſſet, quo regni Longobardici numerum terminari deinde voluit. Sed hac Schatenii emendatione neutiquam opus fuit, nec fieri illa debuit, cum nec certum ſit, quo Anno Carolus primum fuerit Rex Longobardorum ſalutatus; bene enim ſe habet numeri XXII. lectio, utpote quę ad dignitatem Patriciatus Romani, Carolo ab Hadriano Pontifice circa finem anni 774. collatam, unice ſpectat. Ad hæc enim propugnanda teſtimonio ducor Monachi Egoliſmenſis, qui in vita Caroli M. p. 58. ſcribit: *Antea Domnus Carolus vocabatur ab omnibus Rex Francorum, & Patricius Romanorum, ſed poſt laudes a Domno Apoſtolico more antiquorum Principum adoratus eſt, atque ablato Patricii nomine, Imperator & Auguſtus eſt appellatus.* Teſte autem Gratiano in Decreto Diſtinct. 63. cap. 23. conceſſa fuit Carolo illa dignitas Patriciatus anno ſupra commemorato 774. Quare ipſe Papa Hadrianus in epiſtola ad Bertherium, Viennenſem Epiſcopum, quæ ineunte anno 775. ſcripta eſt, apud Hugonem Flavinum in Chron. Tom. 1. ſubſcribit: *Kal. Januarii, imperante piiſſimo Auguſto Conſtantino, & a Deo coronato piiſſimo Rege Carolo, anno primo patriciatus ejus.* Cæterum de titulo Patricii Carolo uſitato vid. ſæp. citat. Mabillon. L. 2. cap. 3. §. 7. & 8.

(5) *Aquis palatio.*) Quod nobis hodie *Aquisgrani* nomine venit, in antiquioribus Mſs. & monumentis *Aquis*, abſque addito, audit, maxime, ut obſervat Mabillonius de re dipl. Libr. 4. num. 4. ita ſcriptum, regnante Pipino & Carolo M. ante initum Imperium. Ita Annales Francorum apud Du Cheſne Tom. 2. pag. 13. Pipinum commemorant anno 765. *Aquis Paſcha celebraſſe*, & adducit idem Mabillonius diploma Ghiſelæ, Caroli ſororis, quod finitur: *Actum Aquis palatii.* Maximis autem in deliciis Aquiſgranenſem urbem ſemper habuit Carolus M. ibique ſæpe commoratus eſt, atque Comitia quamplurima celebravit, poſtquam illic regium Palatium novo miroque opere erexerat, quinimo in ea urbe diem obiit, & denique ſepultura donatus eſt, teſte Eginhardo in vita Caroli M. *Aquiſgrani*, inquit, *Regiam exſtruxit, ibique extremis vitæ annis uſque ad obitum perpetim habitavit.*

(6) *De diverſis pagis.*) Eruditum Commentarium de pagis Saxonicis dedit nobis Meibomius Senior, & tum Germaniam omnem,

tum

De compositione secundum legem Saxonum.

III. Item placuit omnibus Saxonibus, ut ubicunque Franci secundum legem sol. XII. (12) solvere debent, ibi nobiliores Saxones sol. XII. ingenui V. liti IV. componant.

De his, qui causam judicatam repetere præsumunt in patria aut in præsentia Regis.

IV. Hoc etiam statuerunt, ut qualiscunque causa infra patriam cum propriis vicinantibus pacificata fuerit (13), ibi solito more ipsi pagenses solidos XII. pro districtione (14) recipiant, & pro Wargilda (15), quæ juxta consuetudinem eorum solebant facere, hoc concessum habeant. Si autem in præsentia missorum regalium causæ definitæ fuerint, pro jam dicta Wargilda suprascriptos sol. XII. ipsis pagenses habeant concessos: & pro hoc, quia missus regalis ex hac re fatigatus fuerit, alios XII. sol. inde recipiat ad partem Re-

---

tum præcipue Saxoniam olim in pagos fuisse distributam constat, quo tamen nomine non singuli vici, sed amplissimi regionum tractus, villas sæpe quamplurimas continentes, designabantur, unde Gallis hodienum regio *païs* dicitur. Veteres ejusmodi pagum vernacula lingua vocabant *Gow*, & *Schiere*, nomine Britannis hodieque usitato. Pagis olim Satrapæ, ævo autem Carolingico Comites sive judices præstituebantur, unde *Gow-Grafen* dicti, quales jam suo ævo notavit Tacitus de moribus Germ. *Eliguntur Principes, qui jura per pagos vicosque reddant*; & præterea quod Saxones distinguerentur in Ostphalos, Westphalos & Angrarios, regionum Saxonicarum divisionem in pagos simul commemorat Poeta Anonymus hisce:

Sed variis divisa modis plebs omnis habebat,
Quot pagos, tot pene duces, velut unius artus
Corporis, in diversa forent hinc inde revulsi,
Sed generalis habet populos divisio ternos,
Insignita quibus Saxonia floruit olim.

Observante Furstenbergio in Monum. Paderb. p. 143. desiit hæc appellatio paulatim circa annum 1100. cum pagi in Ducatus, Principatus, diversique generis Comitatus migrarunt, ac hæreditario jure possideri cœpti.

(7) *Aptificaverunt.*) Probante Cangio idem ac aptum judicare, quod Gallis dicitur *juger a propos*, nobis *vor gut befinden*, Sic Marculfus L. 2. form. 27. *Igitur juxta quod mihi aptificavit, taliter inter nos convenit*. Denuo occurrit vos in subs. cap. 2.

(8) *Solidos LX.*) Vid. quæ ad L. Sax. tit. 2. §. 10. de bannitoria mulcta, ejusque pretio sumus commentati.

(9) *Ut Ecclesiæ &c.*) Recte notat Baluzius ad h. loc. totum hoc Capitulum compositum esse ex Capit. 2. 3. & 4. Capitularis Bajuvariorum, quod ipse exhibet Tom. 1. p. 207. & conjecturatur, datum esse Ratisbonæ an. 788. Apparet certe totidem iisdemque verbis inde esse exscriptum, ibi enim verba ita sonant: Cap. 2. *Ut Ecclesia, viduæ, orphani vel minus potentes pacem rectam habeant. Et ubicunque fuerit infracta, sexaginta solidis componatur.* Cap. 3. *Ut raptum vel vis per collectam hominum & incendia infra patriam nemo facere præsumat. Et qui hoc commiserit, sexaginta solidos in bannum nostrum componat.* Cap. 4. *Similiter & qui jussionem regiam in hoste bannitus irruperit.*

(10) *Fortiam.*) Ad designandam vim & violentiam hac voce sæpius usæ sunt leges veteres, ut L. Ripuar. tit. 11. §. 3. Lex Bajuv. tit. 2. cap. 5. §. 1. L. Longob. L. 3. tit. 12. §. 5. Gallis inde remanet *la force*, Italis *forza*.

(11) *Supradicta VIII. capitula.*) Octo hic commemorata capitula ex mente Clar. Meinders continentur in præcedenti capitulo 1. & sunt ipsi 1. *de Ecclesiis*; 2. *de viduis*; 3. *de orphanis*; 4. *de minus potentibus*; 5. *de raptu*; 6. *de fortia*; 7. *de incendio*; 8. *de heribanno*. Ast ubi ad præcedens capitulum annotavimus, esse totum compositum ex Capitulari Bajuvariorum anni 788. cap. 2. 3. & 4.; nunc porro notamus, hocce constare octo capitulis: unde reliqua ejusdem Capitularis capita hic deesse, cum forte ex sententia compilatoris nostri Capitularis eidem inferi debuissent, colligendum erit, ut bene observat Baluzius l. c.

(12) *Sol. XII.*) In delictis nempe gravioribus bannitoria mulcta LX. solidis, in levioribus autem delictis XII. solidis præstabatur, ut habet Capitulatio de part. Sax. Cap. 30. *Dedimus potestatem Comitibus bannum mittere infra suo ministerio de faida vel majoribus causis in solidos LX. De minoribus vero causis Comitis bannum in solid. XII. constituimus.*

(13) *Cum propriis vicinantibus pacificata fuerit.*) Vicinantes, qui rectius deinde vicini, & paulo infra dicuntur pagenses, sunt cives ac incolæ ejusdem pagi, sive Comitatus. Fuit autem antiquus modus dirimendi controversias, tum civiles, tum criminales dubias & leviores judicio vicinorum de villis, unde hodienum Anglis *Vicinitas* dicitur Judicium duodecim virorum, eorumque inquisitio & sententia. Vid. Spelmann. in Gloss. sub h. voc. Hinc in Capitulis Ludovici Imper. L. Salicæ addendis, quæ Baluzius ex Ms. evulgavit, & sub annum 819. retulit, cap. 1. legitur: *Ut pagenses per sacramenta aliorum hominum causas non inquirant, nisi tantum dominicas. Attamen Comes ille, si alicujus pauperis aut impotentis personæ causa fuerit, tunc Comes ille diligenter & sine sacramento per veriores & meliores pagenses inquirat.*

(14) *Pro districtione.*) *Distringere* infimæ latinitatis auctoribus est vel animadvertere pœna in facinorosos, vel etiam litem sententia dirimere, mulcta in temere litigantem simul dictata, ut variis testimoniis evincit Cangius in Gloss. Posterior significatus nostro Capitulari convenit. Infra cap. 8. pro pœna & animadversione usurpatur.

(15) *Pro Wargilda.*) Vox, quod sciam, nulla alia in charta antiqua occurrens. A Cangio redditur Wergildum, Ast constat ex subsequentibus nostri capituli verbis *Wargildam* aliam mulctuariæ erogationis speciem esse, ac quidem eam, quæ pro homine occiso solvitur, & speciatim *Wergildum* dicitur. Etymon vocis latere sentio in prisco Saxonum *Ward*, quo nomine designantur pagi eorumque incolæ, unde *Wardmotus* est unius pluriumve Wardarum convocatio, de quibus plura apud Spelmann. in Gloss. sub voce *Gemotum*. Deinde, adducente Cangio in Legibus Baronum Scotiæ, vulgo *quoniam attachiamenta*, a Skenæo editis, cap. 16. §. 5. occurrit phrasis *Wardas & judicium petere*, ubi *Wardas* interlocutorium judicium quidem interpretatur Skenæus, sed rectius dixisset pagenses, sive pagensium & vicinorum judicium. Unde colligo, *Wargildam* idem esse ac *Wardgildam*, & significare existimo mulctam, a temere litigante propterea præstandam, quod congregando & convocando judicio pagensium de villis causam dederit.

Regis. Si autem ipſa cauſa ad palatium in præſentia Regis ad definiendum fuerit perducta, tunc utrique ſolid. XII. id eſt, pro Wargilda, & quod vicinis debuit componere, eo, quod infra patriam definita ratio non fuerit, ad partem Regis faciant componere; quod ſint ſolidi XXIV. Nam ſi fuerit aliquis, qui in patria, juxta quod ſui convicini judicaverint, ſeque pacificare noluerit, & ad palatium pro hujus rei cauſa venerit, & ibi ei fuerit judicatum, quod juſtum judicium judicaſſent, in prima vice, ut ſupra dictum eſt, ſol. XXIV. ad partem Regis componat. Et ſi tunc inde rediens ſe pacificare, & juſtitiam facere renuerit, & iterum pro iſta cauſa ad palatium fuerit convocatus & dejudicatus, bis XXIV. ſolid. componat. Si vero nec dum correptus, tertia vice pro eadem re ad palatium remeaverit, triplam compoſitionem exinde faciat ad partem Regis.

De mannitione ad placitum.

V. Si quis de nobilioribus ad placitum mannitus (1) venire contempſerit, ſol. IV. componat, ingenui II. liti I.

De compoſitione rerum, quæ Presbyteris ablatæ ſunt.

VI. De Presbyteris ſtatuerunt, quod ſi aliquid eis, aut eorum hominibus, quis contrarium facere aut tollere præſumpſerit contra juſtitiam, omnia in duplum reſtituat ei, & componat.

De compoſitione Miſſorum regiorum.

VII. De miſſis Regis ſtatuerunt, ut ſi ab eis aliquis interfectus evenerit, in triplum eum componere debeat, qui hoc facere præſumpſerit. Similiter quicquid aut eorum omnibus factum fuerit, omnia tripliciter faciant reſtaurare, & ſecundum eorum evva (2) componere.

Ne quis incendium faciat infra patriam.

VIII. De incendio convenit, quod nullus infra patriam præſumat facere propter iram aut inimicitiam, aut qualibet malevola cupiditate: excepto, ſi talis fuerit rebellis, qui juſtitiam facere noluerit, & aliter diſtrictus (3) eſſe non poterit, & ad nos, ut in præſentia noſtra juſtitiam reddat, venire deſpexerit, condicto commune placito, ſimul ipſi pagenſes veniant, & ſi unanimiter conſenſerint, pro diſtrictione illius caſa incendatur: tunc de ipſo placito commune conſilio facto, ſecundum eorum evva fiat peractum, & non pro qualibet iracundia aut malevola intentione, niſi pro diſtrictione noſtra. Si aliter facere auſus fuerit, ſicut ſuperius dictum eſt, ſolidos LX. componat.

De banno augendo.

IX. Item placuit, ut quandoquidem voluerit Domnus Rex propter pacem & propter faidam, & propter majores cauſas bannum fortiorem ſtatuere, una cum conſenſu Francorum & fidelium Saxonum, ſecundum quod ei placuerit, juxta quod cauſa exigit, & opportunitas fuerit, ſolid. LX. multiplicare in duplum, & ſol. C. ſive uſque ad mille componere faciat, qui ejus mandatum tranſgreſſus fuerit.

De malefactoribus, qui mori debent.

X. De malefactoribus, qui vitæ periculum ſecundum evva Saxonum incurrere debent, placuit omnibus, ut qualiſcunque ex ipſis ad regiam poteſtatem confugium fecerit, aut in illius ſit poteſtate, utrum interficiendum illis reddat, aut una cum conſenſu eorum habeat licentiam ipſum malefactorem cum uxore & familia, & omnia ſua foris patriam infra ſua regna, aut in marca (4), ubi ſua fuerit voluntas, collocare, & habeant ipſum quaſi mortuum.

Qua-

---

(1) *Mannitus.*) Vox mere Germanica; *mannire* enim, ſive *manire*, noſtrum eſt *mahnen* vel *manen*, commonefacere, monere; in Legibus autem antiquis ſignificat citare, & in jus vocare; ita in L. Salica tit. 1. §. 1. *Si quis ad mallum legibus dominicis mannitus fuerit, & non venerit.* Plura exempla Gloſſatores dabunt.

(2) *Evva.*) Legem deſignat, & ſæpius in Legibus Longobardorum, Alemannorum, Bojoariorum & Capitularibus Caroli M. itemque infr. cap. 8. & 10. occurrit. Germanis *Ew*, *Ehe*, *E*, & *Ee* dictum, qua voce ipſe auctor Speculi Saxon. ſuo adhuc ævo conſtanter uſus. L. 1. art. 18. *Darzu behielten ſie alle ihr Recht, wo ſie wider die Chriſtliche Ehe und wider den Glauben nicht waren.* L. 3. art. 43. *Als Gott den Juden die Ehe gab, und uns den heiligen Geiſt*; & paſſim alibi. Deſiit quidem hodie vox *Ehe* pro lege ſumi, verum manſit nobis eadem ejus ſignificatio in verbo *Ehehafften*, quo titulo, ſtylo forenſi, deſignamus legitima, ſive legibus approbata impedimenta. Nec dubium eſt, quin ipſum matrimonium priſcis primo dictum fuerit *die Ehe*, propterea quod illud legitimum eſſe debeat. Prolixam & eruditam annotationem in hanc obſoletam vocem vid. in Diecmanni Specim. Gloſſ. Lat. Theot. p. 21.

(3) *Diſtrictus.*) Vid. quæ ad præc. capit. 4. de ſignificatu hujus vocis adduximus, quibus addimus, interdum diſtringere poni pro apprehendere, detinere, quod forenſes barbare dicunt arreſtare, quem ſenſum noſter locus admittere videtur; ita namque vox venit in Addit. Caroli M. ad L. Salic. §. 6. *De fugitivis ac peregrinis, ut diſtringantur, ut ſcire poſſimus, qui ſint, aut unde venerint.* Atque eum in modum intelligenda ſunt, quæ affert Cangius ex Fleta, ſive commentario Juris Anglici, ſcripto circ. ann. 1340. edit. Londini 1647. ubi L. 2. cap. 65. dicitur, *diſtrictiones alias eſſe reales, alias perſonales. De realibus non fit diſtrictio, niſi per captionem rei petitæ: de perſonalibus fit diſtrictio per perſonas, ſed aliter in criminalibus, aliter in civilibus cauſis.* Nobis inde procul dubio ſupereſt *die Verſtrikung*, idem ſignificans.

(4) *In marca.*) *Marc*, vel *March* & *Marg* pri-

Quales debeant esse solidi Saxonum.

XI. Illud notandum est, quales debent esse solidi Saxonum: id est, bovem annoticum (1) utriusque sexus auctumnali tempore, sicut in stabulum mittitur, pro uno solido: similiter & vernum tempus, quando de stabulo exiit, & deinceps, quantum ætatem auxerit, tantum in pretio crescat. De annona (2) vero bortrinis (3) pro solid. I. scapilos (4) XL. donant, & de sigale (5) XX. Septentrionales (6) autem pro solido scapilos XXX. dent, & sigale XV. Mel vero pro solido bortrensi siglæ (7) I. & medio donant: septentrionales autem duos siclos de melle pro I. solido donent. Item hordeum mundum, sicut & sigale pro I. solido donent. In argento XII. denarios (8) solidum faciant; & in aliis speciebus ad istud pretium omnes æstimationes compositionis sunt.

EXPLICIT CAPITULARE SAXONUM.

---

prisca Germanorum lingua limites Imperii; sive provincias limitaneas designavit, unde *Marchio* sive *Marggravius* dicebatur Comes ejusmodi provinciæ, quem Auctor vitæ Ludovici Pii ad an. 822. nominat *custodem limitum*, & Adamus Brem. L. 1 cap. 48. ait: *Sic Henricus victor apud Sliaswic regni terminos ponens, ibi & Marchiones statuit.*

(1) *Bovem annoticum.*) Ita in L. Saxonum tit. 19. §. 1. *Solidus est duplex, unus habet duos tremisses, quod est bos anniculus.* Vid. quæ ibi annotavimus.

(2) *Annona.*) Pro tritico & frumento sæpius antiquiori ævo sumtum, ut in L. Salica tit. 25. §. 1. *Si quis ingenuus alienam annonam in molino furaverit.*

(3) *Bortrinis.*) Cangius genitivum casum intelligit esse nominativi *Bortren*, quod ipsi est annonæ species, sed conjecturæ, præterea quod auctoritatibus destituatur, non suffragari videntur verba insequentia. Bortrinis enim, ut apparet, hoc loco bina vice opponuntur Septentrionales populi, & sunt iidem, qui paulo infra Bortrensi dicuntur. Prævalet propterea, me judice, Clariss. Meinders opinio, interpretantis *bortrinos* incolas *bordæ Rheni*, quasi *Bord-Rheiner, die langst dem Rhein wohnen*. *Bort* autem, sive *bord*, veteri Saxonum lingua significavit marginem, unde & nobis hodienum fimbriæ vestimentorum dicuntur *Borden*, & restat formula loquendi: *an Bord gehen*, i. e. marginem navis conscendere. Hinc *bord* deinde pro tractu terræ ad ripam fluminis apposite usurpatum, sicuti nostræ linguæ peritiores Longobardos ab ejusmodi longo tractu regionis, quem inhabitabant olim, sic dictos fuisse, non male colligunt. Lege igitur, loco *bortrinis*, *bortrini*.

(4) *Scapilos.*) *Scapilus* idem, quod *Sceffilus* in L. Sax. tit. 11. lectionis Lindenbrogianæ occurrens, Germanice *ein Scheffel*, modius nempe, quo & nunc in mensurando frumento utimur.

(5) *Sigale.*) Pro secali frumenti genere, sicuti voce utitur Charta anni 826. apud Doubletum p. 793. *Quas villas acceperunt memorati fratres pro sigale modios mille trecentos.* Capitul. Car. M. L. 1. cap. 132. in eodem significatu habet *sigelis*.

(6) *Septentrionales.*) Saxones olim in Ostphalos, Westphalos & Angrarios, vel ut eos nominat Beda, in Orientales, Meridianos & Occiduos, a situ nempe regionum, quas inhabitabant, fuisse distinctos, ad L. Sax. Tit. 8. §. 1. adduximus. Sed de Septentrionalibus Saxonibus altum apud Auctores silentium est, nisi quod post ævum Carolingicum nomen *Nordalbingiorum Saxonum* inclaruerit, quod referente Helmoldo L. 1. cap. 47. Stormarios, Holsatos, Dithmarsiosque continuit, eaque pars Saxoniæ deinde Aquilonaris dicta fuit. Verum enim vero illorum Saxonum, qui posteriori sæculo Septentrionalium nomine venerunt, rationem speciatim in hoc capitulo non haberi, varia argumenta suadent. Præterquam enim, quod Nordalbingicæ & aquilonaris terræ mentio demum post Caroli tempora occurrat, fuere Septentrionales isti Saxones Transalbini, Capitulare autem nostrum solis Saxonibus Cis-albinis datum fuit, quod probat Proœmium, nam hi proprie dicuntur in tres separatos populos abire, distinctis nominibus Angrarios, Westphalos & Ostphalos dictos. Incertum propterea reddi videtur, quosnam inter Saxones hoc loco Septentrionalibus præcise accensuerit Carolus Imperator. Ex mente Clar. Meinders ad h. loc. erunt Westphali. Sed, ut taceam, Westphalos potius fuisse occidentalem gentem, ceu ex ipsa eorum denominatione patet, fuerunt jam olim Westphali, sicut & in hunc usque diem sunt Rheni accolæ, adeoque illi ipsi *Bortrini*, a quibus Septentrionales distinguuntur. Dixerim igitur, Carolo Septentrionalem Saxoniam fuisse eam Saxoniæ partem, quam tractus ad Rhenum non continet, & ideo complectere tum Ostphalos & Angrarios, tum quoque Westphalos, qui Rheni fluvium non accolebant. His itaque carior annona fuit, ideoque solidum pauciori frumenti mensura compensare eis licuit, quod terræ clima incolerent non adeo fertile & cultum, quam quidem *Bortrinorum* portio erat. Procul dubio autem major apium cultura apud Septentrionales fuit, quam apud Bortrinos, unde illorum solidus duobus siclis mellis, horum uno & dimidio æstimabatur.

(7) *Siglæ.*) *Sigla* & *Siclus*, cujus mentio paulo infra fit, promiscue designant mensuram liquidorum, sicut scapilus & sceffilus modii sunt rerum aridarum, uti ad L. Sax. not. fin. notavimus, & testimonio L. Alemann. probavimus, cui addi poterunt Chartæ Alemannicæ Goldasti, quæ n. 42. 49. 59. 67. 69. & passim alibi Siclas & Siglas cerevisiæ nominant,

(8) *XII. denarios.*) Lege *Denarii*. Denarios autem duodecim ævo Caroli M. & ex ejus constitutione solidum, qui antea XL. denariis constabat, effecisse, ad L. Sax. tit. 19. §. 1. deduximus.

ABRENUNTIATIO DIABOLI,

PROFESSIO FIDEI,

ET

INDICULUS SUPERSTITIONUM

ET PAGANIARUM

CUM ANIMADVERSIONIBUS COLLECTORIS.

ABRENUNTIATIO.

FOrfachiftu diobolae? Et refp. Ec forfacho diobolae. End allum diobol gelde? Refp. End ec forfacho allum diobol gelde. End allum dioboles wercum? Refp. End ec forfacho allum dioboles wercum, und wordum; thuna eren de Vuoden, end faxnote; ende allem them unholdum, the hira genotas fint.

PROFESSIO FIDEI.

GElobiftu in got almehtigan fadaer? Refp. Ec gelobo in got almehtigan fadaer. Gelobiftu in Crift godes funo? Refp. Ec gelobo in Crift godes funo. Gelobiftu in halogan gaft? Refp. Ec gelobo in halogan gaft.

EADEM LATINE SIC VERTI POSSUNT.

ABRENUNTIATIO.

ABrenuntias diabolo?
Refp. Ego abrenuntio diabolo.
Et omnibus diaboli gildis?
Refp. Et ego abrenuntio omnibus diaboli gildis.
Et omnibus diaboli operibus?
Refp. Et ego abrenuntio omnibus diaboli operibus, & verbis; Thonero, & Vuodano, & Saxonico confortio, & omnibus illis malis fpiritibus, qui horum confortes funt.

PROFESSIO FIDEI.

CRedis in Deum omnipotentem Patrem?
Refp. Ego credo in Deum omnipotentem Patrem.
Credis in Chriftum Dei filium?
Refp. Ego credo in Chriftum Dei filium.
Credis in Sanctum Spiritum?
Refp. Ego credo in Sanctum Spiritum.

INDICULUS SUPERSTITIONUM, ET PAGANIARUM.

DE facrilegio ad fepulcra mortuorum.
De facrilegio fuper defunctos, i. e. Dadfifas.
De fpurcalibus in Febr.
De cafulis, id eft, fanis.
De facrilegiis per Ecclefias.
De facris filvarum, quæ Nimidas vocant.
De his quæ faciunt fuper petras.
De facris Mercurii vel Jovis.
De facrificio quod fit alicui fanctorum.
De phylacteriis & ligaturis.
De fontibus facrificiorum.
De incantationibus.
De auguriis, vel avium vel equorum vel bovum ftercore, vel fternutatione.
De divinis vel fortilegis.
De igne fricato de ligno, i. e. Nodfyr.
De cerebro animalium.
De obfervatione pagana in foco, vel in inchoatione rei alicujus.
De incertis locis quæ colunt pro Sacris.
De petendo quod boni vocant S. Mariæ.
De feriis quæ faciunt Jovi vel Mercurio.
De Lunæ defectione; quod dicunt Vinceluna.
De tempeftatibus, & cornibus, & cocleis.
De fulcis circa villas.
De pagano curfu, quem Yrias nominant, fciffis pannis vel calceis.
De eo quod fibi fanctos fingunt quoslibet mortuos.
De fimulacro de confparfa farina.
De fimulacris de pannis factis.
De fimulacro quod per campos portant.
De ligneis pedibus vel manibus pagano ritu.
De eo quod credunt, quia feminæ lunam commendent, quod poffint corda hominum tollere juxta paganos.

ANI-

ANIMADVERSIONES
COLLECTORIS
In Abrenuntiationem Diaboli.

ET OMNIBUS DIABOLI GILDIS.

G*Elde* hic societatem interpretantur Keyslerus (1), & Eccardus (2). Et quidem, dum ad *societates* vox refertur, proprie designat sodalitia, in quibus Confratres pecunias vel symbolas conferunt in communes societatis usus. Hæc a Wachtero (3) edoceor; qui etiam opportune observat, vocem ipsam significare quoque compotationem, seu societatem convivantium, Vereliumque (4) testem adducit, cui *Gildi* conventus sunt convivales, *tam sacrorum causa, quam genio indulgendi.*

Hic ergo facile abrenuntiatur conviviis atque symposiis inter Ethnicos frequentissimis, quæ religionis gratia fiebant, constabantque idolothytis, utpote quæ immolatis carnibus, oblatis placentis, lustratis, consecratisque poculis, Ethnicis propinationibus, aliisque superstitiosis ritibus celebrarentur, ut inferius apparebit (5).

Et hæ allato supra sensu *Gildæ* proprie erant, dum convivia ejusmodi ex symbolis a convivantibus ad invicem collatis pararentur. Morem describit Snorro (6): *Erat veterum more receptum, ut cum sacrificia erant celebranda, ad templum frequentes convenirent cives omnes, ferentes secum singuli victum, & commeatum, quo per sacrificiorum solemnia uterentur, singuli etiam cerevisiam, quæ isto in convivio adhiberetur.*

Ejusmodi profecto Gildis, quæ *Diaboli gildæ* hic aptissime appellantur, abrenuntiandum erat ei, qui ad Christianorum sacra transibat.

THONERO, ET VUODANO.

KEyslerus (7) & Eccardus (8) syllabas male nexas putantes ab exscriptore Saxonici autographi, ita lectionem restituunt: *Thunnaer ende Voden*; hoc est (abrenuntio) *Thonero*, sive *Thoroni*, & *Wodano*. Hæc nempe fuere præcipua Germanorum ac Septemtrionalium Numina, quæ Adamus Bremensis vivis coloribus expressit, dum *Thori*, *Wodani*, & *Fricconis*, seu *Friggæ* (quem alii marem, alii fœminam esse rati sunt) ternarium Deorum præcipuum constituentium, atque in Upsaliensi Sveonum templo cultu habitorum idola descripsit: *Nobilissimum* (9) *Sveonum oppidum, quod* Ubsola *dicitur, non longe positum a* Sictonia *civitate. In hoc templo, quod totum ex auro paratum est, statuas trium Deorum veneratur populus; ita ut potentissimus eorum* Thor *in medio solium habeat triclinio. Hinc & inde locum possident* Vodan, *&* Fricco; *quorum significationes ejusmodi sunt.* Thor, *inquiunt, præsidet in aere, qui tonitrua, & fulmina, ventos, imbresque serenat, & fruges gubernat. Alter* Vodan, *idest furor, bella regit, hominique ministrat virtutem contra inimicos. Tertius est* Fricco *pacem, voluptatemque largiens mortalibus; cujus etiam simulacrum fingunt ingenti priapo.* Vodanum *vero sculpunt armatum, sicuti nostri* Martem *solent.* Thor *autem cum sceptro* Jovem *simulare videtur.*

Addit Olaus Magnus (10), Friggam, seu Fricconem, depictam quoque fuisse *cum gladio, & arcu; Thorum vero cum corona, & sceptro ac duodecim stellis*. Alii loco sceptri *malleum* ponunt in manu Thoronis. Icones præfatorum Numinum exhibet Stephanus Stephanius (11).

Wodani meminit & Paulus Diaconus (12): *Wodan, inquit, quem adjecta littera,* Gwodan *dixerunt, ipse est, qui apud Romanos* Mercurius *dicitur, & ab universis Germaniæ gentibus ut Deus adoratur.*

Atqui non bene Mercurium cum Wodano, ut & Thoronem cum Jove confundi ostendit ex Theogoniarum varietate antiquus Scriptor Saxo Grammaticus (13), probatque Wodanum aliud a Mercurio Numen, Thoronem aliud a Jove extitisse.

(1) Keysler. Antiq. pag. 350. (2) Eccard. Franc. Orient. Tomo 1. pag. 440.
(3) Wachter. Glossar. h. v. (4) Verelius in Indice.
(5) Vide infra Indic. Pagan. N. IX. (6) Snorro, Hist. Haquini Boni cap. XVI.
(7) Keysler. l. c. pag. 202. (8) Eccard. l. c.
(9) Adam. Bremen. Hist. Eccl. cap. 233 (10) Olaus Magnus lib. III. cap. 3.
(11) Stephanus Stephanius not. ad Saxonem Gram. lib. VI.
(12) Paulus Diaconus lib. I. cap. 9. (13) Saxo Gramm. lib. VI.

Sunt qui censent *Wodani* vocabulo appellatum fuisse ipsum supremum Deum (1). Sed sunt & qui exactius asserant, non unum extitisse Numen, quod *Wodani* nomine donaretur (2).

Et mihi certe ex Abrenuntiatione, quam hic illustramus, constat Wodanum, cui ad Christianismum accedentes valedicere jussi sunt, non fuisse supremum Deum, cui Christianorum nemo abrenuntiat, sed Ethnicum mere Deastrum. At vero quisnam Deaster ille fuerit, an Sol, an anima mundi, an Heros celeberrimus in Deorum album relatus, an quidpiam aliud, peritioribus discutiendum relinquo.

ET SAXONICO CONSORTIO.

SAxnote Saxonicum consortium, seu comitatum interpretor, duce Johanne Ihre (3), cum *Note* socium vel societatem designet. Adeout post excellentiora Numina, Thorum, & Wodanum, hac voce comprehendantur reliqui Dii, Heroesque inter Deos relati, qui ab Ethnicis Saxonibus peculiari quodam cultu, vel ut gentis indigenæ, vel ut tutelares, recolerentur.

Alii litteras aliter nectentes legerunt Saxn-Ote, & *Saxonicum Othinum* interpretantes affinxerunt Othinum quendam Saxonibus proprium, alium a Wodano, universali Germanorum, & Septemtrionalium Deo.

At quamvis non diffitear, non unum Othinum, seu Wodanum cultum fuisse; valde dubito, num ullum ex veteribus monumentis Othinum hunc Saxonicum firmet, ex vocula *Saxnote*, quæ hic habetur, ab eruditis effictum, quæ vox aliunde, ut supra animadverti, commodiori interpretatione, non *Othinum*, sed *consortium Saxonicum* designare apta est.

ANIMADVERSIONES COLLECTORIS

In Indiculum Superstitionum, & Paganiarum.

I.

DE SACRILEGIO AD SEPULCRA MORTUORUM.

DAmnari reor sacrificia, & oblationes, uti & convivia, & symposia Ethnico more celebrata ad sepulchra mortuorum. Sacrificia enim (quæ compotationibus quoque & epulis peragi consueverunt) ibi habita fuisse evincunt aræ hodiedum supra mortuorum tumulos in Dania superstites, de quibus hæc Olaus Wormius (4): *Unica* (ara) *ubi visitur, maxima ex parte sepulchro imposita esse solet, eo fine ut ibidem in memoriam defuncti quotannis sacra peragantur.*

Hujusmodi sacrificia forte memoravit Zacharias Summus Pontifex in Epistola ad Bonifacium scribens: *Pro sacrilegis* (5) *itaque Presbyteris, ut scripsisti, qui tauros, & hircos Diis Paganorum immolabant, manducantes sacrificia mortuorum &c.* Quin & in Liptinensi Concilio (6) (ad quod Indiculus noster spectasse creditur) inter *gentilitatis spurcitias* recensentur & *profana sacrificia mortuorum*. Et Gregorius Papa III. (7) in Epistola ad Optimates & Populum Provinciarum Germaniæ, hortans eos ut respuant, atque abjiciant Ethnicas superstitiones, inter has refert *Sacrificia mortuorum*.

Morbus hic late dominatus esse videtur. Apud Gratianum: *Non liceat* (8) *Christianis prandia ad defunctorum sepulchra deferre, & sacrificare de re mortuorum*. Et Concilium Turonense II. (9) *Sunt etiam, qui in festivitate Cathedræ Domni Petri Apostoli cibos mortuis offerunt, & post missas redeuntes ad domos proprias ad gentilium revertuntur errores, & post corpus Domini, sacras dæmoni escas accipiunt.*

Sed quod ferme in rebus aliis, ita & in hac evenit; ut essent scilicet, ad Christianismum conversi, qui Ethnicam superstitionem rejicerent, non morem penitus abjiciendo, sed illum a superstitione expurgando, atque etiam (ut ipsis quidem videbatur) in Christianum, piumque usum vertendo.

Erant certe, qui sacra Christianorum ad sepulchra deferrent, ac ministrarent, & qui ministrata perciperent, pio procul dubio animo suffragia præbendi defunctis. Quod tamen ne

(1) Pelloutier Hist. des Celtes lib. III. cap. 6.
Mallet Introd. a l'Hist. de Dannemark. Tomo II. pag. mihi 259.
(2) Cleffel. Antiq. Germ. pag. m. 447. Ihre Glossar. V. *Oden*.
(3) Ihre Gloss. V. *Note*. (4) Worm. Monum. Dan. lib. I. cap. 3.
(5) Zacharias Epist. 10. ad Bonif. (6) Conc. Germanicum an. DCCXLII. can. 5.
(7) Gregor. III. Ep. 3. (8) De consecrat. dist. 2. c. *Non liceat*.
(9) Conc. Turon. II. an. DLXVII. c. 10.

ne ultro fieret, Ecclesiasticis Sanctionibus (1) cautum est: *Non oportet Clericos ignaros, & præsumptores super monumenta in campo ministeria portare, aut distribuere sacramenta; sed aut in Ecclesia, aut in Basilica, ubi Martyrum reliquiæ sunt depositæ, ibi pro defunctis oblationem offerre.*

Alii nullo sacrificio, nec profana oblatione peracta, rati sunt saltem licitum esse, imo erga defunctorum memoriam pium, ut innocuum convivium ad eorum sepulchra peragerent. Quod item interdictum legimus in Capitularibus Regum Francorum: *Admoneantur Fideles* (2), *ut ad suos mortuos non agant ea, quæ de Paganorum ritu remanserunt ... Et super eorum tumulos nec manducare, nec bibere præsumant.*

Hæc expresse attuli, & plura ejusce generis, quæ a SS. Patribus damnantur, referri possent (3), quæ probant, non modo apud Barbaros nostros, sed & apud alias quoque gentes hujusmodi parentalia in usu fuisse. Quod argumento est, ritus hosce ex iisdem veterrimis Scytharum, atque Celtarum institutis descendere, & antiquissimam fuisse doctrinam, animas hominum post mortem conviviis, & compotationibus oblectari. De quo quædam supra in monito præfatus sum.

II.

DE SACRILEGIO SUPER DEFUNCTOS, IDEST DADSISAS.

Quid sint *Dadsisæ*, nescio; scio tamen hic reprobari *sacrilegium super defunctos*, quo innuuntur superstitiosi & Ethnici ritus in defunctorum exequiis, & tumulatione servati.

Occurrunt primum excubiæ funeris, atque ut nos adhuc dicimus, *vegliare il morto;* quarum ritum colligimus ex Concilio Arelatensi IV. *Laici* (4), *qui excubias funeris observant, cum timore, & tremore, & reverentia hoc faciant. Nullus ibi diabolica carmina præsumat cantare, nec joca, nec saltationes facere, quæ Pagani docente diabolo adinvenerunt. Quis enim nesciat, diabolicum esse, & non solum a religione Christiana alienum, sed etiam humanæ naturæ esse contrarium, ibi lætari, cantare, inebriari, & cachinnis ora dissolvi, & omni pietate, & affectu charitatis postposito, quasi de fraterna morte exultare, ubi luctus & planctus flebilibus vocibus debuerit resonare, pro amissione chari fratris?* Idem breviori calamo perstrinxit Leo Papa IV. *Carmina* (5) *diabolica, quæ nocturnis horis super mortuos vulgus facere solet, & cachinnos, quos exercet, sub contestatione Dei omnipotentis vitate.*

Id vero generatim obtinuisse reor, quod de Attilæ funere tradit Jornandes (6), ut scilicet *contraria invicem sibi copulantes, luctum funereum mixto gaudio explicarent.*

Nam præsertim cum ad tumulum deferretur cadaver, clamores, ululatusque affectati, certe non desinebant. Sic in Capitularibus Regum Francorum, inter ea, *quæ de Paganorum ritu remanserunt*, adnumeratur & hoc: *Et quando eos ad sepulturam portaverint, illum ululatum excelsum non faciant* (7).

Memoria recolo, Theodorici cadaver a Gothis *cantibus honoratum* fuisse (8). Omnia siquidem documenta nos edocent, Barbaros consuevisse res gestas, laudesque virorum carmine, cantuque celebrare. Ita & in Attilæ exequiis electissimos Hunnorum equites *facta ejus cantu funereo* retulisse, memoriæ prodidit Jornandes (9).

Neque id tantum in Principum funere; nam ex usu in Italia nostra sequioribus ævis vigente colligimus, vulgo obtinuisse, ut laudes defuncti rhythmico carmine celebrarentur (10). Quod & in Hispania usitatum fuisse, indicat Concilium Toletanum III. cavens, ne in Religiosorum tumulatione canatur *funebre carmen, quod vulgo defunctis cantari solet* (11).

Sed hæc res Ethnica proprie non erat, quamvis ab Ethnicis usitata. Illud tanquam vere Ethnicum recenseri potest, quod divitiæ, resque pretiosæ, quandoque & uxor, & charissimi servi (12) mactati contumularentur defuncto. Dixi *vere Ethnicum*, quia ex Paganorum superstitione credebatur, defunctum fruiturum fore in altera vita eo comitatu, & divitiis, quibus contumulabatur. Promisisse siquidem ferebatur Othinus, ut *quæ opes cuique addebantur in roge, iis comitatus aditurus esset Valhallam.* Hæc Snorro, qui alias quo-

(1) Ap. Grat. de Consecr. Dist. 1. c. *Non oportet*. Capitula collecta a Martino Bracar. c. 65.
(2) Capitul. lib. VI. c. 197.
(3) Vide Cangii Glossar. V. *Parentalia*.
(4) Ex Arelat. Conc. juxta alios Decretorum libros, Titulo: *De his, qui vanitates in excubiis funeralibus exercuerint.*
(5) Leonis Pp. IV. Homilia ex Editione Labbæi.
(6) Jornand. de Reb. Gætic. c. 49.
(7) Capitul. lib. VI. c. 197.
(8) Jorn. l. c. c. 41.
(9) Idem loc. c. c. 49.
(10) Consule Murat. Ant. Ital. Dissert. XXIII.
(11) Conc. Tolet. III. an. DLXXXIX. c. 22.
(12) Vide Bartholin. Antiq. Dan. pluries.

quoque ait, perſuaſum illis fuiſſe, defunctum inter divos *tanto ditiorem fore*, *quo plures cum eo cremarentur divitiæ* (1).


Atque inde profecto, qui moris cauſam probe noverant, ab hac ſuperſtitione in Chriſtianiſmo abſtinebant. Exemplum præbet hiſtoria Boi: *Quoniam Boo* (2) *baptizatus fuerat*, *neque idolis unquam ſacrificaverat*, *Helga eum ad Auſtrale templi latus ſepeliri fecit*, *nulla ipſi appoſita pecunia*. Hæc in ipſo Septemtrione, ut mirum ſit, in cultioribus Europæ plagis tantum valuiſſe vim conſuetudinis, ut mos defunctum non ſine grandi ornatu tumulandi inter Chriſtianos, tam Romanos, quam Barbaros diu perduraverit (3).

Sed num inter Barbaros omnes cuncti hi mores vigerent, valde dubito. Quod ad rem, de qua agimus, attinet, ego haud ſemel a fide digniſſimis teſtibus audivi, apud nos in excolendis agris inventa fuiſſe cadavera (Chriſtianorum, an Paganorum neſcio) quorum gigantea moles, & enormia crania exuvias Germanorum veterum eſſe indicabant, ex quibus etiam quædam clarorum virorum viſa ſunt præſeferre reliquias. Hiſce autem, ſi arma excipias, vix quidquam, quod decem obolos valeret, conſepultum erat.

Conſentit & Tacitus de Germanis loquens: *Funerum* (4) *nulla ambitio*; *id ſolum obſervatur*, *ut corpora clarorum virorum certis lignis crementur*. *Struem rogi nec veſtibus*, *nec odoribus cumulant*. *Sua cuique arma*, *quorundam igni & equus adjicitur*. *Sepulchrum ceſpes erigit*. *Monumentorum arduum*, *& operoſum honorem*, *ut gravem defunctis*, *aſpernantur*.

Profecto ſi de monumentorum ſimplicitate ſermo ſit, Septemtrionalis terræ, & Germaniæ inferioris Scriptores paſſim tradunt, in agris eorum quamplures ſupereſſe magnos tumulos, ſeu verius colliculos ex aggeſta humo compactos, qui ſimplicitate vere egregia monumentorum vice illuſtrem perennarent memoriam defunctorum ſub illis conditorum. Hoc Scytharum fuiſſe inſtitutum, Herodotus teſtis eſt, qui de Regis tumulatione agens ait: *Humum* (5) *certatim atque avide injiciunt*, *cupientes tumulum quam maximum eſſe*.

Vel ab antiquis Carnis vel (quod probabilius eſt) a Barbaris, qui noſtras invaſere terras, aggeſti, hac illac in mediis pratis & campis, viſuntur adhuc haud procul Utino hujuſmodi colliculi, qui ſepulchrales eſſe videntur, & quorum formam hic exhibere lubet. Eos apto nomine *Tumbas* appellamus, & ex illis quidam duo ferme paſſus geometricos altitudinis perpendicularis exæquant,



Sed

(1) Snorro, Hiſtoria Ynglingorum c. 8. 10. (2) Ap. Barthol. l. c. lib. II. c. 9.
(3) Vide Murat. l. c. (4) Tacit. Germ. c. XXVII. (5) Herodot. lib. IV. c. 71.

Sed ad Paganias redeamus. Quod maxime in Indiculo nostro damnatur, reor esse convivium funebre Ethnicis, & superstitiosis epulis, & ritibus celebratum, prout sacrorum conviviorum mos erat, ut alias dicemus (1).

Et sane cantus Ethnicos, cachinnos, convivia, in funere peracta memorat liber Canonum Ecclesiasticorum inter Leges Anglosaxonicas sic a Wilkinsio latine versus: *Non exultetis (2) super homines mortuos, nec corpus quæratis, nisi quis vos accuset, ut hoc ipso vos excusetis: tum prohibete cantus ethnicos laicis, & illorum sonoras cachinnationes, nec vos ipsi edatis aut bibatis ibi, ubi corpus jacet, ne forte assimilemini Ethnicismo, quem ibi committunt.*

Prætereundum non est, quod de Attilæ funere tradit Jornandes: *Postquam (3) talibus lamentis est defletus*, stravam *super tumulum ejus, quam appellant ipsi, ingenti comessatione concelebrant.*

Vox *Strava*, quæ negotium facessivit Interpretibus, Hunnica est, seu potius generatim Slavica. Adhuc a Morlacchis frequens usurpatur vox *Zdravicze*, quam feliciter explicat Joannes Lovrich, inquiens: *La parola* Zdravicze (4) *è derivata certamente dall' uso di far i brindisi, poichè ad uno che si vuol far brindisi, si dice*, Zdrav, *che corrisponde a ciò che fra gl' Italiani si dice*, Viva.

Strava ergo, quam Jornandes commemorat, apposite indicat rem de qua agitur, scilicet propinationes, quas in religiosis symposiis Diis & Heroibus fieri consuevisse, aptiore loco perspiciemus (5).

Hæc ex pluribus perpendenda selegi, quorum fragmenta quibusdam in locis supersunt adhuc. Hodiedum inter Morlacchos (6) *excubiæ funeris* a propinquis & amicis defuncti observantur, ad bonam tamen frugem redactæ; *ululatus*, sive clamores fiunt; elogium defuncti canitur lugubri tono specie octosyllabi carminis; epulæ funebres celebrantur.

Inter nostrates quoque villicos frequens in exequiis audivi clamores, ploratusque affectatos; quibus & intermiscetur quandoque elogium, & commemoratio bonorum factorum defuncti, intercalari, & flebili cantilena. Completis exequiis propinqui & amici, qui funeri interfuerunt, ad defuncti domum convenientes, celebrant convivium funebre (appositis ut plurimum fabis) in quo & a convivis æternæ requiei defuncti propinatur.

III.

DE SPURCALIBUS IN FEBRUARIO.

Februarius mensis adhuc in quibusdam Germaniæ, & Belgii regionibus *Sporckel*, *Sporckelle* appellatur (7). Nomen inditum reor a Christianis, qui *Spurcalia*, *Spurcitias*, *Spurcamina*, sacra, ac superstitiones Paganorum appellabant (8). Adeout Februarius *Mensis Spurcaliorum* dictus fuerit, quod in eo sollemnia Ethnicorum sacra quam maxime peragerentur.

Juvat audire Snorronem (9): *Erat priscus in Svionia usu receptus mos, dum Ethnicorum ibi vigebat religio, ut in Uppsalis mense Goensi* (is est mensis Lunaris in Februarium incidens) *primarium esset sacrificium pro pace, & pro victoria Regi impetranda a Diis instituendum, ad quod incolæ totius Imperii Svionici confluerent; quo tempore etiam omnium Svionum ibi agenda erant comitia, nec non nundinæ, & mercaturæ instituebantur, quæ hebdomadam durarunt.*


Notabile est, quod immediate sequitur; *Post sacra autem Christianorum in Svionia admissa, ibi comitia tamen, & nundinæ sunt celebratæ. At post religionem Christianam totam per Svioniam demum receptam, cum regiam priscam sedem Uppsalis missam facerent Reges, nundinæ sunt statuto olim tempore motæ, atque circa festum Purificationis Mariæ celebratæ, qui usu receptus mos postea semper est servatus; nec nisi tribus diebus (nundinæ) jam celebrantur.*

Hoc attuli exemplum, quod innuit, Christianis sacris inductis festivas Ethnicis usitatas lætitias ad dies festos Christianorum redactas esse. Ab aliis quoque notatum est Paganorum festa, *Joliensia* nuncupata, ad sollemnes dies, quibus memoria Nativitatis D. N. J. Christi recolitur, redacta fuisse, qui dies alicubi Juliorum nomine (*Jul*) adhuc appellantur.

Hinc cum Ethnici festa, & sacra sua religiosis celebrarent symposiis, ex inducta, ut reor, consuetudine, evenit ut Christiana religione suscepta in Kalendariis quibusdam Runicis festi dies, in quos incidit memoria, seu Nativitatis Christi, seu Purificationis Mariæ, cornubus (quibus Barbari poculorum vice communius utebantur) uti symposiorum indicibus notarentur.

(1) Vide infr. n. IX. Consule & dicta n. I. (2) Wilkins Leg. Anglosax. pag. 158.
(3) Jornand. l. c. c. 49. (4) Lovrich, *Osservazioni* pag. 154.
(5) Infra n. IX. (6) Lovrich l. c. pag. 217.
(7) Vide Eccard. Franc. Orient. Tomo I. pag. 409.
(8) Vide Cangium V. *Spurcalia*. (9) Snorro Historia Olafi Sancti c. LXXVI.

tur. Olaus Rudbekius (1) Kalendarium affert, quod post diem XIX. Januarii cornua duodecim ostendit ordine sequentia, adjecto ad diem VIII. Februarii cornu inverso, quo indigitatur symposiorum finis. Aliud exhibet Kalendarium Olaus Verelius, & ex eo Keyslerus (2) (cujus schema hic æri incisum appono) decem refertum erectis cornubus. Producitur hoc a festo S. Thomæ Apostoli ad festum S. Canuti, quo cornu inversum conspicitur, completorum sacrorum, & symposiorum symbolum.



Sacra symposia a Germanis in Februario maxime fuisse peracta, innuit nomen, quo mensis ipse quibusdam in regionibus adhuc donatur, *Hornung*. *Horn* namque est *cornu*, & *ung* in conjunctione cum substantivo semper esse copiæ, atque frequentiæ indicem, docet Wachterus (3): ut vox illa denotet mensem copia ac frequentia cornuum, hoc est poculorum, & symposiorum clarum. Cimbri monticolæ Agri Veronensis, & Vicentini, alii quidem Januarium, alii Februarium *Hornach*, *Hournech* appellant (4). Quæ omnia mensem Februarium fuisse ob Ethnica sacra conspicuum satis indigitant. Assertum firmat Anglosaxonicum vocabulum, quo idem nuncupatur mensis, *Solmonath*, qui, Beda interprete (5), *dici potest mensis placentarum, quas in eo Diis suis offerebant*. De placentis autem alibi sermo erit (6).

Svecis Februarius dicitur mensis *Gojæ*, (*Gojemanad*), quæ *si numen fuit*, ait Johannes Ihre (7), *pro Cerere habendum credunt eruditi nostrates, hoc est, pro Terra*. Quod in mentem revocat, hoc valde probabiliter fuisse solemne festum in honorem *Terræ* institutum, de quo Tacitus verba facit, dicens (8): *Reudigni, & Aviones, & Angli, & Varini, & Eudoses, & Suardones, & Nuithones, fluminibus, aut sylvis muniuntur. Nec quidquam notabile in singulis, nisi quod in commune Herthum, idest Terram matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Est in Insula Oceani castum nemus, dicatumque in eo vehiculum veste contectum, attingere uni Sacerdoti concessum. Is adesse penetrali Deam intelligit, vectamque bubus fœminis multa cum veneratione prosequitur. Læti tunc dies, festa loca, quæcumque adventu, hospitioque dignatur. Non bella ineunt, non arma sumunt, clausum omne ferrum: pax & quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem Sacerdos satiatam conversatione mortalium Deam templo reddat. Mox vehiculum, & vestes, &, si credere velis, Numen ipsum secreto lacu abluitur. Servi ministrant, quos statim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, sanctaque ignorantia, quid sit illud, quod tantum perituri vident*. Hucusque Tacitus, e cujus testimonio edocemur, festa hæc in honorem Terræ lætissime celebrata, ad plures dies protracta fuisse.

A cornualibus hisce festis forte originem duxit *Carnovale*, quod his, quibus scribo diebus, varia voluptatum specie nostrates transigunt. Verum equidem est, magis continuata ac diutius perdurante dierum serie *Carnovale* nostrum celebrari; sed hæ sunt passiones hujus temporis, & nostræ gentis, adeo hilaritatibus deditæ, ut ni quadragesimalis jejunii tempus intercederet, *Carnovale* ab initio usque ad finem anni facile perduraret.

IV.

DE CASULIS, IDEST, FANIS.

DUm *casulas* audio, mihi persuadere non possum hic agi de templis. Quis enim credat, cellulas atque tuguria pro Deorum habitaculo constituisse Germanos, qui aras barbara quidem, sed immani magnificentia extruebant (9)? De majestate antiqui Templi

(1) Rudbekii Atlantica Tom. II. pag. 165. (2) Keysler. Antiq. Sept. pag. 367.
(3) Wachter. Glossar. V. *Hornung*.
(4) Del Pezzo pag. 78. Dalla Costa p. 43. (5) Beda de temporum ratione c. 13.
(6) Infra N. XXVI. (7) Ihre Glossar. V. *Goja*. (8) Tacit. Germ. c. XL.
(9) Vide infra N. VII.

pli Upsaliensis in Svecia mira prædicantur; & Tacitus ipse (1) *celeberrimum illis gentibus* (Marsis) *templum, quod Tanfanæ vocabant, commemorat*. Hæc sane tuguriis aptari non possunt.

Quid ergo hic *casularum* nomine veniat, innuit S. Gregorius Magnus, cujus verba longiuscule referri merentur. Hæc ille in Epistola ad Mellitum Abbatem (2): *Cum vos Deus omnipotens ad reverendissimum virum fratrem nostrum Augustinum Episcopum perduxerit, dicite quod diu mecum de causa Anglorum cogitans tractavi; videlicet, quia fana Idolorum destrui in eadem gente minime debeant, sed ipsa, quæ in eis sunt, Idola destruantur. Aqua benedicta fiat, in eisdem fanis aspergatur, altaria construantur, reliquiæ ponantur; quia si fana eadem bene constructa sunt, necesse est, ut a cultu dæmonum in obsequium veri Dei debeant commutari: ut dum gens ipsa eadem fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoscens, ac adorans, ad loca, quæ consuevit, familiarius concurrat. Et quia boves solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solemnitas immutari, ut die Dedicationis, vel natalitiis Sanctorum Martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur*, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conviviis solemnitatem celebrent. *Nec Diabolo jam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esum suum animalia occidant, & donatori omnium de satietate sua gratias referant; ut dum eis aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant. Nam duris mentibus simul omnia abscindere, impossibile esse non dubium est: quia is, qui locum summum ascendere nititur, necesse est, ut gradibus, vel passibus, non autem saltibus elevetur*.

Obiter nota, qua moderatione SS. Patres nostri erga recens conversos ad fidem uterentur; & quomodo (quantum Christiana permittebat religio) illorum antiquis moribus se se accommodarent, Ecclesiæ profectum, & animarum lucrum præ oculis habentes. Atque id potissimum in causa fuisse reor, ut Ethnica prorsus superstitione rejecta, veteres gentium mores, atque ipsi innocui Ethnicismi cortices ab Ecclesiæ Præsulibus tolerati, imo & usu recepti fuerint, cum promovendo Ecclesiæ, & Fidelium bono, atque avertendo malo id aptum esse dignoscerent. Sed redeamus ad nostra.

Quæ *tabernacula* S. Gregorius hic memorat, ab Anglosaxonum fanis sive templis (quæ profecto in tuguriorum formam confecta non fuisse ex ejus verbis clare liquet) diserte distinguens, eadem & in hoc Indiculi articulo commemorata reor; casulas videlicet, sive cellulas ex ramis arborum, vel alio tenui materiamine compactas, ut hi, qui ad sacra convenerant, intra eas religiosis conviviis, aliisque pietatis, seu superstitionis operibus operam darent; quibus utpote religionis causa erectis, vel etiam forte peculiari quodam ritu lustratis, sanctum quid inesse censeretur. Sanctas vero has cellulas creditas fuisse probant & Indiculi verba: *De casulis, idest fanis*; siquidem uti *Fan* significat Dominum, ita *fanum* Dominicum denotat, seu locum Domino sacrum. Qua ergo superstitione erga ejusmodi loca Ethnici ferebantur, vel quæ superstitiosa in iis peragebant, ea hic reprobata sunt.

De hujusce generis casulis sub *cellorum* nomine agi arbitror in vita S. Eligii, dum ibi luminaria facere, & vota persolvere inhibentur Christiani: *Nullus Christianus* (3) *ad fana, vel ad petras, vel ad fontes, vel ad arbores, vel ad* CELLOS, *vel per trivia luminaria faciat, aut vota reddere præsumat*. Et hæc quidem de casulis, de quibus hoc loco agitur, mea est sententia; alii de ejus soliditate dijudicent.

V.

DE SACRILEGIIS PER ECCLESIAS.

Cruenta sacrificia, convivia, symposia, vel in Ecclesiis, vel juxta Ecclesias, celebrata fuisse, more ab Ethnicis derivato, alibi (4) dicam opportunius.

Hic tantum loquar de profanis canticis, & choreis, quæ in Paganismo religionis causa fieri consueverant; quod ex veteri Celtarum instituto profluxisse colligimus ex Strabone (5): *Celtiberos perhibent & qui ad Septemtrionem eorum sunt vicini, innominatum quendam Deum noctu in plenilunio ante portas cum totis familiis choreas ducendo, totamque noctem festam agendo, venerari*.

Olaus Wormius (6) scribit, quod *Upsaliæ Diis suis immolantes sacrificuli tripudiis, & gestibus effœminatis, nolarum strepitu, inconditæ musices barritu, spectatorum oculos, & aures perstringebant*. Et revera, Saxone teste (7), Starchaterus *apud Upsalam sacrificio-*

(1) Tacit. Annal. lib. I.
(2) Greg. M. Epist. lib. XI. Ep. 76.
(3) Vita S. Eligii lib. II. c. 15.
(4) Infra N. IX.
(5) Strabo lib. III.
(6) Worm. Monum. Dan. lib. I. c. 5.
(7) Saxo lib. VI.

ficiorum tempore constitutus, *effœminatos corporum motus scenicosque mimorum plausus*, *ac mollia nolarum crepitacula* fastidiebat.

Ab Ethnicismo hæc in Christianismum descendisse docet Concilium Romanum sub Eugenio II. habitum (1), ut & Leonis Pp. IV. Breviarium (2), in quo hæc leguntur: *Ut Sacerdotes admoneant viros, ac mulieres, qui festis diebus ad Ecclesiam occurrunt, ne ballando, & turpia verba decantando choros teneant, ac ducant, similitudinem Paganorum peragendo: quia si tales cum minoribus peccatis ad Ecclesiam veniunt, cum majoribus revertuntur*. Hinc & in Capitularium libris, dum agitur de Ecclesiarum honore, inter ea, *quæ de Paganorum consuetudine remanserunt*, recensentur *balationes*, & *saltationes*, *canticaque turpia*, *ac luxuriosa*, & *lusa diabolica* (3).

In hoc autem Paganicam superstitionem proprie constitisse reor, & *sacrilegium* Indiculo nostro pressius in erdictum, quod indecoris hisce choreis, & canticis obsequium crederetur præstari Deo. Quod innuitur Canone Concilii Aurelianensis II. (4) *Ne quis in Ecclesia votum suum cantando, bibendo, vel lasciviendo dissolvat, quia Deus talibus votis irritatur potius, quam placetur*.

Occurrit mihi quondam, ab antiquo testatore legatas fuisse monetas argenteas duas, quotannis persolvendas adolescentulo, & adolescentulæ, qui præstituta die elegantiorem choream peregissent in honorem B. M. Virginis. Quod in aliud pium opus haud multis ab hinc annis commutatum fuit.

Cæterum choreæ, crapulæ, ludi, & alia ejusmodi, quæ prope Ecclesias occurrentibus sollemnitatibus adhuc fiunt, procul dubio veteris moris reliquiæ sunt, quamvis nunc absit Paganica superstitio.

VI.

DE SACRIS SILVARUM, QUÆ NIMIDAS VOCANT.

CUltum arborum apud Ethnicos viguisse millena documenta probant, ex quibus quædam & allegavi, & infra allegabo. Hic vero non videtur interdici generatim arborum cultus, sed peculiaria quædam *sacra* in sylvis peracta, quæ *Nimidas* vocabant. Quæ superstitio facile se proderet, si vim vocis *Nimidas* assequi possemus.

Nama, nema, nima, *capere*, *sumere*, *Dal. L. p.* 15. Næmpdi af hurtompt; *cepit*, *vel decerpsit*, *de fundi area*. *Ulphilas*, Niman. *Islandice*, Nima, Nema. *Anglosaxonice*, Niman. *Alemannice*, *idem*. *Germanice*, Nehmen. Hæc Johannes Ihre (5), cui consonat & Wachterus (6) scribens: Neman, *sumere*, *capere*. *Omnes antiqui habent*, Niman. *Dicitur autem sensu latissimo &c.*

Quare hic agi mihi videor de sacris celebratis, dum a sylvis, vel ab arboribus aliquid sumeretur, vel decerperetur.

Id in mentem opportune revocat decerptionem visci e quercubus, quæ qua sollemnitate fieret a Gallis, Celtica gente, Plinius hac oratione describit (7): *Non est omittenda in ea re & Galliarum admiratio. Nihil habent Druidæ (ita suos appellant magos) visco & arbore in qua gignatur (si modo sit robur) sacratius. Jam per se roborum eligunt lucos, nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt, ut inde appellati quoque interpretatione Græca possint Druidæ videri. Enimvero quidquid adnascatur illis, e cœlo missum putant, signumque esse electæ ab ipso Deo arboris. Est autem id rarum admodum inventu, & repertum magna religione petitur: & ante omnia sexta luna, quæ principia mensium, annorumque his facit, & sæculi post tricesimum annum, quia jam virium abunde habeat nec sit sui dimidia. OMNIA SANANTEM appellantes suo vocabulo, sacrificiis, epulisque rite sub arbore præparatis, duos admovent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum vinciantur. Sacerdos candida veste cultus arborem scandit, falce aurea demittit, candido id excipitur sago. Tum deinde victimas immolant, precantes, ut suum donum Deus prosperum faciat his, quibus dederit. Fœcunditatem eo poto dari cuicumque animali sterili arbitrantur, contraque venena omnia esse remedio. Tanta gentium in rebus frivolis plerumque religio est*. Hæc Plinius, qui alias quoque de virtutibus differit, quæ visco putabantur inesse: *Si terram* (8) *non attingit, comitialibus mederi. Conceptum fœminarum adjuvare, si omnino secum habeant. Ulcera commanducato, impositoque efficacissime sanari*.

Neque solis Gallis visci virtutes agnitæ fuit. Nam & ab aliis gentibus eximiam, magicamque vim ipsi attributam fuisse, maxima probant argumenta. *Holsatis*, *finitimisque po-*

(1) C. XXXV. (2) C. XXXV. (3) Capitular. lib. VI. c. 196.
(4) Conc. Aurelian. II. an. DLXXXIII. (5) Ihre Glossar. V. *Nema*.
(6) Wachter Glossar. V. *Nem*. (7) Plinius lib. XVI. c. 24.
(8) Idem lib. XXIV. c. 4.

populis (verbis utor Keysleri (1)) *dicitur* Marentaken , *sive ramus spectrorum* , *baud dubie a magica vi , quam nullibi fere non venatores illi tribuunt , querno in primis , quem faustam venationem procurare , vulnera citissime sanare , & nescio quid non efficere affirmant .*

Ex Islandorum Edda manifesto quoque colligitur, quernei ramusculi magicas inibi creditas fuisse virtutes , cum scriptum sit , quod Hoderus (2) ramusculum ipsum in Balderum cæteroquin invulnerabilem projiciens , *hoc missili transfodit , qui protinus exanimis concidit .*

In Botanologico Boxhornii viscus Cambrice vocatur *Uchelwyd* , quod Wachtero interprete (3), *est virgula eximiæ virtutis .*

Cum ergo hæc per tot gentes circa viscum illum vigeret credulitas, jure ea censeri potest ab antiqua communium parentum Celtarum, vel Scytharum fide derivata .

Quæ cum ita sint , dubitari minime potest , sicut inter Gallos , ita & inter cæteras gentes, non absque magna religione viscum ex arboribus decerptum fuisse ; cum & in collectione herbarum medicinalium ritus , & observationes intercederent , quæ superstitionem sapiebant. Quod Christianis novimus interdictum, ut *non liceat (4) in collectione herbarum , quæ medicinales sunt , aliquas observationes , aut excantationes attendere .*

Arbitror itaque hic agi de collectione , sive *decerptione* mirabilis cujusdam medicaminis, & speciatim visci quernei, qui sicuti inter Gallos, ita & inter Germanos , aliosque populos, nonnisi instituto sacrificio , peractisque sollemniis decerperetur ex arbore.

Sententiam firmat superstes usus. In Gallia enim (5), & in primis in Aquitania, quotannis pridie Kalendas Januarias pueri , atque adolescentes vicos , villasque obeunt , carmine stipem petentes, sibique atque aliis pro voto in exordio novi anni acclamantes: *Aguilanleu*, seu *Au guy l' an neuf ; ad viscum annus novus .*

Idem & in Germania obtinere videtur ; in ea enim parte, qua ad Almonam flumen vergit, Marchionatu Onoblacensi comprehensa, tempore Nativitatis Christi vulgus per vias, & pagos currit, malleisque pulsat fores , & fenestras, indesinenter clamans: *Guthyl , Guthyl ;* quod est, Keyslero interprete (6), *bene* , vel *optime sanans ;* quod ipsum visci antonomasticum nomen fuit Gallis antiquis , qui *omnia sanantem* , Plinio referente (7), Gallico vocabulo appellabant.

Suspicor , quod rei reliquiæ maneant in Patria Fori-Julii in eo quod dicimus : *Il buon capo dell' anno maschio ;* incongruum sane epitheton , quod exinde reor e corrupta voce derivatum. *Mast* Germanice est glans quernea, *Mistel* est viscus: Italice cujusdam arboris resina hodie dicitur *Mastico* , *Mistice* . Cæterum primis anni noctibus pueri , & adolescentes per urbem discurrentes ostiatim pulsant, præfata verba inclamitant, rude tympanum ex olla fictili, & membrana confectum ruditer resonare faciunt, pium canticum canunt , munusculum petunt. Quæ morum cum dissitis gentibus convenientia eo magis notabilis est, quod de re puerili, & frivola agatur.

VII.

DE HIS, QUÆ FACIUNT SUPER PETRAS.

NOn omnibus lapidibus cultus exhibebatur ab Ethnicis, sed iis modo, quibus sive ex consecratione , sive ex dedicatione , sive ex prænotato effectu divinum quid inesse censeretur, prout in Monito præfatus sum. Revera Concilium Turonense II. cultum hunc inhibens de iis modo petris loquitur, quæ *a Gentilibus designatæ* fuerant : *Contestamur* (8), *illam sollicitudinem tam Pastores, quam Presbyteros gerere , ut quemcumque in hac fatuitate persistere viderint, vel ad nescio quas petras, aut arbores , aut ad fontes, DESIGNATA LOCA GENTILIUM , perpetrare , quæ ad Ecclesiæ rationem non pertinent, eos ab Ecclesia sancta auctoritate repellant, nec participare sancto altario permittant , qui Gentilium observationes custodiunt .*

In Sacris Canonibus , atque in Capitularibus petrarum cultus plerumque non sejungitur a cultu arborum, atque fontium, cujus rei ratio haud obscura mihi esse videtur. Ex Tacito nempe discimus , Germanos veteres non habuisse (si unum , aut alterum excipias) templa, neque simulacra in humani oris speciem efficta, sed *lucos & nemora* (9) consecrasse. In lucis autem, vel prope lucos erigebantur altaria, sacrificiis præcipue destinata, prout idem Tacitus refert (10): *Lucis propinquis barbaræ aræ , apud quas Tribunos , &*

(1) Keysler. l. c. pag. 308. (2) Edda Mithol. XLIII. (3) Wachter Glossar. V. *Mistel.*
(4) Capitula collecta a Martino Bracarensi c. 74. Canon est ex Bracarensi Concilio c. 21. Eadem sanctio repetita legitur inter Capitula Rodulfi Bituricensis c. 38.
(5) Keysler l. c. pag. 305. (6) Keysler l. c. p. 307. (7) Vide supra.
(8) Conc. Turonense II. an. DLXVII. c. 22. (9) Tacit. Germ. c. IX.
(10) Idem Annal. lib. 1.

primorum ordinum Centuriones mactaverant. Et penes altaria aderat fons, vel puteus aquæ lustralis, abluendis victimis, capessendis auspiciis, aliisque sacris & superstitiosis usibus inservientis; & *puteus ille*, ait Keyslerus (1), *Septemtrionalibus populis* Blotkelda, *vel* Blotabrun *dictus erat, a voce* Blot, *sacrificium cruentum notante*.

Pluribus autem populis in more positum erat, altaria erigere, maxima petra petris aliis in modum mensæ superposita, qualia nunc ex antiquitatis ruderibus adhuc visuntur in Germania inferiori, & in Regno Daniæ; ex quibus quædam conspicere est super manufactos colles erecta. De his Emmius (2), Wormius (3), Keyslerus (4), aliique egerunt, eorum quoque diagrammatibus exhibitis.

Atque hi potissimum sunt lapides, hæ arbores, hi fontes, quos Barbari cultu prosequebantur, quamvis non inficiar, ad horum speciem alios quoque extitisse religioni dicatos, & superstitione sacros, ad quos exhiberentur cultus honores.

Ne ergo ad ejusmodi Ethnica loca oblationes, aut comessationes instituerent, deterriti fuere Christiani; ut ex Pœnitentiali Ecgberti Archiepiscopi Eboracensis liquido perspicimus. *Si aliquis* (5) *voveat, vel offerat ad torrens aliquod, vel ad lapidem, vel ad arborem, vel ad alias aliquas creaturas, præter ad Ecclesiam Dei, in Dei nomine, jejunet tres annos in pane & aqua. Et licet præsumat in aliquo* (hujusmodi) *loco edere, vel bibere, & nullam hostiam offerre, nihilominus tamen jejunet unum annum in pane & aqua*.

Cæterum vota, & luminaria, & oblationes, & observationes ad hujusmodi loca factas fuisse colligimus non modo ex pluribus SS. Canonibus, verum etiam ex Capitularibus Regum Francorum: *Item* (6) *de arboribus, vel petris, vel fontibus, ubi aliqui stulti luminaria, vel alias observationes faciunt, omnino mandamus, ut iste pessimus usus, & Deo execrabilis, ubicumque invenitur, tollatur & destruatur*. Et in Capitulatione de Partibus Saxoniæ: *Si quis* (7) *ad fontes, aut arbores, vel lucos, votum fecerit, aut aliquid more Gentilium obtulerit, & ad honorem Dæmonum comederit, si nobilis fuerit &c.*

Oblationum superesse reliquias testatur Keyslerus differens de ara lapidea, quæ adhuc visitur in Dithmarsia Australi ad vicum *Albersdorf*, sub qua adhuc extat antrum: ait siquidem, quod *grandævi* (8) *loci illius incolæ affirmant, nemini prima minimum vice invisenti lucum illum* (*lucus enim plerasque hasce aras circumdare solebat*) *absque munusculo ibidem relicto licuisse recedere; & quoties quis antro, quod memoravimus, everrendo impenderet operam, toties nummum quendam ibi fuisse repertum*.

Hic autem observare par est, plura occurrere testimonia, quæ arborum quidem & fontium cultum evincunt, de petris autem silent; quod indicio profecto est, non omnes populos aras habuisse lapideas, sed simpliciter sub arbore vel in cæspititia ara, vel super collem sive naturalem, sive ex aggesta humo manufactum sacra peregisse.

Hæc potissimum in Italorum gratiam perpendo. Nostris enim Langobardicis legibus Liutprando Rege editis, arborum & fontium cultus interdicitur, nulla lapidum facta mentione: *Simili modo* (9) *& qui ad arborem, quam rustici Sanguinum vocant, atque ad fontanas adoraverit, aut sacrilegium, vel incantationem fecerit, similiter medium pretii sui componat in sacro palatio*.

Nota obiter *arborem sanguinum*, quæ lectio omnium probatissima est, licet in quibusdam codicibus vitiata. Hæc profecto indigitat *arborem sacrificiorum cruentorum*; tum quod Germanice loquentibus vox *Blud* tam sanguini, quam sacrificio præcipue cruento significando aptissima esset; tum quod arbor ipsa victimarum asperso sanguine cruentaretur. Keyslerus (10) commemorat quercum, quæ Komoviæ in Prussia visebatur, & quæ *horrorem nemini non incutiebat, cruore sacrificiorum undique in trunco hærente*. Illud siquidem obtinuisse videtur, ut ara, arbos, & circumstantes victimarum sanguine aspergi consueverint; quem ritum certe servatum deprehendo, cum institutis jam templis, in hisce fierent sacrificia. Testem affero Snorronem (11): *Harum victimarum sanguis omnis dictus est* Hlaut; *crateres vero, quibus est exceptus, servatusque sanguis*, Hlautbollar; *&* Hlaut-teinar, *aspergillorum instar facta instrumenta, quibus aræ omnes, & suppedanea Deorum, templi parietes, extrinsecus pariter, ac intrinsecus, nec non homines sanguine erant aspergendi*. Sed ad rem nostram redeamus.

Inter Slavos, Juliarum Alpium incolas, ruditatis antiquæ maxime tenaces, adhuc sæculo quartodecimo non deerant, qui fonti & arbori cultum præberent, petræ vero non item; si fides habenda sequenti documento (12), cujus humanissime mihi copiam fecit alias laudatus Co. Franciscus Florius.

Universis Christi fidelibus ad quorum notitiam . . . . . Frater Francus de Chogia Ordinis

(1) Keysler l. c. pag. 47. (2) Emmius lib. 1. Hist. Fris.
(3) Wormius Monum. Dan. lib. I. c. 5. (4) Keysler. l. c. pag. 45.
(5) Pœnit. Ecgberti l. II. c. 22. (6) Capitul. lib. I. c. 62.
(7) Capitulatio de Part. Sax. c. 20. (8) Keysler. l. c. pag. 44.
(9) Leg. Langob. Liutprandi lib. VI. lege 30. (10) Keysler. l. c. pag. 67.
(11) Snorro Historia Haquini Boni cap. XVI.
(12) Documentum eductum ex Membranis Nobilium DD. Bojanorum.

dinis Minorum hæreticæ pravitatis in Veneto (1) *Foro Julio & alibi per Sedem Apostolicam deputatus salutem in Domino Jesu Christo. Commissi officii nos opportuna cura sollicitat, ut ea, quæ fidei favorem respiciunt ... perinde nuper in Aquilejensi Diœcesi ... errores aliquos invenimus, quos ... extirpare, & ideo de consilio Jusperitorum Religiosorum .... Verum quia nonnulli Prælati, Clerici, & Religiosi in tanto opere pietatis ad extirpandos errores prædictos nobis assisterunt ... itinerantes ... usque ad locum de Caveto ejusdem Diœcesis, ubi inter montes Sclavi innumerabiles arborem quandam, & fontem, qui erat ad radices arboris, venerabantur pro Deo, illam impendendam reverentiam creaturæ, quæ ex fidei debito Creatori debetur. Quam arborem fecimus auxilio prædictorum fidelium penitus extirpari, & fontem lapidibus obturari, inter quos fideles personaliter laboravit nobiscum Ven. Vir Dominus Wolricus filius Domini Pauli Bojani de Civitate Austriæ, Aq. Can.*

Actum Utini præsentibus religiosis viris Fratribus Benvenuto de Tergesto Guardiano loci Fratrum Minorum de Utino Aq. Diœc. MCCCXXXVI. die XVI. Aug. Pontif. SS. Patris DD. Johannis PP. XXII.

Ego Frater Jobachimus de Tervisio Ord. Min. Socius ipsius Dom. Inquisitoris, Imperiali authoritate Notarius, & Officii Inquisitoris Scriba, de mandato dicti Dom. Inquisitoris hæc scripsi.

In media amplissima planitie extat apud nos tumulus, sive collis, seu verius colliculorum aggestus, cujus præstantior pars, prout superest, hanc exhibet figuram.



a. Pagus Varianus. *c Ecclesia.*
b Puteus. *d. Scala passuum 20.*

Tumuli parti superstructus est pagus *Varianus*. Quondam ædificatum erat castellum, & quidem juxta saniores conjecturas in medio tumulo, qui regularem præfert structuram; & pluries revera in variis tumuli locis inventa fuere ædificii fundamenta.

Si ergo hi colliculi vel ex parte, vel ex toto, manufacti sunt, ut eorum situs, atque regularis forma videntur ostendere; anne ut castellum superextrueretur? Quin ego reor collem castello esse longe antiquiorem, atque erectum a Barbaris Ethnicis ex religiosa causa, qua ejus generis colles extruere apud eos moris erat; nacta vero collis opportunitate, tanquam apto loco, castellum superstructum fuisse sequioribus ævis, quibus castella ejusmodi erigere frequens fuit.

Etenim I. ad radices collis, atque in propinquis locis, prout universim asseritur, pluries reperta fuere cadavera cum militaribus instrumentis, Barbaro more. II. Altior colliculus affabre constructus, e subjecta planitie quinque vel sex passus altitudinis perpendicularis exæquans, in ipsa summa superficie Barbaram aram pulcherrime repræsentat. III. In

(1) Sphalma amanuensis, prout & alia in hoc documento sphalmata, & omissiones occurrunt. Hic forte legendum *in Venetiis*, vel *in Utino*.

ipſo elatioris colliculi clivo viſitur adhuc puteus, nunc lapidibus oppletus. IV. Hue antiquæ ſuperſtitionis reliquiæ, flammas, & quidem maximas, hic aliquando conſpectas fuiſſe ceu vere ceu falſo memorant pagenſes. V. Haud procul a poſtico colliculo (ubi ſita eſt Ecclesia) alter pagus adeſt *Vyſendonum* dictus, noſtratibus *Viſſendon*, quod ſi nomen genuinum eſt, auſpiciorum collis recte interpretari poteſt (1). Antiquitus autem appellatum audivi *Vicoſendonum*, quod verbotenus eſt *collis congregationis auguris*, ſeu *augurum*, *Wicca-ſen-dun* (2).

Quibus una penſatis adducor ut rear, præfatos colliculos religioſis conventibus inſtituendis, auſpiciis capeſſendis, ſacrificiis celebrandis &c. primitus aptatos fuiſſe. Quod tamen eruditorum judicio lubentiſſime ſubjicio.

Quidquid vero ſit, ex quo non omnes populi aras habuerint lapideas, eveniſſe reor, ut non apud omnes populos interdicto cultu arborum & fontium una interdictus fuerit cultus petrarum.

VIII.

DE SACRIS MERCURII, VEL JOVIS.

IN ſupra allata Abrenuntiatione Diaboli abrenuntiatum fuiſſe vidimus *Thoroni*, & *Wodano*; qui quanquam ex Barbarorum Theogoniis (3) deprehendantur evidenter diverſa fuiſſe Numina a Jove, & a Mercurio Romanorum, per quaſdam tamen analogias his aſſimilati, vel pro his habiti ſunt; adeo ut *Wodanus* quidem Mercurii, *Thor* vero Jovis appellatione veniret.

Hic ergo interdicitur, ne ſacra fiant Wodano vel Thoroni, quos habitos fuiſſe ut præcipuos gentis Deos, ex præfata Abrenuntiatione Diaboli liquet. Sacrificia namque ævo Bonifacii Ethnicis Numinibus etiam ab iis qui Chriſtianam religionem profeſſi fuerant, peracta fuiſſe, indicat Gregorii Papæ III. ad eundem Bonifacium Epiſtola: *Eos etiam* (4), *qui ſe dubitant fuiſſe baptizatos, vel qui a presbytero Jovi mactante, vel carnes immolatitias veſcente, baptizati ſunt, ut rebaptizentur præcipimus*. Quod idem memorat & Zacharias Epiſtola ad ipſum Bonifacium data: *Pro ſacrilegis* (5) *itaque Presbyteris, ut ſcripſiſti, qui tauros & hircos Diis Paganorum immolabant &c.*

Neque modo tauris & hircis, aut aliis ejuſmodi rebus, ſed & humanis hoſtiis, Diis præcipue, quos maxime colebant, Germani, aliique Barbari litavere. Audiatur Tacitus de Germanis differens (6): *Deorum maxime Mercurium colunt, cui certis diebus humanis quoque hoſtiis litare fas habent*. Franci Germanorum omnium facile nobiliſſimi, etiam cum Chriſtianæ Religioni nomen dediſſent (ſi Procopio fides) ab ejuſmodi ſacrificiis non abhorrebant. Ita Procopius (7): *Franci ponte occupato, quos ibi invenere Gothorum liberos & uxores immolarunt, eorumque corpora in fluvium, tanquam belli primitias, projecerunt. Nam ita Chriſtiani ſunt iſti Barbari, ut multos priſcæ ſuperſtitionis ritus obſervent, humanas hoſtias, aliaque impia ſacrificia divinationibus adhibentes*. Ab eo quoque ſacrificio Saxones lata lege deterruit Carolus Magnus: *Si quis hominem* (8) *Diabolo ſacrificaverit, & in hoſtiam more Paganorum dæmonibus obtulerit, morte moriatur*.

Seligebantur autem ut plurimum aut miſeri ſervi, aut morte damnati, aut patriæ, & religionis inimici, qui in victimas immolarentur. Atque inde profecto evenit, ut Ethnici Chriſtianum hominem immolare gauderent, quaſi Numinibus ſuis acceptiſſimam hoſtiam. Sic Helmoldus de Slavis (9): *Mactant Diis ſuis hoſtias de bobus, & ovibus, plerique etiam de hominibus Chriſtianis, quorum ſanguine Deos ſuos oblectari jactitant*.

Id ſiquidem ſibi perſuaſum habuiſſe videntur, ut Chriſticolæ mactatione Chriſtus Deus noſter falſo, quod ipſi colebant, Numini ſubigeretur. Legi meretur Epiſtola comitiorum Magdeburgenſium nomine conſcripta (10) ad Epiſcopos Saxoniæ, Franciæ, & Lotharingiæ, in qua de Paganorum quorundam, quibus gentes eorum affligebantur, factis differendo, hæc inter cætera habent: *Phanatici* (11) *autem illorum, quotiens comeſſationibus vacare libet, ferus in dictis capita, inquiunt, vult noſter Pripegala. Hujuſmodi fieri oportet ſacrificia. Pripegala, ut ajunt, Priapus eſt, & Beelphegor impudicus. Tunc decollatis ante prophanationis ſuæ aras Chriſtianis, & horrendis vocibus ululantes, Agamus, inquiunt, dies lætitiæ, victus eſt Chriſtus, vicit Pripegala victorioſiſſimus*.

Mirum ſane eſt, Chriſtianos extitiſſe ſub Bonifacii regimine, qui ſervos (an fideles vel

---

(1) Wachter V. *Viſſen*, & V. *Dun*.
(2) V. eundem V. *Wicker*, V. *Sen*, & V. *Dun*.
(3) Vide dicta in animadverſionibus ad Abrenuntiationem Diaboli.
(4) Gregorii Pp. III. Ep. I. c. 4. (5) Zachariæ Pp. Ep. X.
(6) Tacitus Germ. c. IX. (7) Procopius de Bello Gothico lib. II. c. 25.
(8) Capitulare de Partibus Saxoniæ c. VIII.
(9) Helmold. lib. I. c. 52. alias 53.
(10) Hæc refertur ad an. circ. MCX.
(11) Martene & Durand. Miſcell. Tomo I. pag. 626.

vel Ethnicos, an reos vel innocuos, incompertum habeo) Paganis venderent immolandos. Tanta erat vis inoleti moris, quem tamen graviter compescuit Gregorius Papa III. ad Bonifacium scribens: *Hoc quoque* (1) *inter alia crimina agi in partibus illis dixisti, quod quidam ex fidelibus ad immolandum Paganis sua venumdent mancipia. Quod ut magnopere corrigere debeas, Frater, commonemus, nec sinas fieri ultra: scelus enim est, & impietas. Eis ergo, qui hæc perpetraverunt, similem homicidæ indices pœnitentiam.*

Dictum est, reos, servos, & hostes in victimas *ut plurimum* selectos fuisse. Sed aderant circumstantiæ, in quibus ipsi primores, & nobiliores gentis, imo & Reges & supremi Principes ex populorum voto immolarentur.

Exemplum affert Snorro, differens de Rege Domaldo: *Domaldus* (2) *patris sui Visburi hæres factus, terras rexit. Ejus temporibus Svioniam afflixit fames, & annonæ caritas. Hinc Sviones sacrificia maxime sollemnia Uppsalis instituere. Primo autumno victimas cædebant boves; attamen non levabatur annona. Sequente autumno hostias immolabant homines; nec laxior facta est annona, sed gravior. Tertio autumno magna Svionum multitudo ad Uppsalas confluxit, sub sacrificiorum sollemnia, reque inter Optimates deliberata, eadem omnium fuit sententia, causam gravioris annonæ a Rege Domaldo esse accersendam; ut levaretur, ejus sanguine Deos esse litandos, eum vi, & armis adoriendum, eum cædendum, ejusque cruore aras Deorum spargendas; id quod exequuti sunt.*

Aliud præbet exemplum Snorro ipse (3) de Rege Olafo Trætelia, qui ex eadem caritatis, & annonæ causa (Sviones enim, eodem Snorrone narrante, *Regi annonæ ubertatem & caritatem solent ferre acceptam*) Wodano sacratus est. *Collecto igitur exercitu Olafum aggrediuntur Sviones, ædesque ubi commorabatur, corona militum cinctas combusserunt ipso cum Rege, quem Othino sacrum, pro annonæ felicitate impetranda immolarunt.*

Olafus Trygguy filius Norvagiæ Rex Christianus Provinciales quosdam ad Ethnica sacrificia illum compellentes, hoc sermone deterruit: *Convenit* (4) *inter nos ut in Mæria congressi, ingens ibi & maxime sollemne institueremus sacrificium. Ast si ego ad sacrificia vobiscum celebranda me sim conversurus, sacrificium ego instituam omnium, quæ unquam fuere maximum, victimas oblaturus homines, nec tamen ad id electurus servos, aut maleficos, sed Diis offerendos præstantissimos omnium viros.* Tunc denominavit undecim Proceres *victimas pro annonæ & pacis felicitate Diis immolandos, quos statim aggredi suos jussit.* Hac autem oratione permoti omnes, qui ibi aderant, Ethnicis abjectis sacrificiis Christiani sacra susceperunt.

Diximus supra, & ex Snorrone nunc vidimus, in victimas seligi consuevisse & maleficos. Quos profecto & legibus ipsis damnatos fuisse immolandos aperte docet Frisionum lex, quæ veteris instituti nobis servavit reliquias (5). Cum itaque Sacerdotes essent ordinarii sacrificiorum administri, pronum est credere, ab iis mactatos, & morte multatos fuisse reos, qui in hostias immolabantur. Quod confirmatur ex Tacito asserente, Sacerdotes fuisse inter exercitales Germanos pœnalis justitiæ executores, & quidem ut Divinitatis ministros: *Neque* (6) *animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, nisi Sacerdotibus permissum: non quasi in pœnam, nec Ducis jussu, sed velut Deo imperante, quem adesse bellantibus credunt.* Quo magis ergo id obtinuerit, cum de sacrificio instituendo ageretur?

Hæc perpendo, quia inde repetendam esse censeo causam, ut extremi supplicii executores quondam inter Germanos nulla notarentur infamia, imo munere perfungi honorifico censerentur. Reuthlingæ (7) hodieque monstratur gladius ærugine obductus, quo ætate minimus Senatorum sententiam capitalem exsequebatur. Henricus quoque Dux Magnopolensis, Krantzio referente (8), publicorum itinerum latrones ipse suis manibus alligabat jugulandos. Quæ porro probant, non infamiæ, sed honori id munus habitum esse.

IX.

DE SACRIFICIO, QUOD FIT ALICUI SANCTORUM.

Heroibus, qui post mortem in Numinum album relati fuerant, oblata fuisse sacrificia, Bartholinus (9), aliique congestis ex Septemtrione exemplis declarant: Sic apud Snorronem legimus, quod Niordi *tempore* (10) *mortui sunt Divorum plerique, & post mortem sacrificiis culti.* In vita S. Anscharii per S. Arimbertum exarata scriptum est, quod Sviones quidam *templum* (11) *in honore Regis* (Erici) *dudum defuncti statuerunt, & ipsi,*

(1) Greg. III. Ep. I. c. 8. (2) Snorro, Historia Ynglingorum c. 18.
(3) Idem Ibid. c. 47. (4) Idem Historia Olaff Tryggnini c. 74.
(5) Vide Legem Fris. in fine. (6) Tacit. Germ. c. VII.
(7) Keysler l. c. pag. 167. (8) Krantzius. Wandalia lib. IX. c. 8.
(9) Bartholinus Ant. Dan. lib. II. c. 1. (10) Snorro, Historia Ynglingorum c. XI.
(11) Langebek Rer. Danic. Scriptores Tomo I. pag. 474.

& ipsi, tanquam Deo, vota & sacrificia offerre cœperunt. Adamus vero Bremensis una omnia congerens, cum dixisset: *colunt & Deos ex hominibus factos*; paulo post subdit: *Omnibus* (1) *itaque Diis attribuunt Sacerdotes, qui sacrificia populi offerant*.

Inde vero est, quod Slavi Rugiani adhuc Pagani glorioso Christi Martyri S. Vito in horrendum Idolum verso sacrificiis litarent: *In peculium honoris* (ait (2) Helmoldus) *annuatim hominem Christicolam, quem sors acceptaverit, litare consueverunt. Quin & de omnibus Slavorum Provinciis statutas sacrificiorum impensas illo transmittebant*.

Cum autem Ethnici in diebus maxime solemnibus Diis litarent, ut immolatis cibis, & poculis sacras epulas instituerent, atque symposia, facile fluxit, ut ad Christianam religionem conversi in lætis Christianorum festivitatibus, ea in honorem Sanctorum facerent, quæ antea in Pseudonuminum cultum faciebant. Eo tunc sane convivia instituta fuisse colligimus ex supra allegato testimonio D. Gregorii (3).

At vero erant, & qui sub nomine Sanctorum immolatitiis operam darent, quod ut superstitiosum, & ethnicum interdictum est. Hæc aperte colligimus ex ipso Liptinensi Concilio a S. Bonifacio & Francorum Episcopis sub Karlomanno Duce celebrato an. DCCXLII. cui in Vaticano codice Indiculus noster subfixus est: *Decrevimus quoque* (4), *ut secundum Canones unusquisque Episcopus in sua Parochia sollicitudinem gerat, adjuvante Gravione, qui defensor Ecclesiæ ejus est, ut populus Dei Paganias non faciat, sed omnes spurcitias Gentilitatis abjiciat, & respuat .... sive hostias immolatitias, quas stulti homines juxta Ecclesias ritu Pagano faciunt, sub nomine Sanctorum Martyrum, vel Confessorum, Deum & Sanctos suos ad iracundiam provocantes*.

Sed paulo fusius differamus de superstitione quadam, quæ in hisce maxime se se prodebat, & cujus reliquiæ in Christianismo diu perdurarunt; de sacrificio, inquam, incruento, quod oblatione liquorum perficiebatur.

De S. Columbano inter Svevos agente, hæc enarrat Jonas (5): *Quo cum moraretur, & inter habitatores illius loci progrederetur, reperit eos sacrificium profanum litare velle, vasque magnum, quod vulgo Cupam vocant, quod viginti & sex modios, amplius, minusve capiebat, cerevisia plenum in medio habebant positum. Ad quod vir Dei accessit, & sciscitatur, quid de illo fieri vellent. Illi ajunt, Deo suo Vodano, quem Mercurium vocant alii, se velle litare*.

Has autem litationes symposiis & propinationibus peractas fuisse, consecrato, seu potius execrato liquore, in Deorum nomine factis, ex iis colligo, quæ ex Helmoldo de Slavis loquente supra in monito adduxi.

Sed rem apertius enucleat Snorro, qui primum docet apud Septemtrionales, pocula hæc igne sacro lustrata fuisse: *Medio* (6) *in templi pavimento ignes ardebant accensi, super quos penduli essent lebetes, poculaque transmittenda*. Exinde subdit: *Convivii structor Princeps pocula debebat consecrare, cibumque qui ad sacrificia adhibebatur omnem. Primum Othino sacrum exhauriendum erat poculum, pro victoria Regi impetranda, Regnique felicitate; post hoc, alterum Niordi, Freyique in honorem, pro felici annona, atque pace; quo facto, multis usu erat receptum poculum libare* Bragafull *dictum (in memoriam Heroum, atque Principum, in bello cæsorum). Præterea pocula exhauriebantur in memoriam defunctorum morte propinquorum, qui præclari olim nominis fuerant, dictaque sunt illa* Minne.

Num Christiani ex Ethnico instituto, ut hostias ad cibum pertinentes, ita tanquam immolatitia aut libamina Deo, aut Sanctis, unquam sacraverint pocula, dicere non ausim. Illud plane novi insuevisse, & adhuc insuescere penes quosdam, ut in Dei, Ecclesiæ, Sanctæ Fidei, Sanctorum Protectorum &c. memoriam scyphos exantlent.

Celebris hic fuisse videtur mos præcipue in sodalitiis; apud quæ jam antiquitus convivia celebrari consuevisse indicat Hincmarus Rhemensis, qui agens *de Collectis, quas Geldonias, vel Confratrias vulgo vocant* (7), reprobat *pastos, & comessationes, quas Divina authoritas vetat*.

Ritum autem in hisce sodalitiorum compotationibus apud Septemtrionales usitatum prodit Statutum Convivii, seu Sodalitii S. Erici (8): *Hæc sunt constituta de minnis a fratribus S. Erici: Primo cantanda est B. Erici. Postea Salvatoris Domini. Deinde minnæ B. M. Virginis; & ad quamlibet illarum minnarum trium debent Confratres recipere bicaria sedendo, & bicariis singulis receptis, debent unanimiter surgere, & incboare minnam cantando*.

At vero si piæ hæ propinationes aliquantulum copia liquoris excrescerent, facile eveni-

re

(1) Ita emendatus legitur ex Ms. apud Bartholinum l. c.
(2) Helmoldus lib. I. cap. 52. alias 53. (3) Vide supra N. IV.
(4) Conc. Germ. an. DCCXLII. cap. 5. Relatum inter Capitularia Reg. Franc. lib. V. c. 2.
(5) Vita S. Columbani apud Mabillon. Acta SS. Ord. S. Bened. Tom. I.
(6) Snorro Historia Haquini Boni c. XVI. (7) Hincmari Rhemensis Capitula ad Presbyteros suæ Parochiæ Cap. XVI. Confer & Cap. XIV. & XV.
(8) Ap. Bartholinum l. c. Lib. I. c. 8.

re poterat, ut cui robur & æs triplex circa pectus non erat, in ebrietatis vitium dilaberetur. Incommodum hac in re perspexisse videntur Sodalitiorum Seniores; etenim Lex Convivii, seu Sodalitii S. Olai sic orditur: *In nomine* (1) *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Fratres & Sorores, notum sit vobis, istud convivium non causa potationis esse inchoatum, sed ordine adjutorii, & canone legis, & justitiæ, & ut frater fratri auxilietur assistando.*

Hæc ex Bartholino deprompsi, qui tamen subdit: *Neque tamen sine omni potatione celebrabantur, sed ne ultra poculum hilaritatis ad poculum ebrietatis progrederentur, in legibus ipsorum cautum erat, ut in lege Convivii S. Canuti Rincstadiensis:* Si quis pro ebrietate ceciderit in ipsa domo Convivii, vel antequam propriam curiam intraverit, oram persolvat: *Et in lege Convivii S. Olai:* Quicunque potum suum effundit latius, quam pede velare poterit, VI. den. persolvat. Quicunque dormierit in banco Convivii in conspectu fratrum, oram persolvat. Quicunque ebrietatis causa in domo Convivii vomitum fecerit, dimidiam marcam persolvat. Quicunque causa ebrietatis insilencia sine licentia senioris fecerit, II. oras persolvat. *Degenerasse igitur credibile est ejusmodi Convivia, & in illis congregatos nimium se ingurgitasse &c.* Hactenus Bartholinus.

Ishæc distinctius aliquantulum protuli, haud improbabiliter censens, dulcia, liquores, epulas, quæ inter nostrates vel distribuuntur Confratribus, vel in ipsa Sodalitii aula absumuntur, veterum, de quibus locutus sum, consuetudinum esse fragmenta.

X.

DE PHYLACTERIIS, ET LIGATURIS.

Fastidio nimio esset Lectori & mihi, longa oratione agere de amuletis, de ligaminibus ossium, de ligaminibus herbarum, aliisque ejusmodi futilitatibus, quibus non modo veteres, sed etiam ex nostratibus nonnulli, pellendis præcipue aut averruncandis, aut etiam immittendis morbis, seu superstitiose, seu ignoranter abusi sunt.

Quare in hoc, ut & in nonnullis ex sequentibus articulis, in quibus de rebus æque frivolis agitur, ego peculiare objectum seligam, quod eruditis minus grave esse credam. Et hic quidem de characteribus magicis agam, quibus maxima vis quondam tributa fuit.

Phylacteria Bonifacius noster inhibuit his verbis: *Si quis* (2) *Presbyter, aut Clericus, auguria, vel divinationes, aut somnia, sive sortes, seu phylacteria, IDEST SCRIPTURAS, observaverit, sciat se Canonum subjacere vindictis.* Et in Constitutionibus Ecclesiasticis sub Carolo Magno editis inquiri jubentur, qui ita *phylacteria* (3) *circa collum portant, nescimus quibus VERBIS SCRIPTIS, & veneficiis.*

Barbari autem veteres litterarum ignari, quibusdam characteribus, seu notis operam dedere, quas Septemtrionales, atque Germani *Runas* appellabant. Hujusmodi autem characteribus magicam, eamque eximiam virtutem inesse rati sunt. Ad quæ respexisse videtur Arelatense Concilium, dum *phylacteria diabolica* (4), *vel characteres diabolicos* condemnavit.

Litteris autem imbuti, & litteris in hoc opus usi fuisse videntur. Hrabanus Maurus (5) litteras alphabetice exponens, *quas utuntur Marcomanni, quos nos Nortmannos vocamus*, subdit: *Cum quibus carmina sua, incantationesque, ac divinationes significare procurant, qui adbuc Paganis ritibus involvuntur.*


Cæterum de præfatis characteribus eruditam Dissertatiunculam scripsit M. Brynolfus Svenonius, quam apud Stephanum Stephanium (6) legere est. Stephanius ipse ex Glossario veteris Islandicæ linguæ runarum aliquot varias species variis usibus aptatas memorat, hisce verbis: *Runas victoriales callere debes, si sapiens, astutus, atque callidus evadere cupias. Incide eas capulo, vel retinaculo ensis tui, item chirothecis, & lituo bellico, & bis nomen Tyr ingemina. Runas fontaneas adhibe, si quando merces tuas fartas tectas, maritimisque periculis exemptas habere cupias: Eas puppi incidas, & gubernaculo, atque ita incolumis e mari evadas. Logorunas usurpato in pensandis, & ulciscendis injuriis: Eas incidito sepimentis, tentoriis, & sedilibus fori, ubi judicia peraguntur. Runas cerevisiarias adhibeto, ne te aliena mulier decipiat: Eas cornu potatorio insculpito, & exteriori parti manus tuæ, notata simul in ungue littera, quæ* Naud *dicitur. Auxiliatrices runas addiscas, si fœminam onere partus facile levari cupias: Insculpito eas in vola manus, iisque artus, & membra cingito, opemque Parcarum, quæ Disæ vocantur, imploranto. Runas arboreas nosse debes, si egregii medici nomen sustinere velis, vulneraque ex arte curare: Eas incidito cortici, & foliis arborum, quæ se versus Austrum potissimum flectunt,*

---

(1) Apud Barthol. l. c. (2) Statuta S. Bonifacii c. XXXIII.
(3) Constit. sub Carolo M. c. X. (4) Arelat. Conc. c. V. apud Burchard lib. X. c. 33. ap. Ivonem lib. XI. c. 58. (5) Hrabanus Maurus, De inventione linguarum.
(6) Stephanius not. ad Saxon. Grammat. pag. 45.

ſtunt, & inclinant. Runas cordiales ſcire debes, ſi quolibet virorum animoſior eſſe velis: Eas delineato in pudendis & pectore tuo.

Amicus poſſidet amuletum ex mixtura plumbi, alteriuſve metalli confectum opere fuſili, quod reor eſſe Thoroni numini ſacrum. Ejus ſchema hic exhibeo, quoniam inter varias amuleti runas obſervo occurrere quoque cruciculas.



Et crucis profecto uſum Germanos, ac Septemtrionales adhuc Ethnicos habuiſſe, pluribus probavit Cleſſelius (1). Keyslerus (2) quoque ex Verelio affert lapidem ſepulchralem, in cujus umbilico adeſt crucicula, haud abſimilis illis, quæ in amuleto noſtro conſpiciuntur. Quem tamen lapidem ipſe eruditus Scriptor Ethniciſmi tempore poſitum fuiſſe ratus eſt ex inſcriptione. Hoc ideo adnoto, ut inde colligatur, ejuſmodi cruciculas inter haſce gentes non eſſe Chriſtianitatis infallibile ſignum.

Obſervare quoque par eſt, quod Barbari non modo notare, aut inſculpere, ſed etiam digito vel manu ſimpliciter runas ſignare conſueverint, eo ferme modo, quo nos vivificæ Crucis ſigno vel noſmetipſos, vel quæpiam alia munimus; runas illas ſignantes, quæ opportunitati congruæ videbantur. Id haud obſcure prodit Saxo Grammaticus, dum Rutam quandam inducit, hæc Biarconi dicentem (3):

Adde oculum propius, & noſtras proſpice chelas,
Ante ſacraturus victrici lumina ſigno,
Si vis præſentem tuto cognoſcere Martem.

Idem apertius firmat factum Haquini Boni Norvagiorum Regis, qui Chriſtianæ religioni nomen dederat. Rem deſcribit Snorro (4), agens de quodam Ethnicorum convivio, cui Regem ipſum intereſſe opus erat: *Primum cum liquore plenum ſtabat poculum, fauſtis id verbis Othino conſecratum Regi propinavit Sigurdus Iarlus, qui arreptum poculum ſigno crucis ſacravit. Tunc Karius de Grytingo, Qua de cauſa, inquit, hoc facit Rex? num Diis ſacrificare etiamnum recuſat? Cui Sigurdus Iarlus, id Regem facere ait more inter omnes recepto, qui viribus confidunt & fortitudini, atque poculum ſuum Thoro conſecrare ſigno, quod malleum (Thori) referebat, antequam biberet; quibus dictis ea veſpera reſedit tumultus.*

Colliges hinc Ethnicum ſignum, *quod malleum Thori referebat*, parum aut nihil diverſum fuiſſe a ſigno crucis; & *receptum morem* fuiſſe, ut ejuſmodi ſigna fierent Ethnica ſuperſtitione, qua res ſignata ſacrari Numinibus, avertendo malo, aut advocando bono, cenſeretur.

XI.

(1) Cleſſelius Antiq. German. pag. 396. (2) Keysler l. c. pag. 138.
(3) Saxo Grammat. lib. II. (4) Snorro Hiſtoria Haquini Boni c. XVIII.

XI.

DE FONTIBUS SACRIFICIORUM.

DIctum est supra (1), locis sacrificiorum proximos fuisse puteos, seu fontes aquæ lustralis, qua sacrificiis, aliisque sacris, ac superstitiosis usibus opus esset, & ejusmodi fontibus cultum præstitum fuisse ibidem animadvertimus; quare non est, cur hic crambem recoquamus.

Sed ne articulus hic omnino intactus dimittatur, quædam proferre placet de parvulorum Ethnico baptismate lustralibus, ut videtur, undis peracto; cum hæc superstitio animadversione præ cæteris dignior sit.

Hominem ferro invulnerabilem reddi, atque, ut nos vulgo dicimus, *ingermato*, si recens natus aqua tinctus fuisset, Septemtrionalium certe Ethnicorum sententia fuit, quæ promitur Cantico, quod Runa *Capitule* dictum est (2):

Illud decimum tertium novi,
Si tenerum puerum aspergam aqua,
Non in armis occumbet,
Quamvis in aciem veniat,
Non cadet vir ille ferro.

Ejusmodi autem lustrationis plura occurrunt exempla. En ea, quæ ex uno Snorrone ego deprompsi: *Maximum natu* (3) *Regis Haraldi filium, lustrali aqua sparsum, suo nomine vocaverat Dux Guttormus. — Prolem masculam* (4) *enixa est Thora: Infantem aqua lustravit Sigurdus Iarlus, nomenque dedit Hakoni, patris sui Iarli Hladensis. — Prima nocte Iolensi* (5), *partum marem enixa est Iarli conjux Bergliot: Sequenti die infantem aqua lustratum suo nomine Hakonum vocavit Rex. — Post tempus aliquod* (6) *uterum ferre cœpit fœmina illa, quæ infantem enixa marem, aqua illum lustrari Eirikumque vocari jussit. — Astrida* (7) *enixa est infantem marem, qui aqua lustratus, de nomine avi sui Olafus est dictus. — Prolem marem* (8) *Asta Gudbrandi filia est enixa, cui, dum aqua lustrabatur, nomen Olafi est impositum; lustrandi autem ministerium præstitit Hranius.*

Observa obiter, inter insignes saltem, nobilissimosque viros baptisma administratum parvulis fuisse non a patre aut matre, neque a Sacerdote, sed ab alio insigni viro, qui ab infantis parentibus seligeretur. Testem habeo Snorronem ipsum: *Circa* (9) *hominum nobiliorum, atque præstantiorum liberos erat tunc temporis consuetudo, ut studiose eos quærerent, quibus infantem aqua lustrandi, aut nomen imponendi committerent negotium.*

Monumentum ethnici parvulorum Baptismatis inter Francos suppeditat Fredegarii Epitomata Historia, dum narratur, Clodovæum I. Francorum Regem nondum Christianum piæ Chlotildi Reginæ primogeniti sui mortem exprobrantem, in hæc verba erupisse (si lectio genuina est): *Si in nomine* (10) *Deorum meorum puer fuisset baptizatus, vixisset.* Unde quoque colligere est, lustrationem hanc fieri consuevisse invocatis nominibus Numinum Ethnicorum.

Populos autem, ad quos Indiculus noster spectat, & ipsos Ethnicum celebrasse baptisma, liquido indicat Epistola Gregorii Papæ III. ad Bonifacium: *Eosdem* (11), *quos a Paganis baptizatos esse asseruisti, si ita habetur, ut denuo baptizes in nomine Sanctæ Trinitatis mandamus.* Et infra: *Eos etiam* (12), *qui se dubitant fuisse baptizatos, vel qui a Presbytero Jovi mactante, & carnes immolatitias vescente baptizati sunt, ut rebaptizentur præcipimus.* Perspicuum est de alio baptismate hic agi, ac de Christiano, quod in nomine Sanctæ Trinitatis confertur, cum hoc ab Ethnico homine quoque collatum non sit iterandum. Quod & apertius evincit Epistola Zachariæ Summi Pontificis ad Bonifacium ipsum scribentis: *Pro sacrilegis* (13) *itaque Presbyteris, ut scripsisti, qui tauros & hircos Diis Paganorum immolabant, manducantes sacrificia mortuorum, habentes & pollutum ministerium, ipsique adulteri esse inventi sunt, & defuncti; modo vero incognitum esse, utrum baptizantes Trinitatem dixissent, an non, & timent illi, qui vivi sunt, quod in tali ministerio non sint baptizati: quibus respondens jussisti omnes baptizare.* Ex quibus omnibus infertur, Ethnicos, & Apostatas in Ethnicismum lapsos baptisma aliud a Christianorum baptismate administrare consuevisse.

XII.

---

(1) Vide dicta N. VII. (2) Runa Capitule Stropha XXI.
(3) Snorro Historia Haraldi Pulchricomi c. XXI. (4) Idem ibid. c. XL.
(5) Idem, Historia Haquini Boni c. XII. (6) Idem, Historia Haraldi Grafelldi c. VIII.
(7) Idem, Historia Olafi Tryggvii filii c. I. (8) Idem Ibid. c. XLVIIII.
(9) Idem, Historia Haraldi Pulchricomi c. XL.
(10) Fredegarius in Hist. Epitom. Greg. Tur. n. XX. (11) Gregorii PP. III. Ep. I. c. 1.
(12) Idem ibid. c. 4. (13) Zachar. PP. Ep. X.

XII.

DE INCANTATIONIBUS.

Non runis modo, phylacteriis, ligaturis &c., sed & carminibus magicam Ethnici tribuere virtutem; ut nil miraculi, nil portenti foret, quod carminum vi perpetrari non posset. Atque ut pro varietate runarum varios magicos effectus peragi censebant, ita & pro varietate carminum diversa autumabant confici posse portenta. De quibus legi possunt, quæ selecta eruditione congessit Bartholinus (1), & multo antiquior Snorro, qui Othini prodigiosas artes *ope runarum*, *carminumque*, *quæ* Galdrar *vocantur*, perfectas enumeravit (2).

Ut unum instar omnium exemplo sit, carminum virtute defunctos e tumulis evocari posse censebatur. Cujus rei exemplum præbet Oda a Bartholino (3) allegata, in qua de Othino fatidicam quandam e sepulchro excitante hæc habetur stropha:

Sapienti carmina
Mortuos excitantia cecinit,
Boream inspexit,
Litteras (tumulo) *imposuit*,
Sermones proferre cœpit,
Responsa poposcit,
Donec invita surgeret,
Et mortuorum sermonem proferret.

Observari meretur, incantationes litteris, seu runis, inscriptis peractas fuisse, & quibusdam gesticulationibus, quæ non male repræsentantur ab histrionibus nostris, dum magorum personam agunt. Exemplo sit Historia Gretteri (4): *Illa cultro accepto runas ligno incidit, sanguineque suo illivit, deinde incantamenta canens, retrograde, & contra cursum solis lignum circuivit, multasque diras protulit; deinde lignum in mare projici curavit, precata, ut fluctibus ad Drangoam* (insulam) *pulsum, Grettero omnium malorum causa foret*.

Atque hæc equidem incantamentorum ars nobilissima quondam fuit; sed, ut pene aliis in rebus accidit, non ita illustrium personarum fuit propria, ut vilis quoque plebecula ad eam non aspiraret. Certe Rothomagense Concilium clare innuit, subulcos etiam, atque bubulcos artem ipsam calluisse. Hæc enim sunt Concilii verba: *Perscrutandum* (5), *si aliquis subulcus, vel bubulcus, sive venator, vel cæteri hujusmodi, dicat diabolica carmina super panem, aut super herbas, aut super quædam nefaria ligamenta, & hæc aut in arbore abscondat, aut in bivio aut in trivio projiciat, ut sua animalia liberet a peste, & clade, & alterius perdat; quæ omnia Idololatriam esse nulli fidelium dubium est, & ideo summopere sunt exterminanda*.

Emicuit incantationum phrenesis ad reperiundos thesauros. Divitias mortuis consepultas fuisse alibi dictum est (6). Hic autem addendum, viventes quoque thesauros abdidisse religionis gratia; sperantes scilicet se post mortem absconsis divitiis fruituros fore. Exempla prodit Bartholinus (7); imo Snorro ipse enarrat, Othinum promisisse, *fore ut* (8) *quæ opes* (cuique) *addebantur in rogo, iis comitatus aditurus esset Valhallam; fruiturus etiam quæcumque ipse terræ mandasset bona*.

Obiter adverte, non thesauros omnes sub terra latentes, ex possessorum avaritia, aut ex calamitate ingruente, vel ex alia haud absimili causa abditos fuisse; nam ab iis præcipue, qui ex Septemtrione originem duxerant, & præfata sequebantur instituta, etiam ex enarrato superstitioso principio terræ mandari consueverant.

Thesauros ipsos sub Vodani tutela positos esse, qui eos per ignes, vel per dracones defenderet, videtur ab Ethnicis creditum esse (9). Quare & in lapidibus Ethnicorum sepulchralibus cernere est insculptas runas, atque dracones, qui thesaurorum referrent custodes. Atque inde ortas reor aniles fabellas thesaurorum ardentium, & draconum custodum, qui excantationibus ita vel arceantur, vel coerceantur, ut reperiundis, eruendisque thesauris impedimento non sint.

XIII.

---

(1) Bartholinus Antiq. Dan. lib. III. c. 1. (2) Snorro, Historia Ynglingorum c. 6. 7.
(3) Bartholin. l. c. (4) Ap. Bartholin. l. c.
(5) Concilium Rothomagense, regnante Hlodovæo Glorioso Rege, c. IV.
(6) Vide supra N. II. (7) Bartholinus l. c. lib. II. c. 9.
(8) Snorro, Historia Ynglingorum c. VIII. (9) V. Keysler. l. c. pag. 176.

XIII.

DE AUGURIIS, VEL AVIUM VEL EQUORUM VEL BOVUM STERCORE, VEL STERNUTATIONE.

COEptum ſequamur inſtitutum, & plurima tranſilientes, quæ huc referri poſſent, in unum tantum animadvertamus augurium, quod ſolemniſſimum fuit, ex ſacris equis deſumptum.

Sacrorum equorum auguria Germanis veteribus tanquam omnium probatiſſima pro Reipublicæ negotiis in uſu fuiſſe, expreſſe Tacitus docet (1): *Et illud quidem etiam hic notum, avium voces, volatuſque interrogare. PROPRIUM GENTIS equorum quoque præſagia, ac monitus experiri. Publice aluntur iiſdem nemoribus ac lucis, candidi, & nullo mortali opere contacti, quos preſſos ſacro curru Sacerdos, ac Rex, vel Princeps civitatis comitantur, hinnituſque ac fremitus obſervant. Nec ulli auſpicio major fides, non ſolum apud plebem, ſed apud Proceres, apud Sacerdotes. Se enim miniſtros Deorum, illos conſcios putant.*

Pulchrum eſt quod de equo Slavorum Rugianorum ſacro refert Saxo Grammaticus (2): *Peculiarem albi coloris equum titulo poſſidebat* (Svantovitus), *cujus jubæ, aut caudæ pilos convellere nefarium ducebatur. Hunc ſoli Sacerdoti paſcendi, inſidendique jus erat, ne Divini animalis uſus, quo frequentior, hoc vilior haberetur. In hoc equo, opinione Rugiæ, Svantovitus (id ſimulacro vocabulum erat) adverſum ſacrorum ſuorum hoſtes bella gerere credebatur. Cujus rei præcipuum argumentum extabat, quod is nocturno tempore ſtabulo inſiſtens, adeo plerumque mane ſudore, ac luto reſperſus videbatur, tanquam ab exercitatione veniendo magnorum itinerum ſpatia percurriſſet.* Hæc riſu excipienda fidem gentis maxime comprobant.

Narrationem vero ſuam (quod ad rem noſtram attinet) ſic proſequitur Saxo: *Auſpicia quoque per eundem equum hujuſmodi ſumebantur. Cum bellum adverſum aliquam Provinciam ſuſcipi placuiſſet, ante fanum triplex haſtarum ordo, miniſtrorum opera, diſponi ſolebat: in quorum quolibet binæ e tranſverſo junctæ, converſis in terram cuſpidibus figebantur, æquali ſpatiorum magnitudine ordines diſparante. Ad quos equus ductandæ expeditionis tempore, ſollemni precatione præmiſſa, a Sacerdote e veſtibulo cum loramentis productus, ſi propoſitos ordines ante dextro, quam lævo pede tranſcenderet, fauſtum gerendi belli omen accipiebatur. Sin lævum vel ſemel dextro prætuliſſet, petendæ provinciæ propoſitum mutabatur. Nec prius certa navigatio præfigebatur, quam tria continue potioris inceſſus veſtigia cernerentur.*

Ditmarus quoque verba faciens de Luiziciis narrat, quod adhuc ejus ætate *per equum* (3), *qui maximus inter alios habetur, & ut ſacer ab his veneratur . . . per hunc, quaſi divinum* auguria ſumebant.

Stetinenſes etiam, ut ſcribit Andreas Abbas Monaſterii S. Michaelis prope Bambergam (4), *habebant caballum miræ magnitudinis, & pinguem, nigri coloris, & acrem valde. Iſte toto anno vacabat, tantæque fuit ſanctitatis, ut nullum dignaretur ſeſſorem: habuitque unum de quatuor Sacerdotibus templorum cuſtodem diligentiſſimum, . . . Eventum rei per illum ſolebant prædiſcere.*

Notabile eſt, quod laudati Ditmarus & Andreas referant Luizicios, atque Stetinenſes auguria ipſa ſumpſiſſe ex tranſitu equi per haſtas, ferme ut de Rugianis enarrat Saxo.

Quoniam inter equos verſamur, ab ſtabulo non diſcedamus, antequam circa hos quædam enucleentur, quæ ad Sanctionum Eccleſiaſticarum de ipſis agentium intelligentiam facile manuducunt.

Gregorius Papa III. hæc ad Bonifacium noſtrum ſcripſit (5): *Inter cætera agreſtem caballum aliquantos comedere adjunxiſti, pleroſque & domeſticum. Hoc nequaquam fieri deinceps, Sanctiſſime Frater, ſinas, ſed quibus potueris, Chriſto juvante, modis omnibus per omnia compeſce, & dignam eis impone pœnitentiam: immundum eſt enim, atque execrabile.*

Scio, ævis illis aliorum quoque quorundam animalium eſum inhibitum fuiſſe; ſed carnis equinæ comeſtio ita interdicebatur, ut inter Paganias recenſeretur. Et ſane in Concilio Calchutenſi capite XIX. in quo de Paganiis agitur, eſus etiam equinæ recolitur: *Equos etiam* (6) *plerique in vobis comedunt, quod nullus Chriſtianorum in Orientalibus facit: quod etiam evitate.*

Equina namque caro quaſi Idolothyti ſpecies habebatur, aut ſaltem illius comeſtio nota erat

(1) Tacit. Germ. c. X. (2) Saxo Grammat. lib. XIV. (3) Ditmarus lib. VI.
(4) Andreas Abbas in Vita S. Othonis Bambergenſis Epiſcopi c. XXXI.
(5) Greg. PP. III. Ep. I. c. 2. (6) Conc. Calchutenſe an. DCCLXXXVII. c. 19.

erat Ethnicifmi. De quo non unum legimus penes Snorronem exemplum. Sic in Hiftoria S. Olafi Craffi Norvegiæ Regis (1): *In religionem Chriftianam, qua ratione in Islandia obfervaretur, fedulo inquifivit Olafus Rex, cui in ejus rei jufta conftitutione plurima deeffe videbantur, cum Regi de religione Chriftiana (ibi) conftituta fit relatum, legibus ibi effe permiffum equinam edere, infantes exponere, more inter Ethnicos recepto, nec non plura alia religioni Chriftianæ inimica, & noxia.* Et in Hiftoria Regis Haquini Boni, qui fanctum baptifma fufceperat, hæc leguntur (2): *Sequenti die convivis ad menfas difcumbentibus, ruunt ad Regem ruftici, poftulantes ut equinam comederet; vult nullo modo affentiri Rex. Rogant ut ex jufculo biberet; abnuit ille. Petunt, ut fluentem pinguedinem guftaret; tergiverfatur ille. Quare eo eft ventum, ut (Regem) vellent aggredi.* Hæc fane innuunt, equinæ efum notam fuiffe, qua Paganus a Chriftiano fecerneretur.

Aliud quoque obfervandum occurrit ex fupra relato capite Concilii Calchutenfis de Paganiis agente, in quo hæc item habentur: *Equos etiam veftros turpi confuetudine detruncatis, nares finditis, aures capulatis, verum etiam & furdas redditis, caudas amputatis: & quia illos illæfos habere poteftis, hoc nolentes cunctis odibiles redditis.* Porro fi hæc in equis peracta fuiffent caufa vel alicujus utilitatis, vel barbari decoris, non effet cur Ecclefiaftica lege interdicta, atque in Paganorum rituum claffem amandata forent. Quare cenfendum eft, ftigmata, & exfecationes, de quibus laudatus Canon agit, quafi totidem runas fuiffe, quibus equi veluti Numini dicati, atque facrati haberentur. Ejufmodi ftigmatibus, quamvis levioribus & homines notari confueviffe infra videbimus (3). Imo nefcio quid haud abfimile occurrit in Lege Frifionum (4), in qua facrilegii reum Diis immolandum caftrari, auribufque findi fancitur.

Hæc ex mea quidem fententia indicant, Barbaros peculiari quadam religiofa perfuafione erga equos actos fuiffe, ut mirum non fit, fi inter animantia cætera equi felecti fuerint, ut per eos præftantiffima omnium capefferentur aufpicia.

XIV.

DE DIVINIS VEL SORTILEGIS.

Sacerdotes in confultationibus publicis, atque Patresfamilias in privatis divinorum egiffe perfonam ex Tacito (5) colligimus de Germanis agente. Sed & alii erant vaticiniis dediti, facræ præfertim mulieres, quarum confulta, & refponfa veluti oracula fufcipiebantur. Unum de hifce allegabo Tacitum de Velleda loquentem, quæ omnium facile celeberrima eft: *Ea virgo (6) nationis Bructeræ late imperitabat, vetere apud Germanos more, quo plerafque fœminarum fatidicas, & augefcente fuperftitione arbitrentur Deas... Sed coram adire, alloquique Velledam negatum. Arcebantur afpectu, quo venerationis plus ineffet. Ipfa edita in turre. Delectus e propinquis confulta, refponfaque, ut internuncius Numinis, portabat.*

Sed & ars divinandi certe eviluit eoufque, ut mercede conducerentur divini, qui aliunde fuiffe non videntur homines generofæ fortis. Lex Burgundionum taxat pretium *vegio* debitum pro rei deperditæ indicio, ut *pro mancipio (7) folidos V., pro equa folidos II. &c. Vegius* eft divinator, aut vates; & *vegiatura* pretium indicinæ (8). Lepidum autem eft, quod legitur in eadem Burgundionum lege: *Si vero vegius (9) extiterit, & vegiaturas acceperit, & is, cui indicat, invenire non potuerit, furtum, quod fe perdere* (legendum reor, *prodere*) *mentiebatur, diffolvat in fimplum.*

Inde perfpicuum eft, cur pluribus Sanctionibus, tum Ecclefiafticis, tum Civilibus, inhibitum fit, ne Divini confulantur, aut in domum introducantur. Inter Leges Langobardicas noftras duæ confuli poffunt fufiori calamo exaratæ Regis Liutprandi leges, *De Magicis* (10) infcriptæ, quæ pene ex integro de ariolis agunt.

Maxime autem viguit divinatio *per fortes*, quibus veteres, ut verbis utar Peuceri (11), *oracula excudere, abdita atque abftrufa eruere, ignota elicere, incerta confirmare, impendentia profpicere, fufceptorum negotiorum exitus prænofcere*, rati funt.

Inter fortilegia vero Barbarorum effloruit potiffimum Rhabdomantia. Quod Tacitus de Germanis diferte fcribit: *Aufpicia (12), fortefque, ut qui maxime obfervant. Sortium confuetudo fimplex: virgam frugiferæ arbori decifam in furculos amputant, eofque notis quibufdam difcretos fuper candidam veftem temere ac fortuito fpargunt. Mox fi publice confulatur, Sacerdos civitatis; fin privatim, ipfe paterfamilias, precatus Deos, cœlumque*

---

(1) Snorro, Hiftoria Olafi Sancti c. LVI. (2) Idem, Hiftoria Haquini Boni c. XVIII.
(3) Infra N. XXVIII. (4) Lex Frifionum final.
(5) Tacit. Germ. c. X. infra allegandus. (6) Tacit. Hift. lib. IV.
(7) Lex Burgund. Addit. I. Tit. VIII. (8) V. Wachter Gloffar. V. *Wicker*.
(9) Lex Burgund. Tit. XVI. l. 3. (10) Liutprandi lib. VI. lege 30. 31.
(11) Peucer. de Divinat. cap. de Sortibus. (12) Tacit. Germ. c. X.

que ſuſpiciens, ter ſingulos tollit, ſublatos ſecundum impreſſam ante notam interpretatur.

Tacito conſonat Saxo (1), dum de Rugianis ait: *Nec ſortium eis uſus ignotus extitit. Siquidem tribus ligni particulis, parte altera albis, altera nigris, in gremium ſortium loco conjectis, candidis proſpera, furvis adverſa ſignabant.*

Rhabdomantiam porro Scythici fuiſſe inſtituti colligimus ex Herodoto (2), qui Scythas *tradita a majoribus divinatione*, pluribus virgis ſalignis divinaſſe ſcribit. Quod profecto de Alanis, Scytharum gente, Ammianus Marcellinus quoque commemorat: *Futura miro præſagiunt modo: nam rectiores virgas vimineas colligentes, eaſque cum incantamentis quibuſdam ſecretis præſtituto tempore diſcernentes, aperte quid portendatur norunt.*

Damnavit divinatorias artes, & nominatim Rhabdomantiam Autiſſiodorenſe Concilium anno DLXXVIII. celebratum hoc Canone: *Non liceat (3) ad ſortilegos, vel ad auguria reſpicere, non ad caragios, neque ad ſortes, quas Sanctorum vocant, vel quas DE LIGNO, aut de pane faciunt, aſpicere; ſed quæcumque homo facere vult, omnia in nomine Domini faciat.*

At vero in Friſionum lege (4) fuſe ſermo fit de divinatione per virgulas; unde colligimus, ſortilegium habitum fuiſſe, ut ordalii ſpeciem, & (prout appellabatur) judicium Dei.

Sortilegium in judiciis admittit & Lex Ripuariorum: *Quod (5) ſi in Provincia Ripuaria juratores invenire non potuerit, ad ignem, ſeu ad ſortem ſe excuſare ſtudeat.*

Hæc tamen judiciorum forma Eccleſiaſticis Sanctionibus reprobata fuit; inter quas extat Epiſtola Leonis Papæ IV. (6) ad Epiſcopos Britanniæ. Sed expreſſius adhuc Patres Chalcutenſis Concilii: *Audivimus etiam (7), quod dum inter vos litigium verſatur, ſortes more Gentilium mittitis, quod omnino ſacrilegium iſtis temporibus reputatur.*

Hic opportune incideret aliqua differere de celebratiſſimis ſortibus, quæ *Sortes Sanctorum* dictæ ſunt; ſed hanc rem egregie more ſuo illuſtravit doctiſſimus Cangius (8), ad quem Lectorem remitto.

XV.

DE IGNE FRICATO DE LIGNO, IDEST NODFYR.

IGnem in ſacris adhibitum, ut ſacrum atque luſtralem habitum fuiſſe ex Snorrone alias allegato colligimus: *Caro (9) (*ſacrificiorum*) eſca, & delitiæ hominibus coquenda. Medio in templi pavimento ignes ardebant accenſi, ſuper quos penduli eſſent lebetes, poculaque tranſmittenda.* Vides, igne ipſo pocula luſtrata fuiſſe.

Bartholinus quoque ex *Bua Saga*, ſive ex Hiſtoria Boj, hæc affert: *Ante (10) collocatæ erant aræ ferro copertæ, in quibus adſervabatur ignis nunquam extinguendus, quem vocabant ignem ſacratum.*

An mos perennis ignis ubique receptus fuerit, ignoro. Alias tamen animadverto cautum fuiſſe, ne ignis in ſacris adhibendus ex igne communi deſumeretur, ſed eliceretur novus, qui prophanis uſibus neutiquam adhibitus eſſet. Olaus Wormius, qui ſuperſtitum in Dania ararum ſtructuram exhibuit, teſtatur ſilices igni fricando aptos adhuc prope aras inveniri: *Rarum eſt*, inquit (11), *ſi hic ignibus excutiendis aptos ſilices non invenias. Alio enim, quam ex ſilicibus excuſſo, victimis cremandis adhibere nefas duxerunt.*

Populos autem, ad quos Indiculus noſter pertinuit, non ex ſilice, ſed ex ligno (& forte ex arbore quadam conſecrata deprompto) ignem excitaſſe, quem veluti ſacrum, atque luſtralem haberent, ex ipſo Indiculo innuitur voce *Nodfyr*, quæ, Wachtero judice (12), *ignem averruncum* verbotenus ſignificat. Concilium quoque Germanicum, cui Bonifacius præfuit, inter populares paganias rejecit *illos ſacrilegos ignes* (13), *quos Nedfratres* (lege *Nedfyrs*) *vocant.*

Superſtites afferuntur apud Germanos reliquiæ ignis averrunci *fricati de ligno. Ruſticani homines*, ait Lindenbrogius (14), *in multis Germaniæ locis, palo ex ſepe extracto funem circumligant, illumque huc illuc ducunt, donec ignem concipiat, quem ſtipula, aliiſque aridioribus lignis aggeſtis curate fovent, ac cineres collectos ſuper olera ſpargunt, hoc medio erucas abigi poſſe inani ſuperſtitione credentes.*

Rem ejuſdem generis narrat Eccardus (15): *Vidi ego ſummo mane in feſto Pentecoſtes equo-*

(1) Saxo Grammat. lib. XIV.
(2) Herodot. lib. IV.
(3) Conc. Autiſſiod. c. IV.
(4) Lex Friſion. Tit. XIV.
(5) Lex Ripuar. Tit. XXXI. l. 5.
(6) Leo IV. Ep. II. c. 4.
(7) Conc. Calchut. c. XIX.
(8) V. Cangius V. *Sortes Sanctorum*.
(9) Snorro, Hiſtoria Haquini Boni c. XVI.
(10) Bartholinus lib. I. c. 2.
(11) Wormius Monum. Dan. lib. I. c. 3.
(12) Wachter Gloſſar V. *Feur*, & *Not*.
(13) Conc. German. an. DCCXLII. c. V.
(14) Lindenbrogius ad V. *Nodfyr*.
(15) Eccard. Franc. Orient. pag. 425.

equorum custodes ignem ex duobus lignis fricatis produxisse, & cum eo olera sub dio coxisse, quæ manducantes a febri per istum annum immunes præstarent. Strigenitius in postilla ad diem S. Joannis commemorat, plebem circa ignem hunc S. Joannis cantasse, & saltasse, quosdam caput equinum flammæ injecisse, putatumque ita cogi sagas, ut ignem quæsituræ veniant, atque ita se prodant.

Hæc mihi scribenti in mentem veniunt magnæ illæ pyræ, quæ a rusticis nostratibus accenduntur festa nocte Epiphaniæ Domini. Alicubi ego vidi in nocte S. Joannis Baptistæ, & S. Petri ejusmodi pyras accendi ante templa in eorum honorem dicata. Ego certe reor, ignes hos facularum & lampadum quondam vices egisse, ut illucescerent convenientibus ad solemnes nocturnas preces. Germanorum ritum Tacitus prodit, scribens (1), ignes *ex aggestis circum lignis, accensisque* instructos fuisse, dum cœtus nocturnis horis sub dio agerentur. Attamen notandum occurrit, a stultis quandam lustralem vim præfatis Epiphaniæ ignibus tribui, & ridiculas fieri observationes in motu, & directione flammarum.

Cæterum sacros ignes, ut cultus objecta (quasi iis quidquam Divinitatis inesset) a veteribus habitos fuisse innuit Lex Canuti Regis in Anglia latæ (2), quæ inter Ethnicas superstitiones, *ignis* quoque cultum planissime vetat.

XVI.

DE CEREBRO ANIMALIUM.

CUm hic *cerebrum* tantum memoretur, non *exta*, unam aruspicinam hic reprobari non censeo, sed generaliter cultum quemcumque, qui capiti animalium, præsertim quæ sacrata aut immolatitia forent, præbebatur, quasi quod ex consueta superstitione Gentis capiti ipsi, seu potius cerebro, atque penetralibus ejus, aliquid divinitatis insideret.

S. Gregorius Magnus (3) hortatur Brunichildem Francorum Reginam, ut subjectos suos, qui Christianæ religioni nomen dederant, coerceat, ne in idololatricos ritus relabantur, atque inter cætera, ut *de animalium capitibus sacrificia sacrilega non exhibeant.*

Qui porro ritus in hisce agerentur, innuit idem S. Pontifex, de Ethnicis quibusdam Langobardis, seu Langobardorum fœderatis, hæc scribens (4): *More suo immolaverunt caput capræ diabolo, hoc ei per circuitum currentes, & carmine nefando dedicantes. Cumque illud ipsi prius submissis cervicibus adorarent, eos quoque, quos cœperant, hoc adorare pariter compellebant.*

Vides, caput capræ *more gentis* divinis cultum honoribus. Et sane sacramenta quoque habita fuisse ad capita bestiarum *ex Gentilium consuetudine*, docet Concilium Aurelianense IV, anno DXLI. celebratum (5): *Si quis Christianus, ut est Gentilium consuetudo, ad caput cujuscumque feræ, vel pecudis, invocatis insuper nominibus Paganorum, fortasse juraverit, si se ab hac superstitione commonitus noluerit cohibere, donec reatum emendet, a consortio fidelium, vel Ecclesiæ communione pellatur.*

Hujusmodi autem ritus, ac cultus hoc Indiculi articulo præcipue inhibitos esse credo.

XVII.

DE OBSERVATIONE PAGANA IN FOCO, VEL IN INCHOATIONE REI ALICUJUS.

ALiis omissis, quæ huc spectari possent, de una observatione verba faciam, cujus præclariora habemus monumenta, scilicet de observatione temporis in ineundo negotio. Ejus expresse meminit Nicolaus Papa I. ad Consulta Bulgarorum, prout ab illis Pontificio oraculo expendenda proposita fuit: *Refertis (6), quod soliti fueritis, quando in prælium progrediebamini, dies & horas observare, & incantationes, & joca, & carmina, & nonnulla auguria exercere.*

In tempore namque collocabatur effectiva quædam vis, & potentia, ex qua ineundum negotium faustum aut infaustum exitum nancisci crederetur. Qua de re Rothomagense Concilium (7): *Si quis in Kalendis Januarii aliquid fecerit, quod a Paganis inventum est, & dies observat, & lunam, & menses; & horarum effectiva potentia aliquid sperat in melius, aut in deterius verti, anathema sit.*

Germani veteres in Novilunio, aut in Plenilunio spem maximam collocare, quasi *auspicatissimo initio*, visi sunt. *Coeunt* (ait Tacitus (8) de Germanorum comitiis agens), *nisi*

(1) Tacit. Hist. lib. IV. (2) Ipsa Canuti Lex relata a nobis fuit supra in Monito, quam consule. (3) S. Greg. M. lib. IX. Ep. XI. (4) Idem Dialog. lib. III. c. 28. (5) Conc. Aurelian. IV. c. 15. (6) Nicolaus I. ad Consulta Bulgaror. c. XXXV. (7) Rothomagense Concilium regnante Hlodoveo Glorioso Rege c. XIII. (8) Tacit. German. c. X.

nisi quid fortuitum, & subitum inciderit, certis diebus; cum aut inchoatur Luna, aut impletur; nam agendis rebus hoc auspicatissimum initium credunt. Et profecto a Cæsare (1) edocemur, Ariovistum adversus eum opportune non decertasse, quod matresfamilias Germanorum dixissent, *non esse fas Germanos superare, si ante novam Lunam prælio contendissent*. Tanta apud Germanos veteres erat in temporum observatione religio.

XVIII.

DE INCERTIS LOCIS QUÆ COLUNT PRO SACRIS.

INter tot, tantaque cultus objecta Barbari ut sacra recensuere nescio quæ loca; quasi ea cujusdam Numinis peculiari tutela, vel etiam præsentia sacrata forent. Bivia, atque trivia inter hæc numerari possunt. Apud Burchardum: *Venisti (2) ad aliquem locum, idest ad fontes, vel ad lapides, vel ad arbores, vel ad BIVIA, & ibi candelam, aut faculam pro veneratione loci incendisti &c.* In vita quoque S. Eligii a S. Audoæno conscripta (3) *Trivia* memorantur inter loca, ad quæ Christiani luminaria facere, aut vota reddere prohibentur. Anne ex hac superstitione ortum duxit ridicula opinio de strigibus choreas ducentibus in quadruviis?

Sed & loca credita fuisse videntur, quæ vere dici poterant *incerta*, nulla scilicet nota distincta, quæ ex creditis effectibus haberentur, ut sacra. Quod ex superstite vulgi persuasione pulchre elucidat Eccardus (4): *Loca quæ vulgus adhuc* Unsteten, *sive loca incerta vocat, de quibus nempe nescitur, ubi sint: cum enim aliquis huc illucque ambulat, & eum vel morbus subito invadit, vel ei membrum aliquod corporis dolet, rationis ignari dicunt*, er seye uber eine unstete gegangen, *sive calcasse eum locum, qui ubi sit nesciatur: & quia is sanctus sit, genius loci illum puniisse somniatur, tanquam violatorem, & contemptorem sui*. Hæc Eccardus. Profecto ejusmodi observationes non minimi faciendæ sunt in Barbarorum rebus enucleandis, ubi præsertim alia desunt monumenta.

XIX.

DE PETENDO QUOD BONI VOCANT S. MARIÆ.

QUid sit *petendum, quod boni vocant S. Mariæ*, & cur inter Paganias recenseatur, haud facile dictu est. Rem acu tetigisse videtur Eccardus, suspicatus, *Petendum* esse vocem non mere Latinam, sed ex Germanica origine Latinitate donatam, seu ut vulgo dicimus Latino-Barbaram. *Bedd* lectum Germanis significat, qui veteribus quibusdam dialectis *Bett*, & *Pett* appellatus est. Bedian, Bedden, *Betten* (5), est lectum sternere. Si ergo ex hac radice vocis significatio desumatur, *petendum* idem erit ac lectistratum.

Scribit Eccardus ipse (6), quod *Germani Gallium, Baubino teste*, Unser Frauen Betstro, *B. M. Virginis lectistratum*, Mergenkraut, *herbam B.V. Mariæ*, Libkraut, *herbam amabilem, vel amorem conciliantem, vocant. Iidem, & Belgæ, Serpillum etiam* Unser Frauen Betstro *appellant*, . . . *Serpillum magicis incantationibus adhibitum fuisse vel nomen ejus vetus probat. In Glossario enim Rabani Mauri Ms. legitur: Serpillum*, Vuisunt; *& hoc idem est, ac magica herba*. Hæc Eccardus, cui ego addam & *Gallio* haud sine causa *herbæ amabilis, vel amorem conciliantis* nomen inditum fuisse, quod innuit, ex hac herba præcipue quondam confectas fuisse amatorias potiones, pluribus Sanctionibus reprobatas, de quibus infra sermo erit (7).

Cur autem Serpillum & Gallium (quarum herbarum multimodas, præclarasque virtutes ex Botanicis recenset laudatus Eccardus (8)) appellatum sit *lectistratum, quod boni*, hoc est Christiani, *vocant S. Mariæ*, divinabit qui poterit. Forte *mali*, hoc est Ethnici, ea vocavere lectistratum falsæ cujusdam Divinitatis, præsertim quæ amoribus conciliandis præesset.

XX.

DE FERIIS, QUÆ FACIUNT JOVI, VEL MERCURIO.

DIgnum censeo animadversione, quod tam multæ gentes, terra, linguis cultuque sejunctæ tempus per hebdomadas uniformi ritu dividerent, unamque hebdomadæ diem sacram haberent.

(1) Cæsar de Bello Gallico lib. I. c. 23.
(2) Burchard. Collect. Canon.
(3) Vide locum allegatum supra N. IV.
(4) Eccard. Franc. Orient. Tom. I. pag. 426.
(5) V. Wachter Glossar. V. *Bedd*.
(6) Eccardus l. c. pag. 427.
(7) V. infra N. XXII.
(8) Eccardus l. c.

In Capitularibus Regum Francorum, ſub titulo: *Ut in die Dominico rurale opus non fiat* (1); hæc leguntur: *Si Pagani ob memoriam, & reverentiam Deorum ſuorum dies colere, & Judæi more carnali Sabbathum carnaliter obſervare ſatagunt, quanto magis Chriſtianæ religionis devotio ob memoriam Dominicæ reſurrectionis eundem diem venerabiliter, atque honorabiliter colere debet?*

Inquirendum itaque eſt, quoſnam dies, & in quorum reverentiam Deorum, ut feriatos colerent Pagani noſtri. Dictum eſt ſupra illos tria vel ut omnium præcipua Numina coluiſſe, Wodanum, Thoronem, Friggam. Hiſce vero tres hebdomadæ dies attribuerunt, quos alii Mercurio, Jovi, & Veneri ſacrarunt. In quo animadverſione digna eſt gentium conformitas. Quamvis enim ex Mythologiis, & Theogoniis Barbarorum aperte pateat, tria hæc Numina non eadem fuiſſe cum præfatis Numinibus Romanorum, inter ea tamen talis occurrebat attributorum conformitas, ut Wodanus pro Mercurio ſumeretur, pro Jove Thor, pro Venere Frigga, quæ pacis ac voluptatis Numen eſſe credebatur.

Ergo, quæ nobis Feria IV., & dies Mercurii, Barbaris (Angloſaxonum utor dialecto, prout adhuc in eorum legibus ſupereſt (2)) *Wodnes-dæg*, dies Wodani; Feria V., hoc eſt, dies Jovis, *Thunres-dæg*, dies Thoronis; Feria VI., ideſt, dies Veneris, *Frigedæg*, dies Friggæ. Quibus adhuc, variata aliquantiſper dialecto, nominibus tres illos dies hodieque compellant Belgæ, Angli, Dani, Norvegi, & Svedi.

Ex tribus autem hiſce diebus unam excoluere Pagani, ei dicatam Numini, erga quod unaquæque Gens præcipua veneratione, cultuque ageretur. Ex Concilio Narbonenſi tempore Recaredi Wiſigothorum Regis celebrato, colligimus etiam inter Chriſtianos fuiſſe, qui ſacram haberent diem Jovi, aut Thoroni dicatam: *Ad nos pervenit* (3), *quoſdam de populis Catholicæ fidei execrabili ritu diem, quintam feriam, qui & dicitur Jovis, multos excolere, & operationem non facere*. Concilium quoque Arelatenſe IV. damnat eos, qui *quintam feriam* (4) *in honorem Jovis, vel Kalendas Januarias, ſecundum Paganicam conſuetudinem honorare præſumpſerint*.

Ex Epiſtola Canonica ſub Karolo Magno pœnitentiæ ſubduntur Presbyteri, *qui* (5) *poſt primam, vel ſecundam correctionem recipiant Idola colentes, vel ſuſcipientes homines, qui ad fontes atque ad arbores ſacrilegium faciunt, nec non de die Jovis, aut Veneris propter Paganorum conſuetudinem obſervant &c.* Inde colligimus, ex populis, quos hæc reſpiciebat Epiſtola, alios quidem feriam V. in honorem Thoronis, alios feriam VI. in honorem Friggæ obſervaſſe.

Populos, ad quos noſter Indiculus pertinet, erga Thoronem, & Wodanum, actos fuiſſe cultu præcipuo, ex præfixa *Abrenuntiatione Diaboli* liquet. Cum ergo hic inhibeantur feriæ, quæ fiebant *Jovi, vel Mercurio*, innuitur, ex illis alios Feriam V. in honorem Thoronis, alios Feriam IV. in honorem Wodani ſacram habuiſſe.

XXI.

DE LUNÆ DEFECTIONE, QUOD DICUNT VINCELUNA.

Clamores in eclipſi Lunæ a populis habitos belle pingit S. Maximus Taurinenſis, inquiens (6): *Quis non moleſte ferat, ſic vos eſſe ſalutis veſtræ immemores; ut cælo teſte peccetis? Nam cum ante dies pleroſque de veſtræ avaritiæ cupiditate pulſaverim, ipſa die circa veſperum tanta vociferatio populi extitit, ut irreligioſitas ipſius penetraret ad cœlum. Quod cum requirerem, quid ſibi clamor hic velit? dixerunt mihi, quod laboranti Lunæ vociferatio ſubveniret, & defectum ejus ſuis clamoribus adjuvaret. Riſi quidem, & miratus ſum vanitatem, quod quaſi devoti Chriſtiani Deo ferebatis auxilium. Clamabatis enim, ne tacentibus vobis perderet elementum. Tanquam infirmus enim & imbecillis, niſi veſtris adjuvaretur vocibus, non poſſe luminaria defendere, quæ creavit. Bene igitur facitis, qui Divinitati exhibetis ſolatium, ut votis juvantibus poſſit cælum regere.*

Clamores, rituſque in eclipſi Lunæ peractos damnavit & Concilium Arelatenſe IV. *Quicumque* (7) *exercuerint hæc, quando Luna obſcuratur, ut cum clamoribus ſuis, ac maleficiis, & ſacrilegorum uſu ſe poſſe defendere credant &c.* Quod itidem Gregorius III. totidem pene verbis ſancivit (8); ut & Ecgbertus Eboracenſis in Canonibus de remediis peccatorum (9).

Inter bene multa teſtimonia hoc in medium afferendum ſelegi, quoniam nos edocet, in Lunæ eclipſi non tantum adhibitos fuiſſe clamores, ſed & *maleficia*, & *ſacrilegorum uſum*, hoc eſt incantationes (ut arbitror), phylacteria, & alia ejuſmodi Ethnica, ac ſuper-

(1) Capitularium Additio II. l. 11.
(2) V. Wilkins. Lex Angloſaxon. pag. 159. 160
(3) Conc. Narbon. an. DLXXXIX. c. 15.
(4) Conc. Arelat. IV. an. DXXIV. c. 5.
(5) Epiſtola Canonica incerti anni c. V.
(6) Hom. de Defectu Lunæ.
(7) Conc. Arelat. IV. an. DXXIV. c. 5.
(8) Excerptum a B. Gregorio PP. III. Judicia congrua de pœnitentibus c. XXIII.
(9) Ecgbertus Eborac. can. de rem peccat. c. XI.

superstitiosa, sive ut infaustum omen, malumque a se averruncarent, sive ut laboranti astro auxilium ferre putarent.

Cæterum Indiculus noster innuit, populos, de quibus agitur, vociferationes edidisse, *Vince Luna* clamantes, Lunam scilicet excitantes, ut vinceret, neque se in eo, cui suberat, luminis defectu opprimi pateretur.

Illud autem maxime notandum occurrit, quod ejusmodi credulitatis, aut rituum non modo Romanis ac Barbaris, sed & remotarum plagarum incolis in re adeo puerilli, ac frivola, convenientia deprehendantur (1).

XXII.

DE TEMPESTATIBUS, ET CORNIBUS, ET COCLEIS.

PRimo reprobantur, qui tempestates, ventos, grandines &c. se ciere posse putabant, *Tempestarii* nuncupati. Ars hæc, ut religiosi pars officii, uti cæteræ magiæ partes, summo in pretio quondam habita fuit. De Virginibus Insulæ Senæ, Celticæ gentis, hæc tradit Pomponius Mela (2): *Sena in Britannico mari Osismicis adversa litoribus, Gallici numinis oraculo insignis est. Cujus Antistites perpetua virginitate sanctæ numero novem esse traduntur. BARRIGENAS vocant, putantque ingeniis singularibus præditas, maria, ac ventos concitare carminibus, seque in quæ velint animalia vertere, sanare quæ apud alios insanabilia sunt, scire ventura & prædicere: sed nonnisi deditas navigantibus & in id tantum ut se consulerent, profectis*. Sed, quod cæteris magicis artibus, id & huic contigit; scilicet, ut evilesceret. Cæterum malefici, qui *aera posse conturbare, & grandines immittere* (3) ferebantur, Legibus Civilibus, & Ecclesiasticis pluries damnati sunt.

Secundo reprobantur *cornua, & cochleæ*. Cochleas vasa fuisse, è quibus bibebatur, docet Cangius (4); cornubus quoque pro poculis usos communius fuisse Barbaros, res est quam notissima. Quare hic procul dubio damnari videntur confectiones quædam superstitiose elaboratæ, vel ebibitæ. Potiones enim ex herbis, succis, aliisque rebus confectas, propinatasque, non absque superstitione fuisse, e veterum testimoniis colligimus. Unde & inter superstitionis reos referuntur quicumque *divinos* (5), *præcantores, phylacteria etiam diabolica, vel characteres diabolicos, vel herbas, vel succinos suis, vel sibi, impendere tentaverit*.

Morbo curando, vel immittendo, neci inferendæ, abortui procurando, varii *recipe* conficiebantur. Sed quæ hic præcipue sub *cochlearum* voce damnantur, fuere phyltra ad amorem, vel odium, alienæ menti immittendum confecta, atque etiam epotum data. Etenim *cauculatorum*, seu *cochleariorum* nomine eos proprie venire, qui cauculis, seu poculis amatoriis, cibis, ac phylacteriis hominum mentes inficiunt, docet laudatus Cangius (6), volupe consulendus. Atque hi quoque tum Romanorum, tum Barbarorum legibus, atque Ecclesiasticis sanctionibus cohibiti sunt.

Sed ineptiis missis factis, de celeberrimo illo amoris vinculo, fraternitatis, & societatis fœdere maxime sacro aliquantisper differam, quod commixto, aut etiam epoto contrahentium sanguine fiebat, quasi vero potio hæc, aut commixtio colligandis animis aptissima censeretur. Ritum Scythici fuisse instituti docet Herodotus (7): *Infuso in grandem calicem fictilem vino, commiscent eorum sanguinem, qui feriunt fœdus, percutientes cultello, aut incidentes gladio aliquantulum corporis: deinde in calice tingunt acinacem, sagittas, securim, gladium. Hæc ubi fecerunt, se se multis verbis devovent: postea vinum epotant non modo ii, qui fœdus fecerunt, sed etiam comites ii, qui sunt maximæ dignitatis*. Consulendus hac de re Pomponius Mela (8), Lucianus (9), Athenæus (10), aliique. Confuso sanguine se invicem fœderasse & Septemtrionales Germanos allatis exemplis ostendit Cl. Johannes Ihre (11); quo devinctus fœdere appellabatur *Fosterbroder*, quasi *Frater Factitius*. Quod & firmat Saxo de Danis scribens: *Icturi fœdus* (12) *veteres vestigia sua mutui sanguinis aspersione perfundere consueverant, amicitiarum pignus alterni cruoris commercio firmaturi*.

Quod multum suadet, religionem, seu verius superstitionem, huic devotæ amicitiæ intercessisse, est, quod Barbari ad Christianismum conversi ejus generis fœdera Christianis sacris firmaverint. Mos hodieque superest certe inter Slavos Morlaccos, ubi fraternitates hæ contrahuntur, non quidem Ethnico ritu sanguine cruentatæ, sed firmatæ sacro myste-

 rio.

(1) Consule Meinders in hunc locum. Cangius Gloss. V. *Vinceluna*.
(2) Pomponius Mela lib. III. c. 6.
(3) Verba sunt Conc. Paris. VI. lib. III. c. 2.
(4) Cangius Glossar. hac voce.
(5) Conc. Arelat. An. DXXIV. c. 5.
(6) Cangius Glossar. hac voce.
(7) Herodotus lib. IV.
(8) Pompon. Mela de Situ Orbis lib. II. c. 1.
(9) Lucianus in Toxari.
(10) Athen. lib. I. c. 2. Dipnos.
(11) Ihre Glossar. V. *Fosterbroder*.
(12) Saxo Gram. lib. I.

rio, Fœdus namque nectitur ante altare, ubi duo fraternitatem ineuntes sacro pro ipsis celebrato assistunt, accensa intorticia præ manu gestantes. Mares sic fœderati se invicem appellant *Pobratime*, quasi *Semifrater*, & fœminæ *Posestrima*, quasi *Semisoror*. Inter marem & fœminam saltem inter nostrates hoc sodalitium nunc admitti non solet. Nil peculiare, quod sciam, in fraternitate ineunda, sibi invicem spondent; attamen arctissimo vinculo se se mutuo censent obstrictos; *Tutti gli amici* (verbis utor Joannis Lovrich (1)) *e specialmente quelli che si legano a' piedi dell' Altare, si formano un dovere di ajutarsi scambievolmente in qualunque occorrenza, e pericolo, ed arrivano a tal grado di sensibilità i loro contratti amichevoli, che si recano ad onore i* Pobratimi *il perder la vita gli uni per gli altri*. Tam arctæ, tam devotæ amicitiæ institutum superest hodiedum inter populos, qui plurimum retinentes ruditatis antiquæ, indolem & mores minus corruperunt.

XXIII.

DE SULCIS CIRCA VILLAS.

Quomodo antiquis Germanis, illisque qui Scythica instituta purius sequebantur, superstitionem hic reprobatam *de sulcis circa villas* aptaverim, nescio, cum ex veterum testimoniis longa serie a Pelloutério allegatis planum sit, hos in plaustris, & in currubus vitam egisse. Quod & mordicus retinuerunt, qui Patrum institutis tenacius adhæserunt. Ut enim nihil de remotis quibusdam Tartaris loquar, sed de iis tantum, qui, ut ita dicam, præ foribus nostris sunt, vivunt adhuc qui memorent, quosdam inter Morlaccos parva habuisse tuguria, quæ plaustro imposita huc, illucque transvehebantur. Neque ibi hodie desunt tuguriola condendis frugibus extructa, quæ e loco in locum transvehi queant (2).

Attamen locis ad habitandum selectis circumagere sulcos, antiquissimi Celtarum moris fuisse videtur. Hæc namque canit Virgilius (3):

Interea Æneas Urbem designat aratro,
Sortiturque domos: hoc Ilium, & hæc loca Trojæ
Esse jubet.

Ad quæ Servius (4): *Quem Cato in originalibus dicit morem fuisse. Condituri enim civitates taurum in dextra, vaccam in sinistra jungebant: & cincti ritu Sabino, idest togæ parte capitis velati, parte succincti tenebant stivam obliquam, ut glebæ omnes intrinsecus caderent. Et ita sulco ducto loca designabant murorum, aratrum suspendentes circa loca portarum. Unde & territorium dictum est, quasi tritorium, tritum bobus & aratro.*

Et alias Servius ipse (5); *Videtur illud attingere moris antiqui, quod cum conderetur nova civitas, tauro & vacca, ita ut vacca esset interior, a Magistratu muri designarentur. Nam ideo ad exaugurandas, vel diruendas civitates aratrum adhibitum, ut eodem ritu, quo condita, subvertatur. Horatius:* Imprimetque muris hostile aratrum.

Idipsum in Italia nostra quondam obtinuisse more ab Hetruscis derivato, & quidem haud sine religionis interventu, Varro testatur: *Oppida (6) condebant in Latio, Hetrusco ritu, multa; idest junctis bobus, tauro, & vacca interiore aratro circumagebant sulcum; hoc faciebant religionis causa die auspicato, ut fossa, & muro essent munita: terram, unde excalpserant, fossam vocabant, & introrsum factum, murum; postea quod fiebat orbis, urbs.*

Sulcos ejusmodi videtur, & Barbaris notos, usitatosque fuisse, penes quos novimus extitisse morem, ut amplas Provincias, imo & integra regna in orbem circumclauderent. Hunnorum terram describit Monachus Sangallensis, & ex eo Albertus Krantzius, quem ego autographo præpono, utpote qui rem clarius exponit: *Terra Hunnorum* (ait Krantzius (7)) *ut antiquorum memoria concelebrat, novem circulis, quos Theutonici* Haga *dicunt, cingebatur: quorum singuli ita quercinis roboribus, sive faginis, sive abiegnis, erant extructi, ut de margine ad marginem viginti pedum spatium tenderentur in latum, totidem subigerentur in altum. Concavitas autem universa, aut durissimis lapidibus, aut creta tenacissima replebatur. Porro superficies vallorum eorundem integerrimis cespitibus tegebatur: inter quorum confinia plantabantur arbusculæ, quæ (ut cernere solemus) abscissæ, atque projectæ, comas caudicum, foliorumque proferunt. De primo autem circulo ad secundum viginti millia passuum Theutonica protendebantur, & inde similiter ad tertium, & ita deinceps usque ad nonum: quamvis ipsi circuli alius alio multo fierent contractiores, in orbem redeuntes. Inter hos igitur aggeres ita vici, villæque erant collocati, ut de aliis ad alias humana vox posset exaudiri. Contra autem ædificia inter inexpugnabiles mu-*

(1) Lovrich, *Osservazioni* Art. X.
(2) Lovrich l. c. Art. V.
(3) Virgil. Æneid. lib. V.
(4) Servius in Virg. l. c.
(5) Idem in Æneid. l. IV.
(6) Varro de Lingua Latina IV. 32.
(7) Krantzius lib. II. cap. 6.

muros, portæ non satis latæ, per quas latrocinandi gratia non solum exteriores, sed etiam interiores, solebant exire. De circulo quoque ad circulum sic erant possessiones, & habitacula quaquaversum ordinata, ut clangor tubarum inter singula cujuslibet rei significativus posset adverti. Ad has ergo munitiones per ducentos & amplius annos, qualescumque omnium Occidentalium opes congregantes, cum Gothi, & Wandali quietem hominum perturbarent, orbem occiduum pene vacuum dimiserunt. Hucusque Krantzius. Animadverte novem Hunnicarum Provinciarum circulis clausarum descriptionem, & integri Regni.

Neque ejusmodi orbicularia sepimenta solis Hunnis propria fuisse putes. Alibi quoque provinciæ, aut districtus appellati sunt *Orbes*, ut *Orbis Lemovicinus*, *Orbis Caturcinus* (1). Helveriorum districtus adhuc dicuntur *Cantones*: *Kant* autem orbem, & circulum optime designat (2). Quid plura? Nonne aliquibus Germaniæ Provinciis inest *Circuli* nomen? Hæc fane synonyma ab antiqua causa derivasse reor, qua Provinciæ, atque districtus curva in se vergente claudi solerent.

Neque illud animadversione indignum, quod Oppidum, Urbs, Provincia, Regio, Germanica voce *Gard* compellata fuerit, quæ vox proprie *Curtem* significat, seu aream circumquaque clausam recto carentem. Quod itidem innuit, Provincias, Regionesque Barbarorum quondam circumclausas extitisse.

Sed argumentum ultro firmat, quod cum Germani stabiles villas habere cœperint, Villas ipsas orbicularibus munimentis claudi consuevisse putem. Horum monimentorum rudera adhuc supersunt in aliquot Villis Patriæ Fori Julii; quæ a Barbaris, qui regiones nostras insederunt, confecta fuisse nemo forte negaverit. Villarum Ecclesiæ, quin & Villæ ipsæ muris claudebantur & ostiis, & aggere in orbem vergente. Unum hic exhibeo triplici aggere circumdatum, intra quod quondam extitisse habitacula pagi *Meleveti* nuncupati, nunc *Mereto*, seniorum memorat traditio. Ipsum incidi curavi, prout viventium memoria adhuc extiterat, nunc ex parte disjectum. Media in area superest Ecclesia. Ejus generis clausuræ apud nos appellantur *Cortinæ*, sive parvæ Curtes.



a. Ecclesię situs
b. Murus cœmeterij
c. Porta cum turri
d. Murus
e. Magna porta
f. Via quâ in cortinam itur.

(1) Cangius Gloffar. V. *Orbis*. (2) Maurin. ap. Cangium ibid. Wachter Gloffar. V. *Kant*.

Quod

Quod autem attinet ad paganiam, quam exponendam suscepimus, sulcos veterrimo Celtico supra exposito more in harum Villarum inauguratione, vel alias, ab Ethnicis, & quidem religionis gratia, circumactos fuisse, probat articulus ipse, *de sulcis circa villas*, qui hic ut superstitiosi reprobantur. Quænam autem hic superstitio intercederet, nescire me fateor, nisi ea forte ipsa sit, qua magi circulum describere dicuntur, ut ab illa circulari area nocentes genii arceantur.

Sed argumentum prosequamur haud penitus injucundum. Suspicor non sulcis modo, sed & aggeribus ipsis, seu munimentis, aliquid ultra muniminis causam spectatum fuisse, cum eodem modo claudi consueverint & fora, atque ita quidem, ut nulla præsidii ratio se se prodat.

In antiquo Manuscripto Islandico *Hirdskra* nuncupato (1) hæc leguntur a Bartholino latine reddita: *Jam dicendum est, quomodo finito prælio manubiæ distribuendæ sint, si Deus victoriam, & prædam largiatur. Regis, & Birkibeinorum antiqua consuetudo est, ex omnibus manubiis suis, nulla re subtracta, integras decimas dare. Primo milites in locum, qui maxime idoneus videtur, buccina convocandi sunt, quo & vexillum regium Signifer portare debet. Ibi Signifer terræ aliquod spatium sepimentis circularibus cingi curet, vexillumque in illius meditullio erigat &c.*

Idem & in foris, in quibus judiciales & politici agebantur conventus, factum est: *In his judiciis sub dio habitis* (ait Cl. Ihre (2)) *circulus formabatur lapidibus ut plurimum descriptus, ubi Judex cum Assessoribus loca sua habebant, & in quem litigantes, vel alias de Reipublicæ negotiis consultaturi introducebantur.*

Fororum ejusmodi rudera hodiedum superesse testatur solertissimus Monumentorum editor Olaus Wormius, scribens (3): *Loca, in quibus publice lites secundum Regni leges, & constitutiones dirimuntur*, Fora *hic vocamus, nostratibus* Ting. *Ea in locis campestribus, & apricis, vel etiam in sylvis, & lucis, prope aras Deorum, ex congerie grandiorum lapidum, in quadrangulam, aut ovalem figuram dispositorum extructa cernuntur. Adhuc prope urbem, ac arcem Orethinganam in Selandia rudera ejus fori monstrantur, ex quo arcem, ac urbem denominationem traxisse volunt. Cujus cum ego structuram, & capacitatem diligentius examinarem, vidi illud quadraginta sex saxis stupendæ magnitudinis cinctum fuisse, eminente in ejus meditullio grandiusculo quodam, omnia vero in ovalem disposita erant figuram, ita quidem ut utrinque ad latera circa medium porta, quasi aditus pateret meridiem & septemtrionem versus. Longitudo nonaginta passus æquabat, latitudo viginti. In tractu Mierlosano, prope* Aasmuntorp, *locus extat undique cautibus septus, etiamnum Fori appellationem retinens.* Tinget *enim vocant. Plura bujus generis passim in aliis Regni Provinciis cernere licet.*

Obiter adverte, fora judicialia constructa quoque fuisse *prope aras Deorum*, quasi vero judicia essent religiosi officii pars. Helmoldus (4) pariter verba faciens de quodam Slavorum loco, qui *sanctimonium fuit universæ terræ*, subdit, quod *illic secunda feria populus terræ cum Flamine, & Regulo convenire solebant propter judicia*. Ejusmodi autem consuetudo fortassis in causa fuit, quod Christiani quidam in Ecclesiis, vel in earum atriis, ac cœmeteriis Placita instituerent; quod pluribus Canonibus, atque Capitularibus interdictum legitur, longa serie allegatis a Cangio (5).

Cæterum quod in locis clausis, & intectis, in mediis agris constitutis, judiciales & politici agerentur conventus, liquido colligitur, cur loca ipsa, seu judicia *Curtes* appellarentur; unde formula veteribus usitata, dum de loco judiciali sermo fit; *in curte ad campos in mallo publico*.

Et in Italia quidem nostra hodiedum, cum de re judiciali agitur, frequentatissimæ sunt voces *Corte*, & *Arringo*; quam vocem (*Arringo*) a Germanico *Ring* recta descendere omnes, quotquot inspexi, linguarum Germanicarum Glossographi unanimes consentiunt. *Ring* autem proprie significat rem, in qua versamur, scilicet *circulum*, vel potius *omne id, quod per declinationem lineæ rectæ in se redit* (6), idest, quod ex curva in se vergente concluditur.

Et has quidem voces apud Italos usitatissimas esse norunt omnes. Num vero & res ipsa quondam in usu fuerit, mihi non liquet. Sed haud difficulter quis persuadere sibi poterit, inter tot gentium Populos Italiæ invasores comitia, & placita in campis agentes, fuisse qui aream more suo circumclauderent circulari, vel alio haud absimili ambitu. At vero Italicum solum ab iis, qui supervacua forsan redituum aviditate illecti nemora & prata aratro proscindere susceperunt, adeo susdeque versum est, ut novam superficiei formam induerit, ut mirum non sit, si penitus destructa, deletave fuerint veneranda illa Barbaræ antiquitatis monumenta.

Pro-

---

(1) Ap. Bartholin. l. c. lib. I. c. 2.
(2) Ihre Glossar. V. *Ring*.
(3) Worm. Monum. Danic. lib. I. c. 10.
(4) Helmold. lib. I. c. 83. alias 84.
(5) Cangius Glossar, V. *Placitum*.
(6) Wachter Glossar. V. *Ring*.

Prope pagum & cortinam *Melereti*, de quo supra verba feci, aggerem conspexi in mediis campis orbicularis pene figuræ, spatiosam claudens plateam, in quo unus sat amplus patet hiatus, a villicis, ut reor, sequiori ævo confectus, introducendis plaustris interioris agri excolendi gratia. Ejus formam hic exhibeo.



Areę internę longitudo pertic. 90, latitudo pertic. 80. circiter.
Aggeris altitudo pertic. 4, crassities pertic. 4 circiter.

Putarem aggerem ipsum extructum fuisse bellici propugnaculi causa. Sed anne placitis, comitiisve cogendis? Vox *Meleretum*, quo vicinus pagus compellatus est, conjecturæ favere videtur. *Mal* enim & *Mæl* comitia, & *Herd*, *Hird*, *Hired* aream, & propriè *aream clausam*, seu curtem significare, ex optimis linguarum Germanicarum, atque Septemtrionalium Glossographis edoceor; ut *Meleretum*, sive *Meleredum* jure verti possit *area clausa*, *seu curtis ad celebranda comitia*. Alibi in eadem Provincia haud procul ab alia cortina vidi pariter in mediis campis clausam aggere aream, prope pagum *Sedelianum* dictum, figura tamen quadrangulæ, cujus quoque formæ in Dania superesse fororum rudera refert Olaus Wormius supra relatus.

Haud immerito profecto censeri potest, quod vigente Ethnicismo Barbarorum fora sic clauderentur, seu quod mali genii arceri putarentur, seu quod area inclusa Numini justitiæ, ac foro Præsidi dicaretur, seu ex altera quacumque mihi ignota causa ex religioso principio derivata. Quidni ergo in munimentis Regionum, Provinciarum, Pagorum &c. de quibus supra verba feci, ultra militaris propugnaculi causam, aliquid ex religione spectaretur?

XXIV.

DE PAGANO CURSU, QUEM YRIAS NOMINANT, SCISSIS PANNIS, VEL CALCEIS.

YR docente Cl. Ihre (1) accipitur communiter pro summo vivacitatis gradu, & *Yra* idem est ac cum impetu ferri. Anne hæc vox a Scythis in Latium transierit, unde

(1) Ihre Glossar. hac voce.

de vox *gyrus* originem traxerit? Eadem profecto ratione ex *irron*, errare, apud Offridum in Evangeliis Francicis paſſim fit *girron*, eadem ſignificatione (1). Littera namque *g* ſeu ſyllaba *ge* vocibus Barbaricæ radicis præpoſita plerumque otioſa eſſe dicitur, ornatus potius, quam officii cauſa (2). Sed hæc ad Gloſſographos....

Ego interim hic inhiberi reor Paganos curſus in orbem plerumque actos religioſi officii cauſa. Alibi ex S. Gregorio animadvertimus (3) in Italia Langobardos quoſdam, ſeu Langobardorum fœderatos *per circuitum currentes* carmine nefando caput capræ diabolo dedicaſſe. In Attilæ funere, ut refert Jornandes (4), de tota gente Hunnorum electiſſimi equites, in eo loco, quo erat poſitus, *in modum Circenſium curſibus ambientes*, facta ejus cantu funereo referebant. Huc quoque pertinet quod narratur (ex quonam vetuſto monumento, neſcio) de Saxonum curſu circa Irminſulam; quod nempe *antiqui Saxones* (5), *& cum primis militares homines, certis iiſdem ſolemnitatibus, & feſtis diebus, armis induti, atque etiam cataphracti, gladiiſque adcincti, dextra vero ceſtus ferreos vibrantes, alternis circa Idolum hoc Patriæ obequitantes, interdum in genua procumbere, opemque præſentem, & in bello ſecundam fortunam efflagitare ſolerent.*

Superſtitionem gentium probat, quod de Langobardis Beneventanis jam Chriſto addictis refertur in vita S. Barbati (6): *Non longe a Beneventi mœnibus devotiſſime ſacrilegam colebant arborem, in qua ſuſpenſo corio cuncti qui aderant, terga vertentes arbori, celerius equitabant, calcaribus cruentantes equos, ut unus alterum poſſet præire; atque in eodem curſu retro verſis manibus in corium jaculabantur. Sicque particulam modicam ex eo comedendam ſuperſtitioſe accipiebant.*

Hæc de curſibus *Yrias* vocatis. Cur autem in Indiculo noſtro additum ſit, *ſciſſis pannis vel calceis*, id ad ritum reſpicit, de quo nullam, quo ad Barbaros, notitiam habeo.

Cæterum credo non errare, qui dixerit, ab hiſce religioſis, ſeu ſuperſtitioſis curſibus originem duxiſſe torneamenta, & haſtiludia. Profecto equeſtria ejus generis exercitia a Barbaris Ethnicis in honorem Deorum celebrata fuiſſe colligimus ex Olao Wormio, de ejuſmodi ludis in honorem Ethnici Numinis *Diſæ* peractis ſic loquente (7): *Haſtiludia, aliaque exercitia equeſtria hoc tempore* (primo ſcilicet poſt Feſtum Epiphaniorum plenilunio) *in ejus* (Diſæ) *honorem inſtituerunt noſtrates, quorum reliquiæ etiamnum multis in locis viſuntur. Hinc illud AT RENDE DYST, quod proprie eſt, in honorem Diſæ haſtiludiis certare.*

XXV.

DE EO QUOD SIBI SANCTOS FINGUNT QUOSLIBET MORTUOS.

HInc ediſcimus recens ad Chriſtianiſmum converſos nimia facilitate defunctos inter Sanctos adſcripſiſſe, atque facilitatem illam profluxiſſe e Paganiſmi inſtitutis; ex quo conſequens eſt, Ethnicos gentis, ad quam ſpectabat Indiculus, ſumma lubricitate mortuos ſuos in Divorum album retuliſſe....

Quod ſi res ita ſe habet, intelligere mihi videor, cur lubricus novorum Sanctorum cultus interdiceretur. Ita Capitulare Francofordienſe anni DCCXCIV. *Ut nulli novi Sancti* (8) *colantur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur; ſed ii ſoli in Eccleſia venerandi ſint, qui ex auctoritate paſſionum, aut vitæ merito electi ſunt.* Quo ſpectaſſe videtur & Capitulare II. anni DCCCV. *De Eccleſiis* (9), *ſeu Sanctis noviter ſine auctoritate inventis, niſi Epiſcopo probante, minime venerentur. Salva etiam & de hoc & omnibus Eccleſiis canonica auctoritate.*

Inde equidem colligitur, quam neceſſarium foret, lubricum illum popularem cultum inhiberi, & cauſas ejuſmodi Eccleſiaſticæ poteſtati reſervare. An vero exinde potiſſimum invaluerit, ut nonniſi Eccleſiaſtica auctoritate intercedente novi Sancti colantur, iis, qui in Eccleſiaſtica hiſtoria verſati ſunt, definiendum relinquo.

XXVI.

DE SIMULACRO DE CONSPARSA FARINA.

VIdimus alias (10), Februarium menſem ſacrificiis, ſacriſque ſympoſiis celebrem, Angloſaxonibus dictum fuiſſe *Solmonath*, hoc eſt, ex Venerabilis Bedæ interpretatione, *menſem placentarum, quas in eo Diis ſuis offerebant.*

Saxo

(1) Wachter Gloſſar. V. *Irren*. (2) Idem, ibidem in Prolegomenis Sect. V.
(3) Vide ſupra N. XVI. (4) Jornandes c. XLIX.
(5) V. Meinders in hunc Indiculi locum. (6) Vita S. Barbati apud Bolland. die XIX. Febr. (7) Worm. Monum. Dan. lib. I. c. 3. (8) Capitulare Francfort. an. DCCXCIV. c. XL. (9) Capitulare II. an. DCCCV. c. XVII. (10) Supra Art. III.

Saxo quoque de *placenta* Svantovito oblata mentionem ingerit, sicque Slavicæ placentæ formam, ritumque describit: *Placenta* (1) *quoque mulso confecta, rotundæ formæ, granditatis vero tantæ, ut pene hominis staturam æquaret, sacrificio admovebatur. Quam Sacerdos sibi ac populo mediam interponens, an a Rugianis cerneretur, percontari solebat. Quibus illam a se videri respondentibus, ne post annum ab eisdem cerni posset, optabat. Quo precationis more non suum, aut populi fatum, sed futura messis incrementa poscebat.*

Animadverte, hic sermonem agi non de pane communi, sed *mulso* confecto; quod innuit a Barbaris oblatos esse Numinibus panes dulciarios. Item cum hic *placenta*, & in Indiculo nostro *conspersa farina* memoretur, azymos panes, non fermentatos, credibile est in sacris usitatos fuisse. Hæc firmant quodammodo quod jampridem suspicatus eram; scilicet quamplures ex Barbaris (si non omnes) fermenti usum quondam non habuisse. Ex Morlacchis (2) veterum institutorum maxime tenacibus plurimi adhuc adduci non potuere, ut panem sibi conficiant, subcinericiis placentis, quantumvis cum domesticæ œconomiæ haud levi dispendio, nuncium mittere nescii.

Cæterum sive de panibus sive de placentis a Germanis Septemtrionalibus Numini oblatis pulchrum affert exemplum Snorro (3): *Vespera ea Rex interrogat Gudbrandi filium, quomodo structus erat illorum Deus. Respondit ille, eum Thori referre imaginem, malleo manu armatum, eximiæ magnitudinis esse, intrinsecus cavum, nitentem alte structo suggestu, in quo stabat foras prodiens. Non deesse ei, qua ornatus erat, auri argentique copiam. Quatuor ei quotidie apponi panes, nec non eis congruam carnem.* Hæc Snorro, qui subinde narrat (4), hanc cibi copiam aluisse mures, atque serpentes, bufones, atque lacertas, quæ confracto Idolo intra ipsius cavum repertæ sunt.

Ex hisce panum, seu placentarum, Ethnicis oblationibus ortum duxisse videtur Collyridianorum hæresis, quam *in Arabiam e Thracia, ac superiore Scythia*, hoc est, e Scythica gente diffusam fuisse recenset Epiphanius: *Ferunt*, inquit (5), *mulierculas quasdam in Arabia, quo e Thracia profectæ erant, novum illud dogma commentas fuisse, adeo ut in Virginis nomen & honorem collyridem, sive tortam panis, sacrificantes offerant, & conventum habeant.* Et alibi: *Hæc hæresis* (6) *in Arabiam e Thracia, ac superiore Scythia diffusa ad aures usque nostras pervenit .... Mulieres quædam currum, sive sellam quadratam adornantes, ac linteo desuper extento, solemni tempore per aliquot dies panem proponunt, & in Mariæ nomen offerunt. Tum ad unam omnes illo vescuntur.*

Indiculus autem noster *de simulacro* loquens indicat fuisse, qui panes, seu placentas immolatitias in simulacri formam conficerent, vel ipsis simulacri imaginem imprimerent, quæ vel effigiem, vel symbolum Numinis, cui dicabatur, exprimeret. Superstes mos videtur, quem Keyslerus ex Verelio refert: *Rustici homines* (7) *hodieque in Parasceve Jolia ... panem figura verris (nomine* Julagalt *) conficere, eumque per totum Juliorum tempus, quo mensas pane, perna, aliisque ferculis instruunt, majorum more ominisque causa usque ad Canuti diem (XIII. Januarii) in mensa exponere solent. Sintne hæc moris antiqui, an superstitionis reliquiæ, non definimus.* Memorandum nobis est, animalium figuras apud Barbaros fuisse symbola Numinum; & quidem verrem, seu *aprum*, ex Taciti testimonio, fuisse superstitiosum insigne Matris Deorum (8).

Reliquias usus præfati verris ex subacta farina compacti describit ipse Verelius his verbis: *Plures verrem* (9) *istum fictum siccant, & ad veris tempus, cum semina sulcis sunt credenda, servant: tum partem ejus comminutam, in vas, vel corbem, ex quo semina sunt dispergenda, immittunt, hordeoque permixtam equis aratoribus, alteram servis stivam tenentibus comedendam relinquunt; spe forte uberioris messis percipiendæ.*

Placentulæ Paschales, quas *Columbas* appellamus, mellitæ placentulæ in festo S. Martini, aliique panes, & placentæ dulciariæ imaginum formam referentes, quæ certis diebus in puerorum gratiam alicubi venum exponuntur, antiqui moris reliquiæ fortasse sunt.

Sed Cl. Hermannus Adolphus Meinders adversus *Pontificios* debacchandi (ut ejus mos habet) ex hac superstitione occasionem sumit, his verbis (10): *Utinam hæc superstitio adhuc hodiedum apud Pontificios nostros non vigeret, qui in certis Divorum, Divarumque festis, simulacra quædam eorum ex farina, & placentis formant, eaque idolis suis, sive statuis immolant, & consecrari curant, & magnam inde sanctitatem placentis suis, ac vim medendi acquisitam sibi imaginantur.*

Vah! quam odiosis zelator Protestans utitur verbis adversus eulogias nostras! Ego semper legi, & vidi, in *Pontificiorum* Ecclesiis, & ad aras quoque in alicujus Sancti honorem Deo dicatas, panum, placentarumque benedictiones fieri in Dei nomine per Jesum Christum, invocatis nonnunquam exemplis, meritis, & intercessione Sancti, cujus imago pa-

---

(1) Saxo Gram. lib. XIV. (2) Lovrich, *Osservazioni* pag. 90.
(3) Snorro, Hist. Olafi Sancti cap. 118. (4) Idem ibid. c. 119.
(5) S. Epiphanius hæresi LVIII. alias LXXVIII. (6) Idem Hær. LIX. alias LXXIX.
(7) Keysler Antiq. pag. 159. (8) Vide infra Art. XXVIII.
(9) Verelius not. ad Hervarar Saga pag. 130. (10) Meinders in hunc Artic. Indiculi.

panibus ipſis imprimitur in eulogiæ teſſeram: quos & pie credimus prodeſſe fidelibus, cum pietate & gratiarum actione utentibus. Sed neque ut *immolatitios* habemus, neque ut *conſecratos*, eodem prorſus modo, quo nec ut conſecratos, neque ut immolatitios habemus cibos, quibus quotidie benedicimus appoſitis menſæ. Sed pudet ultro refellere virum, qui cum haud ſemel in animadverſionibus ſuis ejuſmodi inſulſa objecta adverſus *Pontificios* urgeat, credo quod ipſis doctioribus Proteſtantibus ſe ſe ridiculum faciat.

XXVII.

DE SIMULACRIS DE PANNIS FACTIS.

VIx credibile eſſet, quam magna portenta Ethnici ſibi perſuaderent ex magica virtute confici poſſe ope ſimulacrorum in humanam effigiem effictorum. Ego hæc non perſequar, quæ vere faſtidium creant. Unum tantum adinſtar omnium exemplum audire Lector non gravetur, a Bartholino depromptum, ex veteri quadam hiſtoria Thorleifi Iarlaſcaldi: *Haquinus Comes* (1) *hanc ignominiam in Thorleifo ulciſci voluit, ſi copia daretur. Thorgerdæ itaque Horgabrudæ, & ſorori ejus Yrpæ, quibus ſumme confidebat, ſupplicavit, ut aliquod divinitatis ſuæ opus in Islandiam mitterent, quod Thorleifo mortem conciliaret; iiſque magnas hoſtias immolans, reſponſa popoſcit. Cumque optata reſponſa accepiſſet, e ligno fluctibus ad terram jactato ſtatuam humanam fieri, Magiæque, ac diris ſuis, & diabolicæ dictarum ſororum virtuti fidens, virum quendam interfici, illiuſque cor ligneæ huic ſtatuæ inſeri curavit; eumque veſtes indutum, Thorgardum nominavit: Diabolicisque viribus eum adeo vivificavit, ut ambularet, ac cum hominibus colloqueretur. Hunc navi impoſitum in Islandiam ablegavit, ut Thorleiſum Jarlaſcaldum interficeret. Haquinus Comes eum bipenne cinxit, e delubro ſororum deprompta, quam . . . . antea poſſederat.* Thorgardus hic in Islandiam vectus, Thorleifum in Conventu Provinciali conſtitutum bipenni confodit. Sed *cum Thorleiſus ſe pungi ſentiret, Thorgardum gladio petiit; ille vero vertice in humum demiſſa, terra abſorptus eſt, adeo ut volæ pedis apparerent.*

Ejuſmodi mirabilia mirabitur nemo, qui perpenderit, hæc a Scaldis, ſeu Poetis cantata fuiſſe, qui ſoli rerum geſtarum memoriam poſteris amandabant; a Poetis, inquam, qui allegoricum, metaphoricumque ſermonem quam maxime adamaverant. Sed quæ allegorico ſenſu a Poetis tradita, hæc ſenſu planiore a populis facile recepta fuere, unde quamplures inanes credulitates originem traxiſſe reor. Et certe hæc, in quibus nunc verſamur, firmiter adeo credebantur, ut a Snorrone allegetur Eyvindus quidam morti jam proximus, qui ſe non verum, ſed fictitium ex arte magica hominem eſſe indubius aſſereret: *Interrogante Rege* (2), *num jam Chriſtianus fieri vellet Eyvindus, negabat ille fieri poſſe, ut baptiſmi redderetur particeps; eſſe ſe ſpiritum* (*Dæmonem*) *quendam, artibus Finnorum Magicis ſpeciem corporis humani indutum.*

Plura de artificiali mandragora in humanam effigiem efformata jactitata fuiſſe norunt omnes, qua adhuc ſæculo XVI. creditum eſt, *parturientibus dolorem levari, diſſidia componi, judicis favorem conciliari, omniaque proſpera domui inferri*, ut collegit Keyslerus (3) ex Epiſtola anno MDLXXV. conſcripta, quam ipſe integram exhibet.

Inde rationem peto, cur imagines in humanam ſpeciem efformatæ fidelibus interdictæ fuerint. Autiſſiodorenſe Concilium anno DLXXVIII. celebratum vetat, ne quis *ſculptilia* (4), *aut pede, aut homine lineo fieri penitus* præſumat. Porro Ethniciſmus non eſt, hujuſmodi imagunculas facere, ſed erga illas ferri inani ſuperſtitione. Et ſane *imagines ex lino & cera* a maleficis *confictas* prodit teſtimonium relatum a Cangio (5).

Populi vero, ad quos Indiculus noſter pertinet, conſueviſſe videntur ex *pannis* conficere ejus generis ſimulacra, haud abſimilia pupiis, quæ apud nos conficiuntur, ut infantulis ſint oblectamento.

Superſtitionis autem reliquiæ eſſe videntur, quæ Angelus Decembrius ſæculi XV. Scriptor de Mediolanenſium moribus memoriæ tradidit: *Patritios ritus* (6) *accuratius attentiſſimis vobis exponō. Ergo cum his ſimul frondibus* (Majalibus), *torquibuſque matres, & innuptæ puellæ ſua vota connectunt, ex pannicibus conſutiles liberorum imagines effingendo, quibus ſeſe olim fœtus ſuos rite concipere, & educare confidunt.* Sed de his ſatis.

---

(1) Ap. Bartholin. Antiq. Dan. lib. III. c. 2. (2) Snorro, Hiſtoria Olafi Trygguini cap. LXXXIII. (3) Keysler. Antiq. pag. 504. ſeqq. (4) Conc. Autiſſiod. c. III. (5) Cangius Gloſſar. V. *Pedes linei*. (6) Ap. Murator. Antiq. Ital. Diſſer. LIX.

XXVIII.

DE SIMULACRO, QUOD PER CAMPOS PORTANT.

A Vero non aberrat, qui putet hic inhiberi *ambarvalia*. Ego autem puto, non de solis ambarvalibus articulum, in quo versamur, intelligendum esse, sed de quacumque generatim simulacri gestatione per campos agrestes, bellicos, comitiales &c., ex qua sperarentur prosperi eventus, & peculiare Numinis præsidium atque tutela.

Huc opportune faciunt, quæ habet Snorro in Historia S. Olafi, dum Gudbrandum quendam Ethnicum sic populum alloquentem inducit: *Id vero* (1) *certus scio, si Thorum portaverimus ex templo nostro, quod hac in villa stat extructum, qui* (*Thorus*) *nobis semper auxilio fuit, & si is Olafum, ejusque comites adspexerit, fore ut liquescat Deus illius, necnon ipse* (*Olafus*) *& comites ejus, omnesque in nihilum abeant*. Snorro subinde hæc narrat: *Post finita sacra* (2), *paulo antequam dies illucescebat, ad Comitia se contulit Rex. Comitia illo accedente, venerant colonorum nonnulli. Hic vident ingentem colonorum multitudinem ad Comitia festinantem, media in turba portare magnam viri imaginem, multo auro, atque argento refulgentem. Hoc ubi videre, qui in Comitiis erant coloni, sedibus exsilientes omnes venerabundi monstrum istud salutabant. Posthac in medio fori campo est positum. Ab altero* (*cujus*) *latere consedere coloni, ab altero autem Rex, ejusque comitatus. Tum surgens Dala-Gudbrandus,* " *Ubinam locorum, inquit, jam tuus,* „ *Rex, est Deus? existimo illum jam tristem stare, capite in pectus demisso; mihique jam* „ *videtur minor tua esse insolentia, & audacia, minor etiam istius cornuti, qui a vobis* „ *Episcopus dicitur, quique hic tibi assidet, quam pridie fuit; jam enim advenit Deus* „ *noster, qui omnia gubernans torvis vos adspicit oculis;* (*quocirca*) *animadverto vos* „ *nunc terrore attonitos, vix audere oculos elevare.* „ Huc usque Snorro.

Sed ut de remotiorum temporum moribus differamus, perpendendum est, quod cum antiquiores Barbari in humani oris speciem Deos non assimilarent, illos sub animalium symbolis repræsentabant, hisce cultum præbentes, quasi Numen aliquod ipsis inesset. Phrenesin hanc non dimiserant Langobardi jam Christiani, qui Beneventi partes incolebant, ut colligimus ex vita S. Barbati (3): *His vero diebus, quamvis sacri baptismatis unda Longobardi ablueventur, tamen priscum gentilitatis ritum tenentes, sive bestiali mente degebant, bestiæ simulacro, quæ vulgo Vipera nominatur, flectebant colla, quæ debite suo debebant flectere Creatori*.

Ergo symbola ipsa gestabant pro Numinum simulacro, eadem attributa virtute. Sic de Æstiis refert Tacitus (4): *Matrem Deum venerantur: insigne superstitionis formas aprorum gestant. Id pro armis, omniumque tutela, securum Deæ cultorem, etiam inter hostes præstat*.

Cimbri quoque Italiam invadentes æneum taurum gestabant, quem eo prosequebantur cultu, ut milites ad illum juramenta præstarent. Hæc ex Plutarcho: *Barbari autem* (5) *præsidium trans Athesin adorti ceperunt, militesque qui impositi fuerant, quum gessissent se fortissime, atque ex dignitate patriæ decertassent, reveriti virtutem eorum, datis induciis dimiserunt, æneum taurum jurati; quem post sub pugnam captum, in domum Catuli ferunt, tanquam victoriæ primitias delatum fuisse*.

Inde forte evenit, quod Barbari Christianam religionem amplexi, veteri eliminata superstitione, more tamen retento, imaginem S. Patroni felicius in aciem gesserint, atque ad illam se sisterent, cum militaria juramenta præbenda forent. Quod profecto a Langobardis nostris factum fuisse, indicant verba Alachis adversus Cunibertum præliantis: *Hoc facere* (6) *ego non possum, quia inter contos suos S. Archangeli Michaelis* (erat is Gentis Patronus) *ubi ego illi juravi, imaginem conspicio*. Sed redeamus ad Ethnicos.

Ex supra dictis nullo negotio colligimus, cur in bellicis campis gestarentur belluarum imagines e sacris lucis eductæ, ut memorat Tacitus: *Inde depromptæ* (7) *sylvis, lucisque ferarum imagines, ut cuique genti inire prælium mos est*. Colligimus itidem, cur ad Sacerdotum munus spectaret, *effigies* (8) *& signa quædam detracta lucis in prælium ferre*.

Cæterum quanta sacris militaribus signis apud Barbaros fides, quanta foret veneratio, pulchre ostendunt ea, quæ de Rugianis retulit Saxo Grammaticus (9): *Interea oppidani portam Urbis, quo minor eam attentandi facultas pateret, ingenti glebarum acervo præstruxerant, aditumque coacta cæspitum compage claudentes, tantum ex eo opere fiduciæ contra-*

 he-

(1) Snorro, Historia Olafi Sancti c. CXVIII. (2) Idem ibid. c. CXIX.
(3) Ap. Bolland. die XIX. Febr. (4) Tacit. Germ. c. XLV.
(5) Plutarchus in Mario. (6) Paulus Diac. lib. V. c. 40.
(7) Tacit. Hist. lib. IV. (8) Idem Germ. c. VII.
(9) Saxo Gramm. lib. XIV.

hebant, ut turrim, quæ supra portam sita fuerat, signis tantum aquilisque protegerent. Inter quas erat Stanitia, *magnitudine, ac colore insignis, cui tantum venerationis a populo Rugiano tributum est, quantum omnium pene Deorum majestas obtinuit. Eam enim præseferentes, in humana, divinaque grassandi potestatem habebant, nec quicquam eis, quod libitum foret, illicitum habebatur. Populari urbes, aras demoliri, fas ac nefas in æquo ponere, cunctosque Rugiæ penates, aut ruinis, aut incendiis evertere potuisset: tantumque superstitioni indultum est, ut exigui panni authoritas Regiæ potestatis vires transcenderet. Plectentes, signo perinde ac divino gestamini honorem habebant, officiis damna, injurias obsequiis rependentes.*

Fuere item Barbari, præsertim ex Hunnicis gentibus, qui pro signo partem belluæ forte immolatæ in aciem ferrent; quod profecto de *cauda equi* mihi constat. Morem apud Turcas, Scythicæ, ac Hunnicæ originis gentem, adhuc superesse norunt omnes. Muratorius equidem suspicatus est (1), id moris originem traxisse a Sultano Saladino. Sed fallitur vir doctissimus, cum ritus ipse apud Scythas sit multo antiquior: ejus namque mentionem injecerat Nicolaus Papa I. respondens ad Consulta Bulgarorum: *Quando prælium (2) inire soliti eratis, indicatis vos hactenus in signo militari caudam equi portasse, & sciscitamini, quid nunc vice illius portare debeatis: quid aliud utique, nisi signum Sanctæ Crucis?*

Sed ut de belluarum imaginibus procedat oratio, illas Barbari non tantum pro signo, & vexillo gerebant, sed etiam seipsos iconibus ejusmodi in aciem pugnaturi muniebant. Galeæ, quas supra memorati Cimbri gestabant, referebant *sævarum belluarum rictus* (3), *& insitatas figuras, quas alatis fastigiantes cristis apparebant eminentiores.*

Imo & eo res usque processerat, ut essent qui animalium figuras (animadverte in re quamvis superstitiosa religiosam indolem gentis) in proprio corpore stigmatibus notari curarent, uti de Britannis refert Herodianus (4): *Corpora notant punctis, quæ omnis generis animalium formas repræsentant; propterea vestes non induunt, ne picturam corporis tegant.* Quod qua ratione perageretur, clarius expressit Isidorus, de Scotis disserens (5): *Scoti propria lingua nomen habent a picto corpore* (unde *Picti* appellati sunt) *eo quod aculeis ferreis cum atramento, variarum figurarum stigmate annotentur.*

Pluribus rem persequitur Pelloterius, qui ex multis veterum allegatis testimoniis colligit, hæc aliis quoque gentibus usitata fuisse, induciteque imagines illas fuisse notas distinctionis nobilium, & ingenuorum a plebe; quin & ait ipse, notarum varietate distinctas, agnitasque fuisse cognationes, atque familias; unde suspicatur, Barbaros illos, cum vestium usum colere cœpissent, figuras easdem clypeis appinxisse in familiæ, & cognationis indicium. Quæ si vera sunt (quod tamen affirmare non ausim), inde consequitur, stemmatum gentilitiorum originem ab antiquis Barbarorum religiosis institutis esse repetendam. Quod obiter dictum sit.

Cæterum neque Christiani nominis sæculo VIII. in ipsa Britannia deerant, qui præfati generis cicatricibus se se deformarent. Quod Calchutensis Synodus reprobavit: *Deus (6) formavit hominem pulchrum in decore, & specie: pagani vero diabolico instinctu cicatrices teterrimas superinduxerunt, dicente Prudentio:* Tinxit & innocuam maculis sordentibus humum . . . *Quisquis ex superstitione gentilium id agit, non ei proficit ad salutem.*

An vero animalium, an alteras quascumque figuras tunc sibi annotarent Britanni, cum Christianis sacris addicti forent, ignoro; illud scio hic reprobari eos, qui *ex superstitione gentilium* hæc agebant. Sed difficile est mores eradicari, quamvis eradicata superstitione. Manet adhuc apud nostrates plebeculas usus, ad meliora redactus, ut brachiis & manibus Crucifixi, ac Sanctorum imagines, aut nomina indelebili stigmate signent.


Ipsa belluarum simulacra Barbari in tumulis secum condi volebant. Arnkiel (7) in libro de Urnis Gentilium pag. 308. meminit, Birckerodium Professorem quondam Otheneensis Gymnasii, in tumulis diversis reperiisse quinque æneos tauros. Erant hæc forte veluti amuleta, ex quibus quidquam præsidii post mortem quoque sperarent.

In Museo Nobilissimæ Senatoriæ Domus Marchionum, & Comitum de Savorgnano, Excellentissimi possessoris venia inter præclara quamplurima vere pulchrum amuletum metallicum inspexi quadrilateræ formæ, tauri caput exhibens, cui nonnulla adjecta conspiciuntur, quæ *Thoneri*, seu *Thoronis* symbola esse videntur. Anne ergo, & tauri, de quibus supra sermo est, symbola erant Thoronis?

---

(1) Muratori, Annali, an. MCLXXXVII.
(2) Nicolaus I. ad Consulta Bulgar. c. XXXIII. (3) Plutarchus in Mario.
(4) Herodianus lib. III. (5) Isidorus Originum lib. IX. cap. 3.
(6) Conc. Calchut. an. DCCLXXXVII. c. XIX.
(7) Vide Eccardum Franciæ Orientalis Tom. I. pag. 40.

Exi-



Imago Tauri e tumulo effossi, apud Eccardum Franciæ Orientalis Tom. I. Pag. 41.

Exigit superstes usus, ut quædam adhuc de Barbarorum signis dicamus. Etenim ex veterrimo instituto initia ducere arbitror perticam, *vexillum* appellatam (*lo stendardo*), quod ejus summitati solemnioribus diebus quadratum nobile vexillum appendi soleat, in nostris Civitatibus, & Oppidis stabiliter erectam, prope loca, ubi judicia, & comitia peraguntur, quasi ea sit loci forensis, & civilis conventus perpetuus index.

Cum enim veteres sub dio, & in campis comitia, atque judicia celebrarent, elatum aliquod atque visibile signum in designato loco ponendum erat, quod populus e longinquo conspiciens, eo recta convenire posset.

Vidimus alibi ex Bartholino (1), ex Septemtrionalium more, in umbilico fori vexillum erectum fuisse. Idem erat & Francis institutum; excepto quod pro vexillo scutum erigerent, teste Othone Frisingensi hæc de Friderico Ænobarbo scribente (2): *Est consuetudinis Regum Francorum, quæ & Teutonicorum, ut quotiescumque ad sumendam Romani Imperii coronam, militem ad transalpizandum coegerint, in prædicto campo* (Roncaliæ) *mansionem faciant. Ibi LIGNO IN ALTUM PORRECTO SCUTUM SUSPENDITUR, universorumque equitum nomen feuda habentium, ad excubias proxima nocte Principi faciendas, per Curiæ præconem exposcitur.* Francorum autem hunc fuisse vetustissimum morem innuunt verba Pactus Legis Salicæ (3): *Tunginus, aut Centenarius mallum indicent, & in ipso mallo scutum habere debet.*

Ex quibus firmo satis fundamento elici potest, in locis, ad quæ publici cogebantur conventus, Ethnicos sacra sua signa collocasse, eaque (ut a longe conspici possent) vel summæ perticæ imposita, vel proceræ arbori. Nam & arbores pro comitiorum indice & loco habitas esse docent vetera monumenta, quæ erudite congessit Keyslerus (4), probatque superstes adhuc Pagensium nostrorum usus, qui rusticanos conventus sub dio, & sub arbore celebrant.

XXIX.

DE LIGNEIS PEDIBUS, VEL MANIBUS PAGANO RITU.

Damnantur hic pedum, manuumve similitudines, quas ut amuletorum, seu phylacteriorum species Ethnici conficiebant, curando aut etiam immittendo morbo, quo homo, aut animal afficeretur. Concilium Autissiodorense vetat, ne quis *sculptilia* (5), *aut pede, aut homine lineo fieri penitus* præsumat. Quo innuitur, pedes ejusmodi in eodem fere censu poni, ac simulacra de pannis facta, de quibus supra actum est (6).

S. Audoenus in vita S. Eligii (7): *Pedum similitudines, quas per bivios ponunt, fieri vetate, & ubi inveneritis, igne cremate.* Et ejusdem S. Eligii homilia ex altera lectione: *Plantas sive ungulas pedum, quos per bivia ponunt, fieri vetate.* Quod hæ pedum

(1) Supra Art. XXIII. (2) Otho Frising. lib. II. c. 12.
(3) Pact. Leg. Sal. Herold. Tit. XLVI. (4) Keysler. Antiq. pag. 77. 79. & in addendis.
(5) Conc. Autissiod. an. DLXXVIII. can. III. (6) Supra Art. XXVII.
(7) Vita S. Eligii lib. II. cap. 15.

dum similitudines ponerentur *per bivia*, innuit id ex superstitione factum fuisse; siquidem ex Rothomagensi Concilio (1) colligimus, nefaria quædam ligamenta *in bivio, aut in trivio* projici consuevisse, animalibus a peste, aut clade liberandis, aut etiam perdendis, quæ *Idololatriam esse nulli fidelium dubium est*, ut in Canone eodem subjungitur.

Narrat Gregorius Turonensis (2) de fano urbis Agrippinæ differens, quod *ibi simulacra ut Deum adorans, membra, secundum quod unumquemque dolor attigisset, sculpebat in ligno*. Gregorii verba belle circumscripsit Schatenius (3): *ut quemque adfecti membri dolor presserat, sculpebat in ligno effigiem suspendebatque opitulaturo Idolo*.

Cum itaque hæc quasi amuleta spectarentur, ratio perspicitur, cur inter Paganias rejecta fuerint. Quo spectare videtur & formula Pœnitentialis apud Cangium (4): *Idem si fecit, vel fieri fecit, vel curavit, quod aliquis faceret pedem in domo*.

XXX.

DE EO, QUOD CREDUNT, QUIA FŒMINÆ LUNAM COMMENDENT, QUOD POSSINT CORDA HOMINUM TOLLERE, JUXTA PAGANOS.

Quam sibi persuasum habuerint mulieres quædam inire cum Luna commercium, & quam mira patrare se posse confiderint, unum ad instar omnium fragmentum, quod inter Capitularia Baluzianæ editionis legitur, perspicue docet: *Illud etiam (5) non omittendum, quod quædam sceleratæ mulieres retro post Satanam conversæ, dæmonum illusionibus, & phantasmatibus seductæ, credunt se & profitentur nocturnis horis cum Diana Paganorum Dea, & innumera multitudine mulierum equitare super quasdam bestias, & multa terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, ejusque jussionibus velut dominæ obedire, & certis noctibus ad ejus servitium evocari . . . Quisquis ergo aliquid credit posse fieri, aut aliquam creaturam in melius, aut deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel similitudinem, nisi ab ipso Creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, procul dubio infidelis est*.

Et quidem, si de *transformationibus* agitur, ex iis, quæ præsertim in Septemtrionalium fastis mihi contigit legere, animadverti ex Barbarorum credulitate fieri potuisse metamorphoses hominum præcipue in bruta adeo miras, atque stupendas, ut provocare audeam Ovidium, ac quempiam alium Græcum, Latinum, Italumve Poetam talia portenta mente effingere, qualia Barbari ut vera credebant.

Hic autem proprie agitur de maleficio illo, quo striges corda hominum, vel homines ipsos, tollere credebantur. Admodum verisimile est, quod qui tabe, ac macie absumebantur, fascino adfecti esse putarentur, atque a strigibus comedi. Quare Saxones adversus hujusmodi morbos optimum *recipe* credidisse videntur, carnes strigis ipsius comburere, aut etiam comedere; quod colligo ex Capitulari de Partibus Saxoniæ: *Si quis (6) a diabolo deceptus crediderit secundum morem Paganorum virum aliquem, aut fœminam strigam esse, & homines comedere, & propter hoc ipsam incenderit, vel carnem ejus ad comedendum dederit, capitis sententia puniatur*. Nunc inter stultos quosdam ex plebecula idem quoad ejusmodi fascinamenta delirium; sed adversus hæc mitiora norunt remedia, inter quæ non infimum locum tenet manducare limacem assam; hoc enim potentissimo pharmaco cor infantis a strige comestum renasci persuasum habent.

Cæterum & Legislatoribus ipsis quondam creditum fuerat, hominem a strigibus comedi. Sic in Pacto Legis Salicæ: *Si stria (7) hominem comederit, & convicta fuerit, VIIIM. den. qui faciunt sol. CC. culpabilis judicetur*. At ego indubius reor, legem hanc esse ex illarum numero, quæ in Ethnicismo confectæ in Christianorum codicem subirrepserunt. Certe in lata Saxonibus lege, quam supra allegavimus, expresse dicitur credulitatem hanc esse *secundum morem Paganorum*. Et Langobardi nostri usque a scriptæ legislationis primordiis id neutiquam Christianis credendum esse dixerunt. En legem Rotharis: *Nullus (8) præsumat aldiam alienam, aut ancillam, quasi striga, quæ dicitur masca, occidere: quod Christianis mentibus nullatenus est credendum, nec possibile est, ut hominem mulier vivum intrinsecus possit comedere*.

Hic animadversiones claudo in Indiculum Superstitionum & Paganiarum, quibus hostis humani generis per plurima sæcula quasi totidem laqueis, captivam tenuit maximam Europæ partem, usquequo Evangelicæ veritatis virtute *laqueus contritus est, & nos liberati sumus*.

---

(1) Conc. Rothomag. sub Hlodovæo c. IV.
(2) Greg. Turon. de Vitis Patrum cap. 6. De S. Gallo Episcopo.
(3) Schatenius, Hist. Westphal. lib. V. (4) V. Du Cange Glossar. V. *Pedes linei*, vel *lignei*. (5) Ex Fragmentis Capitularium cap. XIII. apud Baluzium Tomo II.
(6) Capitular. de Part. Sax. c. VI. (7) Pact. leg. Sal. Tit. LXVII. lege 3.
(8) Leg. Long. Rotharis CCCLXXIX.

F I N I S.

LIBEL-

LIBELLUS ANTIQUUS DE BENEFICIIS.

§. I.
S. c. 1. *L. c.* 1. *A. c.* 1.

SI quis velit instrui in jure beneficiali, hunc libellum respiciat, & ejus doctrinam non despiciat.

S. c. 1. *L. c.* 1. *A. c.* 1.

II. Primo consideremus, quod beneficialis clypeus a rege descendit & in septimo deficit.

S. c. 1. *L. c.* 1.

III. Secundo in tertium descenderunt clypeum laicales principes, cum episcoporum fiebant homines, & sextum clypeum transtulerunt in septimum.

S. c. 2. *L. c.* 2. §. 1. *A. c.* 1.

IV. Clerici & mulieres, rustici & mercatores, & jure carentes (1), & in fornicatione nati, & omnes qui non sunt ex homine militari, ex parte patris eorum & avi, jure carent beneficiali.

S. c. 2. *L. c.* 2. §. 1. *A. c.* 1.

V. Si quis tamen uni istorum concedit beneficia, beneficialia ab eo solus habebit jura, in filios suos autem non hereditabit beneficia, nec etiam in alium beneficia, sequuntur dominum.

S. c. 2. *L. c.* 2. §. 1. 2. *A. c.* 1. 2.

VI. A testimonio possunt abjici in jure beneficiali, & a dandis sententiis, quibus deest clypeus legalis, sed dominus eorum, qui eos inbeneficiavit, contradicere non poterit eorum testimonium. Sed si duo dicunt sibi jus unum, scilicet in jure perfectus; & prædictorum aliquis, in aliquibus bonis (2), jure perfectus præcedat in testimonio, in quo & deficiat deficiens in legali clypeo.

S. c. 2. *L. c.* 3. *n.* 3. 4. *A. c.* 3.

VII. Homo perfectus in beneficiali jure, si a clerico vel muliere, aut ab hujusmodi aliquo inbeneficiatur, hæc beneficia in alium dominum non sequantur, nisi imperialia sint, & ecclesiastica, quæ vir vel mulier aliqua per electionem susceperint, in his homo beneficiale jus habebit.

S. c. 3. *L. c.* 4. *A. c.* 4. 6.

IIX. Homo domino suo certum faciat juramento, quod sibi adeo fidelis sit & amicus, sicut homo est domino suo debitus, quamdiu homo vivus sit & beneficia ab eo habuerit, quod quando homo non fecerit, testis esse non poterit ille in sui domini jure beneficiali (3). Exhibeat etiam domino suo debitum honorem & servitium.

S. c. 4. *L. c.* 5. *n.* 1. *A. c.* 7.

IX. Regis justum servitium, a domino suo sententialiter præceptum sex hebdomadis ante diem expeditionis in duorum hominum suorum audientia, serviat (inquam) ex justitia infra terram Teutonicam Romano regno subditam.

S. c. 4. *L. c.* 5. *n.* 1. *A. c.* 7.

X. Omnes Tran-Salani inbeneficiati in parte orientali serviant in Poloniam, Sclaviam & Bohemiam.

S. c. 4. *L. c.* 5. *n.* 2. *A. c.* 7.

XI. Sex hebdomatibus homo serviat domino suo in (4) domini expensa, a servitio sex hebdomadibus quiescat postea (5).

S. c. 4. *L. c.* 6 *n.* 1. *A. c.* 8.

XII. Rex, quem eligunt Teutonici, cum Romam vadit ordinari, secum ibunt de jure sex principes, qui primi sunt in ejus electione, ut pateat Apostolico (6) regis justa electio.

S. c. 4. *L. c.* 6. *n.* 1. *A. c.* 8.

XIII. Ibunt illuc & alii omnes imperialia beneficia habentes, quisque cum domino suo, nisi talento decimo (7) iter redimat, quod annuatim a domino suo habuerat.

S. c. 4. *L. c.* 6. *n.* 1. *A. c.* 8.

XIV. Hæc expeditio prius tribus diebus, & anno & sex hebdomadibus, ante diem expeditionis cuilibet ex justitia erit intimanda.

 S. c. 4.

(1) Infames: *rechtlose*.
(2) Hæc verba *in aliq. bon.* debent connecti cum verbis *jus unum*.
(3) I. e. In judicio feudali.
(4) An forte legendum *fine* propter *d. c.* 4. & 7.
(5) A servitiis aliis & judicio &c. *ib.*
(6) Papæ.
(7) Redituum. *A. c.* 8.

S. c. 4. L. c. 6. n. 1. A. c. 8.

XV. Hujus servitii sit terminus, cum rex fuerit ordinatus.

S. c. 4. L. c. 6. n. 2. A. c. 9.

XVI. Homo etiam domino suo in hoc serviat, ut beneficiales sententias sibi inveniat, cum dominus eguerit ante meridiem in diebus absolutis (1). Quicquid ante meridiem in diebus absolutis inchoatur, id post meridiem & in diebus observabilibus (2) terminari licentiatur.

S. c. 4. L. c. 7. n. 1. A. c. 9.

XVII. Si quis equum vel hujusmodi aliquid domino suo concesserit, & non rehabuerit, vel aliquid perdiderit in ejus servitio, interim non tenetur ex debito, ejus beneficiali interesse juri, nec servire aliquid, quamdiu non habuerit rectam rationem (3) sui damni.

S. c. 4. L. c. 7. n. 2. A. c. 9.

XIIX. Dominus etiam, si suo homini justitiam renuerit, cum ab eo incusatus fuerit, in audientia duorum hominum suorum, interim homo renuere sevitio domini poterit, & beneficiali juri ejus non interesse.

S. c. 5. L. c. 7. n. 3. A. c. 12.

XIX. Beneficio uno possunt inbeneficiari duo, quod unus possessionem habeat, & alter successor ejus existat, post mortem illius, in ipsis bonis.

S. c. 5. L. c. 7. n. 3.

XX. Si heres beneficialis, scilicet filius, sibi desit in die obitus, manus secunda (4) non habebit beneficia, nisi in beneficiis prædecessor ejus in die sui obitus ea in sua habuerit warandia (5), & dominus adhuc vixerit, qui eum inbeneficiavit.

S. c. 5. L. c. 8. A. c. 12.

XXI. Dum moritur ille, qui bona habuit in possessione, qui prædicto modo secundus est in beneficio, intra sex hebdomadas & annum vadat ad suum dominum & roget, ut confiteatur de concesso sibi beneficio. Quod si faciat, non eget testimonio, si autem negat dominus homini, testificabitur homo tertius.

S. c. 5. L. c. 8.

XXII. A testimonio abjiciatur, si quis non testatur concessionem se audisse & vidisse.

S. c. 5. L. c. 8. A. c. 10. §. 2.

XXIII. Cum homo caret possessione, qui autem in bonis est possessione (6), hujus stabunt in testimonio omnes, quibus est cognitum, quod bona sint ejus beneficium.

S. c. 6. L. c. 9. §. 1.

XXIV. Pater hereditat in filium possessionem, sicut & beneficium, propter quod non eget filius, ut demandari (7) bona patris sibi faciat dominus.

S. c. 6. L. c. 9. §. 2.

XXV. Sic & homo, carens filio, hereditat in dominum possessionem beneficii, sicut & beneficium, nisi dominus concesserit alicui expectationem beneficii.

S. c. 7. L. c. 9. n. 6.

XXVI. Dominus si concedit homini bona sibi concessa, per hoc in his bonis warandia non erit ei aliena erga dominum suum, si is negat concessum sibi beneficium.

S. c. 10. L. c. 11. n. 4. A. c. 19.

XXVII. Quidam dicunt, quod expectatio beneficii nulli possit concedi absque petitione illius, qui possidet beneficium. Hoc ostendam esse falsum.

S. c. 7. & 10. L. c. 11. n. 5.

XXIIX. Homo inbeneficiatus manso vel talento, cum domino primo sit solutum per alicujus hominis sui obitum. Nonne hic inbeneficiatus homo habebit beneficium, quod solutum sit domino, cum tamen nullus locus sibi designatus sit? ergo magis jus habebit homo in beneficio sibi designato.

S. c. 7. L. c. 11. n. 5. A. c. 13.

XXIX. Si unum beneficium duo possessione carentes dicunt sibi ab uno domino esse concessum, tempus concessionis ab utroque denominetur, & prior concessio præstare judicetur.

S. c. 10. L. c. 11. n. 7. A. c. 20.

XXX. Dominus cum primo suo homini bona concessa facit demonstrari, in audientia duorum hominum suorum, statim in eis homo ipsam habet warandiam, quæ fuerat domini ante demonstrationem beneficii.

S. c. 10. L. c. 11. n. 7. A. c. 13. §. 2. c. 20. §. 2.

XXXI. Cui dominus renuit demonstrare bo-

(1) I. e. non ligatis, i. e. non feriatis. *A. d. c. 9.* Sed Sax. *d. c. 4.* ligatas & feriatas dies distinguit.

(2) An fastis ubi sc. observantur judicia, an nefastis? ubi observantur ministeria sacra. *Vide du Fresne Voce, observare.* Sax. distinguit *d. c. 4.*

(3) I. e. satisfactionem.

(4) I. e. expectativam habens, vel *gesamto Hand.*

(5) Possessione.

(6) Forte legendum: *alter* autem in bonis est *&* possessione.

(7) An demonstrari? *Vide Sax. d. c. 6.*

bona, quæ sibi concessit, homo accipiat in sua, absque demonstratione, bona quæcumque voluerit, quæ dominus soluta habuerit.

S. c. 10. *L. c.* 11. *n.* 8.

XXXII. Si autem dominus, cum homo bonis fuit inbeneficiatus, villam sibi denominavit vel locum, homo non transgrediatur illum, & homo, si per annum & sex hebdomadarum terminum hæc bona possederit dominus eas sibi non mutabit.

S. c. 11. *L. c.* 11. *n.* 9. *A. c.* 22.

XXXIII. Bona, quæ non habet homo in possessione sua, & quæ non sunt sibi demonstrata, hæc non hereditat in filium, nec sequitur ea in dominum alium, tamen in dominum alium sequitur, & hereditat in filium homo beneficia, quæ prosecutus est querimonia justa.

S. c. 11. *L. c.* 12. *n.* 1.

XXXIV. Si dominus villam vel vineam, judicium vel decimam, vel hujusmodi aliquid integrum concesserit, vel omne quod in aliquo solutum habet loco; hæc beneficia homo sequitur & hereditat, quamvis demonstratione careat.

S. c. 11. 60. *L. c.* 12. *n.* 23. *A. c.* 23. 110.

XXXV. In moneta & telonio, in vinea vel decima, vel hujusmodi aliquo si quis inbeneficiatur, illud beneficium in alium dominum sequitur, & in filium suum illud hereditat, quamvis dominus locum census in potestate habeat & in beneficio: quicquid homini in censu deficit interim, quod dominus habuerit in potestate sua census locum, restituat illi damnum. Propterea provideat sibi dominus, ne plus, quam possit reddere (vel tradere), homini in eo concesserit.

S. c. 11.

XXXVI. Si quis prius inbeneficiatus fuerit, in ipso loco beneficium suum obtineat, & beneficiatus in postero (1) dominum de restauratione moneat.

S. c. 12. *L.* 12. *n.* 4. *A. c.* 24.

XXXVII. Homo nisi manso vel dimidio sit inbeneficiatus a domino, aut, qui in loco aliquo sit, inbeneficiatus a domino, ut annuatim ab eo habeat, quod quinque solidos vel plus valeat, a testimonio potest abjici in jure beneficiali.

S. c. 13. *L. c.* 13. *n.* 1.

XXXIIX. Unam cortem (2) vel jugerum unum (3) homo solus obtineat per juramentum, si in eo sibi sit possessio, tunc non eget testimonio.

S. c. 14. *L. c.* 13. *n.* 2. *A. c.* 30.

XXXIX. Ager unus multorum potest esse dominorum, ita quod unus eum habeat ab altero, unius tamen in hoc erit possessio.

S. c. 14. *L. c.* 13. *n.* 2. 3.

XL. Si quis agri censum accipit, constat, quod in illo possessio sua sit, sive masculus sive fœmina, tamen possessio in hoc esse non judicetur, quicquid violenter possidetur.

S. c. 14. *L. c.* 13. *n.* 3. *A. c.* 31.

XLI. Bona quæ homo ab aliquo habet domino, & ab alio dicat sibi ea concessa; in bonis deficiat (4), si dominus, a quo se inbeneficiatum dicit, ea non obtinuerit.

S. c. 16. *L. c.* 14. *n.* 8. *A. c.* 34.

XLII. Nullus suscipiat secunda (5) bona ab uno domino, si (6) dominus bona resignet aut vendat, & de iis secundo inbeneficiatus fuerit, nisi per sex hebdomadas & annum warandia domino fuerit aliena (7).

S. c. 17. *L. c.* 14. *n.* 9. *A. c.* 36.

XLIII. Cujuscunque beneficia in ejus præsentia dominus alteri concedit, si hæc ille non contradicit, nil juris habeat in beneficiis.

S. c. 20. *L. c.* 15. *n.* 1. 2. *A. c.* 39.

XLIV. Si post obitum patris tam diu vivit filius, quod vox ejus auditur per quatuor angulos domus, attrahit sibi patris beneficia & alienat ea omnibus, qui secundi erant in beneficio. Filius, qui non vivit post patrem, non heredat beneficium.

S. c. 22. *L. c.* 16. *n.* 8. *A. c.* 43. §. 2.

XLV. Patris post obitum filius intra sex hebdomadas & annum pro patris beneficiis domino manibus conjunctis suum præbeat hominium, & aggrediatur illum tam prope, quod dominus manus ejus suis manibus comprehendere valeat. Si autem dominus sedeat, homo genua flectat ante illum, pro præbendo hominium.

S. c. 22. *L. c.* 16. *n.* 8. *A. c.* 43. §. 2.

XLVI. Quidam dicunt, quod etiam debeat quassare (8) manus. Nonne totum movetur corpus, quando ille suum aggreditur dominium? constat ergo, ut ibi motio sit manuum.

S. c.

(1) I. e. qui postremus investitus est. *Sax. d. c.* 11.
(2) Villam instructam. *Du Fresne.*
(3) Forte *eine Hufe. Du Fresne, voce Jugia.*
(4) I. e. feudum amittit.
(5) I. e. secunda vice.
(6) Etiamsi.
(7) I. e. nisi dominus tanto tempore possessione caruerit.
(8) Movere.

S. c. 22. *L. c.* 16. *n.* 9. *A. c.* 43. §. 3.

XLVII. Homo dum domino hominium præbet, hæc verba non omittat: Domine, inbeneficiari a vobis desidero bonis, quibus de jure debeo, pro quibus & vobis meum præbeo hominium, prima, secunda, & tertia vice, sicut de jure debeo; hujus rei testimonium pono omnes homines vestros astantes.

S. c. 22. *L. c.* 16. *n.* 9. *A. c.* 43. §. 4. 5. 6.

XLVIII. Si renuerit dominus suscipere hominium illius, homo bona absque servitio habebit, pro quibus hominium præbuit; nec unquam eget postea ab illo domino bona hæc suscipere, quamdiu hominum duorum vivum habet testimonium hujus rei, quod bona dominus sibi renuit, & in filium suum ea hereditet, & homines suos his beneficiis inbeneficiet.

S. c. 22. *L. c.* 16. *n.* 9.

XLIX. Suum enim jus homo obtinuit, quod dominus contra justitiam concedere renuit. Homo secundo non eget præbere hominium, nisi ad renovandum testimonium.

S. c. 23. *L. c.* 17. *n.* 1. *A. c.* 41.

L. Dominus nullius hominium recipere renuat, nisi illius, qui legali clypeo careat.

S. c. 23. 24. *L. c.* 17. *n.* 1. 2. 3.
A. c. 45. §. 1.

LI. Dominus omni tempore & ubique hominem debet inbeneficiare, dum homo petit beneficium secundum modum prædictum, tamen excusatum habeat dominum homo, dum super his sententias quæsierit a suis hominibus, & illi invenire renuant, non domini causa, sed secundum jus.

S. c. 24. *L. c.* 17. *n.* 4. *A. c.* 32. & 35.

LII. Si autem dominus suscipit hominium illius, illum, si vult, interrogat, quid ab eo habeat? cujus partem vel totum denominet statim, sed de quo ignorat, per noctes XIV. inducias, si velit, habeat. Quicquid tunc non denominat, in hoc ulterius ab illo domino nihil juris habeat ad ipsum.

S. c. 24. *L. c.* 17. *n.* 5. *A. c.* 46. §. 6.

LIII. Id ipsum etiam quod denominat, si dominus non confitetur, testes suorum hominum illud statim testentur; si statim non abundat testimonio ille, per quatuordecim noctes sibi dentur induciæ. Statim autem ille in testimonium suum denominet homines domini, quotquot desideret, ex quibus dominus sibi septem ducat ad induciatum diem, non quos dominus velit, sed quos homo petit.

S. c. 24. *L. c.* 17. *n.* 6.

LIV. Si quis præsens sit istorum septem, dominus ad induciatum diem illos non ducat, sed statim interroget.

S. c. 24. *L. c.* 17. *n.* 7.

LV. Si quis statim non interrogatus ex his, quos debet ducere dominus die defuerit induciato, homo testatus est cum illo. Ad diem legalem homo eligat septem, cum quibus obtineat bona vel perdat, ex denominatis omnibus, & hos, non alios, dominus interroget, inter quos si homo cum duobus in testimonio secundum jus proficit, bona obtinuit, quod si non facit, perdit; aut si ad legale judicium non veniat, etiam perdit.

S. c. 24. *L. c.* 17. *n.* 9. *A. c.* 47.

LVI. Simili modo si dominus non venerit, homo bona obtinuit. Tamen absentiam cujuslibet infirmitas excusabit, & captivitas, & regis justum servitium sententionaliter sibi præceptum, & necessitas terræ teutonicæ, si impugnatur ab externa gente, ad cujus obstaculum ipse citatus (est) per clamorem.

S. c. 25. *L. c.* 17. *n.* 12.

LVII. Prædicto modo bona sua cum hominio homo in superiorem dominum sequatur, cum dominus suus moriatur aut cum bona sua resignaverit, aut ei abjudicata fuerint intra prædictum terminum, & roget illum, ut beneficia in eum translata secundum jus sibi concedat, vel in alium dominum transmittat, a quo ea habeat cum honore tanto, sicut ea habuit a priore domino.

S. c. 25. *L. c.* 17. *n.* 12.

LVIII. Non enim licitum est, ut superior dominus in inferiorem clypeum, hominem cum suis faciat declinare beneficiis.

S. c. 25. *L. c.* 17. *n.* 13.

LIX. Quemcumque superior dominus infra annum & sex hebdomadarum terminum cum suis non facit declinare beneficiis, illi ulterius alium dominum non adjungat, sed beneficia ipsemet sibi concedat.

S. c. 25. *L. c.* 17. *n.* 14.

LX. Cum autem moritur dominus, cujus filius adhuc vivit legitimus, homo illius in filii termino beneficia non petat a superiore domino. Si filius domini terminum suum negligat, homo secundo termino non careat (1).

S. c. 25. *L. c.* 17. *n.* 14. *A. c.* 49. §. *ult.*

LXI. Quotquot enim sunt clypei, tot singulares sunt termini: cujuslibet terminus habens annum & sex hebdomadarum spatium.

S. c.

(1) Non intuitu filii, ut vult textus Saxonicus, sed, ut puto, intuitu domini superioris.

S. c. 25. L. c. 17. n. 15. A. c. 50.

LXII. Terminus hominis ab eo die inchoatur, quo is, qui debet esse suus dominus, ipsis bonis inbeneficiatur.

S. c. 25. L. c. 17. n. 15.

LXIII. Beneficium enim antequam dominus susceperit, homini quomodo illud concedere poterit?

S. c. 26. L. c. 18. n. 2. A. c. 50. §. 4. c. 52. §. 2.

LXIV. Puerorum terminus est sex hebdomarum & decimus tertius ætatis illorum annus, tamen infra adolescentiam, si egent, tutorem habere possunt.

S. c. 26. L. c. 18. n. 2. Conf. A. c. 50. §. 5.

LXV. Adolescentia a duodecimo anno incipit, & vigesimo quarto (1) desinit.

LXVI. Tutor alterius esse non poterit, qui adolescentiam non transcendit.

S. c. 26. L. c. 18. n. 6.

LXVII. Puerorum beneficiales reditus habebit dominus, quousque illi ad duodecim annos perveniant.

S. c. 26. L. c. 18. n. 6.

LXVIII. Infra puerilem terminum pueri se in nullo negligunt.

S. c. 26. L. c. 18. n. 7. A. c. 51. §. 2.

LXIX. Si dominus credere nolit, quod puer duodecim annorum sit, hoc juramento affirmabit illius mundibardius (2); postea non est licitum domino pueri accipere censum (3) quantumcunque sit juvenis.

S. c. 26. 58. L. c. 19. n. 2. A. c. 49. §. 1. c. 52. §. 3. 106.

LXX. Filius post obitum patris, si domino ad inbeneficiandum producitur, at non inbeneficietur (4).

S. c. 26. L. c. 19. §. 2. A. c. 52. §. 3. c. 53. 54.

LXXI. Si tutor illius pro eo secundum beneficiale jus beneficia a domino petit & fidejussorem ponit, si plures sint filii, quod dominum jure beneficiali non impetrent (5) pro hoc beneficio accepto ab illo solo (6). Quamvis puer infra puerilem inbeneficiatur ætatem, statim cum beneficia susceperit, anniversarius (7) hominum suorum incipit, infra quem beneficia sua suscipiant a puero, serviant autem superiori domino.

S. c. 26. 27. L. c. 20. n. 1. & c. 21. n. 2. A. c. 55. 58.

LXXII. Si dominus superior non concesserit puero jus suum, quod anvelle (8) dicitur, in beneficio, quod nullus habebit in beneficio, excepto tutore pueri vel puero. Homo, habens filium, si moriatur infra suum beneficialem terminum, cum adhuc beneficia non susceperit, filius beneficio non carebit. Item si alicujus domini filius infra terminum sui hominis moritur, homo beneficio non abjudicetur.

S. c. 28. L. c. 21. n. 4. A. c. 58. §. 3.

LXXIII. Domino non est licitum hominis separare beneficium, nisi quod a plurimis habuerit dominis.

S. c. 28. L. c. 21. n. 5. A. c. 58. §. 3.

LXXIV. Si autem contra justitiam separatur, minor pars majorem sequatur.

S. c. 29. L. c. 21. n. 6. A. c. 58. §. 4. 5.

LXXV. Non etiam nisi ab uno domini filio beneficium suum suscipiat homo, quamvis pluribus sit concessum. E converso dominus tantummodo (9) hominis inbeneficiabit filium.

S. c. 29. L. c. 21. n. 9. 10. A. c. 60.

LXXVI. Cum homo mortuus fuerit infra terminum filiorum; in arbitrio sit eorum, quis inbeneficietur a domino. Unanimiter vero si unum non transmiserunt ad dominum, dominus inbeneficiet, quem illorum velit, qui beneficium intra suum terminum secundum jus petierit. Si secundum libitum, & non secundum jus, inbeneficiat dominus unum ex filiis, nil noceat aliis.

S. c. 29. L. c. 21. n. 11. A. c. 60. §. 4.

LXXVII. Si quis filiorum suum negligat terminum, ab illo sit dominus solutus ulterius.

S. c. 29. L. c. 21. n. 12. A. c. 61.

LXXVIII. Si filius, qui ad annos suos pervenerit, beneficia secundum jus petit, habens fratres infra annos pueriles, dominus sibi concedat, si prius fidejussorem habeat (*dederit*) ne fratres sui jure beneficiali eum pro hoc beneficio impetrant, cum ad annos eorum pervenerint.

S. c. 29. L. c. 21. n. 12. A. c. 61. §. 3.

LXXIX. Dominus eget habere fidejussorem,

---

(1) In textu utroque, & Saxonico & Alemannico est vigesimus *primus* annus.

(2) I. e. tutor.

(3) I. e. reditus secundum *art. 67.*

(4) Sensus ostendit, articulum hunc connectendum cum versic. primo art. sequentis. *Vid. cap. 26. J. F. S.*

(5) Forte *impetent*, ut infra §. 78.

(6) Sensum hujus versiculi cum artic. præcedente docebit *Sax. d. c. 26.*

(7) I. e. tempus unius anni & sex septimanarum.

(8) *Gloss. lat. ad Sax. d. c. 26. litt. p. r. & germanica n. 17. Schilt. ad jus Alem. c. 55. p. 296.*

(9) Adde: *unum*, ut contextus ostendit.

rem, quod puer infra puerilem ætatem se non negligat, & dominus non respondebit nisi uni filio pro patris beneficio.

S. c. 30. *L. c.* 22. *n.* 1. *A. c.* 62.

LXXX. Si quis voluerit domino suo bona alienare, vel filio, vel alii alicui, qui de jure post mortem ea debet habere, si ea concedit aut resignat: nihil illi in hoc proficiet (1), si in warandia ea obtinuerit usque in infirmitatem, de qua evadit.

S. c. 30. *L. c.* 22. *n.* 2. *A. c.* 63.

LXXXI. Propterea nullus abjudicetur beneficio, si cæcus est, vel aliquo careat membro, nec pro infirmitate aliqua, nisi pro lepra. Leprosus enim nec beneficia habebit, nec concedere poterit, postquam manifesta in eo fuerit lepra.

LXXXII. Dominus autem ejus nisi eo vivente eum privet beneficiali jure coram suis hominibus inbeneficiatis, ab eo beneficiale non deest jus.

S. c. 32. *L. c.* 23. *n.* 1. *A. c.* 65.

LXXXIII. Plures possunt uno inbeneficiari beneficio, ita ut simul illud suscipiant, & æquale jus in hoc habeant, quamdiu simul manserint.

S. c. 32. *L. c.* 23. *n.* 1. 2. 3. *A. c.* 65. §. 2. 3. 4.

LXXXIV. Si autem voluerint ab invicem separari absque licentia domini, dividant inter se secundum libitum totaliter concessum beneficium. Sed postea illorum nullus in parte alterius aliquod jus habebit, cum alter obierit, nisi susceperit a domino expectationem in beneficio. Postquam aliqui fuerunt beneficio prædicto modo inbeneficiati, nullus istorum singulariter alicui potest inde aliquid concedere, quamdiu illud non diviserunt inter se.

S. c. 32. *L. c.* 23. *n.* 3. 4. *A. c.* 63. §. 5.

LXXXV. Dominus homini partem beneficii quomodo concedere poterit, cujus partem singulariter non susceperit? non tamen idem dominus, a quo ille est inbeneficiatus, beneficium sibi auferat de jure, sed ille, cui est cum domino commune. Si plures uno inbeneficiati beneficio, & non separati fuerint, domino mortuo non nisi unus illud sequatur in alium dominum.

S. c. 33. *L. c.* 23. *n.* 5. *A. c.* 66.

LXXXVI. Quicquid secundum libitum alicui dominus concedit homini, de quo warandius suus esse non poterit, concessum restaurabit.

S. c. 33. *L. c.* 23. *n.* 5. *A. c.* 66. §. 2.

LXXXVII. Quicquid autem dominus compellitur concedere secundum beneficiale jus, hoc non restaurabit homini, si deficit in warandia hujus beneficii.

LXXXIIX. Qui secularem habitum in spiritualem mutat, beneficium non hereditet, & beneficii expectatio sit expectantibus desolatio.

S. c. 35. *L. c.* 24. *n.* 2. 3. *A. c.* 68. §. 1.

LXXXIX. Si patris beneficio filii, patre vivente, cum patre fuerint inbeneficiati, & pater solus illud in possessione obtinuerit, usque in infirmitatem, de qua non resurgit: patris post obitum, infra sex hebdomadas & annum ad dominum veniant, & ut fateatur, petant, concessum eis beneficium. Quod si negat dominus, præbeant adhibere testimonium: quod tunc dominus abjicere poterit, cum possessio illis desit; propterea suadeo, ut hominium præbendo (offerendo) filii paternum sequantur beneficium. (2)

S. c. 35. *L. c.* 24. *n.* 4. *A. c.* 68. §. 2.

XC. Ubi autem possessio in beneficio fuit communis & æqualis filiorum & patris, filii beneficium obtineant, si beneficiale testimonium adhibeant infra sex hebdomadas & annum, patris post obitum.

S. c. 37. *L. c.* 24. *n.* 6.

XCI. Pater si resignat filio aliqua beneficia a domino, hereditali (3) jure filius non habebit hæc beneficia, quia in eum non sunt hereditata.

S. c. 37. *L. c.* 24. *n.* 6. *A. c.* 69. 70.

XCII. Similiter qui resignat beneficium domino (4) & post hoc iterum ipso beneficio inbeneficiatus fuerit, heditarium jus in hoc perdidit.

S. c. 37. *L. c.* 24. *n.* 7. *A. c.* 71.

XCIII. Si quis warandiam justam in bonis habuerit, majori jure obtinebit bona, quam ille qui caret possessione, si ea potest testari jure beneficiali.

S. c. 39. *L. c.* 24. *n.* 11. *A. c.* 72. §. 2.

XCIV. Nullus a possessione ejiciatur, nisi possessio ab eo vincatur.

S. c. 39. *L. c.* 24. *n.* 12. *A. c.* 75.

XCV. Possessio devicta est ab homine, cum in beneficiali jure bona sibi sunt abjudicata, aut cum domino resignat ea; tamen infra sex hebdomadas & annum per juramen-

(1) Forte *officiet*, ut *S.* & *A. dd. ll.*
(2) *Supra* §. 45. *seqq.*
(3) I. e. *allodiali*, non, ut Saxo, *jure feudi hereditarii*, nisi voce *Erbleben* intelligatur *feudum paternum*. Sed malo tamen retinere *allodiale*.
(4) I. e. qui hereditatem suam resignat domino in beneficium.

meritum negare poterit, quod bona resignaverit, nisi dominus statim concesserit ea alteri, in ejus præsentia.

S. c. 39. 55. L. c. 24. n. 17. A. c. 76. 98.

XCVI. In pluribus causis dominum homo vincere potest testimonio, quam domino licitum sit vincere illum.

S. c. 40. L. c. 24. n. 18. A. c. 76. §. 2.

XCVII. Quilibet idoneus possessionis potest esse testis, cui est mansio in prima villa, vel in circumjacentibus proxima.

S. c. 40. L. c. 24. n. 18. A. c. 76. §. 2.

XCVIII. Septimo testimonio probatur quælibet possessio. Si autem discordantes duo possessionem in beneficio debent probare testibus, quorum neuter ab altero sit inbeneficiatus, amborum audiatur testimonium, & inquirantur homines in eadem villa manentes, & in circumjacente qualibet proxima. Cujus autem possessionis major turba sit testis, hujus sit possessio; hinc testimonium terminabitur in ipso loco, in quo bona sunt sita, de quibus est discordia, quod & dominus audiat vel duos homines suos auditores eo mittat.

S. c. 40. L. c. 24. n. 18. A. c. 77. §. 1.

XCIX. Cujus autem possessionis discordia non potest terminari justitia, propter discordantiam aut ignorantiam, uterque per juramentum locum demonstrabit, quem suum esse dicit.

S. c. 40. L. c. 24. n. 19. A. c. 77. §. 2.

C. Quem autem uterque per juramentum suum esse affirmat, inter eos dividatur, aut veritas reperiatur de hoc per aquaticum Dei judicium. Tamen judicium Dei non est licitum adhiberi per ullam causam, nisi cujus veritas per justitiam non potest aliter reperiri, hoc terminabitur judicio Dei.

S. c. 41. L. c. 24. n. 20. A. c. 78.

CI. Si & dominus & homo possessionem sibi dicent in beneficio, in possessione testimonium præcedat hominis.

S. c. 41. L. c. 24. n. 20. A. c. 78.

CII. Domini enim non negat beneficium esse, cum se ab illo dicit inbeneficiatum.

S. c. 42. L. c. 24. n. 21. A. c. 79. §. 1.

CIII. Dominus si concessum beneficium negaverit, & homo warandiam in hoc testatus fuerit, quod possederit per septem hebdomadas & annum, post suscipiendi illum terminum, homo juramento solus obtineat beneficium, quod dominus negat. Tamen testimonium abjicit justa contradictio, si probata fuerit.

S. c. 42. L. c. 24. n. 21. A. c. 79. §. 2.

CIV. Dominus si dixerit, quod homo terminum neglexerit suscipiendi beneficium, homo negare poterit, probando innocentiam.

S. c. 42. L. c. 24. n. 21.

CV. Si autem dominus diem obitus septem hominibus suis intimaverit quanto jus (1) potuerit, & his invocatis in fine filiorum termini dominus potest testificari, quod si (2) suum neglexerint terminum.

CVI. Merito abjudicabitur omne jus in beneficio postea septimum hujus testimonium filiorum juramentum non admittit, cum dominus sic egerit ipso modo faciat dominus cum homini abjudicaverit jure beneficiali, si ille ea in suo termino non excusaverit juramento.

S. c. 46. 55. L. c. 24. n. 21. f. & c. 25. n. 1. A. c. 86. 98. 116. §. 15.

CVII. Septem hominum suorum testimonio dominus eget, ut hominem beneficio privet. In tribus tantummodo causis dominus hominem convincit duobus testibus potius, quam ut incusationem domini homo evadat juramento.

S. c. 46. L. c. 25. n. 1. A. c. 86.

CVIII. Quicquid dominus acquirit in homine beneficiali jure, aut homo ibi promiserit, illo dominus eum vincere poterit. Regis etiam justum servitium homini sententialiter præceptum, & hoc si sibi intimatum negat esse, dominus eum testibus vincat. Non tamen servitium regis præcipiat homini, antequam sententialiter præceptum sit sibi.

S. c. 46. L. c. 25. n. 2. A. c. 86. §. 3.

CIX. Item si dominus beneficiali ejus juri hominem jubeat sententialiter interesse, in ejus audientia, hoc duobus ex justitia testibus probat, si homo negaverit.

S. c. 46. L. c. 26. n. 1. A. c. 87.

CX. Si homo duos vel tres habet dominos, si quis prius inter eos sibi regis servitium denunciet, illi homo serviet, & expeditionis auxilium aliis det, si quod habeat ab eis beneficium.

S. c. 47. L. c. 26. n. 2.

CXI. Si non in domini sui filium, sed in alienum dominum homo sequitur sua beneficia, hic dominus, si non confitetur ea, cum hominibus prioris domini debet ea testificari, quos dominus in nullo gravabit, sed per votum prioris domini interrogabit. Te-

(1) Lego, *quantocius*.

(2) Lego *sic*.

Teſtem nullum dominus adducat ex debito, niſi etiam inbeneficiatus ſit ab eo.

S. c. 47. L. c. 26. n. 2.

CXII. Quicunque dominus deficit in hominibus, ſuperioris domini homines in loco hominum illius fiunt teſtes.

S. c. 48. L. c. 26. n. 3. 4. A. c. 89.

CXIII. Si dominus alius beneficium ſui hominis ſuo reſignat domino, vel ſi alter inbeneficiatus, ille homo infra ſuum terminum ſequatur beneficium. Tunc terminus hominis illo die inchoatur, cum a domino ſuo ſibi intimatur in audientia duorum hominum ſuorum, quod reſignaverit ejus beneficium; aut cum ſuperior dominus; aut inbeneficiatus alter, alterius bona ſibi attraxerit ſententialiter & præceperit agricolis, ne de his bonis cenſum dent alicui, niſi ſibi ſoli, nec ulli ſerviant aliquid, quamdiu non attraxerit ſententialiter ſibi, hæc bona in ejus præſentia.

S. c. 49. L. c. 27. n. 1.

CXIV. Si dominus ea reſignaſſe negat, homo roget in præſentia hominum ſuorum. Coram ſuperiore domino, excuſet ea in ejus præſentia, & ut eorum warandus ſit.

L. c. 27. n. 1. f.

CXV. Quod ſi dominus non fecerit, in alium dominum beneficium ſuum prædicto modo ſequitur, in quem a ſuperiore domino tranſmittatur.

S. c. 49. L. c. 27. n. 2. A. c. 90.

CXVI. Si dominus homini bona ſua accipit contra juſtitiam, aut injuſte renuit hominem inbeneficiare, aut ſi non vult warandus ejus eſſe in beneficio, quod habet ab eo, homo conqueratur ſuperiori domino, qui in audientia duorum hominum ſuorum per nuncium ſuum illi præcipiat, ut conquerenti faciat juſtitiam, ut de jure ſibi tenetur facere; quod ſi non facit, dominus ſuperior bona ſibi concedat, ſit & eorum illi, in loco prioris domini, warandus.

S. c. 49. L. c. 27. n. 3. A. c. 91.

CXVII. Si dominus duobus vel tribus concedit expectationem in beneficio, & non in loco deſignato, qui primo inbeneficiatus fuerit, prius ſolutum beneficium habebit, infra terminum hominum ſuſcipiendi beneficium.

S. c. 50. L. c. 27. §. 4. A. c. 92.

CXIIX. Dominus ſi patriam exeat, hominibus non noceat. Sed terminus hominis ab illo die incipit, cum dominus redierit. Non tamen pro hominis abſentia, ſi infra terminum ſuum exierit patriam, prolongatur ejus terminus, niſi patriæ refuerit prius (1).

S. c. 50. L. c. 27. §. 5.

CXIX. Sicut terminum ſuum prolongat homo, hominium præbendo: ita dominus eum abbreviat, cum homini beneficium præbeat.

S. c. 50. L. c. 27. §. 6. A. c. 92. §. 5.

CXX. Item ſi occultatus dominus afferatur infra terminum hominem ſuſcipiendo beneficia, ubi debet ſuſcipere ex juſtitia, non nocet homini, ſi ſuper hoc abundat teſtibus. Tamen dominum quærat homo in ejus habitaculo, præbendo hominium, & ſic extrahat inde in eorum præſentia beneficia ſibi abjudicata.

S. c. 52. L. c. 28. n. 3. A. c. 94.

CXXI. Bona quæ homo ab aliquo dicit ſe habere domino, in quibus ſi ſibi deſit warandia, & dominus ſibi non confiteatur ea, & aliud beneficium a domino non habuerit, quam ipſum, pro quo dominium (2) impetit, & hoc ſi obtinere vult ſecundum jus, fidejuſſorem ab homine accipiat dominus, antequam legalem illi determinet diem ſui vadii (3), & de ſatisfactione ſuorum hominum (4), ſi ab ea ſententia arguantur. Illorum fidejuſſorem autem non ponet homo, ſi poſſeſſionem habeat in beneficio.

S. c. 52. L. c. 28. §. 4. A. c. 95.

CXXII. Si dominus alicui concedit bona alterius ſui hominis, & ſi illorum illius fuerit warandus, digito & lingua beneficii tamen warandia non abjudicetur ideo priori inbeneficiato, niſi beneficiale jus probare poſſit dominus cauſam, per quam, ex juſtitia, beneficii ſibi ſit warandia.

S. c. 53. L. c. 28. n. 5. A. c. 95.

CXXIII. Nulli etiam dominus beneficii warandiam concedere poterit, quam non ſolutam habuerit.

S. c. 54. L. c. 28. n. 6. A. c. 96.

CXXIV. Dominus ſi per hominium ſuum humiliat clypeum, omnes ab eo inbeneficiati beneficia ſua ſuſcipiant a domino ſuperiore, aut ab eo in alium tranſmittantur dominum, a quo ea habeant cum tanto honore, ſicut habuerunt a domino priore.

S. c. 54. L. c. 28. n. 6. A. c. 96. §. 2.

CXXV. Similiter homo faciat, cum dominus in inferiorem a ſuperiore domino tranſit, cum hominis beneficio majore jure fruatur ille, cujus expectationis locus deſignatur,

(1) I. e. niſi prius in patriam redierit. Hanc limitationem explicat *A. c. 92. §. 3. 4.*

(2) Lego *dominum*.

(3) Suæ mulctæ, *Wette. Conf. du Freſne hac voce*.

(4) De emenda, *Buſſe*.

tur, quam cujus expectatio loco caret designato.

S. c. 54. *L. c.* 28. *n.* 6. *A. c.* 96.

CXXVI. Dominus si clypeum suum humiliat hominio, omnium hominum suorum carebit beneficio, si illi ad superiorem dominum venerint petendo beneficium.

S. c. 55. 62. *L. c.* 32. *n.* 1, *A. c.* 97. 112.

CXXVII. Beneficialem warandiam dispensator non potest exequi in alio beneficio infra officium, ab illo domino, cujus procurator existit, quia dominus commisit tantum in ejus providentiam bona sua.

S. c. 55. *L. c.* 29. *n.* 4. *A. c.* 109.

CXXVIII. Dispensator itaque hujusmodi beneficium testatur per visum, & audientiam hominum, & non sequatur hoc in alium dominum, nec in filium id hereditet, nisi relicto officio bona obtineat.

S. c. 61. *L. c.* 31. *n.* 14. *A. c.* 111.

CXXIX. Judicandi beneficium habere non est licitum clerico vel mulieri, nec viro in jure deficienti (1).

S. c. 63. *L. c.* 32. *n.* 2. *A. c.* 113.

CXXX. Quicquid homo non suscipit per hominium, non judicetur esse beneficium; sicut cum bona concedit dominus suis ministerialibus non per hominium, sed secundum jus curiæ. Hæc concessio caret beneficiali jure, sed est concessio officialis, quivis etiam ministerialis natione erit ex justitia dapifer aut secretarius (2), aut camerarius, aut marschalcus.

S. c. 63. *L. c.* 32. *n.* 2. *A. c.* 113. §. 4.

CXXXI. Ordinem juris istius scilicet curialis, propter diversitatem ejus non describam, sub quolibet enim episcopo & abbate & abbatissa ministeriales jus habent singulare.

S. c. 64. *L. c.* 32. *n.* 3. *A. c.* 114.

CXXXII. Homo quodlibet beneficium sequatur per hominium, quamvis homo prius domini fuerit. Quousque dominus fateatur, quod ille homo suus sit, homo juramento obtineat hominium, quod dominus negat.

S. c. 65. *L. c.* 32. *n.* 4. 5. *A. c.* 114. §. 2. 3.

CXXXIII. Pro qualibet incusatione dominus placitare secundum beneficiale jus cum homine suo poterit, si culpa vadio digna sit, ante meridiem & diebus (3) beneficialem incipient placitationem (4), nisi in cœmiteriis & ecclesiis.

DE ORDINE PLACITATIONIS.

§. I.

S. c. 65. *L. c.* 32. *n.* 6. *A. c.* 114. §. 4.

OMissis his locis audiamus placitationis ordinem. Dominus interroget unum suum hominem in præsentia duorum hominum suorum, si sit ei licitum cum homine suo pro sua accusatione beneficialiter placitare? & infra quod tempus & ad quem locum prosequi debeat illum?

S. c. 65. *L. c.* 32. *n.* 6. *A. c.* 114.

II. Sententia placitationem licentiet (5) dominus si per quatuordecim dies citet, ab ipso die vel a proximis sex diebus, hominem ad beneficiale jus in denominatam villam vel curiam, quæ vel soluta sit domino, vel aliquis eam habeat ab ipso.

S. c. 65. *L. c.* 32 *n.* 6. *A. c.* 114.

III. Homo si dominum interrogaverit, in quo loco villa sit sita? dominus tenetur illum expedire de hoc, si multæ sunt villæ unius nominis, quas tamen longinqui loci separat distantia.

S. c. 65. *L. c.* 32. *n.* 7. *A. c.* 114. §. 6.

IV. Homo si imperiali beneficio sit inbeneficiatus a domino, in beneficiis imperialibus prosequatur illum dominus.

S. c. 65. *L. c.* 32. *n.* 8. *A. c.* 114. §. 6.

V. Si proprietatem alicujus aliquis in beneficio habuerit, & dominus alter ab eo ipsa proprietate inbeneficiatur, dominus hunc hominem in quolibet beneficio suo prosequatur, nisi tantummodo in beneficio urbano.

S. c. 65. *L. c.* 32. *n.* 8. *A. c.* 115. §. 1.

VI. Cum prædicto modo homini incusato dominus beneficialiter diem determinet, hominibus suis præcipiat sententialiter, ut ejus beneficiali juri intersint. Quod qui non fecerit, domino vadiabit.

S. c. 65. *L. c.* 32. *n.* 9. *A. c.* 115. §. 6.

VII. Similiter homo incusatus fiet, si dominus sibi sententialiter determinat diem beneficialem in ejus præsentia, absque contradictione justa, & is in termino non comparet.

S. c. 65. *L. c.* 32. *n.* 9. *A. c.* 115. §. 7.

IIX. Beneficium hominis pro vadimonio fidejubebit domino; non tamen tenetur homo vadium pro domino supra censum tolerare, quem sibi tenetur dare.

(1) I. e. *infami*.
(2) Lego *Butellarius*, i. e. *Pincerna*.
(3) Supple: *absolutis*. *Vide supra* S. 16.
(4) Supple: *in omnibus locis*.
(5) I. e. *sententia diem dicet*.

S. c. 65. L. c. 32. n. 9. A. c. 115. §. 7.

IX. Ubi autem per bonorum censum dominus suum nequit extorquere vadium, in sua (1) dominus beneficium accipiat. Quod si acquisitum vadium infra sex hebdomadas & annum non redimat homo, abjudicabitur beneficio.

S. c. 65. L. c. 32. n. 10. A. c. 116.

X. Si homo domini incusationem aut beneficialem sibi positum diem audire nolit, cum tamen domino adeo vicinus sit, quod possit audire, per hoc vadium non evadet ille.

S. c. 65. L. c. 32. n. 10. A. c. 116. §. 2.

XI. Si autem homo præsens non sit, cum dominus beneficialem diem sibi ponit, dominus per nuncium intimet illum in duorum hominum suorum audientia, ipsimet, vel in ejus curia, in qua habitationis suæ introitus discernatur (*spectatur*) & exitus (2).

S. c. 65. L. c. 32. n. 10. A. c. 116. §. 2. 3.

XII. Si autem homini curia desit, in alio beneficio, quo est inbeneficiatus a domino, intimet dominus hunc diem, quatuordecim diebus ante diem legalem, ad quam dominus veniat & ad minus adducat sex homines, & nuncium, qui citet incusatum.

S. c. 65. L. c. 32. n. 11. 12. A. c. 116. §. 4. 5.

XIII. Primo quærat dominus: si tempus placitandi sit? &, post quamlibet datam sententiam dominus homines suos quærat, si exequantur illam, per quatuordecim noctes habeant inducias homines domini, si nesciant invenire sententias, tunc addat juramentum quilibet interrogatus post alium.

S. c. 65. L. c. 32. n. 12. A. c. 116. §. 5.

XIV. Beneficiale autem jus differatur, quousque sententia inveniatur.

S. c. 65. L. c. 32. n. 15. 17. 18. A. c. 116. §. 10.

XV. Ab ortu solis usque ad descensum placitationes est inchoare licitum. Quod dum sententia licentiat, dominus quærat, quis ex justitia debeat citare illum; hic (3) in audientia duorum hominum, domini homo faciat, vel domini nuncius in fine curiæ, ubi dominus placitat, sic dicendo: incusatum cito N. in præsentia domini propter culpam impositam sibi, prima & secunda & tertia vice, sicut debeo de jure.

S. c. 65. L. c. 32. n. 18. A. c. 116. §. 10.

XVI. Qui si desit, nuncius redeat ad dominum dicens: non vidi incusatum, nec aliquem ex parte ejus, qui ejus excusaret absentiam per justitiam.

S. c. 65. L. c. 32. n. 18. A. c. 116. §. 10.

XVII. Id ipsum dum confitentur nuncii, dominus quærat, quid supra hoc faciendum sit? Eique secunda citatio fieri judicetur, & similiter tertia, priori ordine. Qui dum tertio citatus desit, dominus quærat, quid faciendum sit sibi? cui judicatur, quod expectare debeat usque ad solis descensum.

S. c. 65. L. c. 32. n. 18. A. c. 116. §. 10.

XIIX. Si incusatus adhuc desit, cum sol descendit, dominus quærat, si expectaverit illum secundum quod justum est? quod dum sententia firmat, dominus sententialiter ponat diem alteri, in quo prosequatur illum, sicut fecit in primo, sic faciat secundo & tertio.

S. c. 65. L. c. 32. n. 18. A. c. 116. §. 10.

XIX. Si quem istorum dierum non observaverit dominus ordine & modo prædicto, ad nihil habeatur ejus prosecutio. Dies tantummodo primus incusato ipsi prædicto modo erit intimandus.

S. c. 65. L. c. 32. n. 19. 20. A. c. 116. §. 12.

XX. Non in clausa curia, nec sub tecto licitum erit placitare domino. Cum ad diem tertium expectaverit dominus incusatum, usque dum sol descendat, quid ultra sibi faciendum sit, quærat.

S. c. 65. L. c. 32. n. 20. A. c. 116. §. 13.

XXI. Tunc judicet sententia, quod dominus testari debeat tria sua placita; primum cum duobus suis hominibus, horum testimonium sonet in hunc modum: per votum mei præsentis domini affirmo, quod audivi & vidi, quod dominus in primo placito & designato loco incusatum expectavit beneficialiter ut debuit, & prosecutus est eum justis sententiis, hujus rei testis sum.

S. c. 65. L. c. 32. n. 20. A. c. 116. §. 13.

XXII. Post cujuslibet testis verbum, dominus quærat, si suum testimonium profecerit (4) cum illo, sic ut debet ex debito (*de jure*).

S. c. 65. L. c. 32. n. 20. A. c. 116. §. 14.

XXIII. Si quis per votum domini semel testetur, secundo non interrogetur.

S. c.

(1) Supple: *manu*.
(2) I. e. *ubi habitare vel introire & exire solet*.
(3) Lego *hoc*.
(4) I. e. *perfecerit*.

S. c. 65. L. c. 32. n. 20. A. c. 116. §. 14.

XXIV. Dominus quotquot velit homines suos inquirat, quousque testimonium suum perficiat.

S. c. 65.

XXV. Prædicto modo dominus placitum secundum probabit, & tertium, sed ad quodlibet placitum singulares habeat testes.

S. c. 65. L. c. 32. n. 20. A. c. 116. §. 16.

XXVI. Cum sic probaverit dominus tria sua placita, quærat sententiam super incusati absentiam.

S. c. 65. L. c. 32. n. 20. A. c. 116. §. 17.

XXVII. Tunc judicet sententia, quod abjudicari debeant incusato. Tunc quærat, dominus suus debeat facere, an alius. Sententia autem doceat, ut hoc unus hominum domini faciat, hæc verba dicendo: Sic abjudico beneficia incusato, quibus usque modo inbeneficiatus fuerit a domino meo.

S. c. 65. L. c. 32. n. 20. A. c. 116. §. 19.

XXIIX. Tunc dominus finaliter hæc bona in duorum hominum suorum audientia attrahat sibi per nuncium & retineat ea per sex hebdomadas & annum absque redditibus, expectans, si homo extrahat ea secundum jus. Infra quem terminum si incusatus non extraxerit beneficium, abjudicetur & (1) prædicto modo omne jus in beneficio.

S. c. 65. L. c. 32. n. 20.

XXIX. Dominus sibi attrahat singulariter beneficia in quolibet loco & villa, ubi autem plures villæ attinent uni curiæ, curiam pro villis omnibus attrahat sibi dominus.

S. c. 66. L. c. 32. n. 21. A. c. 116. §. 20.

XXX. Si autem incusatus infra suum terminum aggreditur dominum ad excusandum sua, secundum jus, beneficia; si se absconderit dominus, aut in urbe fuerit servatus, ne homo beneficia sua excuset, & (2) homo si super hoc testibus abundat, coram hominibus domini beneficium extrahat, sicut coram domino debebat.

S. c. 66. L. c. 32. n. 21. A. c. 116. §. 21.

XXXI. Si autem homo in præsentiam domini veniat, primo prolocutionem (3) petat, deinde reliquias (4), ut sua excuset beneficia, quas si dominus dare renuat, homo suasmet reliquias adducat, super quas juret, quod sua beneficia non sint sibi taliter abjudicata, ut eorum de jure debeat carere. Homo tamen hoc non faciat, nisi dominus justitiam sibi renuat.

S. c. 66. L. c. 32. n. 21. A. c. 116. §. 22.

XXXII. Tunc dominus, si velit, beneficialem intimet diem sententialiter illi ad respondendum suæ excusationi. Ad quem si non venerit incusatus, abjudicetur ei in beneficia omne jus; nisi ex causa necessaria sit ejus excusatio, aut in ipsius domini sit servitio.

S. c. 67. L. c. 33. n. 2. A. c. 117. §. 1.

XXXIII. In die qua homo strepe (5) tenet domino, aut sententiam invenit, aut aliquo sibi servit, & etiam dominus justitiam renuerit, cum ab homine incusatus fuerit, & quamdiu aliquid perdiderit in ejus servitio, de quo sibi desit restauratio, beneficiali juri non obstabit (6) domini.

S. c. 67. L. c. 33. n. 3. A. c. 117. §. 2.

XXXIV. Attamen domino terminare licitum est querimoniam unius hominis sui in aliquo beneficiorum, quamvis sit in ejus servitio, vel unus eorum vel ambo.

S. c. 68. L. c. 33. n. 4. 5. A. c. 117. §. 3. 4.

XXXV. Homo cum venerit ad beneficialem determinatum diem in curiam, in qua dominus placitat, neminem introducat, nisi domini sit homo. Quod enim si faciat, domino pro quolibet vadiabit, aut introduxisse se eos juramento expurgabit. Antequam etiam in præsentia domini veniat, gladium, cultellum & calcaria deponet, chirothecas exuat, & omni careat ferro. Pallium exutum pendeat in humero aut omnino deponatur.

S. c. 68. L. c. 33. n. 5. A. c. 117. §. 4.

XXXVI. Caput nullo tegatur (7), cappa (8) non sit indutus, nec thorace, nec armis aliquibus.

S. c. 68. L. c. 33. n. 5. A. c. 117. §. 4.

XXXVII. Si in aliquo istorum homo se neglexerit, domino vadiabit.

S. c. 68. L. c. 33. n. 5. A. c. 118.

XXXIIIX. Id non dico de alio, nisi qui incusatus est a domino, & per domini incusationem citatus est ad jus beneficiale.

S. c. 68. L. c. 33. n. 7. A. c. 119. §. 1. 2. 3.

XXXIX. Cum dominus placitum suum inchoaverit secundum prædictum modum, unum ex suis hominibus accipiat dominus, qui verbum suum loquatur ad incusatum. Cum incusatus primo in præsentiam domini venerit, dominus illum interrogabit, si venerit taliter, ut respondere velit sibi beneficialiter, pro quo ille, si velit, colloquium petat, & si possit renuere, renuat. Quod si facere nequeat, ad dominum redeat, dicens: Dominus huc veni respondere, in quantum debeo de jure.

(1) Lego *ei*.
(2) Delendum videtur *&*, aut loco ejus intelligendum *tunc*.
(3) Advocatum.
(4) Sanctorum, super quibus juret.
(5) Stapiam.
(6) H. e. non obstrictus est stare in judicio feudali.
(7) Supple, *pileo*.
(8) An *vestimenti* genus hic intelligitur, an *mitra*? Confer *du Fresne hac voce*.

S. c. 68. L. c. 33. n. 7. A. c. 119. §. 3.

XL. Tunc dominus ex justitia singulariter pro qualibet causa incusabit illum, & præcipiat, ut super hoc responsum det. Tunc incusatus prolocutorem petat, & ipse roget licentiam colloquendi, antequam exeat.

S. c. 68. L. c. 33. n. 8. A. c. 119. §. 4.

XLI. Prolocutore careat, si quis in prima accusatione ipsemet respondeat.

S. c. 68. L. c. 33. n. 9. 10. A. c. 38.

XLII. In omni sermone homo inquiratur si in verbum prolocutoris sui profiteatur (1). Hominem prolocutoris sui negligentia non damnabit, quamdiu in verbum illius confessus non fuerit. Inter differentem sermonem duorum dominus quærat, quid justum sit.

S. c. 68. L. c. 33. n. 11. 12. 13.

XLIII. Si secundum libitum non secundum jus quærat, hominem sententia non lædat; prior petita primo procedat sententia. Beneficiali jure ut aster, renuere poterit homo, quamdiu incusatus non respondit. Palam coram domino non loquatur, cum procuratore suo, sed interrogatus a domino respondeat: Est, non, vel colloquium peto. Habet etiam licentiam, ut sententia ab eo injusta arguatur.

S. c. 68. L. c. 33. n. 14.

XLIV. Homo incusatori suo referat (2), quoties (3) colloquium exeat.

S. c. 69. L. c. 23. n. 17. A. c. 123.

XLV. Homo vadiabit domino, pro omni incusatione, quæ digna est vadio, nisi quam juramento negaverit.

S. c. 69. L. c. 33. n. 18. A. c. 123.

XLVI. Tum interdum dominus proponit incusationes, quæ non sunt vadio dignæ, sicut tropiloquia (4), quia si in opprobrium domini locutus non fuerit homo & hoc audet juramento affirmare, domino super hoc non tenetur vadiare.

S. c. 69. L. c. 33. n. 18. A. c. 123.

XLVII. Pro omni causa homo vadiabit domino, per quam opprobrium ei intulerit aut damnum, aut si aliquid loquitur vel egerit in beneficiali jure super id quod debuit (5).

S. c. 69. L. c. 33. n. 19. A. c. 121. §. 1.

XLVIII. Si aliquis ademit homini bona sui domini, & illum is justa non prosequitur querimonia, vel non intimaverit suo domino, hæc causa est vadio.

S. c. 69. L. c. 33. n. 20.

XLIX. Et si quis exponit (6) sua beneficia absque domini licentia, dominus illi sententialiter præcipiat, ut ea infra sex hebdomadas redimat, quod si non fecerit, domino suo vadiabitur.

S. c. 69. L. c. 33. n. 21. 22.

L. Si homo injuriatur homini, qui fuerit in domini servitio, in bonis domini sui, aut aliquid læserit facto vel verbo, vel si injuriatur hominibus, bona domini ab eo habentibus, aut natis ad bona, & si læsus querimonia justa actorem (*autorem*) coram domino prosequitur, is domino pro his causis vadiare judicetur. Sed suo homini homo non respondebit coram domino suo, nisi probetur, quod coram suis hominibus justitiam illi renuerit. Dominus non nisi prædictas causas offensionis judex erit læsi sui hominis.

S. c. 69. L. c. 33. n. 24. A. c. 126. §. 1.

LI. Si homo se mungit aut spuit, vel tussit aut sternutat, aut si steterit in alia parte sui prolocutoris, quam fuerit in primis, vel se se tergit, vel circumspicit, vel muscas, ne eum lædant, depellit; pro hujusmodi causis non vadiabit domino; quamvis tamen in hoc quorundam erret opinio.

S. c. 69. L. c. 34. n. 1. 2. A. c. 126,
§. 2. c. 127. §. 1.

LII. Decem talenta domino vadiabit homo, sed princeps de beneficio principali centum talenta (7) vadiabit regi.

S. c. 69. L. c. 34. n. 3. A. c. 127.
§. 2. 3. 4. 5. 6.

LIII. Homo domini habebit satisfactionem secundum suam nationem (8), & satisfactio & vadium ad domum proximam domini ab illo loco, in quo acquiritur per quatuordecim noctes solvatur.

S. c. 69. L. c. 34. n. 6. 7. 8. A. c. 128.
§. 1. 2. 3.

LIV. Homo absque licentia non sedeat in domini præsentia, sed, cum debilitatus, jaceat, & juramentum addat, si dominus credere nolit, quod necessitas eum jacere compulerit. Non nisi tria vadia uno die vadiabit domino. Pro qualibet incusatione tria habebit colloquia, donec vocetur tribus vicibus a nuncio domini.

S. c. 69. L. c. 34. n. 9.

LV. Curiam, in qua dominus placitat, incusatus non exeat, quamdiu dominus suum non terminaverit placitum.

S. c. 70. L. c. 34. n. 10. A. c. 129.

LVI. Quilibet homo domini alterius sententiam arguere (9) potest, si in regali clypeo non deficit.

S. c. 70. L. c. 34. §. 11. A. c. 129.

LVII. Argutor si quinque solidis vel manso dimidio non est inbeneficiatus a domino, fidejussorem ponat. Si in sententia deficiat, vadium detur domino, & homini, quem arguit, satisfactio. Nullus pro illo fidejubebit, qui non a domino inbeneficiatus sit.

S. c.

(1) I. e. an id approbet.
(2) Supple, *responsum*.
(3) Supple, *ad*.
(4) An *cantus* intelliguntur in contumeliam alicujus facti? (vid. *du Fresne voce Tropus*.) An locutiones ambigui & *dubii sensus*? An forte legendum *turpiloquia*?
(5) I. e. si locutus est vel egit quod non debuit.
(6) I. e. pignori tradit.
(7) I. e. libras seu marcas. *Du Fresne*.
(8) Id est, conditionem generis & familiæ, Germ. *Geschlechte*. *Du Fresne*.
(9) Id quod hodie *appellare* dicimus.

S. c. 70. *L. c.* 34. *n.* 12, 13. *A. c.* 130. §. 1. 2.

LVIII. Homo cum sententiam arguit, quam injustam esse credit, alteram inveniat, si dominus jubeat. Et si dominus eum incusaverit, quod causam justitiæ non fecerit, quod arguerit sententiam, sed ad protrahendam justitiam, homo juramentum adhibebit, quod non nisi justitiæ causa fecerit.

S. c. 70. *L. c.* 34. *n.* 14. *A. c.* 130. §. 3.

LIX. Homo, cum ab eo sententia arguitur, sic loquatur: Si tu sic vocaris N. & es id, quod appellaris, tunc mihi & tibi injustam invenisti beneficialem sententiam, (1) quo cum ea tendere debeam? Et ad quem locum, & infra quod tempus.

S. c. 70. *L. c.* 34. *n.* 14. *A. c.* 130. §. 4.

LX. Tunc judicetur quod illius beneficii superior dominus argutæ sententiæ judex esse debeat, ad quem vadant ambo & homines domini duo cum illis mittantur, ut sint testes, qualiter terminata fuerit sententia, pro qua est discordia.

S. c. 70. *L. c.* 34. *n.* 15. *A. c.* 130. §. 5.

LXI. Dominus autem missis expensam debet nunciis, quibus panis & cerevisia datur absque mensura & tria convenientia fercula in comestionem singula & briarium (2) vini, & sufferrabuntur eorum equi in anterioribus pedibus.

S. c. 70. *L. c.* 34. *n.* 15. *A. c.* 130. §. 5.

LXII. Duo fercula dentur servientibus, & quinque manipuli singulis ad diem & noctem equis. Sex erunt eis servi, octo autem equi. Hi infra triduum ad superiorem dominum ire incipiant, & sententiam prius sex hebdomadas reducant.

S. c. 70. *L. c.* 34. *n.* 16. *A. c.* 130. §. 6.

LXIII. Si autem superior dominus defuerit Teutoniæ tempore terminandæ sententiæ, cum primo Teutoniam intrasse cognoscitur, ab illo die sententia reducatur infra sex hebdomadas. Homo incusatus ad hunc diem veniat, domino responsurus, sicut in priori faciebat, si sibi intimatus a domino sententialiter, & ordine prædicto.

S. c. 72. *L. c.* 36. *n.* 1. *A. c.* 132. §. 1.

LXIV. Omnis supra scriptio de vulgari tractat beneficio.

S. c. 72. *L. c.* 36. *n.* 1. *A. c.* 132. §. 1.

LXV. Adhuc distinguam tria beneficiorum genera, quæ quantum a vulgari differant, audietis in sequenti.

S. c. 72. *L. c.* 36. *n.* 2. *A. c.* 132. §. 2.

LXVI. Judicandi beneficium non descendit in quartam manum, nisi sola præfectura, quæ super judices habet jura.

S. c. 72. *L. c.* 36. *n.* 3. *A. c.* 132. §. 4.

LXVII. Dum judex incusatur ab aliquibus, judex super judicem erit præfectus, nec aliquis potest concedere alteri judicium concessum sibi, nisi singulare sit judicium, quod in illud pertineat, hoc saltem solutum habet.

S. c. 72. *L. c.* 37. *n.* 2.

LXVIII. Si quis proprietate alterius inbeneficiatus est, illum de jure in heredem non sequatur, nec in aliquem alium. Tamen proprietatis beneficium usque in sextam manum descendit, quorum nullus alteri poterit renuere beneficium, excepto supremo domino.

S. c. 72. *L. c.* 37. *n.* 2. *A. c.* 135.

LXIX. Item dominus qui proprietatem suam concessit hominibus libere, si eguerit, resumere poterit eam: ex quo cum aliis bonis imperialibus illam restituat hominibus pro modo beneficii.

DE URBANO BENEFICIO.

§. I.

S. c. 72. *L. c.* 37. *n.* 5. 6. 7. *c.* 38. *n.* 4.
A. c. 136. §. 2. *c.* 138. §. 3. 4.

In secundam manum non descendit urbanum beneficium, nisi tantum si urbanus alicui beneficium concedat: hujusmodi beneficiali jure homo ab illo domino in hoc beneficio fruatur, sed in alium dominum non sequatur.

S. c. 72. *L. c.* 38. *n.* 6. *A. c.* 139. §. 2. 3.

II. Urbanus non tenetur servire domino, sed in urbe debet morari & contra adversitates ejus eam tueri, & urbanas sententias inveniat, dum dominus egeat.

S. c. 72. *L. c.* 38. *n.* 6. *A. c.* 139. §. 4. 5.

III. Urbanum placitum dominus non habebit, nisi in suis urbibus, ad quod sententias nemo inveniat, nisi urbanum beneficium a domino habeat, & super urbanum beneficium non nisi urbani ferant testimonium.

S. c. 72. *L. c.* 38. *n.* 6. *A. c.* 139. §. 6. 9.

IV. Nullus e contrario de urbano beneficio super vulgare habentem beneficium sententias inveniat, nec perficiat testimonium de quolibet alio beneficio, excepto urbano, quod homo per hominium susceperit, & in warandia habuerit, sententias inveniat & perficiat testis quilibet idoneus super inbeneficiatum alium.

S. c. 73. *L. c.* 39. *n.* 3. & 4. *A. c.* 141.

V. Urbs pateat incusato ad introitum, in qua domini est placitum. Inclusis portis homo sententias non inveniat domino.

S. c. 73. *L. c.* 39. *n.* 5. *A. c.* 143.

VI. Pro duabus tantummodo causis urbano domino licet habere placitum.

S. c. 73. *L. c.* 39. *n.* 5. *A. c.* 143. §. 1.

VII. Si urbanus contra eum perfide egerit, aut urbem in necessitate non protegerit. Si dominus placitat sub urbano pro hujusmodi delicto, illimet vel in ejus curia hoc placitum intimabit ex ejus justitia, & prosequatur ipsum secundum ordinem prædictum.

S. c. 73. *L. c.* 39. *n.* 7. *A. c.* 143. §. 2. 3.

VIII. Si autem dominus urbano urbanum abjudicaverit beneficium, & illud non excusaverit juramento urbanus, infra sex heb-do-

(1) Supple: *quæro igitur.*

(2) *Mensuram*, Du Fresne voce *Bria*.

domadarum tempus, ulterius non est licitum, ut abjudicatum sibi excuset beneficium.

S. c. 73. *L. c.* 39. *n.* 8. 9. *A. c.* 143. §. 4. 5.

IX. Si urbanus in urbana curia non manserit, ut debet ex justitia, dominus sententialiter illi præcipiat, ut in urbem mansurus redeat, & hoc intimet illimet, vel in ejus curiam per nuncium in audientia duorum urbanorum, qui si infra sex hebdomadas non revertitur, urbanum beneficium sibi abjudicabitur. Si autem infra sex hebdomadas, ille semel pernoctaverit in urbe, & super hoc abundat testimonio, aut si ex causa idonea sit suæ absentiæ excusatio, tunc sibi urbanum non abjudicabitur beneficium.

S. c. 73. *L. c.* 39. *n.* 11. *A. c.* 145. §. 1.

X. Urbs si destruitur, aut per domini paupertatem aut negligentiam dilabitur, aut si fuerit deleta sententialiter injuriarum causa, quarum urbanus autor non fuerit, urbano beneficio propterea non carebit.

S. c. 73. *L. c.* 39. *n.* 11. *A. c.* 145. §. 2. 3.

XI. Sed urbanum pro vulgari beneficium sit illi, quoad usque urbs fuerit reædificata & portis & munimentis undique firmata. Tamen urbem reædificari non est licitum, quam sententia destruxit injuriati.

XII. Homo non exequitur beneficium, in bonis, quæ suscepit per nuncium, salvo honore suo.

S. c. 77. *L. c.* 41. *n.* 1.

XIII. Homo pro debito domini accipiat vadium, aut conqueratur de hoc in judicio super illum. Si eum primo justa prosecutus fuerit querimonia coram suis hominibus, & justitiam ei renuerit dominus, si in beneficiali esset jure, pro hoc facto non judicetur vadiare domino.

S. c. 77. *L. c.* 41. *n.* 2.

XIV. Dominus etiam si suo homini vim intulerit, aut eum spoliaverit & prædicto modo dominum persecutus fuerit homo, si in judicio veniens spolium conqueratur super dominum & ille se defendat, in hoc contra fidem suam nihil faciat, quamvis domino non contradixerit suum hominium, nec resignaverit beneficium.

S. c. 77. *L. c.* 41. *n.* 3.

XV. Si contradicit (1) domino hominium suum homo, domino sit solutum, quod ab eo habuit beneficium. Dominus e contrario perdat beneficium, quod ab eo habet homo, si statim a superiori domino petit secundum jus illud beneficium, vel quod transmittatur in dominum alium, a quo jus habeat cum honore a priore domino.

S. c. 77. *L. c.* 41. *n.* 5. *A. c.* 149. §. 1.

XVI. Non nisi in persona propria contradicit ex justitia homo domino & ille e converso. Nullo facto neuter eorum noceat alteri infra spatium noctis & unius diei.

S. c. 77. *L. c.* 41. *n.* 6. *A. c.* 150.

XVII. Homo si petit a domino ducatum (2), ut ei contradicat hominium, & hoc se dare dominus renuat, tres homines domini in testimonium ponat, & tum ad urbem vel curiam domini proximam domino suum contradicat hominium in audientia desuper manentium, vel ad placitum principum, & resignet coram eo domino beneficium. Hujus facti eget homo, ut testimonium habeat.

S. c. 77. *L. c.* 41. *n.* 6. *A. c.* 150.

XVIII. Sed si homo negaverit in postero, quod contradixerit domino, non est licitum hoc testari, si ille audet adhibere juramentum.

S. c. 77. *L. c.* 41. *n.* 6. *A. c.* 150.

XIX. Tamen si sententialiter homo, & secundum jus beneficiale solutus fuerit a domino, hoc testabitur potius dominus, quam neget homo.

S. c. 77. *A. c.* 150.

XX. Postquam sic domino hominium contradixit homo, non erit ei noxius infra sex hebdomadum tempus, & similiter dominus faciat, si contradicat hominio.

L. c. 42. *n.* 1. *A. c.* 100. §. 8. *c.* 101. 102. 112. 113. *& clauf. fin.*

XXI. Omnem beneficii ordinem exposui, quidam tamen fingunt, plura beneficia esse, quæ ad tempus deficiant (seu in certo termino finiantur) sicut beneficium clypei (seu scuti) quod deficiat cum clypeo; & quod ad manum alterius alicui dominus se dicit concessisse homini, & beneficium, quod deficiat, cum homo manserit in illo, omne enim concessum beneficium non nisi sententialiter homini abjudicatum fuerit erga dominum, qui illud concessit.

XXII. Omnis concessio ad tempus conditionaliter est reprobabilis; propterea detestemus hæc omnia.

---

(1) I. e. *denegat.*

(2) I. e. *salvum conductum.*

F I N I S.

LIBRI
CAPITULARIUM
REGUM FRANCORUM

EX COLLECTIONIBUS

ANSEGISI ABBATIS, ET BENEDICTI LEVITÆ,

NEC NON VETUSTÆ ADDITIONES

CUM NOTIS STEPHANI BALUZII,

ET GLOSSARIO FRANCISCI PITHOEI.

IN LIBROS CAPITULARIUM REGUM FRANCORUM

MONITUM COLLECTORIS.

Procedimus ad Capitularia Regum Francorum, civilium constitutionum præclaram sylvam, & ecclesiasticarum sanctionum uberem, & selectissimam messem. Multa & egregia de hisce celebrata jam sunt, præcipue a Cl. Stephano Baluzio in erudita Præfatione, quam absolutissimæ Capitularium collectioni a se concinnatæ præmisit; ut hac in re nil mihi dicendum supersit.

Quare ad Italiam nostram orationem perstringam, inquirens quatenus apud nos Capitularia Regum Francorum vim & auctoritatem obtinuerint. Quo in argumento censeo non esse jurandum in verba Baluzii, qui dum Francorum Regum potestatem attollit, Comitiorum Generalium, Synodorum Ecclesiasticarum, Regni Italici, Romani Imperii, Summique Pontificis dignitatem nonnihil infra æquitatem imminuit.

Et primum quidem pro certo habendum, Regum Francorum Capitularia saltem in Regno Italico in universum habita minime fuisse pro legibus. Etenim si ita res esset, profecto inter Leges Langobardicas relata forent. Et tamen nostrismet oculis videmus, ex tanta Capitulorum a Carolo Magno, & Ludovico Pio conditorum congerie haud multa inserta esse Codici Legum Langobardicarum; quin & inter hæc, Muratorio advertente (1), occurrunt *non pauca longe diversa ab iis, quæ ad Franciam, ejusque populos ultra montes pertinebant.*

Id luculentius evincitur ex ipso Langobardico Codice. Dum enim inter Leges nostras recepta leguntur Capitula quædam, quæ Carolus Magnus Legi Salicæ addiderat, inter hæc unum occurrit hisce verbis conceptum; *Generaliter* (2) *omnes admonemus, ut Capitula, quæ præterito anno legi Salicæ cum omnium consensu addenda esse censuimus, jam non ulterius Capitula, sed tantum leges dicantur, imo pro lege Salica teneantur.* Hæc sane ostendunt, discrimen habitum fuisse inter *Capitula*, & *Leges*, & majorem extitisse vim Legum, quam Capitulorum.

Magis adhuc perspicue (quod ad Regnum spectat Italiæ) hoc colligimus ex Langobardica Lege Lotharii I. *Placuit nobis* (3), *ut Capitula, quæ excerpsimus de Capitulare bonæ memoriæ avi nostri Karoli, ac genitoris nostri Hludoici Imperatoris, ab omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, seu fidelibus nostris in Regno Italiæ consistentibus, pro Lege teneantur, & serventur. Et quicumque horum Capitulorum contemptor extiterit, LX. solid. componat.* Porro si Lothario regnante quædam ex Capitulare Caroli Magni, & Ludovici Pii excerpta fuere Capitula, ut in Regno Italico servarentur pro lege, inde consequitur longe abfuisse, ut pro lege haberetur integer Capitularis complexus.

Ergo Capitularia Regum Francorum vim legis continuo in universum nacta non sunt. Sed anne apud Italos valuerint, saltem ut Regia Edicta, seu Regiæ Constitutiones, licet inter proprie dictas leges non relatæ? Equidem Capitula, & Ca-

(1) Murator. Præf. in Leg. Langob. Rer. Ital. Script. Tom. I. Parte II.
(2) Leg. Langob. Caroli M. lege CLIII. (3) Ibid. Lotharii I. lege LXX.

& Capitularia, quæ certæ genti lata esse non deprehenduntur, populos generatim Regis Francorum ditioni subjectos obstrinxisse putantur. Quæ sententia quam solida sit quoad gentes transalpinarum regionum, aliorum esto judicium. Ego certe, quoad Italos, censeo esse negandam.

Notissima namque res est, Italicum Regnum aliud a Francico spectatum fuisse; alia Francica, alia Italica extitisse Comitia; & Carolum Magnum diverso titulo, & diversis epochis, *Regem Francorum*, & *Regem Langobardorum* se se inscribere consuevisse. Quæ ergo Rege in Franciciś tantum Comitiis sedente, & veluti in sede majestatis suæ *Regem Francorum*, non *Langobardorum*, repræsentante constituebantur, anne & Italos continuo obstringebant? Nullatenus credam.

Adde, quod per plurimam temporis partem, quo Carolus Magnus, & Ludovicus Pius ultra montes regnarunt, suos habuit Reges Italia, Desiderium primo, & Adelchin Langobardos, inde vero Pippinum, Bernhardum, Lotharium, ex eorumdem Augustorum sanguine natos.

Novi equidem, Augustos ipsos, cum filium, aut nepotem Regno Italico præfecissent, jura Regni, atque inter hæc, leges, & edicta promulgandi non abdicasse; inter quæ celebratissima sunt Capitula, quæ Carolus Magnus Ravennæ existens Italis tulit, anno primo Imperii sui, in Italia regnante Pippino; quæ & corpori Legum Langobardicarum inserta sunt (1). At vero nemo facile sibi persuadebit, tunc locum continuo obtinuisse in Italico Regno ea quæ a Carolo & Ludovico in uno Francorum Conventu, hoc est in cœtu, qui alterum omnino sejunctum Regnum referebat, condebantur, præsertim cum eo ipso tempore apud nos sanctiones & Capitula prodirent nomine Regum Italiæ; inter quæ plurima extant Pippini, & Lotharii I. inter Leges Langobardicas relata.

Quare Muratorii sententiæ subscribo, rati (2), " propius ad verum accede-
„ re, qui sentiat ex tot Imperatorum Francicorum Capitularibus nonnulla ad
„ unum Regnum Italicum destinata, alia vero dumtaxat Regnum Franciæ re-
„ spexisse, quæ multa profecto fuerunt; nonnulla vero ad utriusque gentis mo-
„ deramen prolata esse. „

Quæ de Regno Italico huc usque dicta sunt, debita cum proportione congruunt & urbi Romæ, & locis, quæ sub *Romani Imperii* appellatione tunc censebantur, & quæ ditionem tum a Francico, tum ab Italico Regno sejunctam constituebant, agnoscebantque Principem, non quatenus Francorum, aut Langobardorum Rex erat, sed quatenus Imperator Romanorum. Idque ex potiori ratione obtinuisse putandum est, quod inde saltem a restitutione Imperii Occidentalis Roma, ejusque Ducatus Principatui & temporali ditioni parebant Romani Pontificis (3), salvis Imperatoris juribus, quæ, prout eruditissimorum fert sententia, jura erant summi Imperii.

At vero Baluzius *dignitatem*, *majestatem*, *auctoritatem* Capitularium quam maxime extollit ex obedientia, quam illis præstitere Summi Pontifices, triumpho excipiens Epistolam Leonis Papæ IV. Lothario I. scriptam, quam ex Ivone, ejusque Pannormia, & Gratiano (quos in margine citat) allegat hisce verbis (4): *De Capitulis, vel Præceptis Imperialibus vestris, vestrorumque Prædecessorum irrefragabiliter custodiendis, & conservandis, quantum valuimus, & valemus, Christo propitio & nunc & in ævum nos conservaturos modis omnibus profitemur. Et si fortasse quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, sciatis eum pro certo mendacem.*

Ego falsitatis insimulare non ausim candidum virum, præsertim cum & alii præfatam Epistolam iisdem omnino verbis allegaverint. Neque enim insuetum est, ut viri docti in allegandis textibus non semper recurrant ad fontes, sed alter alterum exscribat ex bona fide.

Muratorius quoque in hunc errorem lapsus est, ut Epistolam, de qua agimus, eo quo Baluzius modo allegaret, quod docto viro videtur facessivisse negotium. Hæc namque subdit (5): " Verum quæ *Capitula* ac *Præcepta* hæc forent,

(1) Vide Additam. ad Leg. Langob. Caroli M. (2) Murat. loc. cit.
(3) Vide Murat. loc. cit. & ejusd. Annal. ad an. DCCC. DCCCXXIV. &c.
(4) Baluzius Præf. & Capitul. n. XXI. (5) Murat. loc. cit.

„ rent, nemo facile intelligat. Ego ea tantum designari hic puto, quæ a Lothario Augusto, ejusque patre Ludovico, atque avo Carolo Magno constituta interdum fuere (pauca tamen) ad unius Populi Romani regimen, & judicia; quippe tunc supremæ illorum dominationi subjecta erat urbs ipsa: non autem Pontifices, ac Romanos omnibus Regum Francorum *Capitularibus* fuisse obnoxios. „ Quam prope ad verum accesserit Muratorius, facile apparebit, dum res paulo oculatius perspiciatur.

Ego certe opinor Leonis Epistolam, de qua sermo est, mutile allegatam fuisse; nam in omnibus Codicibus editis, & manuscriptis, quos ego consului, legitur vox *Pontificum* a Baluzio prætermissa, quæ Epistolam ipsam in alium sensum detorquet, vel saltem perstringit & arctat.

Apud Gratianum in editis sic habetur (1): *De Capitulis, vel Præceptis Imperialibus vestris, vestrorumque Pontificum prædecessorum &c.* Mendose profecto, ut Romani Correctores quoque annotarunt; nam eo tempore, quo hæc Epistola scripta fuit, Imperatores non consueverant appellari *Pontifices*. Manuscriptus autem Gratiani Codex Bibliothecæ Ducalis D. Marci n. CLXXV. sæculo XIV. exaratus textum exhibet correctiorem: *De Capitulis, vel Præceptis Imperialibus vestris, nostrorumque etiam prædecessorum Pontificum &c.* Quæ lectio præponenda est, non modo, quod aptiorem sensum referat, sed etiam quod ei adamussim consonet Ivo a Baluzio ipso citatus; ubi legimus (2): *vestris, nostrorumque etiam Pontificum prædecessorum.* Consonat & Pannormia Ivonis (3), quamvis non sine exscriptorum mendo: *nostris, nostrorumque Pontificum & prædecessorum.*

Quibus expensis colligimus, Leonem in allegata Epistola non de quibuscumque *Capitulis*, aut *Præceptis* Regum Francorum agere, sed de iis modo quæ Lotharius Imperator Romanorum, atque Romani Pontifices Populo Romano edixere, seu quæ Augustus ipse ad ejusdem gentis regimen constituerat una cum Romano Pontifice, in conventum forte vocato Senatu, Populoque Romano.

Præclarum ejusce rei exemplum præbet Eginhardus, hæc scribens de Ludovico Pio (4): *Lotharium filium Imperii socium Romam mittere decrevit, ut vice sua functus ea, quæ rerum necessitas flagitare videbatur, cum novo Pontifice* (Eugenio II.) *Populoque Romano statueret, atque firmaret*. Et infra: *Lotharius juxta Patris mandatum Romam profectus ab Eugenio Pontifice honorifice suscipitur. Cui cum injuncta sibi patefecisset, statum Populi Romani jamdudum quorundam perversitate Præsulum depravatum, memorati Pontificis benevola assensione ita correxit, ut omnes, qui rerum suarum direptione graviter fuerant desolati, de receptione bonorum suorum, quæ per illius adventum (Deo donante) provenerat, magnifice sint consolati.*

Capitulare a Lothario ad Populi Romani regimen tunc temporis editum fuit, quod typis vulgavit Lucas Holstenius (5), novem capitulis distinctum, ex quibus septem inter Langobardicas leges, nonnullis variantibus, recepta quoque leguntur.

Ad hæc ergo *Capitula*, seu *Præcepta*, & si quæ ejusmodi generis alia, regimen, statumque Populi Romani, cujus Pontifices ipsi Principatum gerebant, respicientia, Leonem IV. allegata Epistola allusisse, Epistola ipsa probe perpensa satis, superque suadet, ut nonnisi violenta, minusque probabili interpretatione Epistolæ verba detorqueantur ad obedientiam a Romanis Pontificibus in universum præstitam Capitularibus Regum Francorum.

Sed & generaliter animadvertere est, in Italia *Capitularia Regum Francorum* appellatos fuisse ipsos Capitulorum fasciculos sub Francis Regibus editos, qui Codici Legum Langobardicarum adnexi fuere, atque inter Langobardicas leges rela-

(1) Ap. Gratianum, Dist. X. c. 9.
(2) Ivo P. IV. c. 146.
(3) Pannorm. lib. II. c. 149.
(4) Eginhard. Annal. ad an. DCCCXXIV.
(5) Holsten. Collect. Rom. Part. II. pag. 218.

relati. Et profecto in vetusto Codice Veronensi Legum Langobardicarum Bibliothecæ S. Euphemiæ, qui procul dubio saltem Lotharii II. Regno non est recentior, post leges conditas a quinque Langobardis Regibus, cum ad Leges Caroli Magni ventum est, hæc præponitur Rubrica: *Incipit Kapitulare Domni Karoli Regis;* sicque Capitulare prosequitur usque ad Henrici II. sanctiones inclusive, in septem libros divisum; ex quibus primus Caroli Magni, tertius Ludovici Pii, quintus Ludovici II. decreta complectitur. Consule allegata a Cl. Canonico Bellunensi Lucio Dolleonio in erudita Dissertatione Epistolari, quam superiori Volumini inserui.

Apud nos itaque ipsæ leges Langobardicæ sub Francis Regibus conditæ erant *Capitularia Regum Francorum*. Quare dum de civili obedientia Capitularibus exhibita inter Italos agitur, non est cur eam ad omnia Capitula, & Capitularia Regum Francorum indistincte extendamus.

Rem declaremus exemplo. In Ravennate Concilio anno DCCCCIV. celebrato coram Joanne Papa IX. & Imperatore Lamberto Canon occurrit: *Si quis (1) Sanctorum Patrum regulas contempserit, & gloriosissimorum Imperatorum, Caroli videlicet Magni Imperatoris, & Ludovici, atque Lotharii, nec non & filii ejus Ludovici, quæ de Ecclesiasticis Decimis in eorum Capitularibus statuta, atque sancita sunt, non observaverit, & qui dat, & qui recipit, auctoritate Sedis Apostolicæ, & sanctione Sanctæ Synodi, excommunicationi subjaceat.* Quam Constitutionem decreto quoque firmavit Augustus Lambertus.

Missum facio, quod Capitula Augustorum hic allegata in Canonum Ecclesiasticorum (qua de re mox infra sermo erit) censum habiti sint. Si hæc, ut mera statuta civilia spectes, ea in Italia quoque certe recepta erant pro legibus; inserta namque sunt Codici Langobardico (2), in quo occurrunt Capitula, seu Leges decem *de decimis* agentes, quibus Augustorum a Ravennate Concilio laudatorum, scilicet Caroli Magni, Ludovici Pii, Lotharii I., Ludovici II. nomina præfixa sunt. Hæc porro minime probant, Capitularia Regum Francorum pro civilibus legibus, aut edictis Principum indistincte & generatim obtinuisse in Italia.

Ad alteram Capitularium faciem spectandam accedo; quatenus nimirum Ecclesiasticarum sanctionum, & canonum exhibent collectionem.

Præmittendum est, ex Capitulis ad Ecclesiasticam rem pertinentibus quamplurima desumpta occurrere ex Divina Scriptura, ex Canonibus Conciliorum, ex Decretis Romanorum Pontificum, ex dictis SS. Patrum, ex Synodis Ecclesiasticis Francorum; sicuti ex iis, quæ *mundanam*, seu civilem legem respiciunt, multa deprompta sunt ex Codice Theodosiano, seu Aniani interpretationibus, ex Pauli sententiis, ex Juliani antecessoris Novellis, ex Codice Legum Wisigothorum, ex Lege Salica, ex Lege Ripuariorum, ex Lege Bajuvariorum (3).

Illa autem, (ut in Ecclesiasticis tantum persistam) excerpebantur vel in publicis Regni Conventibus, vel ex Regis delegatione in privatis Episcoporum, virorumque doctorum cœtibus; cui rei gerendæ delectum veluti primum tenentem locum a Carolo Magno Benedictus Levita (4) nominatim memorat *Paulinum Episcopum*, qui fuisse videtur inclytus concivis meus S. Paulinus Patriarcha Aquilejensis Carolo Magno maxime acceptus.

Atqui hæc ex originis jure Ecclesiasticarum sanctionum auctoritate pollebant, quacumque tandem ratione inter Regum Capitularia irrepserint, sive in publicis Comitiis recepta fuissent, sive extra Comitia, sive convenienti deliberatione præhabita, sive etiam tumultuarie; de quo exemplum (forte singulare) præbent nobis Comitia regnante Carolo Calvo celebrata in Villa Sparnaco, ubi *factione quorundam* (5) moto contra Episcopos animo Regis, remotisque

---

(1) Vide Baron. ad an. DCCCCIV. & Collectionem Conciliorum.
(2) Vide Capitul. Langobard. Lib. III. Tit. III. *De Decimis*.
(3) V. Baluz. l. c. n. IX. & XLV.
(4) Bened. Levita in Præfat. ad Lib. V. Capitularium.
(5) Vide Capitularia Caroli Calvi in Rubrica præfixa Tit. VII. apud Baluz. Capit. Tom. II.

que ab illo Conventu Episcopis, ex pluribus Regi oblatis Synodorum Provincialium anno DCCCXLVI. habitorum capitulis, aliqua tantum acceptata fuere, ut in Capitulare collecta transirent. Sed ut ut inter Capitularia sanctionibus illis locus tribueretur, quisque videt ipsas non amisisse Ecclesiasticorum constitutorum rationem, qua ex jure originis potiebantur.

Aliæ vero plures occurrunt in Capitularibus sanctiones in ipsis Generalibus Regni Comitiis constitutæ, quæ qua ratione Ecclesiasticorum Canonum vim obtinerent, paulo attentius est inquirendum.

Convenientibus ad Regni Conventum Episcopis, Monachorum Abbatibus, laicisque Proceribus, jam Carolo Magno regnante invaluerat, ut quisque præfatorum Senatorum ordo sejunctim de rebus ad ordinem suum spectantibus pertractaret; quæ vero commixti generis erant, & ad omnes Regni status conjunctim pertinebant, conjuncto Senatu peragerentur. Adeo ut generalia Regni Comitia nunc faciem exhiberent unam, id est cœtus universi, nunc vero trinam, scilicet Concilii Episcoporum Nationalis, Capituli Monastici Generalis, & Supremæ Curiæ laicæ.

Rem inter eruditos cæteroquin sat notam, longa, solida, & non vulgari eruditione referta oratione adstruit, & illustrat Ludovicus Thomassinus, volupe consulendus, qui summa capita argumenti hisce verbis conglomerat (1): " Jussione Principis, quæ Canonica est residentiæ Episcoporum exceptio, ac dispensatio, continentur etiam Comitia Regni generalia, ad quæ Princeps Episcopos evocat. Minus autem mirabimur relaxari Episcopalis residentiæ legem ob generalia Regni Comitia, si eadem ipsa numeremus inter Concilia Nationalia; quod nimirum in his Comitiis tres Conventus, simul quidem, sed sejunctim celebrarentur; Cameras nunc vocamus. Unum enim in locum conveniebant Episcopi, Abbates in alterum, in tertium denique Præsides Provinciarum, & Magistratus, Comites, Judicesque. Erat ergo hoc Nationale quasi mixtum Concilium, ubi Synodus Episcoporum, Capitulum Monachorum, Curia Magistratuum, nunc separatim, nunc conjunctim consultabant, ad Ecclesiæ & Reipublicæ regendam disciplinam, vel corrigendam. "

Huc usque Thomassinus (2), qui ibidem quoque erudite observat, post Episcopos adfuisse Conventui clerum secundi ordinis, post Nobiles populum; itemque ratus est, inde repetenda esse incunabula Capitulorum generalium Ordinis Monastici, cum Abbates separatim ab Episcopis coirent.

In Anglia inoletus mos dimissus non est, neque postquam a communione nostra recessum fuit, & usque hodie perdurat, quamquam perstricto jure. Etenim Archiepiscopi, & Episcopi Anglicani ad Parliamentum convenientes cum laicis Regni Paribus concurrunt, ut constituant de Regni negotiis; atque ut de Ecclesiasticis rebus decernant, in separata aula conveniunt (*Convocationem* appellant) cui præest Archiepiscopus Cantuariensis. Convocatio iterum in duas Cameras dividitur, superiorem scilicet (*Upper house*) in qua sedent Archiepiscopi, & Episcopi, atque inferiorem (*Lower house*) ad quam clerus secundi ordinis confluit; hoc est, Decani, Archidiaconi, Procuratores Capitulorum, & Procuratores cleri inferioris singularum diœceseon. Hæc forte lumen aliquod effundere possunt illustrandæ antiquitati, de qua nunc agimus; quamquam mos ille cœtus in duas cameras divisi, seu in civilibus, seu in ecclesiasticis conventibus, uti & ritus collegiorum & civitatum per Procuratores & Deputatos in Comitiis repræsentatorum, prout hodie se habet, tam remotam antiquitatem meo quidem judicio non sapiat.

Ut ad Francorum redeamus Comitia, ex dictis colligimus, in hisce celebratas fuisse Synodos Episcoporum. Illis autem jus & mos erat seu nova statuta

(1) Thomassin. Vet. & Nova Eccles. Discipl. Parte II. Lib. III. cap. 51.
(2) Id. Ibid. n. II. & V.

tuta condere ad Ecclesiæ regimen pertinentia, seu particularium Conciliorum tum celebratorum Decreta oblata Regi, Comitiorum Præsidi, illo demandante ita temperare, ut æqua & conformis Ecclesiasticæ disciplinæ ratio in universo Regno servaretur.

Exemplum adfert laudatus Thomassinus (1), qui agens de quinque Conciliorum mandante Rege celebratorum actis anno DCCCXIII. Carolo Magno in Regni Conventu ad Aquasgraneas habito humiliter oblatis, *ut ea emendaret, atque perficeret*, ita subdit: " Hæc referuntur ad Imperatorem illi superiori Præsidentem Consilio, sive Concilio Generali, cui intererant particularium Conciliorum delegati Episcopi, & ubi decreta complurium Conciliorum particularium ita temperabantur, ut alia aliis, omnia omnibus concordarent, existeretque, & obtineret, quod ad pacem, & ad disciplinam puriorem Ecclesiæ plurimum conferret. " Quare & hæ vere erant Ecclesiasticorum Hierarcharum Sanctiones; ut optime Aquisgranensi Capitulari in præfato conventu concinnato in Codice Gandavensi præfixus sit titulus (2): *Hæc sunt Capitula, quæ Episcopi congregati in unum observanda decreverunt, & admonenda.*

Quæ igitur in generalibus Regni Comitiis ad Ecclesiasticam rem spectantia ab Episcopis peragebantur, recensebantur ut acta Concilii Nationalis; sicuti & ea quæ ab Abbatibus constituebantur regularem disciplinam respicientia, spectanda erant ut acta Capituli Monastici generalis. Ea autem cum ab iis constituerentur, qui etiam Senatorum Regni charactere insigniti erant, & cum Regiæ subinde majestatis auctoritate, & nomine suffulta, & decorata prodirent, veluti Regni Constitutiones ex jure quoque civili robur consequebantur.

Ex huc usque dictis mirum non erit, Capitularium collectionem habitam fuisse ut Ecclesiasticorum Canonum Codicem; & Reginonem, Burchardum, Ivonem, Gratianum plurima ex Capitularibus in suas Canonum, Decretorumque collectiones transtulisse. Capitula Herardi Turonensis, quæ ex Capitularium libris constat esse abbreviata, *ex corpore sanctorum Canonum excerpta* dicuntur in rubrica, quæ illis præmissa est (3); idemque Herardus in Præfatione Capitula ipsa uti excerpta ex Canonibus se tradere affirmat. Capitula item Isaac Lingoniensis, quæ ex tribus postremis Capitularium libris deprompta sunt, appellantur *Canones Isaac, eo quod ex libris Canonum utiliora quæque eligendo in unum volumen coarctaverit* (4); uti legitur in veteri Chronico S. Benigni Divionensis.

Quibus prænotatis, ad Italiam revertamur. Supra præfatus sum, nullo modo videri, ut ea quæ in Comitiis unius Regni Francici peragebantur, Regiæ Sanctionis vim apud Italos continuo obtinerent; quippe quæ Francici tantum, non Romani, aut Langobardici Senatus, atque Conventus assensu aut sanctione constituta essent, & nomine & auctoritate Regis in Francorum Concilio sedentis, & proinde Regem Francorum, non Langobardorum, neque Imperatorem Romanorum eo tunc repræsentantis firmata.

At vero uti Ecclesiasticorum Canonum collectionem Capitularia habita, ac recepta fuisse in Italia ambiget nemo; & quidem summo habitam in pretio, quod plura ex Scriptura, Patribus, Pontificum Romanorum Constitutionibus, Conciliis quoque Œcumenicis desumpta deprehendantur; plura in Synodis Francicis etiam coram Romanæ Sedis Legatis constituta; omnia vero (quod egregium est) tum ex alienis dictatis deprompta, tum novis decreta sanctionibus, quæ maxime opportuna & accommoda videbantur servandæ, vel restituendæ disciplinæ, regendisque moribus gentium, quæ ævis illis suberant amplissimæ ditioni Francorum. Ut proinde Capitularia vere spectari possent, veluti disci-

(1) V. Thomassin. I. c. n. VI.
(2) V. Eccard. Franc. Orient. Tomo II. pag. 82.
(3) Apud Baluz. Capitul. Tomo I. pag. 1283.
(4) V. Baluz. Præf. in Capitul. n. XVIII.

disciplinæ & morum expresse elaborata elegantissima archetypa. Quibus quoque non modicus majestatis fulgor accedebat, quod nomine & auctoritate decorarentur maximi inter Monarchas, cui & Italia ipsa parebat.

In Aquisgranensi conventu anno DCCCXVII. celebrato *Abbates complures* cum suis Monachis plurima Capitula *communi consilio, ac pari voluntate inviolabiliter a regularibus conservari decreverunt* (1). Quæ Ludovici Pii tunc regnantis auctoritate firmata, inter Capitularia referri meruerunt, & Additionem primam libro VII. Capitularium subnexam constituunt. Quanta autem reverentia hæc apud Italos haberentur, docet in Chronico Casinensi Leo Ostiensis (2), hæc scribens: *Ludouvicus Imperator, qui cognominatus est almus, vel sanctus, hujus Karoli filius quarto Imperii anno Aquisgrani in Palatio cum plurimis totius Franciæ Abbatibus religiosisque Monachis conventum faciens, utilissima nostri Ordinis observationi septuaginta & duo generalia Capitula constituit: quæ ita fere omnia apud nos ac si beati Benedicti regula observantur.*

Capitularium autem usus perdurasse in Italia videtur usque ad medium circiter sæculum XII., quo prodiit Decretum Gratiani. Gratianus siquidem ipse in quamdam Constitutionem hæc scribit in rubrica: *Hæc si quis* (3) *antiquata contendat, quia in Justiniani Codice non inveniuntur ita inserta, per Carolum renovata cognoscat, qui in suis Capitularibus lib. VI. cap.* 281. *ait inter cætera*: Volumus, atque præcipimus &c.

Cum vero prodiisset Gratiani Decretum, credere par est, Capitularium usum cessasse, non quidem ex imminuto obsequio, sed ex more recepto, ut in allegandis Ecclesiasticis sanctionibus recursus non fieret ad fontes, sed eæ ex Decreto Gratiani, quasi dono e cœlo demisso, passim describerentur.

Restat, ut de ipsa Capitularium collectione, quam tradimus, brevissime differamus. Capitularia primus in unum codicem congessit anno DCCCXXVII. (4) Ludovico Pio regnante Ansegisus Abbas Lobiensis, qui Capitula Caroli Magni, & eo usque edita Ludovici Pii, quæ prius *in diversis sparsim scripta membranulis*, illa, inquam, *quæ* (ut ipse fatetur) *invenire potuit* (5), una collecta, ordine sibi proposito consarcinavit.

Ansegisi collectio libris quatuor constat, quibus tres appendices subnectuntur. Divisionis methodique rationem ipse nobis patefacit in Præfatione Ansegisus. Cui tamen id erroris tribuit Baluzius (6), quod Carolo Magno adscripserit Capitulum LXXIX. & sequentia libri primi usque ad Capitulum CIV., quæ deprompta sunt ex Capitulis, quæ Ludovicus Pius anno DCCCXVI. constituerat.

Statim ac prodiit Ansegisi collectio, adeo feliciter in usum recepta fuit, ut ipse Ludovicus Pius tum propria, tum Caroli patris Capitula deinceps allegaret juxta libros, & capita Codicis Ansegisi, quem Augustus ipse *Capitulare bonæ memoriæ Genitoris nostri*, *Capitulare nostrum* appellabat. Quod & a Carolo Calvo pluries factitatum est (7).

Haud multo serius, scilicet, circa annum DCCCXLV. Benedictus Levita Moguntinus, Otgarii Moguntini Archiepiscopi jussu, alteram Capitularium collectionem tribus digestam libris elucubravit, quæ Ansegisiani Codicis quasi appendix habenda foret (8). Plurima revera consarcinavit Caroli Magni, & Ludovici Pii Capitula ab Ansegiso prætermissa, itemque Pippini, & Karlomanni Constitutiones, quarum tum frequens usus erat (9). Baluzii opinio est, Benedictum ea primum collegisse, quæ sub Regibus constituta fuerant, dein-

(1) Vid. Rubr. præfixa Additioni primæ post Librum VII. Capitularium.
(2) Leo Ostiensis Chron. Casin. lib. I. cap. XVI.
(3) Gratianus C. XI. q. I. c. 36. 37.
(4) Consule Baluz. Præfat. in Capitularia n. XXXIX.
(5) Præfat. Capitular. Ansegisi Abbatis.
(6) Baluz. l. c. n. XLIII.
(7) Idem l. c. n. XLI. XLII.
(8) Consule Bened. Præf. Lib. V. Capitular.
(9) Baluz. l. c. n. XLIV.

de ea, quæ ex aliis fontibus deprompta Capitularibus inserta fuere, confusa tamen congerie, & temporum ordine non servato, ut ipse quoque Benedictus monuit in Præfatione.

Benedicti collectionem statim ferme ab ejus ortu item usu receptam fuisse deprehendimus, cum illa absque dubio usus fuerit Herardus Turonensis, qui sua Capitula edidit anno DCCCLVIII. (1).

Septem laudatis Capitularium libris subduntur Additiones quatuor, incerti quidem, sed antiquissimi Collectoris, in quibus multa occurrunt, quæ neque apud Ansegisum extant, neque apud Benedictum.

Ergo in Capitularibus edendis Codicem hunc in præsens selegi, quippe qui legalis Capitularium codex ex ejus usque origine etiam ab ipsis Francorum Regibus habitus est. Quamplurimis Capitulis annotata invenies loca parallela, seu librorum, quos trado, seu Capitularium, quæ Baluzius congessit, atque ad chronotaxin reduxit. Subdo ejusdem Baluzii notas egregium eruditionis, solidique judicii specimen præseferentes, in iis præcipue, quæ ad rem Ecclesiasticam pertinent. In calce vero reposui Glossarium in Capitularia, quod concinnavit Franciscus Pithœus.

(1) Baluz. l. c. n. XLVI.



C A-

CAPITULARIUM
CAROLI MAGNI
ET LUDOVICI PII
LIBRI VII.

Collecti ab Ansegiso Abbate & Benedicto Levita.

Versus in fronte Capitularium positi in antiquis Codicibus;

Legiloquum quisquis librum recitaveris istum,
Principibus nostris, dic, miserere Deus.
Legem namque bonam dictarunt mente benigna.
Quapropter pro ipsis quæso precare Deum.

IN CHRISTI NOMINE.

Incipiunt Capitula Regum et Episcoporum maximeque Nobilium omnium Francorum ad reprimendas neophytorum quasi fidelium diversas adinventiones.

INCIPIT PRÆFATIO.

Dominante per secula infinita omnium dominatore Christo salvatore nostro, creatore universæ creaturæ, anno Incarnationis ipsius DCCCXXVII. Indictione V. anno vero XIII. imperii gloriosissimorum Principum Domni Hludouvici Augusti Christianæ (1) religionis magni propagatoris ac filiorum ejus, Ansegisus, nullis præcedentibus meritis, sed gratia omnipotentis Dei Abba, pro amore bonæ memoriæ Domni Karoli magni Imperatoris Christianorum atque præcellentissimi ac piissimi Domni Hludouvici Augusti filii ipsius sincera dilectione, hæc subter descripta adunavi capitula: quæ procul dubio quia ad sanctæ ecclesiæ profectum facta sunt, pro utili firmiter tenenda sunt lege. Fuerunt namque quondam, tempore prædicti magni Domni Karoli Imperatoris, nec non & nunc præfatorum Principum hoc in tempore Domni piissimi Hludouvici Augusti & præclarissimorum filiorum ejus jussu, per intervalla temporum, ad Christianam religionem conservandam atque ad concordiam pacis & dilectionis in ecclesia catholica tenendam edita. Sed quia in diversis sparsim scripta membranulis per diversorum spatia temporum fuerant, ne oblivioni traderentur, pro dilectione nimia, ut præfatus sum, prædictorum gloriosissimorum Principum, & pro amore sanctissimæ prolis eorum, sed & pro sanctæ ecclesiæ statu, placuit mihi prædicta in hoc libello adunare quæ invenire potui capitula prædictorum Principum jussu descripta, ut ad sanctæ ecclesiæ statum longævis conservandum temporibus atque ad meritum præfatorum Principum gloriosius in vita perpetua augmentandum proficiant. Amen. Sed hoc notum sit lectori, quia prædicta capitula, quæ per intervalla temporum a præfatis sunt Principibus edita, in quatuor distinxi libellis. Illa scilicet quæ Domnus Karolus Imperator fecit ad ordinem pertinentia ecclesiasticum, in primo adunavi libello. Ea vero ecclesiastica quæ Domnus ac piissimus Hludouvicus Imperator edidit, in secundo descripsi. Illa autem quæ Domnus Karolus in diversis fecit temporibus ad mundanam pertinentia legem (2), in tertio adunavi. Ipsa vero quæ Domnus Hludouvicus præclarus Imperator fecit ad augmentum mundanæ pertinentia legis, in quarto congessi.

Explicit Præfatio.

(1) *Hludouvici Augusti Christianæ.*) Vulgatæ editiones habent: *Ludovici Augusti Christianæ religionis magni propagatoris & Lotharii Cæsaris filii ipsius*. Quæ lectio confirmatur auctoritate

LIBER PRIMUS.

INCIPIT PRÆFATIO DOMNI KAROLI REGIS,

REgnante Domino nostro Jesu Christo in perpetuum. Ego Karolus gratia Dei ejusque misericordia donante Rex & rector regni Francorum, & devotus sanctæ Ecclesiæ defensor humilisque adjutor, omnibus ecclesiasticæ (3) pietatis ordinibus, seu secularis potentiæ dignitatibus, in Christo Domino Deo æterno perpetuæ pacis & beatitudinis salutem. Considerans (4) pacifico piæ mentis intuitu una cum Sacerdotibus & Consiliariis nostris abundantem in nos nostrumque populum Christi Regis clementiam, & quam necessarium est non solum toto corde & ore ejus pietati agere gratias incessanter, sed etiam continua bonorum operum exercitatione ejus insistere laudibus; quatenus qui nostro regno tantos contulit honores, sua protectione nos nostrumque regnum in æternum conservare dignetur. Quapropter placuit nobis vestram rogare solertiam, o pastores Ecclesiarum (5) Christi, & ductores gregis ejus, & clarissima mundi luminaria, ut vigili cura & sedula admonitione populum Dei per pascua vitæ æternæ ducere studeatis, & errantes oves bonorum exemplo operum, seu adhortatione, humeris intra ecclesiasticæ firmitatis muros reportare satagatis; ne lupus insidians aliquem canonicas sanctiones transgredientem vel paternas traditiones universalium conciliorum excedentem, quod absit, inveniens devoret. Ideo magnæ devotionis studio admonendi & adhortandi sunt, immo compellendi, ut firma fide & infatigabili perseverantia intra paternas sanctiones se contineant. In quo operis studio (6) sciat certissime sanctitas vestra nostram vobis cooperari diligentiam. Quapropter & nostros ad vos direximus Missos, qui ex nostri nominis auctoritate una vobiscum corrigerent quæ corrigenda essent. Sed & aliqua capitula ex canonicis institutionibus

---

tate veterum exemplarium Vaticani, Bellovacensis, Metensis Sancti Vincentii, Divionensis, Camberonensis, Rivipullensis, Trecensis, & Normannici Sancti Michaelis in periculo maris. Ita etiam habuisse Carolum Molinæum in suo codice patet ex commentario ejus ad edictum Henrici II. contra parvas Datas. Lotharii tamen nomen deest in reliquis exemplaribus, tum hic, tum in aliis istius præfationis locis, in quibus illud habent vulgatæ editiones & laudati codices. Melior autem est lectio librorum, in quibus Lotharii nomen omissum est. Nihil enim in collectione Ansegisi reperitur quod Lothario tribui possit. Itaque Pithœus in præfatione sua sic scriptum reliquit: *Sane quod in Ansegisi præfationibus Lotharii nomen adjectum est, datum id scias exemplarium quorundam antiquitati, quæ sub ejus ditione, ut verisimile est, primum descripta, non hoc solum ipsius honori tribuerant.* Vide Notas ad dialogos Antonii Augustini de emendatione Gratiani, pag. 438.

(2) *Mundanam legem.*) Leges dividit in ecclesiasticas & mundanas, id est, civiles, ut nos hodie loquimur. Sic in capite primo Concilii Toletani septimi mundana lex & ecclesiastica disciplina conjunguntur. In Concilio quoque secundo Hispalensi cap. 1. & 3. codex juris civilis laudatur sub nomine legis mundialis. Apud Reginonem lib. 1. cap. 403. scriptum est Clericos a lege mundana extraneos esse. Existimant nonnulli hic apud Ansegisum agi de Codice Theodosiano. Alii putant per mundanam legem hic intelligi Salicam. Ego vero in ea sum sententia ut arbitrer mundanæ legis vocabulo intelligi omnes leges civiles quæ tum in usu erant in regno Francorum, Salicam videlicet, Longobardam, Gundobadam, & ceteras. Juvat hanc interpretationem Hincmarus in epistola 16. cap. 12. *Defendant se quantum volunt qui hujusmodi sunt, sive per leges, si ullæ sunt, mundanas, sive per consuetudines humanas. Tamen, si Christiani sunt, sciant se in die judicii nec Romanis nec Salicis nec Gundobadis, sed divinis & apostolicis legibus judicandos.* Item Fulbertus in epistola 41. ad Fulconem Episcopum, ut reor, Aurelianensem: *Si Abbas Sancti Benedicti de vestro contemptu culpam suam recognoverit, & illam deinceps subjectionem promiserit quæ vobis canonice debetur, hortor & suadeo ut recipiatis, sacramenta vero & cætera quæ ad mundanam legem pertinent propter amorem Domini Regis missa faciatis, ut religionem magis quam secularem ambitionem vos sectari agnoscat.* Posset hic quæri cur Fulbertus sacramentum fidelitatis pertinere dicat ad legem mundanam, cum nonnulli Romani Pontifices absolvisse legantur populos a sacramento fidelitatis Regibus præstito. Sed hæc non sunt hujus loci.

(3) *Omnibus ecclesiasticæ.*) Hæc verba Patres Concilii Triburiensis descripserunt in præfatione ejusdem synodi: *Quapropter Rex Regum, cujus regnum, ut Psalmista canit, regnum est omnium seculorum, omnibus ecclesiasticæ sublimitatis ordinibus necnon & secularis potentiæ dignitatibus novum Principem Arnulphum Regem pacifico ordine perpetuæ tranquillitatis proferre dignatus est.*

(4) *Considerans.*) Idem Concilium Triburiense in præfatione: *Considerans enim idem sapientissimus Rex profundæ mentis intuitu abundantem in se sancti Spiritus gratiam.*

(5) *O pastores Ecclesiarum.*) In præfatione ejusdem Concilii Triburiensis Arnulphus Rex ita alloquitur Episcopos: *O pastores Ecclesiarum Christi & clarissima lumina mundi, agite quæ vobis imposita est curam pastoralem, & juxta Apostolum instate opportune importune, arguite, obsecrate, increpate in omni patientia & doctrina, ut vigili cura & admonitione sedula oves Christi ad caulas æternæ vitæ introducere mereamini.*

(6) *In quo operis studio.*) Eadem præfatio; *Habetis me omnibus Ecclesiæ Christi adversantibus & vestro sacerdotali ministerio renitentibus oppositissimum bellatorem.*

bus (1), quæ magis vobis necessaria videbantur, subjunximus. Ne aliquis, quæso, hujus pietatis admonitionem esse præsumptiosam (2) judicet (3), qua nos errata corrigere, superflua abscidere, recta coartare studeamus, sed magis benivolo caritatis animo suscipiat. Nam legimus in Regnorum libris quomodo sanctus Iosias regnum sibi a Deo datum circumeundo, corrigendo, admonendo, ad cultum veri Dei studuit revocare. Non ut me ejus sanctitati æquiparabilem faciam; sed quod nobis sint ubique sanctorum semper exempla sequenda, & quoscunque poterimus, ad studium bonæ vitæ in laudem & in gloriam Domini nostri Jesu Christi congregare necesse est. Quapropter, ut prædiximus, aliqua capitula notare jussimus, ut simul hæc eadem vos admonere studeatis, & quæcunque vobis alia necessaria esse scitis, ut & ista & illa æquali intentione prædicetis. Nec aliquid quod vestræ sanctitati populoque Dei utile videtur omittatis ut pio studio non admoneatis; quatenus ut & vestra sollertia & subjectorum obedientia æterna felicitate ab omnipotente Deo remuneretur.

EXPLICIT PRÆFATIO DOMNI KAROLI PRÆCLARISSIMI IMPERATORIS.

INCIPIUNT CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

De his qui ab Episcopo proprio excommunicantur. (4)

I. SUnt enim aliqui (5) qui, culpis exigentibus, ab Episcopo proprio excommunicantur, & ab aliis ecclesiasticis vel laicis præsumptiose in communionem accipiuntur. Quod omnino sanctum Nicænum Concilium, simul & Chalcedonense, necnon & Antiochenum, atque Sardicense fieri prohibent. *Capitul. I. a.* 789. *c.* 1.

De his, qui ad ordinandum veniunt.

II. Item habetur (6) in eodem Concilio, ut eorum qui ad ordinandum veniunt fides & vita (7) prius ab Episcopo diligenter discutiatur, & postea ordinentur. *Ibid. c.* 2.

De Clericis fugitivis & peregrinis.

III. Item in eodem Concilio, necnon & in Antiocheno, simul & in Chalcedonensi, ut fugitivi Clerici & peregrini a nullo recipiantur nec ordinentur sine commendatitiis litteris, & sui Episcopi vel Abbatis licentia. *Ibid. c.* 3.

De Presbyteris, Diaconibus, vel his qui in clero sunt.

IV. Item in eadem synodo interdictum est

---

(1) *Capitula ex canonicis instit.*) Eadem præfatio: *Quædam capitula magis necessaria ex canonicis institutionibus subscripserunt, errata corrigere, superflua abscidere, recta via regia coarctare.*

(2) *Præsumptiosam.*) Aliorum editiones habent *præsumptuosam*. Nos secuti sumus consensum veterum librorum & rationem scribendi illorum temporum. Codex legis Wisigothorum lib. 2. tit. 1. cap. 17. *judex præsumptuosus*, pro quo vetustissimus codex monasterii Moyssiacensis habet *præsumptiosus*. Apud Ivonem Carnotensem parte 16. cap. 287. legitur: *Quod si aliquis præsumptuosus fuerit*. At in veteri libro bibliothecæ Sancti Victoris Parisiensis scriptum vidi *præsumptiosus*. Quæ lectio confirmatur ex capite 364. libri quinti Capitularium, unde Ivo descripsit. Sunt alibi innumera exempla, quæ nunc occurrunt, & ista sufficiunt.

(3) *Præsumptiosam judicet,*) Hæc est lectio omnium veterum exemplarium & antiquæ editionis Basileensis. Sic etiam edidit Amerbachius. Et tamen Tilius in margine sui codicis addidit *putet vel*; quam additionem transtulit in textum in editione sua, hoc modo, *præsumptuosum putet vel judicet*.

(4) In editionibus Tilii, Heroldi, & Pithœi singulis capitibus istius primi libri usque ad LXXVII. præfigitur in titulo vox *Omnibus*, aut *Episcopis*, vel alia quæpiam. Certum est autem voces illas extare in Capitulari Aquisgranensi, ex quo LXXVI. priora capitula libri primi descripta sunt. Sed cum in nullo collectionis Ansegisi codice reperiantur, manifestum est ab illo omissa fuisse & ad illam non pertinere. Propter eam causam nos abstinuimus ab his vocibus in editione Ansegisi, quas tamen supra suis locis posuimus in editione Capitularis Aquisgranensis.

(5) *Sunt enim aliqui.*) Burchardus refert *ex Concilio Rotomagensi cap.* 3. Sed hic observandum est, quod ad Reginonem & Gratianum persæpe monuimus, Burchardum diligentissima cura providisse ne capitula quæ ex Capitularibus Regum nostrorum describebat, apparerent hinc sumpta, eamque ob causam illa tribuisse vetustis synodis & Pontificibus Romanis, huncque esse fontem tot Gratiani erratorum. Itaque licet Burchardus caput istud referat ex Concilio Rotomagensi, nihilo minus certum est sumptum ab illo esse ex libro primo Capitularium.

(6) *Item habetur.*) Hæc est lectio veterum exemplarium Remensis, Sangallensium, & Parisiensis. Reliqua habent: *Ita enim habetur.*

(7) *Fides & vita.*) Hadrianus Papa in epistola ad Tilpinum Ecclesiæ Remensis Archiepiscopum apud Flodoardum lib. 2. cap. 17. historiæ Remensis: *Injungimus etiam fraternitati tuæ ut quia de ordinatione Episcopi nomine Lul sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ ad nos quædam pervenerunt, assumptis tecum Viomago & Possessore Episcopis & Missis gloriosi ac spiritalis filii nostri Karoli Francorum Regis, diligenter inquiras omnia de illius ordinatione, & fidem ac doctrinam illius atque conversationem & mores ac vitam investiges,*

eſt Presbyteris & Diaconibus vel omnibus qui in clero ſunt, mulierem non habere (1) in domo ſua, propter ſuſpicionem, niſi matrem aut ſororem vel eas tantum perſonas quæ ſuſpiciones effugiunt. *Ibid. c.* 4.

De uſuris.

V. Item in eodem Concilio, ſeu in decretis Papæ Leonis, necnon & in Canonibus qui dicuntur Apoſtolorum, ſicut & in lege ipſe Dominus præcepit, omnino omnibus interdictum eſt, ad uſuram aliquid dare. *Ibid. c.* 5.

De Presbyteris Miſſas cantantibus & non communicantibus.

VI. Auditum (2) eſt aliquos Presbyteros Miſſam celebrare (3) & non communicare (4); quod omnino in canonibus Apoſtolorum interdictum eſſe legitur. Vel quomodo dicere recte poteſt, ſi non communicaverit: *Sumpſimus Domine, ſacramenta. Ibidem c.* 6.

De his qui a ſynodo vel a ſuo Epiſcopo damnati ſunt.

VII. Hæc vero (5) per ſingula capitula in ſtatutis Nicæni Concilii legere poteſtis, ſeu in aliis ſanctorum patrum (6) ſynodalibus edictis (7), & in Antiocheno Concilio, quod his qui damnati ſunt a ſynodo vel a ſuo Epiſcopo, & poſtea miniſtrare præſumunt, præcipitur ut nullus audeat communicare. Si quis vero eis communicaverit, ſimili ſententiæ (8) ſubjaceat ſicut & damnatus. *Ibid. c.* 6. 7.

De ſuffraganeis Epiſcopis.

VIII. Item in eodem Concilio, ut ad metropolitanum Epiſcopum ſuffraganei reſpiciant,

---

(1) *Mulierem non habere.*) Negatio deeſt in uno codice Sangallenſi & in editione Baſileenſi. Cetera vero exemplaria illam habent.

(2) *Auditum.*) Regino non adnotavit in ſua collectione locum, ex quo deſcripſit hoc caput. Burchardus refert ex *Concilio Aurelianenſi cap.* 10. Recte Fulbertus ex libro primo Capitularium cap. 6.

(3) *Miſſam celebrare.*) Hic per Miſſæ celebrationem Ioachimus Vadianus lib. 6. de Euchariſtia pagina 215. intelligit diſtributionem euchariſtiæ. Hæc ſunt eius verba: *Extat apud eundem* (id eſt, apud Anſegiſum) *alia Principis conſtitutio, qua cavebatur ne Presbyteri Miſſas celebrarent & communione abſtinerent. Erant enim qui in Miſſæ ſacro euchariſtiam dabant plebi, ipſi interim nihil ſumentes. Jubet igitur Princeps ut in Miſſis peragendis non ſolum aliis exhibeant euchariſtiam, ſed etiam ipſi ſumant. Quod ſane jubere non potuiſſet niſi publicæ Miſſæ ritum illum veterem plebis communicantis retinuiſſet.* Sed non cepit Vadianus, ut ego quidem arbitror, ſenſum verborum Karoli. Illud tantum vult Princeps, ut quotieſcunque Presbyter corpus & ſanguinem Chriſti in altari immolat, toties communicet, ut patet ex verbis Concilii Toletani duodecimi relatis infra lib. 6. cap. 120.

(4) *Non communicare.*) Id eſt, non ſe præbere participes perceptionis corporis & ſanguinis Chriſti, ut legitur infra lib. 6. cap. 120. ſive communionis ſanctæ gratiam non ſumere, ut legitur in canone quinto Concilii Toletani duodecimi. Inde in admonitione ſynodali antiqua præcipitur ut *nullus Miſſam cantet qui non communicet*, quod in nova admonitione ſynodali ita exprimitur: *Miſſam jejuni tantum celebrate, & in ea corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omni reverentia & tremore ſumite.* Et in inquiſitione quam Epiſcopus in ſua viſitatione faciebat, legitur cap. 42. interrogare Epiſcopum debuiſſe Presbyterum: *Si Miſſam cantat & non communicat.* Fallitur ergo vehementer Simon Goulartius, qui in additionibus ad Catalogum teſtium veritatis pag. 1020. putat in hoc capite noſtro agi de Presbytero qui adſtantes non admittit ad communionem. Ceterum Fulbertus aliquid legiſſe iſthic videtur quod nos latet. Etenim ſcribens ad Oeconomum Aurelianenſis Eccleſiæ de Presbytero quodam, qui Miſſas celebraſſe & non communicaſſe compertus erat, ait eum, ſi id fecit timor indiſcretus de levi culpa, caſtigandum eſſe cum pietate, *ſicut legitur in Capitularium lib.* 1. *capitulo* VI.

(5) *Hæc vero.*) Prima pars iſtius capitis uſque ad vocem *edictis* in ſuperioribus editionibus & in Capitulari Aquiſgranenſi conjungitur cum capite ſuperiori. Caput vero iſtud ſic incipit: *In Antiocheno Concilio.* At in antiquis Anſegiſi exemplaribus, apud Benedictum Levitam in capite 63. libri quinti, & apud Iſaacum Lingonenſem recte conjunguntur, ut in editione noſtra. Recte, inquam. Etenim in ſynodo Nicæna nihil reperitur de Presbyteris Miſſam cantantibus & non communicantibus. At in canone quinto præcipit magna ſynodus ut hi qui a ſuis Epiſcopis abjiciuntur, ab aliis non recipiantur. Et in canone XVII. ſynodi Sardicenſis, quæ ſolet aliquando citari ſub titulo canonum Nicænorum, ſtatuitur ut ſi quis Presbyter aut Diaconus ab Epiſcopo ſuo fuerit abjectus, communionem non præſumat ante cauſæ ſuæ cognitionem in ſynodo provinciali. In canone vero quarto Antiocheni Concilii agitur de his qui damnati ſunt a ſynodo vel a ſuo Epiſcopo, & poſtea miniſtrare præſumunt. Unde facile colligi poteſt quod hic dicitur de ſtatutis ſynodi Nicænæ non poſſe referri ad Presbyteros non communicantes, intelligi autem de his qui a ſuis Epiſcopis damnati ſunt, veramque propterea eſſe mutationem quam nos fecimus in editione Capitularium.

(6) *Sanctor. patrum ſynod. edictis.*) Id eſt, in aliarum ſynodorum canonibus, nimirum in canone 8. Concilii ſecundi Carthaginenſis, canone 37. Martini Bracharenſis, cujus capitula in antiquis codicibus citantur ſub nomine Martini Papæ vel Concilii Bracharenſis, & in decretis Pontificum Romanorum quæ referuntur a Gratiano 11. qu. 3. In illis enim locis agitur de Epiſcopis & Presbyteris damnatis & tamen miniſtrantibus.

(7) *Synodalibus edictis.*) Ita omnia vetera exemplaria & editio Baſileenſis. Sic etiam Iſaacuus Lingonenſis & Amerbachius. Tilius tamen edidit *ſynodalibus inſtitutis vel edictis*, quamvis in veteri codice, quo is utebatur, legeretur uti nos edidimus.

(8) *Sententiæ.*) In aliquot vetuſtis exemplaribus legitur *ſententia*, quam ſyntaxim alibi quoque ſæpe deprehendi.

ciant, & nihil novi audeant facere in suis parrochiis sine conscientia & consilio (1) sui Metropolitani, nec Metropolitanus sine eorum consilio. *Ibid. c.* 8.

De Chorepiscopis.

IX. Item in eodem Concilio, simul & in Ancyronensi, ut Chorepiscopi cognoscant modum suum, & nihil faciant absque licentia Episcopi in cujus parrochia habitant. *Ibid. c.* 9.

De Episcopis vel quibuslibet ex clero.

X. Item in eodem Concilio, ut Episcopus vel quilibet ex clero sine consilio vel litteris Episcoporum vel Metropolitani non audeant regalem dignitatem pro suis caussis clamare, sed in communi Episcoporum Concilio caussa examinetur. *Ibid. c.* 10.

De ordinationibus vel quibuslibet negotiis.

XI. Item in eodem Consilio, simul & in Sardicensi, nec non & in decretis Innocentii Papæ, ut nullus Episcopus in alterius parrochia ordinationes aliquas audeat facere vel negotia peragere quæ ad eum non pertinent. *Ibid. c.* 11.

De cura Episcoporum.

XII. Item in eodem Concilio, ut Episcopus ejus Ecclesiæ curam habeat ad quam ordinatus est. *Ibid. c.* 12.

De provincialibus Episcopis.

XIII. Item in eodem Concilio, necnon & in Chalcedonensi, ut provinciales Episcopi cum suo Metropolitano bis in anno propter caussas Ecclesiæ Concilia celebrent. *Ibidem c.* 13.

De monachis & clericis.

XIV. In Concilio Laodicensi, necnon & in Africano, præcipitur ut monachi & clerici tabernas non ingrediantur (2) edendi vel bibendi caussa. *Ibid. c.* 14. *Capitulare Episcopor. a.* 801. *c.* 19.

De die dominica, qualiter servanda est.

XV. Item in eodem Concilio præcipitur ut a vespera usque ad vesperam dies dominica servetur. *Capitul. I. a.* 789. *c.* 15.

De ignotis angelorum nominibus.

XVI. Item in eodem Concilio præcipitur ut ignota angelorum nomina (3) nec fingantur nec nominentur, nisi illorum quos habemus in auctoritate. Hi sunt Michael, Gabriel, Raphael. *Ibid. c.* 16.

De mulieribus, ne ad altare accedant.

XVII. Item in eodem Concilio, quod non oporteat mulieres ad altare (4) ingredi. *Ibid. c.* 17. *Vid. infra V. c.* 67. *& VII. c.* 190. 248. 262.

De Episcopis, ubi non oporteat eos constitui.

XVIII. Item in eodem Concilio, necnon & in Sardicensi, quod non oporteat in villulis vel in agris Episcopos constitui. *Capitul. I. a.* 789. *c.* 19. *Capit. a.* 794. *c.* 20.

De Episcopis ordinandis vel quibuslibet ex clero.

XIX. Item in Concilio Chalcedonensi, quod non oporteat Episcopum aut quemlibet ex clero per pecunias ordinari. Qui utrique deponendi sunt, & qui ordinat, & qui ordi-

(1) *Sine consc. & consilio.*) Ita duodecim vetusti codices & editiones omnes. In Colbertino, in Thuano, in uno Sangallensi, in Regio, Trecensi, & in nostro legitur *sine conscientia sui Metropolitani*. Canon certe Antiochenus, ex quo sumptum est hoc caput, favere videtur lectioni quæ extat in sex istis codicibus.

(2) *Tabernas non ingred.*) Vide epistolam Hincmari ad Hadrianum II. inter acta synodi Duziacensis pag. 310. in editione Cellotii.

(3) *Ignota angelorum nomina.*) Constitutum istud, ut opinor, ad reprimendam eorum insanam superstitionem qui varia Angelorum nomina fingebant; ut Aldebertus, qui in oratione sua nominabat Vrielem, Raguelem, Tubuelem, Michaelem, Adinum, Tubuam, Sabaoc, & Sinuelem. De qua re cum ageretur in synodo congregata Romæ in patriarchio Lateranensi, Papaque Zacharias interrogasset Episcopos, illi ita responderunt: *Octo nomina Angelorum quæ in sua oratione Aldebertus invocavit, non Angelorum, præterquam Michaelis, sed magis dæmones in sua oratione sibi ad præstandum auxilium invocavit. Nos autem, ut a vestro sancto apostolatu edocemur, & divina tradit auctoritas, non plusquam trium Angelorum nomina cognoscimus, id est, Michael, Gabriel, Raphael.* Mirum est autem Vrielem, Raguelem, & Tobielem nominari in litaniis, quas nuper Domnus Joannes Mabillonius vulgavit in Tomo secundo Analectorum suorum pag. 682. & Carolinas vocavit. Nam post synodum illam Romanam fas non erat nominare hos Angelos, quia non erant in auctoritate, ut dicitur in hoc nostro capite. Vrielis tamen Angeli nomen diu ante tempora Aldeberti & Caroli M. cognitum fuisse probat inscriptio reperta Romæ in Vaticano anno MDXLIV. in sepulcro Mariæ conjugis Honorii Imperatoris: in quo, ut Surius tradit in commentario rerum in orbe gestarum, inventa fuit *lamina ex auro, & in ea hæc nomina, Michael, Gabriel, Raphael, Vriel, Græcis literis.* Scriptum Sancti Angilberti de ædificiis, reliquiis, vasis &c. cœnobii Centulensis apud Bollandum Tomo III. Februarii: *In Ecclesiis vero Sanctorum Angelorum Gabrielis, Michaelis, & Raphaelis altaria tria.* Vide Burchardum libro 3. cap. 198. & Franciscum Alteserram in Notis ad breviationem canonum Ferrandi pag. 124.

(4) *Mulieres ad altare.*) Vide infra lib. 5. cap. 67. & lib. 7. cap. 190. 248. 262. Vide etiam Capitulare Theodulfi Episcopi Aurelianensis cap. 6. Capitulare Ahytonis Episcopi Basileensis cap. 16. Capitulare Attonis Episcopi Vercellensis cap. 11. & Notas ad Reginonem p. 556.

ordinatur, necnon & qui mediator est inter eos. Item de eadem re in canonibus Apostolorum: *Si quis Episcopus aut Presbyter aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur & ipse & ordinator ejus, & a communione abscidatur. Capitul. I. a. 789. c. 21.*

De libris canonicis.

XX. Item in eodem Concilio, ut canonici libri tantum legantur in Ecclesia. *Ibid. c. 20.*

De maleficis & incantatoribus.

XXI. Item in eodem Concilio, ut cocleatii, malefici, incantatores, & incantatrices fieri non sinantur, quos in Simone mago terribiliter Dominus damnavit. *Ibid. c. 18.*

De monachis, Clericis, & Presbyteris.

XXII. Item in eodem Concilio infra dua capitula (1), necnon & in decretis Leonis Papæ, ut nec monachi nec Clerici nec Presbyteri in secularia negotia (2) transeant. *Ibid. c. 22.*

De servis alterius non sollicitandis.

XXIII. Item in eodem Concilio præcipitur ut servum (3) alterius nullus sollicitet ad clericalem vel monachalem ordinem sine voluntate & licentia domini sui.

De stabilitate Episcoporum vel Clericorum.

XXIV. Item in eodem Concilio infra duo capitula, necnon & in Sardicensi, ut nec Episcopi nec Clerici transmigrent de civitate in civitatem. *Capitulare I. a. 789. c. 23.*

De Presbyteris non absolute ordinandis.

XXV. Item in eadem synodo, ut nullus absolute ordinetur & sine pronuntiatione stabilitatis loci ad quem ordinatur. *Ibid. c. 24.*

De proposito monachorum & Clericorum.

XXVI. Item in eodem Concilio, ut Clerici & monachi in suo proposito & voto, quod Deo promiserunt, permaneant. *Ibid. c. 25.*

De monachis qui ad clericatum provehuntur.

XXVII. Item in decretis Innocentii Papæ de eadem re, ut monachus, si ad clericatum provehatur, propositum monachicæ professionis non amittat. *Ibid. c. 26.*

De negotio Clericorum inter se.

XXVIII. Item in eodem Concilio, ut si Clerici (4) inter se negotium aliquod habuerint, a suo Episcopo dijudicentur, & non a secularibus. *Ibid. c. 27. lib. III. leg. Longob. tit. 1. c. 15.*

De conspiratione Clericorum vel monachorum.

XXIX. Item in eodem Concilio, ut nec Clerici nec monachi conspirationem vel insidias contra pastorem suum faciant. *Capit. I. a. 789. c. 28.*

De

---

(1) *Dua capitula.*) Tamen etsi plerique codices legant *duo capitula*, non dubitavi quin præferenda esset eorum auctoritas qui *dua* scriptum habent. Sic l. 4. cap. 21. pro eo quod reliqui codices habent *propter illa duo*, in uno codice Sangallensi legitur *dua*. Item lib. 5. cap. 76. *infra dua capitula*, in eodem codice Sangallensi, in Bellovacensi, Colbertino, Tiliano, Camberonensi. Vetus glossarium bibliothecæ regiæ: *Biceps, dua capita*. Ita etiam in veteri codice Collegii Parisiensis Societatis Jesu. Sic in recapitulatione solidorum juxta legem Salicam cap. 27. in codice Bigotiano legitur: *Hæc compositio ccc. solidorum in dua loca habetur*. Item ibidem cap. 31. *in dua loca habetur*. In eadem recapitulatione cap. 10. 27. 31. codex Sangallensis habet constanter *in dua loca*. In additamento legis Burgundionum cap. 18. Tilius edidit: *Et si duo paria pignoraverit*. Pro quo codex Bignonii habet *dua paria*. In lege Bajuvariorum tit. 1. cap. 14. §. 2. *duo modia sationis*. Ubi codex regius habet *dua*. Codex Corbionensis in capite 22. legis Alamannorum habet *panem modia dua*. Charta 99. S. Galli apud Goldastum: *Inter illa dua mansa cernebant*. Charta Acfredi Ducis Aquitanorum in Chartulario Brivatensi cap. 433. *dent pro me solidos dua milia*. Capitulare anni DCCCXVII. cap. 22. in codice Helmæstadiensi, *calciamenta diurna paria dua*. Dicebant etiam *dui* pro *duo*; ut in lege Alamannorum c. 98. §. 2. *sic ut duo teneant*. Pro quo in codice Thuano scriptum est, *sic ut dui teneant*. Scribebant etiam interdum *amba* pro *ambo*; ut apud Marculfum lib. 2. c. 40. in codice regio & in Pithœano *amba locella*. Quam lectionem nos ibi propterea retinuimus. Item *ponda* pro *pondo*, ut in Chronico Cameracensi Balderici lib. 1. cap. 52. pag. 89. in margine ex codicibus S. Gisleni & S. Mariæ Atrebatensis. *Digita* quoque dicebant, ut in capite octavo legis Alamannorum in editione Tiliana. *Redita* pro *reditus* legi in canone 36. Concilii Toletani quarti in vetustissimo exemplari Ecclesiæ Lugdunensis. *Censa* etiam pro *census* in Capitulis Caroli Calvi titul. 14. cap. 2. tit. 36. cap. 2. Eodem modo *mansa* dicebant & *modia*, ut pluribus exemplis ostendi posset.

(2) *Monachi ... negotia.*) Id est, commercia, ut apud Hieronymum in epistola ad Rusticum. Sic enim habet optimus codex Corbeiensis, pro eo quod in vulgatis editionibus scriptum est *compendia*.

(3) *Ut servum.*) In libro tertio legis Longobardorum tit. 1. cap. 16. legitur: *Ut servum alterius nemo sollicitet ad clericalem vel monachalem ascendere ordinem sine licentia domini sui & voluntate*. Vox *ascendere* hic superflua est, & non extat in antiquis codicibus manuscriptis bibliothecæ regiæ. Vide in Notis nostris ad Capitulare anni DCCCXXII. cap. 7.

(4) *Ut si Clerici.*) Vide infra cap. 38. Ceterum caput istud sic legitur in capite tertio Concilii Troslejani: *Ut Clerici & monachi, si inter se negotium aliquod habuerint, a suo Episcopo judicentur, & non a secularibus. Fas enim non est ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio*. Vide infra lib. 6. cap. 111. 390. & lib. 7. cap. 422. & Capitula data Presbyteris, descripta ex schedis Sirmondi.

De accuſatione laicorum contra Epiſcopos.

XXX. Item in eodem Concilio, ut laici Epiſcopos aut Clericos non accuſent, niſi prius eorum diſcutiatur exiſtimationis opinio. *Ibid. c.* 29.

De monaſteriis Deo dicatis.

XXXI. Item in eodem, ut loca (1), quæ ſemel Deo dicata ſunt ut monaſteria ſint, maneant perpetuo (2) monaſteria, nec poſſint ultra fieri ſecularia habitacula. *Ibid. c.* 30. *lib. III. Leg. Long. tit.* 1. *c.* 14.

De Fide Sanctæ Trinitatis prædicanda.

XXXII. In Concilio Carthaginenſi. Primo omnium neceſſe eſt ut fides Sanctæ Trinitatis, & incarnationis Chriſti, paſſionis, reſurrectionis, & aſcenſionis in cœlos (3) diligenter omnibus prædicetur. *Capitul. I. a.* 789. *c.* 31.

De avaritia.

XXXIII. Item in eodem, de prohibenda avaritia, ut nullus alienos fines uſurpet vel terminos patrum tranſcendat. *Ibid. c.* 32. *lib. I. Leg. Long. tit.* 26. *c.* 7.

De his qui ſe convertunt ad Deum.

XXXIV. Item in eodem, de his qui in periculo conſtituti ſunt, & convertunt ſe ad Deum (4), ut canonice inquirantur de reconciliatione, & canonice reconcilientur. *Capitul. I. a.* 789. *c.* 33. *Capitul. a.* 794. *c.* 35.

De his qui non ſunt bonæ converſationis.

XXXV. (5) Item in eodem, ut hi qui non ſunt bonæ converſationis, & eorum vita eſt accuſabilis, non audeant Epiſcopos vel majores natu accuſare. *Capitul. I.* 789. *c.* 34. *anni* 794. *c.* 34.

De his, qui excommunicato communicaverint.

XXXVI. Item in eodem, ut qui excommunicato præſumptioſe communicaverit, excommunicetur & ipſe. *Capitul. I.* 789. *c.* 35.

De ſubjectione Presbyterorum.

XXXVII. Item in eodem Concilio infra duo capitula, ut nullus Presbyter contra ſuum Epiſcopum ſuperbire audeat. *Ibid. c.* 36.

De Clericis eccleſiaſtici ordinis.

XXXVIII. Item in eodem, ut Clerici eccleſiaſtici ordinis, ſi culpam incurrerint, apud eccleſiaſticos judicentur, non apud ſeculares. *Ibid. c.* 37.

De virginibus Deo dicatis.

XXXIX. In Concilio Africano præcipitur ut virgines Deo conſecratæ a gravioribus perſonis diligenti cuſtodia ſerventur. *Ibid. c.* 39. *Capitul. a.* 794. *c.* 38.

De principali cathedra Epiſcoporum.

XL. Item in eodem, ut non liceat (6) Epiſcopo principalem cathedram (7) ſuæ parrochiæ neglegere & aliquam Eccleſiam in ſua dioceſi magis frequentare. *Capitul. I. a.* 789. *c.* 40. *Capitul. a.* 794. *c.* 39.

De falſis nominibus ſanctorum.

XLI. Item in eodem, ut falſa nomina mar-

(1) *Ut loca.*) Burchardus caput iſtud refert *ex Concilio apud Aquiſgrani cap.* 4. Sic etiam Ivo part. 3. cap. 17. in veteri codice Sancti Victoris Pariſienſis. Nam in editionibus legitur: *Ex Concilio Chalcedonenſi cap.* 23. In Pannormia edita libro 2. cap. 15. *Ex Concilio Chalcedonenſi cap.* 24. Sed in Pannormia Ms. in bibliotheca Colbertina ſcriptum eſt: *Ex Concilio apud Aquiſgrani.*

(2) *Maneant perpetuo.*) Hanc Caroli conſtitutionem non fuiſſe obſervatam docet caput tertium Concilii Troslejani, ubi refertur. Tum vero Epiſcopi addunt: *Nunc autem in monaſteriis Deo dicatis monachorum, Canonicorum, & ſanctimonialium, Abbates laici cum ſuis uxoribus, filiis, & filiabus, cum militibus morantur & canibus.* Vide ſynodum Anglicanam apud Celichyth habitam anno DCCCXVI. cap. 8. & Concilium Meldenſe cap. 75.

(3) *Aſcenſionis in cœlos.*) In codice Rivipullenſi legitur: *aſcenſionis in cœlos, & adventus Spiritus Sancti ſuper Apoſtolos, & fideli expectatione futuri judicii diligenter omnibus prædicetur.* Sed hæc non extant in Capitulari Aquiſgranenſi, neque in Concilio Carthaginenſi ex quo caput iſtud ſumptum eſt.

(4) *Convertunt ſe ad Deum.*) Id eſt, reconciliari ſe poſtulant divinis altaribus, a quibus ſubmoti fuerant propter ſua facinora & publicæ pœnitentiæ addicti. Hic eſt vetus ſenſus hujus loci, ut patet ex can. 32. Concilii tertii Carthaginenſis. Vide Notas Balſamonis & Zonaræ in canonem ſeptimum Concilii Carthaginenſis.

(5) Caput iſtud cum XXVIII, ſequentibus deeſt in codice Rivipullenſi.

(6) *Ut non liceat.*) Burchardus pro more ſuo caput iſtud refert *ex Concilio Rothomagenſi c.* 16.

(7) *Cathedram.*) Cathedra epiſcopalis apud auctores eccleſiaſticos interdum accipitur de ipſa ſede Epiſcopi in Eccleſia, aliquando de Eccleſia quam vocamus cathedralem, ut hic. Primi generis cathedræ erant olim ligneæ, etiam ævo Caroli Magni, ut oſtendit hic locus ex veteri homiliario Ms. Eccleſiæ Lugdunenſis: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi. Hæc verba Domini non debemus carnaliter intelligere, ut credamus Scribas & Phariſæos ſediſſe ſuper cathedras ligneas, ſicut modo ſolent ſedere Epiſcopi & Presbyteri in Eccleſia.* Alio vero ſenſu, ut diximus, eſt civitas in qua conſtituta eſt propria Epiſcopi ſedes, ubi debet aſſidue morari, niſi propter opus neceſſarium oporteat eum abeſſe. Quoniam vero nonnulli, liberioris ac quietioris vitæ cupidine ducti, civitates ſuas deſerebant ut ad ruſticanas parœcias ſe conferrent, Carolus, juxta conſtitutionem ſynodi Carthaginenſis, hanc licentiam libertatemque vivendi repreſſit. Vide Notas ad Reginonem pag. 542. & Franciſcum Florentem in titulum Decretalium de translatione Epiſcopi pag. 280.

martyrum & incertæ ſanctorum memoriæ (1) non venerentur. *Capitul. I. a. 789. c. 41.*

De uxore a viro dimiſſa.

XLII. Item in eodem, ut nec uxor a viro dimiſſa alium accipiat virum vivente viro ſuo, nec vir aliam accipiat vivente uxore priore. *Ibid. c. 42. lib. II. Leg. Long. tit. 13. c. 4.*

De judicibus a Metropolitano probatis.

XLIII. Item in eodem, ut probati a Metropolitano judices non ſpernantur. *Capitul. I. a. 789. c. 43.*

De accuſatione vilium perſonarum.

XLIV. Item in eodem infra duo capitula, ut viles perſonæ (2) non habeant poteſtatem accuſandi. Et ut ſi in primo crimine victi ſunt falſum dixiſſe, in ſecundo non habeant poteſtatem dicendi. *Ibid. c. 44.*

De virginibus velandis.

XLV. Item in eodem, ut virgines non velentur (3) ante XXV. annos, niſi rationabili neceſſitate cogente. *Ibid. c. 45. Capitul. a. 794. c. 44.*

De oblatis pauperum.

XLVI. In Concilio Gangrenſi, ut nulli liceat oblata quæ ad pauperes pertinent rapere vel fraudare. *Capitul. I. a. 789. c. 46.*

De jejuniis a ſacerdotibus conſtitutis.

XLVII. Item in eodem, ut eccleſiaſtica à ſacerdotibus jejunia (4) conſtituta ſine neceſſitate rationabili non ſolvantur. *Ib. c. 47.*

De his qui contra naturam peccant.

XLVIII. In Concilio Ancyronenſi: Inventi ſunt inter vos qui cum quadrupedibus vel maſculis contra naturam peccant, qui dura & diſtricta pœnitentia coercendi ſunt. Quapropter Epiſcopi & Presbyteri, a quibus judicium pœnitentiæ injungitur, conentur omnimodis hoc malum a conſuetudine prohibere vel abſcidere. *Ibid. c. 48.*

De Presbyteris, quo tempore ordinentur.

XLIX. In Concilio Neocæſarienſi, ut nullatenus Presbyter ordinetur ante trigeſimum (5) ætatis ſuæ annum; quia Dominus Jeſus Chriſtus non prædicavit ante trigeſimum annum. *Ibid. c. 49. Capitul. a. 794. c. 47.*

De pace danda.

L. In decretalibus Innocentii Papæ, ut pax detur ab omnibus, confectis Chriſti ſacramentis. *Capitul. I. a. 789. c. 52. anni 794. c. 48.*

De ſponſa alterius.

LI. In decretalibus Siricii Papæ, ut alterius ſponſam nemo accipiat. *Capit. I. a. 789. c. 50.*

De

(1) *Incertæ ſanctorum memoriæ.*) Id eſt, reliquiæ. Auguſtinus lib. 22. de civitate Dei cap. 8. *Ad aquas Tibilitanas Epiſcopo afferente Projecto martyris glorioſiſſimi Stephani memoriam.* Sic enim legitur in antiquis libris, ut Ludovicus Vives hic monet, & in veterrimis membranis bibliothecæ Colbertinæ, ubi tota iſta narratio hunc titulum habet: *Sermo S. Auguſtini Epiſcopi de S. Stephano.* Ibidem paulo poſt legitur: *Memorati memoriam martyris, quæ poſita eſt in caſtello Sinitenſi, quod Hipponienſi coloniæ vicinum eſt, ejuſdem loci Epiſcopus Lucianus populo præcedente atque ſequente portabat.* Item paulo poſt: *Per memoriam ſupradicti martyris, quam Poſſidius illo advexit Epiſcopus, ſalvus factus eſt.* In canone tamen quinquageſimo Concilii Africani, ex quo ſumptum eſt hoc caput, memoria accipitur pro altari, in quo poſitæ ſunt reliquiæ martyrum. Ideo autem iſtam conſtitutionem edidit Carolus M. quia ſeculo illo nonnulli monachi venditabant falſas Sanctorum reliquias, ut pluribus oſtendit Hugo Menardus in Notis ad Concordiam regularum pag. 124. Qua de re videndus eſt, præter cæteros, Amulo Lugdunenſis Archiepiſcopus in epiſtola ad Theodboldum Epiſcopum Lingonenſem. Præterea *ea tum ætas*, ut Brovverus ait in libro octavo Annalium Trevirenſium pag. 399. poſtremæ editionis, *reliquiis undique conquirendis avida fas nefaſque miſcebat.* Hinc fabulæ illæ de corporibus Sanctorum furto ſublatis. Veluti cum Ratisbonenſes putant Dionyſii Pariſienſis Epiſcopi corpus furto ſublatum apud ſe eſſe, ut Aventinus ſcribit in libro quarto Annalium Bojorum. Corpus item S. Martini Turonenſis Epiſcopi furto ſublatum habere ſe jactitant Salisburgenſes, ut patet ex narratione quæ extat apud Henricum Caniſium in Tomo ſexto lectionis antiquæ pagina 1221. Noſtri quoque Galli corpus S. Gregorii Magni furati ſunt ævo Ludovici Pii & in monaſterio S. Medardi Sueſſionenſis repoſuerunt, ſi vera eſt narratio quæ extat apud Bollandum in Tomo ſecundo Januarii pag. 284. Apud Flodoardum lib. 3. cap. 24. Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus ſcribit Ludovico Abbati S. Dionyſii *pro repetendo corpore S. Deodati, quod quidam Giſo, cupiditate rerum ipſius Sancti ductus, ex diœceſi Remenſi furtim transferri fecerat in Pariſiacenſem parochiam, inconſulto Epiſcopo in cujus jacebat epiſcopio.* In hiſtoria XXIII. Abbatum S. Albani pagina 88. legimus corpus ejuſdem Sancti ab Elienſibus doloſo titulo ac ſacrilego ſcelere retineri. Infinitum eſſet omnia perſequi. Incertas porro Sanctorum reliquias populis honorandas exhiberi vetuit ac ſub majore Eccleſiæ ſuæ altari collocari juſſit Anaſtaſius Germonius Archiepiſcopus Tarantaſienſis, ut patet ex actis ejuſdem Eccleſiæ lib. 3. tit. 45. cap. 1.

(2) *Ut viles perſonæ.*) In capitulis Caroli M. excerptis ex lege Longobardorum cap. 24. legitur: *Falſa perſona non habeat poteſtatem accuſandi.*

(3) *Ut virgines non velentur.*) Vide Hugonem Menardum in Notis ad librum ſacramentorum pagina 211. & Carolum Dufreſnium in Notis ad Annam Comnenam pag. 419.

(4) *Eccleſiaſtica jejunia.*) Vide infra lib. 5. cap. 152.

(5) *Ante trigeſimum.*) Flodoardus lib. 3. cap. 21. de epiſtolis Hincmari: *Johanni Rotomagenſi, reſpondens ad interrogationem ipſius de quodam Clerico qui ad Eccleſiam quondam promotus regendam, ordinari per ætatem rite non poterat.*

De nominibus recitandis.

LII. Item ejusdem, ut nomina publice non recitentur (1) ante preces sacerdotales. *Ibid. c.* 53.

De canonum institutis a Presbyteris non ignorandis.

LIII. Item ejusdem, ut nulli sacerdoti liceat ignorare sanctorum canonum instituta. *Ibid. c.* 54. *Capitul. a.* 794. *c.* 51.

De Clericis alterius Episcopi.

LIV. In decretis Leonis Papæ sancitum est, & in Sardicensi Concilio, ut Episcopus alterius Clericum ad se non sollicitet nec ordinet, *Capitul. I. a.* 789. *c.* 55.

De servis alterius.

LV. Item ejusdem, ut nullus Episcopus servum alterius ad clericatus officium sine domini sui voluntate promovere præsumat. Et hoc Gangrense Concilium prohibet. *Ib. c.* 56.

De sacerdotibus contra decretalia agentibus.

LVI. Item ejusdem, ut si quis sacerdotum contra constituta decretalia præsumptiose agens corrigi noluerit, ab officio suo submoveatur. *Ibid. c.* 57.

De viduis, a quibus non velentur.

LVII. In decretis Gelasii Papæ, ut nullus Episcopus viduas velare præsumat, *Ib. c.* 58.

De fide catholica, & primo præcepto legis.

LVIII. Primo omnium admonemus ut fides catholica ab Episcopis & Presbyteris diligenter legatur omnique populo prædicetur; quia hoc primum præceptum Domini Dei omnipotentis est in lege: *Audi Israel quia Dominus Deus tuus unus est:* & ut ille diligatur ex toto corde & ex tota mente & ex tota virtute. *Ibid. c.* 59.

De pace & concordia servanda.

LIX. Ut pax sit & concordia & unanimitas cum omni populo Christiano, inter Episcopos, Abbates, Comites, Judices, & omnes ubique seu majores seu minores personas: quia nihil Deo sine pace placet, nec munus sanctæ oblationis ad altare, sicut in evangelio ipso Domino præcipiente legimus. Et ut est illud secundum mandatum in lege: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Item in Evangelio: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Et iterum: *In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* In hoc enim præcepto discernuntur filii Dei & filii diaboli: quia filii diaboli semper dissensiones (2) & discordias movere satagunt; filii autem Dei semper paci & dilectioni student. *Ibid. c.* 60.

De judicibus.

LX. Ut quibus data est potestas judicandi,

(1) *Nomina recitentur.*) Augustinus in collatione tertia Carthaginiensi cap. 230. *In Ecclesia sumus, in qua Cæcilianus episcopatum gessit & diem obiit. Ejus nomen ad altare recitamus.* Vide S. Gregorium lib. 3. Indict. 12. epist. 37. Concilium Tulugiense habitum circa annum MXLV. *Nec inter fideles mortuos eorum nomina ad sacrum altare recitentur.* Ponebant super altare nomina quæ recitanda erant; ut patet ex veteri codice Coloniensi, quem Pamelius laudat in Tomo secundo Liturgicon Ecclesiæ Latinæ pag. 180. ubi ita legebatur: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum & eorum quorum nomina ad memorandum conscripsimus, ac super sanctum altare tuum conscripta adesse videntur.* Quæ verba legisse se in aliquot antiquis Codicibus refert eminentis doctrinæ, pietatis, dignitatisque, ac immortalis memoriæ vir Joannes Bona Cardinalis lib. I. liturg. c. XI. Probatur etiam istud ex vetustissimo libro sacramentorum monasterii Gellonensis in Septimania, ubi ita legitur cap. 316. *Prætende Domine misericordiam tuam famulis & famulabus tuis quorum commemorationem agimus, vel quorum nomina ante sancto altario tuo scripta adesse videntur, quorum numerum & nomina tu solus Dominus cognoscis, dexteræ cælestis auxilii, ut te toto corde perquirant, & qui digne postulant adsequantur, & animabus famulorum famularumque tuarum omnium fidelium catholicorum orthodoxorum qui tibi placuerunt quorum commemorationem agimus vel quorum nomina ante sancto altario scripta adesse videntur, remissionem cunctorum tribue peccatorum, indulgentiam quam semper optaverunt piæ supplicationis consequantur. Per Dominum.* Ex quibus locis videtur colligi non consuevisse recitari nomina singulorum, sed omnium in aversione, eorum videlicet qui in altari conscripti erant ut Presbyter celebrans de his præcipue cogitaret in oblatione sacrificii. In eclogis tamen Amalarii legimus ævo Caroli M. fuerunt in Ecclesiis nostris fuisse recitari nomina fidelium vivorum & defunctorum in ea Missæ parte quam nos canonem appellamus, non quidem in aversione, sed pronuntiatis singulorum nominibus. Aliquando nominum recitatio fiebat a Subdiacono retro altare. Probatur istud ex libro sacramentorum in editione Menardi pag. 264. *Subdiaconi a retro altari, ubi memoriam vel nomina vivorum & mortuorum nominaverunt vel recitaverunt, procedunt post Diaconum.* Auctor exegeseos in canonem Missæ: *Cum primum dicitur, Memento Domine famulorum famularumque tuarum, & sic deinde subjungitur, & omnium circumadstantium, manifestum est quod quasi quidam locus sit ubi aliquibus specialiter nominatis, etiam ceterorum qui assistunt in Ecclesia commemoratio adjungatur: in quo utique loco aut liberum est sacerdoti quos desideraverit peculiariter nominare & nominatim Deo commendare; aut certe illud ab antiquis observatum est ut ibi offerentium nomina recitarentur.* Exegeseos istius auctorem esse Florum reperi notatum manu clarissimi viri Pauli Petavii Senatoris Parisiensis.

(2) *Filii diaboli dissensiones.*) Eginhardus epistola 62. *Dæmones quippe, ut manifestissime patet, dissensione & perturbatione bonorum hominum gaudent, & discordia delectantur.* Sergius II. in epistola de vicariatu Drogonis; *At contra qui bella volunt, quia diaboli filii sint palam datur intellegi.*

di, juſte judicent, ſicut ſcriptum eſt: *Juſte judicate filii hominum*. Non in muneribus; quia munera excæcant corda prudentium & ſubvertunt verba juſtorum. Non in adulatione, nec in conſideratione perſonæ, ſicut in Deuteronomio dictum eſt: *Quod juſtum eſt judicate. Sive civis ſit ille, ſive peregrinus, nulla ſit diſtantia perſonarum; quia Dei judicium eſt*. Primo namque in judicio diligenter diſcernatur lex a ſapientibus populi compoſita, ne per ignorantiam a via veritatis erret. Et dum ille rectum intellegit judicium, caveat ne declinet aut per adulationem aliquorum, aut per amorem cujuslibet amici, aut per timorem alicujus potentis, aut propter præmium, a recto judicio. Rectum autem & honeſtum videtur ut judices jejuni (1) cauſſas audiant & diſcernant. *Ibid. c. 61. Lib. II. leg. Longob. tit. 52. c. 4.*

De perjuriis.

LXI. Habemus in lege Domino præcipiente: *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, neque aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*. Ideo omnino admonendi ſunt omnes diligenter ut caveant perjurium, non ſolum in ſancto evangelio vel in altari ſeu in ſanctorum reliquiis, ſed & in communi loquela. Quia ſunt aliqui qui per caritatem & veritatem jurant, & cavent ſe a juramento nominis Dei, & neſciunt quod idem eſt Deus quod eſt caritas & veritas, dicente Apoſtolo Johanne quia Deus caritas eſt. Item ipſe Dominus in evangelio: *Ego ſum via & veritas*. Ideo qui in veritate & caritate jurat, in Deo jurat. Item cavendum eſt ne Phariſaica ſuperſtitione aliquis plus aurum honoret quam altare, ne dicat ei Dominus: *Stulte & cæce, quid eſt majus, aurum an altare quod ſanctificat aurum?* Sed & nobis honeſtum videtur ut qui in ſanctis habet jurare (2), hoc jejunus faciat cum omni honeſtate & timore Dei. Et ſciat ſe rationem redditurum Deo unuſquiſque veſtrum, ubicumque ſit, ſive intra Eccleſiam, ſive extra Eccleſiam. Et ut parvuli qui ſine rationabili ætate ſunt non cogantur jurare (3). Et qui ſemel perjuratus fuerit, nec teſtis ſit poſt hæc, nec ad ſacramentum accedat, nec in ſua cauſſa (4) vel alterius jurator exiſtat. *Capitul. I. a. 789. c. 62. anni 794. c. 43. lib. II. leg. Long. tit. 55. c. 22.*

De auguriis vel aliis maleficiis.

LXII. Habemus in lege Domini mandatum: *Non auguriamini*. Et in Deuteronomio: *Nemo ſit qui ariolos ſciſcitetur, vel ſomnia obſervet, vel ad auguria intendat*. Item: *Nemo ſit maleficus nec incantator nec Phytonis (5) conſultor (6)*. Ideo præcipimus ut nec cauculatores (7) nec incantatores

---

(1) *Judices jejuni.*) Vide infra lib. 3. cap. 38. lib. 5. cap. 103. & lib. 6. cap. 232.

(2) *Habet jurare.*) Hæc eſt vera lectio, quam exhibent omnia fere vetera exemplaria. In uno tamen Vaticano, in Metenſi, & in Camberonenſi legitur, *audet jurare*. Quam lectionem habet etiam Regino, & poſt eum Burchardus, Ivo, & Gratianus. Burchardus porro pro ſua audacia conſtitutionem hanc tribuit Papæ Cornelio, quia nolebat eam laudare ex libris Capitularium. Vide Notas ad Gratianum pag. 532. & ad Reginonem pag. 590.

(3) *Non cogantur jurare.*) Poſt hæc verba ſequitur in vulgatis editionibus Capitularium, *ſicut Gunebodigni faciunt*. Certum eſt autem eam clauſulam additam fuiſſe a Johanne Tilio. Non extat enim in vetuſtis exemplaribus Anſegiſi, neque in editione Baſileenſi. Pari licentia eam Correctores Romani addiderunt apud Gratianum, ut illic monuimus. Vide etiam Notas ad Reginonem pag. 590.

(4 *Nec in ſua cauſſa.*) Hæc & quæ ſequuntur non extant in codice Colbertino, ſed iſta tantum: *contra Eccleſiam, vel Clericorum accuſator exiſtat.*

(5) *Phytonis.*) Ita vetera exemplaria. Editio Baſileenſis, *Phytonum*. Bavarica tamen & editiones Tilii & aliorum habent *Pythonis*. Quo modo ſcriptum eſt hodie in Deuteronomio.

(6) *Conſultor.*) In codicibus Regio, Trecenſi, Tiliano, Thuano, uno Sangallenſi, & in meo legitur *conſulator*, itemque in editione Baſileenſi. In altero Sangallenſi, *Phitones conſulantur*. Veteres librarii ſæpe confundebant vocabula *conſolatio*, *conſultatio*, *conlatio*. Utendum eſt exemplis. Nam hinc eruditi poſſunt interdum emendare corruptos veterum auctorum libros. Petrus Pithœus in Notis ad collationem legum Moſaicarum pag. 131. *Conſultationis*) *Vet.* conſolationis; *quo modo & in optimo Servii exemplari ſcriptum eſt eo loco lib. 3. Æneid. Augurium eſt exquiſita deorum voluntas per conſolationem avium aut ſignorum*. Fauſtus Rejenſis epiſtola quinta: *Pro cujus timore & amore conſolatio ipſa tractatur*. Ubi legendum eſt *conſultatio*. Sic in epiſtola 21. Hormiſdæ conſolatio dicitur quæ conſultatio dicta fuit in epiſtola 17. Cum autem librarii dubitabant utra lectio præferenda eſſet, utramque ponebant; ut in epiſtola 36. Hincmari, *pro diverſorum patrum conſolatione vel conſultatione*. Nam in opuſculo LV. capitulorum cap. 25. & 43. legitur ſimpliciter, *pro diverſorum patrum conſolatione*. Sumptus eſt autem iſte locus ex decreto Gelaſii de libris canonicis & apocryphis; ubi pro eo quod Hincmarus hic habet *conſolatione*, Nicolaus Primus *conſultatione* poſuit in epiſtola XLII. ad Archiepiſcopos & Epiſcopos apud Gallias conſtitutos, cujus partem refert Gratianus diſt. 19. cap. *Si Romanorum*. In lege Burgundionum tit. 60. §. 1. legitur: *nova lege futuris temporibus conſulatur*. Pro quo codex Bigotianus habet *conſolatur*. Apud Sanctum Ambroſium ſermone ſexto legitur: *ſine aliqua prædicationis conſolatione dimiſerim*. Hic vero vetuſtiſſimus codex Eccleſiæ Lugdunenſis habet *conſulatione*. Sic lib. 5. Capitularium cap. 35. pro eo quod quidam codices legunt *conſultandum*, alii *conſulendum*, Normannicus & unus Sangallenſis habent *conſulandum*. Plura exempla ſi quis requirit, conſulat Salmaſium in Notis ad Julium Capitolinum pag. 92. Illud tantum addam, dictum aliquando fuiſſe *conſulare* pro *conſolari*. Fortunatus lib. 4. cap. 6. in Epitaphio Exotii Epiſcopi civitatis Lemovicinæ:

Sed quia non licuit, populum ſpes conſulat illa
Hunc quod pro meritis vexit ad aſtra fides.

(7) *Cauculatores.*) Ita plerique codices. Alii *calculatores*. Regius, Trecenſis, & meus, *auguriatores*. Vaticanus unus, Colbertinus, & unus Sangallenſis, *auguratores*.

res (1) nec tempeſtarii (2) vel obligatores fiant. Et ubicunque ſunt, emendentur vel damnentur. Item de arboribus vel petris (3) vel fontibus, ubi aliqui ſtulti luminaria vel alias obſervationes faciunt, omnino mandamus ut iſte peſſimus uſus & Deo execrabilis, ubicunque invenitur, tollatur & deſtruatur. *Capitul. I. a. 789. c. 63.*

De odio vel invidia.

LXIII. Prædicare (4) neceſſe eſt quantum malum ſit odium vel invidia. In lege enim ſcriptum eſt: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publice argue eum.* Item Johannes evangeliſta: *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Item in evangelio: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Et cetera quæ ibi leguntur (5). *Ibid. c. 64.*

De avaritia vel concupiſcentia.

LXIV. De avaritia autem legimus Apoſtolum dicentem: *Avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus, cavenda.* De concupiſcentia vero legitur quod radix ſit omnium malorum. Et in lege: *Non concupiſces rem proximi tui. Ibid. eod.*

De honore parentum.

LXV. Hoc cum magno ſtudio admonendum eſt, ut filii honorent parentes ſuos; quia ipſe Dominus dicit: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Ibid. c. 67.*

De fide Presbyterorum ab Epiſcopis diſcutienda.

LXVI. Ut Epiſcopi diligenter diſcutiant (6) per ſuas parrochias Presbyterorum fidem, baptiſma catholicum, & Miſſarum celebrationes, ut fidem rectam teneant, & baptiſma catholicum obſervent, & Miſſarum preces bene intellegant, & ut pſalmi digne ſecundum diviſiones verſuum modulentur (7), & dominicam orationem ipſi intellegant (8), & omnibus prædicent intellegendam, ut quiſque ſciat quid petat a Deo. Et ut *Gloria* (9) *Patri* cum omni honore apud omnes cantetur; & ipſe ſacerdos cum ſanctis angelis & populo Dei communi voce, *Sanctus, ſanctus, ſanctus* decantet. Et omnimodis dicendum eſt Presbyteris & Diaconibus ut arma (10) non

(1) *Nec incantatores.*) Iſta non extant in antiquis exemplaribus Regio, Trecenſi, Pithœano, Pariſienſi, & meo.

(2) *Tempeſtarii.*) Qui fulgura & tonitrua aliaſque aeris tempeſtates excitare ſe poſſe profitebantur. Vide Notas ad librum Agobardi de grandine & tonitruis pag. 68. & Reginonem lib. 2. cap. 353. 355.

(3) *Arboribus vel petris.*) Vide S.Gregorium lib. 7. Indict. 1. epiſt. 5. S. Eligium in homilia edita in tomo quinto Spicilegii Dacheriani pag. 215. 217. Reginonem lib. 2. cap. 358. 359. ubi vide Notas. Vide etiam capitula data Presbyteris, quæ Sirmondus deſcripſit ex Vaticano & Caſinenſi codicibus.

(4) *Prædicare.*) Caput iſtud cum tribus ſequentibus deeſt in codice Normannico.

(5) *Et cetera quæ ibi leg.*) Hæc deſunt in codice S. Vincentii Metenſis. In ceteris exemplaribus, nullo excepto, legitur tantum *& reliqua*. Nihil tamen mutare voluimus, quia hæc leviora ſunt.

(6) *Diligenter diſcutiant.*) Sapienter ſane ac prudenter iſta jubet Carolus. Nam qui ad Presbyteri gradum aſpirabant, literis tamdiu dabant operam donec ad ordinationem perveniſſent & titulum ab Epiſcopo ſuſcepiſſent. Poſtea plerique literarum ſtudia omittebant, ut patet ex Flodoardo lib. 3. cap. 28. de epiſtolis Hincmari: *Item pro quodam Presbytero qui ea quæ de ſuo miniſterio quondam didicerat, poſt ordinationem ſuam per incuriam fuerat oblitus.* Itaque Epiſcopus, cum diœceſim ſuam circuibat, petere tenebatur a Presbytero, *ſi epiſtolam & evangelium bene legere poſſit atque ſaltem ad litteram ejus ſenſum manifeſtare*, ut legitur in Inquiſitione quæ extat in libro primo Reginonis de eccleſiaſticis diſciplinis. Rediit deinde hæc temporum infelicitas, ut colligitur ex oratione 26. Iſidori Clarii Epiſcopi Fulginatis in ſermonem Domini in monte habitum, ubi optimus ille Epiſcopus ſic clerum ſuum alloquitur: *Date præterea operam ut eos in literarum ſtudia progreſſus faciatis ut in divinis lectionibus verſari quotidie & ea in ipſis conficere ſpatia poſſitis quæ veſtri ordinis hominibus ſunt conſentanea. Alioqui ne expectet quiſquam veſtrum ſe ad ſacros ordines eſſe a me promovendum qui ea quæ leget, ſaltem in ſanctorum evangeliorum contextu, non ſit idoneus intelligere. Nam hoc inviſendarum parochiarum tempore neminem fere ſacerdotem reperi qui ea quæ legeret, ſciret interpretari.* Ea de cauſa hanc ſaluberrimam conſtitutionem in ſynodo ſua anno MDXLVII. edidit: *Illud in primis, quod multorum ne dicam omnium malorum in Eccleſia Chriſti cauſa eſt, caveatur, ne temere ac ſine judicio ſacerdotes recipiantur, præſertim ad curam animarum. Nam in hac viſitatione deprehendimus maximam in eis ignorantiam, ut nonnulli non ſolum nihil eorum intelligant quæ legunt, verum ne recte quidem legere ſciant.* In nonnullis florentiſſimi iſtius regni provinciis, cum plures in una domo ſint filii, primus deſtinatur continuandæ genealogiæ, alter ſtudiis literarum traditur ut Presbyter eſſe poſſit. *Il eſtudie pour eſtre Preſtre.* Sic enim loquuntur parentes. Ubi vero ordinati ſunt in gradu, cujus cauſa acceſſerant ad ſtudia literarum, libros deinceps non tractant, ſed vitam in otio & ſilentio per ſummam ignaviam & inertiam tranſeunt, partim tabernas ingredientes bibendi & edendi cauſa contra ſanctorum canonum inſtituta & capitularia ſanctionum, partim venationi & aucupio ludoque operam dantes contra veterem diſciplinam. Vide Concilium Cloveshoviæ cap. 10.

(7) *Pſalmi modulentur.*) Auctor vitæ Alcuini: *Juvenis pſalmorum modulationem ſecretam non tantum quantum aliam lectionem amaverat.*

(8) *Domin. orat. intellegant.*) Vide Capitulare quintum anni DCCCXIV. cap. 3.

(9) *Et ut Gloria.*) In codice Rivipullenſi ſic legitur hic locus: *Et ut Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto cum omni honore apud omnes cantetur, & ipſe ſacerdos cum ſanctis angelis & dominationibus & poteſtatibus & cœli cœlorum virtutibus & Cherubim & Seraphim & populo Dei &c.*

(10) *Arma non portent.*) Legibus enim cautum erat ne ſacerdotes arma tractarent, neve agi-

non portent (1), ſed magis ſe confidant in oratione Dei quam in armis. *Ibid. c. 68.*

De honore Eccleſiæ Dei.

LXVII. Placuit (2) nobis admonere ut unuſquiſque Epiſcopus videat per parrochiam ſuam ut Eccleſia Dei ſuum habeat honorem, ſimul & altaria ſecundum ſuam dignitatem (3) venerentur, & non ſit domus Dei & altaria ſacrata pervia canibus. Et ut vaſa ſacrata Deo cum magna veneratione habeantur. Et ut ſacrificia ſanctificata (4) cum magna diligentia ab eis colligantur qui digni ſunt, & cum honore ſerventur (5), & ut ſecularia negotia vel vaniloquia in Eccleſiis non agantur: quia domus Dei domus orationis debet eſſe, non ſpelunca latronum; & intentos habeant animos (6) ad Deum quando veniunt ad Miſſarum ſolemnia, & ut non exeant ante completionem benedictionis ſacerdotalis. *Ibid. c. 69.*

De miniſtris altaris Dei, & de ſchola.

LXVIII. Sed & hoc flagitamus veſtram almitatem (7), ut miniſtri altaris Dei ſuum miniſterium bonis moribus ornent, ſeu alii Canonici obſervent eorum ordines vel monachi propoſitum conſecrationis. Obſecramus ut bonam & probabilem habeant converſationem (8), ſicut ipſe Dominus in evangelio præcepit: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt:* ut eorum bona converſione multi protrahantur ad ſervitium Dei. Et non ſolum ſervilis conditionis infantes ſed etiam ingenuorum (9) filios adgregent ſibique ſocient. Et

---

agitatores ſanguinis eſſent. Poſtea tamen cenſuerunt Principes debere illos reipublicæ auxilia ad arcendos hoſtium incurſus. Illi vero preces ſuas offerebant. Hincmarus epiſt. 9. ad Epiſcopos Remenſis provinciæ cap. 4. *Qua de re nobis Epiſcopis ſatis agendum eſt ne in conſilio quod a nobis reipublicæ miniſtri ſecundum Domni Regis mandatum petierint, a noſtro miniſterio excidamus, & ne de auxilio, quantum Deus unicuique noſtrum poſſe dederit, abſcedamus, ſequentes ſententiam Domini dicentis: Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. In auxilio igitur præbeamus arma divina, jejunia, orationes, lacrymas, implorationes ad ſanctorum ſuffragia, & auxilia divina per nos noſtraſque parochias.* Cum per hæc Epiſcopi ſe excuſarent a præſtandis ſubſidiis in magnis regni periculis, miniſtri regii reponebant rempublicam aliis auxiliis indigere, & Pippinum Regem, cum in Italiam profectus eſt ad defenſionem Sedis apoſtolicæ, non excommunicatione apoſtolica ſed virtute hoſtili Haiſtulfum Regem Longobardorum oppreſſiſſe, Italiam domuiſſe, juſtitias S. Petri obtinuiſſe. Teſtis idem Hincmarus in epiſt. 41. ad Hadrianum Papam: *Pippinus non excommunicatione apoſtolica ſed virtute hoſtili Haiſtulfum qualemcunque Regem Chriſtianum oppreſſit, & Italiam domuit, atque juſtitias S. Petri obtinuit.* Et paulo poſt: *Et vos ergo ſolis orationibus veſtris regnum contra Nortmannos & alios impetentes defendite, & noſtram defenſionem nolite quærere.* Contra S. Ambroſius in ſermone 86. *Ubi ſunt qui dicunt plus quam preces ſanctorum hominum arma poſſe? Ecce una oratio Heliſæi totum exercitum vulneravit, & unius Prophetæ meritis omnis eſt hoſtium numerus captivatus.* In legibus Edouardi Regis Angliæ, quæ in appendice Bedæ editæ ſunt, legitur cap. XI. Eccleſiam Anglicanam & etiam omnem terram quæ in dominio Eccleſiæ erat, ubicunque jacebat, liberam & immunem fuiſſe a tributo quod danegeldum vocabant, *quia magis in Eccleſiæ confidebant orationibus quam in armorum defenſionibus.* Et Paulus Papa in epiſtola vigeſima codicis Carolini, quæ data eſt ad Pippinum Regem, ait regalis potentiæ culmen plus fidei virtute quam bellatorum armis præſidio & fortitudine circumtegi. Elegans porro & feſtiva eſt narratio de Philippo Auguſto & clero Remenſi apud Willelmum Britonem in libro ſecundo Philippidos extremo. Narrat enim Willelmus Philippum, gravi bello implicitum, ſubſidium petiiſſe a perſonis eccleſiaſticis provinciæ Remenſis, iſtos vero reſpondiſſe in hunc modum:

Qui pro Rege ſuo Regi ſuffragia ſummo
Fundere cum precibus ajunt ſe jure teneri,
Non ſolidos dare vel cenſum, ne poſtea forte
Eccleſiæ pariant ex conſuetudine damnum.

(1) *Diac. ut arma non portent.*) Memorabilem hiſtoriam Diaconi arma portantis exhibet vetus charta Landavienſis a clariſſimo viro Gulielmo Dugdalo edita in tomo tertio Monaſtici Anglicani pag. 208.

(2) *Placuit.*) In editione Tiliana & in Pithœana legitur: *Placuit nobis admonere reverentiam veſtram ut unuſquiſque veſtrum videat &c.* Certum eſt ita legi in Capitulari Aquiſgranenſi, ex quo caput iſtud ſumptum eſt. Verum cum omnia Anſegiſi vetera exemplaria lectionem præferant quæ eſt in editione Baſileenſi, nos illam putavimus eſſe retinendam. Nam & Regino legit uti nos edidimus.

(3) *Suam dignitatem.*) Unus codex Sangallenſis habet *illorum magnitudinem.*

(4) *Sacrificia ſanctificata.*) Codex Bellovacenſis, *ſacrificia ſanctificata Deo.* Unus Vaticanus, Colbertinus, Trecenſis, & alter Sangallenſis, *ſacrificia ſacrata Deo.*

(5) *Serventur.*) Hæc eſt vera lectio, quam pleraque vetera exemplaria confirmant. In Pithœano tamen, in Thuano, Metenſi, Camberonenſi, Divionenſi, & Pariſienſi legitur *ſerviant*, in Tiliano *ſervant*. Baſileenſis item editio habet *ſerviant*. Sed Heroldus admonuit in margine legendum eſſe *ſerventur.*

(6) *Animos,*) Dubium non eſt quin ea lectio optima ſit. In vetuſtiſſimis tamen codicibus Remenſi, Pithœano, Pariſienſi legitur *homines*, manifeſto errore.

(7) *Almitatem.*) Editio Baſileenſis, *altitudinem.* Sed Heroldus repoſuit *almitatem* in margine. S. Bonifacius epiſt. 92. *Propterea almitatis veſtræ clementiam diligenter in Dei nomine deprecor.*

(8) *Obſecr. ut b. & pr. habeant conv.*) Hæc eſt lectio editionis Baſileenſis & omnium veterum exemplarium, uno excepto Tiliano, in quo ſcriptum eſt: *Obſecramus ut bonam & probabilem vitam & converſationem habeant.* Quæ ſane lectio extat in Capitulari Aquiſgranenſi, ubi eam retinuimus. Sed hic, in collectione Anſegiſi, qui ſæpe aliter ſcripſit quam invenerat in fontibus, præferendum putavimus conſenſum veterum librorum.

(9) *Sed etiam ingenuorum.*) Vita Sancti Meinwerci Epiſcopi Paderbonenſis cap. 2. *Pueros tam nobiles quam inferioris conditionis in ſcholam congregatos in divinæ lectionis eruditione nutrire.* Vixit ſub Carolo Magno.

Et ut scholæ (1) legentium puerorum (2) fiant. Psalmos, notas (3), cantus, compotum (4), grammaticam per singula monasteria vel episcopia discant. Sed & libros catholicos bene emendatos (5) habeant: quia sæpe dum bene aliquid Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros male rogant, & pueros (6) vestros non sinite eos vel legendo vel scribendo corrumpere. Et si opus est evangelium & psalterium & Missale scribere, perfectæ ætatis homines scribant cum omni diligentia. *Ibid. c.* 70.

De voto monachorum, & clericorum.

LXIX. Simul & hoc rogare curavimus, ut omnes ubicunque qui se voto monachicæ (7) vitæ constrinxerunt (8), monachice (9) & regulariter omnimodis secundum votum suum vivant, secundum quod scriptum est: *Vota vestra reddite Domino Deo vestro.* Et iterum: *Melius est non vovere quam vovere & non reddere.* Et ut ad monasteria venientes secundum regularem ordinem primo in pulsatorio (10) probentur, & sic recipiantur. Et qui ex seculari habitu in monasteria veniunt, non statim foras ad ministeria monasterii mittantur antequam intus bene erudiantur (11). Et ut monachi ad secularia placita non vadant (12). Similiter qui ad clericatum accedunt, quod nos nominamus canonicam vitam, volumus ut illi canonice secundum suam regulam omnimodis (13) vivant. Et Episcopus eorum regat vitam, sicut Abba monachorum. *Ibid. c.* 71.

(1) *Scholæ.*) Magna Carolo cura erat de studiis literarum. Itaque Lupus Ferrariensis in epistola prima hanc ei gloriam tribuit ut studia literarum per eum cœpta sint revocari: *cui literæ*, inquit, *eo usque deferre debent ut æternam ei parent memoriam.* De schola Paderbonensi ab ipso instituta dictum est supra. De eadem sic scriptum est in vita ejusdem Sancti Meinwerci cap. 52. *Studiorum multiplicia sub eo floruerunt exercitia, & bonæ indolis juvenes & pueri strenue instituebantur norma regulari, proficientes haud segniter in claustrali disciplina omniumque literarum doctrina.* Vide Concilium Valentinum III. cap. 18. Capitulare Theodulfi cap. 9. Capitula Walterii cap. 7. Reginonem libro 1. cap. 207. & Maderi præfationem ad Chronicon Montis-Sereni sive Lauterbergense pag. 9.

(2) *Legentium puerorum.*) S. Bonifacius epist. 92. *Quidam sunt monachi per cellulas nostras, & infantes ad legendas literas ordinati sunt.* Leidradus Archiepiscopus Lugdunensis in epistola ad Carolum M. *Habeo scholas lectorum, non solum qui officiorum lectionibus exercentur, sed etiam in divinorum librorum meditatione spiritalis intelligentiæ fructus consequantur.* Vide Filesacum lib. 2. Selectorum pag. 208.

(3) *Notas.*) Musicas videlicet. Ademarus in vita Caroli capite 8. ait Hadrianum Papam ei dedisse anno DCCLXXXVII. *Antiphonarios S. Gregorii, quos ipse notaverat nota Romana.* Et paulo post: *Omnes Franciæ cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant notam Franciscam.* In vetustissimo libro sacramentorum qui extat in bibliotheca monasterii Compendiensis hæc leguntur antiquis characteribus scripta: *Gregorius Præsul meritis & nomine dignus summum ascendens honorem renovavit monimenta patrum priorum, & composuit hunc libellum musicæ artis scholæ cantorum per anni circulum.* Scholæ cantorum mentio est in libro sacramentorum pag. 63. ex editione Hugonis Menardi, & in epistola prima Leidradi Archiepiscopi Lugdunensis ad Carolum M. *Habeo scholas cantorum, ex quibus plerique ita sunt eruditi ut alios etiam erudire possint.* Jubet igitur Princeps ut qui ministerio altarium destinantur, artem psallendi & canendi discant. Ac sane magnam istarum rerum curam eum habuisse docet Eginhardus in vita ejus: *Legendi atque psallendi disciplinam diligentissime emendavit. Erat enim utriusque admodum eruditus.* De notis grammaticis dicetur infra ad cap. 105.

(4 *Compotum.*) Eginhardus in vita Caroli M. *Discebat & artem computandi.* Ademarus in loco paulo ante laudato refert Roma discedentem anno DCCLXXXVII. secum duxisse *Cantores Romanorum & Grammaticos peritissimos & Calculatores.* Capitula Walterii Aurelianensis cap. 22. *Ut omnes Presbyteri calculandi peritiam habeant, & suos in idipsum studiose erudiant.* Vide Chronicon Fontanellense cap. 15. in tomo 3. Spicilegii Dacheriani & Notas ad Reginonem pag. 541.

(5) *Libros emendatos.*) Vide infra cap. 103. & Walterium cap. 7.

(6) *Pueros.*) Id est, Clericos in ætate tenera constitutos, quos, cum Presbyterorum sumptibus alerentur, nutritos Presbyterorum vocabant, ut colligitur ex Capitulari quinto anni DCCCXIV. cap. 5. & ex Capitulis Hincmari tit. 4. cap. 5. Alibi puerorum vocabulo servi intelliguntur, ut apud Sanctum Ambrosium lib. 1. de Abraham cap. 9. *Unde & pueros dicimus quando servulos significamus, non ætatem exprimentes, sed conditionem.* Sic etiam plerique intelligunt locum illum ex evangelio secundum Joannem: *Est puer unus hic habens quinque panes hordeaceos.*

(7) *Monachicæ.*) Hæc est lectio editionis Basileensis & codicum Remensis, Pithœani, Sangallensis, Parisiensis, & Metensis; Normannicus, Vaticanus, Camberonensis, Colbertinus, Trecensis, alter Sangallensis, & meus habent *monastitæ*. Alii *monachicæ*.

(8) *Constrinxerunt.*) Quidam codices habent *constrinxerint*.

9) *Monachice.*) Ita legendum esse monuit Heroldus in margine editionis Basileensis, tamen etsi in contextu posuerit simpliciter *monachi*. Sane fatendum est majorem veterum exemplarium partem habere lectionem quam Heroldus retinuit in contextu. Eam tamen quam nos reposuimus, quæ sincerior videtur, habent Parisiense, Pithœanum, Remense, & unum ex duobus Sangallensibus.

(10) *Pulsatorio.*) Loco in quo noviter venientes ad conversionem suscipiuntur, sic dicto quia ibi non recipiebantur nisi postquam diu pulsaverant. Non est opus istud probare exemplis. Adferam tantum testimonium Gerardi Abbatis Silvæ-majoris ex capite 1. de vita S. Adalardi Abbatis Corbejensis: *In hoc itaque loco pulsans & pulsando admissus secundum regulam S. Benedicti instituendus &c*

(11) *Erudiantur.*) Unus codex Sangallensis, *enutriantur*.

(12) *Vadant.*) In codice regio, in Trecensi, & in meo legitur *eant*.

(13) *Omnimodis.*) Regius & meus, *omnimode*. Trecensis, *omnino*.

De susceptione hospitum.

LXX. Venerabile enim (1) videtur ut hospites (2), peregrini, & pauperes susceptiones regulares & canonicas per loca diversa habeant; quia ipse Dominus dicturus erit in remuneratione magni diei: *Hospes eram, & suscepistis* (3) *me.* Et Apostolus hospitalitatem laudans dixit: *Per hanc quidam placuerunt Deo, angelis hospitio susceptis. Ibid. c.* 73.

De Abbatissis contra morem Ecclesiæ Dei facientibus.

LXXI. Auditum est aliquas Abbatissas (4) contra morem sanctæ Dei Ecclesiæ benedictiones & manus impositiones & signacula sanctæ crucis super capita (5) virorum dare, necnon & velare virgines cum benedictione sacerdotali. Quod omnino a vobis, sanctissimi patres, in vestris parrochiis illis interdicendum esse scitote. *Ibid. c.* 74.

De Clericis qui se fingunt esse monachos.

LXXII. Ut illi Clerici (6) qui se fingunt habitu vel nomine monachos esse, & non sunt, omnimodis videtur corrigendos atque emendandos esse (7), ut vel veri monachi sint vel veri Canonici. *Ibid. c.* 75.

De pseudographis & dubiis narrationibus.

LXXIII. Pseudographiæ (8) & dubiæ narrationes, vel quæ omnino contra fidem catholicam sunt, ut epistola pessima (9) & falsissima (10) quam transacto anno (11) dice-

(1) *Venerabile enim.*) Ita plerique codices. In nonnullis deest vox *enim*. Editiones habent; *Et hoc nobis competens & venerabile videtur.* Certum est ita legi in Capitulari Aquisgranensi, ex quo caput istud acceptum est. Sed nos hic repræsentamus editionem Ansegisi.

(2) *Hospites.*) Hæc est lectio omnium ferme veterum exemplarium. In Remensi tamen, in Pithœano, & in Parisiensi legitur, *ut hospitum, peregrinorum, & pauperum susceptiones regulares & canonici per diversa loca habeant.* Sane in omnibus Ansegisi vetustis codicibus legitur *canonici*. Quo etiam modo scriptum est in editione Basileensi.

(3) *Suscepistis.*) Codex Rivipull. *collegistis.*

(4) *Abbatissas.*) Vir illustrissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Monspeliensis in Notis ad epistolas Innocentii III. pag. 97. egregie illustrat hoc caput, adductis etiam verbis Concilii sexti Parisiensis lib. 1. cap. 43. ex quibus intelligitur hunc abusum etiam post istam Caroli constitutionem viguisse in regno Francorum. Observationes postea eruditissimi Antistitis descripsit Christianus Lupus in scholiis ad librum Tertulliani de præscriptionibus pag. 57. & sequenti, ubi adnotat hanc femineam audaciam occasionem & originem sumpsisse ex Caroli Martelli in ecclesiasticas facultates violenta rapina, quæ omnes Francici regni per Galliam ac Germaniam Ecclesias redegit ad extremam inopiam, atque ita plures tandem orbavit Episcopis & Clericis; hanc miseriam mansisse usque ad apostolatum S. Bonifacii, & isto medio tempore quasdam Abbatissas, quod Episcopos non haberent, cœpisse suas moniales velare & consecrare. Hæc sunt verba Lupi. Vellem autem ut vir doctus ista aliquo veteris cujuspiam scriptoris testimonio confirmasset. Nam quod a recentiore auctore in rebus adeo antiquis sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur, ut recte monet illustrissimus Cardinalis Baronius. Nuspiam autem importunius quam in hoc loco sugillata est memoria Principis, quem & ipsi Romani Pontifices laudibus prosecuti sunt, & cui amplum restauratæ religionis & disciplinæ ecclesiasticæ testimonium apud eosdem Pontifices præbuit S, Bonifacius. Sed hic, ut & sæpe alibi, inquietum erga Francos animum prodit Lupus, a nullo nostrum nondum, quod sciam, læsus, certe non lacessitus. Sed ut ad temeritatem Abbatissarum redeamus quæ in hoc capite damnatur, ea quoque damnata est anno DCCCXXIX. in Concilio Parisiensi, ut diximus, & postea a Ludovico Pio, cujus decretum extat in Additione secunda Capitularium cap. 16. *Simile decretum*, inquit Christianus Lupus, *Isidori Mercatoris collectio adscribit sancto Pontifici Eutychiano. At certum est quod sit alicujus Gallicanæ synodi. An sit sexta Parisiensi anterius vel posterius, ignoro.* Multifariam in hoc loco falsus est vir eruditus. Primo enim certum est caput de quo illic agitur non extare in collectione Isidori, sed tantum inter decreta Eutychiani collecta ex Ivone & Gratiano, & post ejusdem Pontificis epistolas edita in vulgatis editionibus Conciliorum. Deinde certum quoque est caput illud non esse alicujus Gallicanæ synodi, sed Ludovici Pii, qui illud sancivit post admonitionem Episcoporum Concilii Parisiensis. Error hinc ortus quod Burchardus, qui Capitularium auctoritatem laudare nolebat, cum hoc caput referre statuisset in sua collectione, titulum istius capitis, ut sæpe solet, mutavit, & Eutychiano Papæ tribuit constitutionem quæ Ludovici Imperatoris erat.

(5) *Capita.*) In codice regio, in Trecensi, & in meo legitur, *caput.*

(6) *Ut illi Clerici.*) Burchardus lib. 8. cap. 7. caput istud refert ex Concilio Toletano, ut solet.

(7) *Videtur corr. atque em. esse.*) Hæc est lectio vetustissimorum exemplarium, sed non omnium. Nam regium, Bellovacense, Trecense, Colbertinum, unum Sangallense, Camberonense, & meum habent *corrigantur atque emendentur.* Quo etiam modo scriptum est apud Burchardum. Amerbachius & Heroldus eam lectionem exhibent quam nos retinuimus.

(8) *Pseudographiæ.*) Ita veteres codices, nisi quod quidam habent *pseudographias*, alii *pseudographia*, ut Amerbachius. Regius, Trecensis, & meus legunt *pseudographæ.* Quo etiam modo scriptum est in editione Basileensi. Sed in prima appendice Reginonis legitur *pseudographiæ.*

(9) *Epistola pessima.*) Iidem tres codices habent *epistolæ pessimæ & falsissimæ quas.* Postea Trecensis habet *cecidissent.* Sed regius & meus, *cecidisset.*

(10) *Falsissima.*) Editiones Bavarica & Basileensis, *fallacissima.*

(11) *Transacto anno.*) Id est, anno septingentesimo octuagesimo octavo. Nam Capitulare istud editum fuit anno DCCLXXXIX. apud Aquisgranum. Itaque hic locus intelligi non potest de epistola quam Adalbertus ad se venisse de cœlo dicebat, ut est in actis Concilii Romani sub Zacharia. Fortassis est illa cujus fragmenta quædam reperi inter schedas illustrissimi viri Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis, descripta ex quodam veteri codice Hispaniæ Tarraconensis.

cebant aliqui (1) errantes & in errorem alios (2) mittentes quod de cœlo cecidiſſet, nec credantur (3), nec legantur, ſed comburantur, ne in errorem pro tali ſcripto populus mittatur. Sed ſoli canonici libri & catholici tractatus & ſanctorum auctoritates & dicta legantur & tradantur. *Ibid. c. 76.*

De cantu Romano a monachis peragendo.

LXXIV. Monachi ut cantum Romanum pleniter & ordinabiliter per nocturnale vel gradale officium peragant, ſecundum quod genitor noſter Pippinus Rex decertavit (4) ut fieret quando Gallicanum cantum tulit ob unanimitatem apoſtolicæ ſedis (5) & ſanctæ Dei Eccleſiæ pacificam concordiam. *Ibid. c. 78.*

De operibus ſervilibus quæ diebus dominicis non ſunt agenda.

LXXV. Statuimus (6) quoque, ſecundum quod in lege Dominus præcepit, ut opera ſervilia diebus dominicis non agantur, ſicut & bonæ memoriæ genitor meus in ſuis ſynodalibus edictis (7) mandavit quod nec viri ruralia exerceant opera, id eſt, nec vineam colendo, nec in campis arando (8), nec in metendo, vel fœnum ſecando, vel ſepem ponendo, nec in ſilvis ſtirpando, vel arbores cædere, vel in petris laborare, nec domos ſtruere, nec in horto laborare, nec ad placita conveniant, nec venationes exerceant. Sed tria carraria (9) opera licet fieri in die dominico, id eſt, hoſtilia (10) carra, vel victualia (11), & ſi forte neceſſe fuerit corpus cujuslibet duci ad ſepulchrum. Item feminæ opera textrilia non faciant, nec capulent veſtitus, nec conſuant, vel acupictile (12) faciant (13), nec lanam carpere, nec linum battere, nec in publico veſtimenta lavare, nec vervices (14) tondere habeant lici-

(1) *Dicebant aliqui.*) In appendice Reginonis legitur, *dicunt in Hieruſalem de cœlo cecidiſſe.*

(2) *Alios.*) Ita major veterum exemplarium pars. Regium, Colbertinum, Trecenſe, Thuanum, Normannicum, & unum ex Sangallenſibus habent *aliquos*. Sed hæc lectio ſana non eſt.

(3) *Nec credantur.*) Vide legum humanarum fortunam. Juſſerat Carolus M. ne quis falſis illis epiſtolis fidem adhiberet. Oblata deinde eſt Ludovico Pio ejus filio epiſtola nomine Gabrielis Archangeli ſcripta. Eam reſpuit. Bene factum, Et tamen ejus memoriam propterea accuſat auctor annalium Fuldenſium ad annum DCCCLXXIV. *Si enim*, inquit, *ut cetera omittam, hæreſi Nicolaitarum firmiter & viriliter reſtitiſſet, & monita Gabrielis Archangeli, quæ Einhardus Abbas duodecim capitulis comprehenſa ei obtulit legenda & facienda, obſervare curaſſet, forſitan talia non pateretur.*

(4) *Decertavit.*) In codice Thuano legitur *decretavit*, in Metenſi *decrevit*. Amerbachius edidit *decertavit*, Buſæus *decretavit*. Heroldus in textu retinuit vocem *decertavit*, ſed in margine admonuit legendum eſſe *decretavit*.

(5) *Ob unanim. ap. ſedis.*) Vide quæ Pithœus adfert in Gloſſario ad Capitularia ex libro I. Caroli M. adverſus ſynodum Nicænam ſecundam.

(6) *Statuimus.*) Regino caput iſtud retulit *ex capitulis Karoli*, Burchardus & Ivo *ex Concilio apud S. Medardum præſente Karolo Imperatore cap. 5. & ex Concilio apud Compendium cap. 6.*

(7) *Synodalibus edictis.*) In Capitulari nimirum anni DCCLV. cap. 14. quod conſtitutum eſt in ſynodo Vernenſi.

(8) *Campis arando.*) Quidam boves junxit die dominico, & agrum ſulcare cœpit. Graviter punitus eſt. Rem geſtam narrat Gregorius Turonenſis in libro 2. de gloria martyrum & confeſſorum cap. XI.

(9) *Carraria.*) Alibi carraria eſt feminini generis, ut in vita B. Joannis Abbatis Gorzienſis cap. 9. *Pro carraria vini non ſic attaminatum vellem.*

(10) *Hoſtilia.*) Id eſt, *carra ad hoſtem*, ut in codice cenſuali ſive polyptico Irminonis Abbatis S. Germani Pariſienſis in tomo quarto Actorum Sanctorum ordinis S. Benedicti pag. 96. Apud Burchardum legitur *hoſtilicia carra*, apud Ivonem vero *hoſtilicidia*. In polyptico monaſterii Foſſatenſis lego unumquemque manſorum curtis Rokiniaci debere *pro hoſtilicio denarios* XXV. Et paulo ante: *Solvit unuſquiſque de hoſtileſo id eſt pro bove ſol.* II. Iſtud ipſum hoſtelitia dicitur in polyptico S. Remigii Remenſis: *Manſum ingenuilem tenet Hilmegaudus ingenuus. Solvit in hoſtelitia denarios* XVI.

(11) *Victualia.*) In editione Capitularium quam Franciſcus Pithœus vulgavit anno MDCIII. additur hoc loco *& angana*, vitio typographi, cum legendum ſit *angaria*, ut recte repoſuit Lindenbrogius. Sic etiam auctoritate Petaviani codicis emendandum apud Fulbertum in epiſt. 14. & 110. ubi male editum eſt *engaria*. Nos iſtam additionem omiſimus, quia non habetur in antiquis libris. Fatendum tamen eſt extare apud Reginonem & Burchardum. Angaria porro ſunt vehiculi genus, ut obſervavit Franciſcus Pithœus in gloſſario ad Julianum Anteceſſorem. Vide etiam gloſſarium Antonii Auguſtini ad eundem Julianum.

(12) *Acupictile.*) Ita vulgatæ editiones. Vetus liber monaſterii Tegernſeenſis, ex quo Bavarica editio prodiit, habebat *aquopictile*, ut Amerbachius admonet in margine. Unus codex Sangallenſis habet *aliquapictile*. Ex quibus confirmatur lectio quam nos retinuimus. Regius, Vaticanus unus, Bellovacenſis, Divionenſis, Trecenſis, *acupiculæ*. Colbertinus, Rivipullenſis, Tilianus, & Thuanus, *acupiculę*. Heroldus, *acubiculæ*. Liber S. Michaelis in periculo maris, *acupicale*. Pariſienſis, Metenſis, & Remenſis, *acupicula*. Meus, *aucupiculæ*. Camberonenſis, *cupiculæ*. Alter Sangallenſis, *apicule*. Pithœanus, *apicula*. Vide Gloſſarium Spelmanni in verbo *Acubicula*, ubi reprehendit Meurſium, qui hanc vocem putavit mutandam in *acubitula*, id eſt, reclinatoria.

(13) *Faciant.*) In pleriſque vetuſtis exemplaribus & in editione Baſileenſi legitur *fiant*.

(14) *Vervices.*) Ita codex unus Sangallenſis, Normannicus, Remenſis, Pariſienſis, Divionenſis, Bellovacenſis, Colbertinus. Male in Tiliano, *cervices*. In regio, Trecenſi, Camberonenſi, in uno Vaticano, in Metenſi, Pithœano, meo, & in editione Bavarica ſcriptum eſt *verveces*. Sic etiam apud Reginonem & Burchardum. Ita etiam polypticus monaſterii Foſſatenſis. In altero Sangallenſi, in Ri-

licitum, ut omnimodis honor & requies (1) die dominico persolvatur. Sed & ad (2) Missarum sollemnia ad Ecclesiam undique conveniant, & laudent Deum pro omnibus bonis quæ nobis in illa die fecit. *Ibid. c. 79.*

De prædicatione Episcoporum & Presbyterorum.

LXXVI. Sed & vestrum videndum (3) est, dilectissimi & venerabiles pastores Ecclesiarum Dei, ut Presbyteri quos mittitis per parrochias vestras ad regendum & prædicandum per Ecclesias populum Deo servientem, ut recte & honeste prædicent, & non sinatis nova vel non canonica aliquos ex suo sensu (4) & non secundum scripturas sacras fingere & prædicare populo. Sed & vosmetipsi utilia honeste & recte & quæ ad vitam ducunt æternam prædicate, aliosque instruite ut hæc eadem & ipsi prædicent. Primo omnium (5) prædicandum est omnibus generaliter, ut credant Patrem & Filium & Spiritum Sanctum unum esse Deum omnipotentem, æternum, invisibilem, qui creavit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, & unam esse deitatem & substantiam & majestatem in tribus personis Patris & Filii & Spiritus Sancti. Item prædicandum est quomodo Filius Dei incarnatus est de Spiritu Sancto & ex Maria (6) semper virgine pro salute & reparatione humani generis, passus, sepultus, & tertia die resurrexit, & ascendit in cœlos, & quomodo iterum venturus sit in majestate divina judicare omnes homines secundum merita propria, & quomodo impii propter scelera sua cum diabolo in ignem æternum mittentur, & justi cum Christo & cum sanctis angelis suis in vitam æternam. Item prædicandum est de resurrectione mortuorum (7), ut sciant & credant in iisdem corporibus præmia meritorum accepturos. Item cum omni diligentia cunctis prædicandum est pro quibus criminibus deponuntur cum diabolo in æternum supplicium. Legimus enim Apostolo dicente: *Manifesta autem sunt opera carnis; quæ sunt, fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico*

Rivipullensi, Thuano, & in editione Basileensi, *berbices*. Hic observandum est istam ultimam lectionem frequentissimam esse in veteribus libris, ut docet Petrus Pithœus in Notis ad collationem legum Mosaicarum & Romanarum tit. XI. *Posteriores*, inquit, *fere berbicem & pronunciarunt & scripserunt, ut apud Amianum & Paulum monachum & in Longobardicis Franciciſque legibus, unde nobis remansit vocabulum*. Sane in antiquis exemplaribus Capitularis Aquisgranensis scriptum est in hoc loco *berbices*. Item in capite 98. legis Alamannorum. Memoratorium Ansegisi Abbatis Fontanellensis in tomo tertio Spicilegii Dacheriani pag. 247. *mutones, berbices, pullos*. Hinc pelles berbicinæ ibidem pag. 246. *ad pelles berbicinas, unde pellicea fiant*. Hinc *pellicium berbicinum* apud monachum Sangallensem in libro secundo de rebus bellicis Caroli Magni cap. 27. *Hinc muffulæ berbicinæ* in Capitulari anni DCCCXVII. cap. 79. in codice Sangallensi. Hinc denique berbices & berbicarii in statutis antiquis monasterii Corbejensis cap. 5. *Vervices* tamen, præter codices supra commemoratos, habet codex Bigotianus in titulo 4. legis Salicæ & in titulo 38. cap. 3 & titulo 70. cap. 3. legis Burgundionum. Item polypticus Irminonis Abbatis S. Germani Parisiensis a Mabillonio laudatus in Notis ad Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti tom. 4. pag. 96. *vervices cum agnis*. Apud Buzelinum lib. 2. Gallo Flandriæ pag. 359. in actis donationis quam Walgarius sacerdos fecit monasterio Cisoniensi: *vervices centum & octoginta*.

(1) *Honor & requies.*) In antiquis exemplaribus regio, Trecensi, uno S. Galli, Pithœano, Colbertino, Thuano, Tiliano, Parisiensi, Remensi, Divionensi, Bellovacensi, meo, & in editione Basileensi legitur *bonorum requies*.

(2) *Sed & ad.*) In codice regio, Trecensi, & meo, *ut ad Missarum*.

(3) *Sed & vestrum vid.*) Hæc est lectio quæ extat in Capitulari Aquisgranensi & in antiquis Ansegisi exemplaribus Tiliano, Divionensi, Pithœano, Thuano, Parisiensi, & in editionibus Amerbachii & Heroldi. In codice Camberocensi, in Bellovacensi, Remensi, Metensi, apud Reginonem, *Sed & unicuique vestrum videndum*. In uno Sangallensi, *Sed & vestrum est dilectissimi*, mendose, ut opinor. In alio Sangallensi, in Colbertino & Rivipullensi, tum etiam in editionibus Tilii: *Summopere vobis videndum est*. Normannicus: *Summo opere vobis videndum*. Regino caput istud retulit *ex Capit. lib. tit.* LXXVI. recte. Burchardus *ex Concilio Rotomagensi*, quem secutus est Ivo. Burchardus itaque, quod sæpe dictum sæpeque dicendum, auctor est plerarumque falsarum inscriptionum, quæ in vetustis juris canonici collectoribus occurrunt.

(4) *Ex suo sensu.*) Id est, *ex corde suo*, ut legitur in inquisitione quæ extat initio librorum Reginonis de ecclesiasticis disciplinis. Jubet ergo Princeps ut homiliæ quæ a Presbyteris habebuntur ad plebem ecclesiasticam, fundatæ sint in sacrarum litterarum textu, & ne luxuriei cogitationum suarum indulgeant, tamquam famam capturi ex nova quapiam & insolenti ratione prædicandi. Quod genus concionatorum merito olim damnavit S. Gregorius, ut adnotatum est ad epistolam Agobardi de modo regiminis ecclesiastici cap. XI.

(5) *Primo omnium.*) Vide Capitulare quintum anni DCCCXIV. cap. 1.

(6) *Et ex Maria.*) Reddidimus hic lectionem quæ extat in editione Bavarica & in Basileensi, quam confirmat unus codex S. Galli. Nam plerique codices habent tantum *de Spiritu sancto & Maria*. Sic etiam in libello sacrosyllabo Episcoporum Italiæ legitur in vetustissimo codice Sancti Remigii Remensis & in editione Sirmondi: *natus est de Spiritu sancto & Maria Virgine*. Pro quo tamen Tilius edidit, *ex Maria*.

(7) *Resurrectione mortuorum.*) Hic locus mutilus erat in superioribus editionibus, si Bavaricam excipias & Basileensem. Regino sensum non verba reddidit, hoc modo: *Item prædicandum est quod omnes homines in propria carne resurgent*. Reginonem descripsit Burchardus,

dico vobis sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Ideo hæc eadem quæ magnus prædicator Ecclesiæ Dei singillatim nominavit, cum omni studio prohibeantur; intellegentes quam sit terribile illud quod dixit, *quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*. Sed & omni instantia admonete eos de dilectione Dei & proximi, de fide & spe in Deo, de humilitate & patientia, de castitate & continentia, de benignitate & misericordia, de eleemosynis & confessione peccatorum suorum, & ut debitoribus suis secundum dominicam orationem sua debita dimittant, scientes certissime quod qui talia agunt regnum Dei possidebunt. Et hoc ideo diligentius injungimus vestræ caritati quia scimus temporibus novissimis pseudodoctores esse venturos; sicut ipse Dominus in evangelio prædixit, & Apostolus Paulus ad Timotheum testatur. Ideo, dilectissimi, toto corde præparemus nos in scientia veritatis, ut possimus contradicentibus veritati resistere, & divina donante gratia verbum Dei crescat & currat & multiplicetur in profectum sanctæ Dei Ecclesiæ & salutem animarum nostrarum & laudem & gloriam nominis Domini nostri Jesu Christi. Pax prædicantibus, gratia obedientibus, gloria Domino Deo nostro Jesu Christo. Amen (1). *Ibid. c.* 80.

De rebus Ecclesiæ.

LXXVII. Quia juxta (2) sanctorum patrum traditionem novimus res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, ideo (3) cuique non solum habita conservare, verum etiam multa Deo opitulante conferre optamus. Tamen ut ab ecclesiasticis de non dividendis rebus illius (4) suspicionem dudum conceptam penitus amoveremus, statuimus ut neque nostris neque filiorum & Deo dispensante successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel progenitorum nostrorum voluntatem vel exemplum imitari voluerint, nullam penitus divisionem (5) aut jacturam patiantur (6). *Capitul. I. a.* 803. *c.* 1. *Capitul. II. a.* 814. *c.* 3. *Capitul. a.* 816. *c.* 1.

De Episcopis eligendis.

LXXVIII. Sacrorum (7) canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiretur (8) honore (9), adsensum ordini ecclesiastico præbuimus, ut scilicet Episcopi per electionem cleri & populi (10) secundum statuta canonum de propria diocesi, remo-

---

(1) *Christo. Amen.*) Hic definit Capitulare primum anni DCCLXXXIX. nisi quod in vetustis Capitularis ipsius exemplaribus postea ponitur adnotatio quæ alias a nobis edita est. Hanc adnotationem, quæ in nullo veterum Ansegisi exemplarium extat, hoc loco ediderat Tilius, & post eum Pithœus & Lindenbrogius. Addidit etiam veterem notam quæ in codice S. Remigii posita est in margine capitis 77. de qua nos disseruimus latius ubi eam retulimus totam integram prout habetur in eodem codice. Nos illas adnotationes hinc sustulimus, ut collectionem Ansegisi talem exhiberemus qualem ab eo compositam esse constat ex antiquis libris.

(2) *Quia juxta.*) Vide quæ de hoc capite alias dicta sunt.

(3) *Ideo.*) Vox ista addita est ex codice Colbertino, Normannico, Sangallensi, & Bellovacensi. Habetur etiam in uno Vaticano.

(4) *Rebus illius.*) In eodem codice Colbertino, in uno Vaticano, in Normannico item & Sangallensi legitur, *rebus Ecclesiarum*; in Capitulari secundo anni DCCCXIV. *rebus illius Ecclesiæ*. Hincmarus: *rebus Ecclesiæ*. Ita etiam Gratianus, ubi vide Notas nostras.

(5) *Nullam pen. divisionem.*) Hadrianus Papa in epistola ad Tilpinum Archiepiscopum Remensem: *Et nullus per ullum unquam tempus tibi vel Remensi Ecclesiæ de rebus ad illam debite pertinentibus divisionem vel violentiam, sicut antea factum fuit, facere præsumat.*

(6) *Patiantur.*) Quidam codices habent, *patiatur*. In Divionensi scriptum est, *patiatur Ecclesia*.

(7) *Sacrorum.*) Initium istius capitis hoc est in antiquis exemplaribus Vaticano, Sangallensi, Colbertino: *De eligendis Episcopis sacros canones non ignorantes, ut in Dei &c.*

(8) *Potiretur.*] In codice Camberonensi, in Bellovacensi, Metensi, Remensi, Parisiensi, Pithœano, & duobus Vaticanis, tum etiam apud Anselmum Lucensem lib. 2. contra Guibertum & in chronico Reichersspergensi legitur *potiatur*.

(9) *Honore.*) Ita vetera exemplaria ferme omnia. In uno Vaticano, in Colbertino, Sangallensi, & Normannico legitur *jure*.

(10) *Electionem cleri & populi.*) In editione Tilii & Pithœi scriptum est, *per electionem Clericorum & populi*. In codice Normannico, in Thuano, Colbertino, Sangallensi, *Clericorum & populorum*. Ex hoc loco collegit Gratianus Imperatores illis renuntiasse privilegiis quæ de electione Summi Pontificis Hadrianus Papa Carolo Imperatori fecerat. Sed illa Gratiani sententia funditus evertitur ex his quæ observata a nobis sunt ad Concilia Galliæ Narbonensis pag. 34. ubi ostendimus eam legem non fuisse observatam, ac nihilo minus Reges dedisse Episcopatus, id quod innumeris propemodum exemplis probari posset. Immo id factum fuisse cum bona Romanorum Pontificum venia hinc manifeste colligitur quod ipsi repериuntur Episcopatus postulasse a Regibus. Joannes VIII. epist. 171. 187. Episcopatum Vercellensem a Carolomanno Rege Italiæ petiit pro Gosperto Diacono; ejusque petitioni annuisse Carolomannum patet ex epistola 221. data ad Carolum Regem. Sed ex epistola præcipue sequenti colligitur Principum auctoritas in dandis per ea tempora Episcopatibus. Sic enim scribit Pontifex ad clerum & populum Vercellensem: *Omnium vestrum cognoscat sagacitas & laudanda fidelitas quoniam dilectus ac spiritualis filius noster Carolomannus gloriosus Rex istius Italici regni ipsum Vercellensem Episcopatum more præcessorum suorum Regum & Imperatorum concessit huic Consperto viro nobilissimo.* Joannes Decimus Episcopatum Veronensem a Rege petiit pro Ratherio, ut ipse docet in epistola tertia: *Allatæ cum his sunt & litteræ Domini Papæ tunc temporis Joannis gloriosæ indolis, quibus continebantur preces ejusdem totiusque Romanæ Ecclesiæ uti ego Veronensibus darer Episcopus. Displicuit hoc non parum Regi contraria*

remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum (1) eligantur (2), ut exemplo & verbo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant. *Capitul. I. a.* 803. *c.* 2. *a.* 816. *c.* 2.

De dictis patrum congestis pro canonica professione, quia dehonestabatur.

LXXIX. Quia vero canonica professio a multis partim ignorantia, partim desidia, dehonestabatur, operæ pretium duximus Deo annuente apud sacrum conventum ex dictis sanctorum (3) patrum, velut ex diversis pratis (4) quosdam vernantes flosculos carpendo, in unam regulam Canonicorum & Canonicarum congerere, & Canonicis vel sanctimonialibus servandam contradere, ut per eam canonicus ordo absque ambiguitate possit servari. Et quoniam illam sacer conventus ita etiam laudibus extulit ut usque ad unum iota (5) observandum percenseret, statuimus ut ab omnibus in eadem professione degentibus indubitanter teneatur, & modis omnibus sive a Canonicis sive a sanctimonialibus canonice degentibus deinceps observetur. *Capitul. a.* 816. *c.* 3.

De conlatis Ecclesiæ dividendis.

LXXX. Statutum est ut quicquid tempore imperii nostri a fidelibus Ecclesiæ sponte conlatum fuerit, in ditioribus locis duas partes in usus pauperum, tertiam in stipendia cedere Clericorum aut monachorum (6), in minoribus vero locis æque inter clerum & pauperes fore dividendum. nisi forte a datoribus ubi specialiter dandæ sint constitutum fuerit. *Ibid. c.* 5.

De Abbatibus eligendis.

LXXXI. Monachorum siquidem caussam qua-

---

ria molienti. Sed obtinuit deprecatio apostolica. Quoad Romani vero Pontificis electionem, certum est ex his quæ dicta a nobis sunt in Notis ad Agobardum pag. 122, & seqq. jus Imperatorum diu post Caroli ac Ludovici tempora mansisse integrum, quamvis contra tendentibus Romanis & Principum auctoritati illudere conantibus.

(1) *Donum eligantur.*) Istius rei meminit Ivo Carnotensis epist. 102. *Francorum Reges Carolus & Ludovicus electiones Episcoporum Ecclesiis concesserunt, quod & in suis Capitularibus scriptum reliquerunt.* Ea lex, ut dixi, observata non fuit, ac nihilo minus Reges nostri dederunt Episcopatus viris a se delectis, ut patet etiam ex epistola 81. Lupi Ferrariensis; si paucas quasdam Ecclesias excipias, quibus ex speciali privilegio concessum erat ut vacantibus Ecclesiis provideretur per electionem. De Mutinensi Ecclesia fidem facit præceptum Ludovici Pii datum anno DCCCXXII. editum a Gabriele Sillingardo in catalogo Episcoporum Mutinensium pag. 21. & hinc in tomo secundo Italiæ sacræ pag. 118. Carolus Crassus Imperator, ut in epistola 281. docet Joannes VIII. Papa, Genevensi Ecclesiæ *electionem perenniter de proprio clero* donavit. Idem anno DCCCLXXXV. idem privilegium tribuit Ecclesiæ Cabillonensi, præceptumque ejus edidit Petrus a Sancto Juliano, quod dein relatum est in tomo tertio Conciliorum Galliæ. Idem anno eodem simile privilegium concessit seu potius confirmavit Ecclesiæ Paderbornensi ut docet auctor vitæ Sancti Meinwerci cap. 7. Carlomannus Rex Francorum, Ludovici Balbi filius, superiorum Principum privilegia, qui electionem episcopalem concesserant Ecclesiæ Aurelianensi, renovavit anno DCCCLXXXIII. ut patet ex ejus præcepto edito in appendice Conciliorum Galliæ Narbonensis titulo III. anno DCCCCXVII. Carolus Simplex, Carlomanni frater, edixit uti post obitum Ratbodi Archiepiscopi Trevirensis, electio Episcopi de propriis ejusdem Ecclesiæ filiis pari consensu fieret a clero & populo Trevirensi. Præceptum Caroli edidit Browerus in libro 9. Annalium Trevirensium. Ottonis secundi privilegium Ecclesiæ Hammaburgensi concessum anno DCCCCLXXIV. refert Erpoldus Lindenbrogius in collectione privilegiorum ejusdem Ecclesiæ. Denique tamen etsi Carolus & Ludovicus legantur electiones Episcoporum concessisse Ecclesiis lege generali, videmus tamen Hincmarum Remensem Episcopum sæpe scripsisse ad Reges nostros pro impetranda canonica electione in Ecclesiis vacantibus. Quod cum Sirmundus animadverteret, eam conciliandæ istius repugnantiæ rationem iniit. Nam post relatum caput istud nostrum ex Capitularibus, ait: *Sed hujus tamen legis beneficio ita electionum jure in posterum usæ sunt Ecclesiæ ut singulæ mortuo Episcopo primum omnium novi eligendi facultatem per Metropolitanum a Rege peterent, cum Visitatore qui præesset electioni. Tum electionis factæ decretum ad Metropolitanum referebatur, ut ea Regi probata, & electo coram provincialibus Episcopis rite examinato, tum demum ordinaretur.*

(2) *Eligantur.*) Repetenda necessario est in hoc loco observatio quam protulimus in Notis ad Gratianum pag. 468. nimirum graviter hic hallucinatum esse auctorem chronici Reicherspergensis, qui tempus istius constitutionis refert ad annum DCCCXLIX. conditamque fuisse ait a Carolo Calvo & Ludovico Rege Germaniæ fratribus Lotharii Imperatoris. Hæc sunt ejus verba: *His temporibus Carolus & Ludovicus gloriosi Reges, fratres hujus Lotharii Imperatoris, in primo libro capitulorum suorum statuunt Romanæ Ecclesiæ dicentes: Sacrorum canonum non ignari &c.* Errat, inquam. Primum enim constat capitulum istud esse ex libro I. Capitularium Caroli M. & Ludovici Pii, qui de electione Episcoporum in universum intellexerunt, non vero coercere voluerunt ad solius Romani Pontificis electionem. Deinde electio istius nullatenus pendebat a Carolo Calvo aut Ludovico fratre ejus, qui Reges Italiæ non erant. Itaque frustra legem edidissent de electione Romani Pontificis.

(3) *Ex dictis sanctorum.*) Regulæ illius sive collectionis auctor est Amalarius Diaconus, ut docet Ademarus Cabanensis; ejus vero exemplar vetustissimum & elegantissimum extat in bibliotheca Colbertina.

(4) *Pratis.*) In codice Tiliano, in Thuano & Divionensi, tum etiam in editione Basileensi legitur *partibus*.

(5) *Iota.*) Quidam codices habent *ita*, Normannicus videlicet, unus Vaticanus, Cambronensis, Divionensis, Remensis, Pithœanus, Colbertinus, Parisiensis. Sic etiam edidit Heroldus.

(6) *Aut monachorum.*) Hæc non habentur in codice Sangallensi. Extant tamen in reliquis & in editione Basileensi. Ut videatur esse mendum librarii.

qualiter Deo opitulante ex parte dispofuerimus, & quomodo (1) ex se ipsis (3) sibi eligendi (2) Abbates (4) licentiam dederimus, & qualiter (5) Deo opitulante quiete vivere propositumque indefessi custodire valerent ordinaverimus, in alia scedula diligenter adnotari fecimus; & ut apud successores nostros ratum foret & inviolabiliter conservaretur confirmavimus. *Ibid. c.* 4.

De ordinatione servorum.

LXXXII. De (6) servorum (7) vero ordinatione, qui passim ad gradus ecclesiasticos indiscrete promovebantur (8), placuit omni-

---

(1) *Et quomodo.*) In duobus Vaticanis, in Metensi & Camberonensi legitur, *ut quomodo*. In Remensi, Pithœano, Parisiensi, *ut monachis ex se ipsis sibi eligendi &c.*

(2) *Sibi eligendi Abbates.*) Nimirum cum consensu & auctoritate Episcopi in cujus diœcesi situm fuerit monasterium. Capitulare Francofordiense cap. 15. *Ut Abbas in congregatione non eligatur, ubi jussio Regis fuerit, nisi per consensum Episcopi loci illius.* Lotharii Imperatoris præceptum pro monasterio Ambrosiano datum anno DCCCXLI. editum a Joanne Petro Puricello in Monumentis Basilicæ Ambrosianæ pag. 184. *Et si qui quandoquidem Abbas ex eodem monasterio decesserit, secundum suam institutionem licentiam habeant per consensum Archiepiscoporum, qui tunc per tempora fuerint, de ipsa congregatione eligendi talem Abbatem qui eis secundum regulam & justitiam præficere alios possit.* Confirmari præterea istud potest exemplo Abbatissarum, quarum electiones fieri non poterant absque consensu Episcopi, ut dicetur lib. 5. cap. 384. Idem jus obtinebat in Anglia. Testis Concilium Calchuthense celebratum anno Christi DCCLXXXVII. cap. 5. *Ut si Abbas aut Abbatissa de hac luce migraverint, tunc cum consilio Episcopi cujus in parochia ipsum monasterium situm est, probatæ vitæ & religiosi secundum Dominum ex ipsis elegantur pastores.* Item synodus apud Celichyth habita anno DCCCXVI. cap. 4. *Ut habeat unusquisque Episcoporum potestatem in sua propria diocesi Abbatem vel Abbatissam eligere, & hoc cum consensu & consultu familiæ.* Hinc explicari potest quod ait Ludovicus Pius in præcepto de cellis cœnobialibus diœceseos Senonensis, quas ita subjectas esse vult proprio Episcopo, *ut easdem sub proprio semper regimine gubernans, secundum institutionem sanctæ regulæ Abbates constituat & si necesse fuerit mutet.* Urbanus II confirmans privilegia monasterii S. Pauli Narbonensis anno MXCIII. addit: *Abbatem, qui & Præpositus dicitur, alium eis præferri auctoritate apostolica prohibemus nisi quem suæ professionis communis electio fratrum regulariter viventium de suo collegio, vel de alieno, si necesse fuerit, cum Archiepiscopi consilio secundum Deum decreverit eligendum.* Abbatum Fossatensium electionem fieri olim non potuisse absque auctoritate Episcopi Parisiensis hinc colligitur quod novi Abbatis locatio sive inthronizatio a ministris Episcopi fiebat, ut patet ex literis Innocentii II. & sequentium Pontificum.

(3) *Ex se ipsis.* Postquam diximus de libera Abbatum electione monachis concessa, consequens est ut agamus de conditione adjecta privilegio, nimirum ut Abbates eligantur ex monachis ejusdem monasterii. Frequens est hæc clausula in præceptis Regum. Nullibi autem apertius quam in privilegio Carolomanni filii Ludovici Balbi pro monasterio Arremarensi: *nisi ex ipsis qui regulariter ibi sunt ab infantia nutriti, & secundum S. Benedicti institutionem, ex sese, non ex aliis, haberent eligendi licentiam Abbatem.* Item in præcepto Odonis Regis pro eodem monasterio: *ex sese, non ex aliis, habeant eligendi licentiam Abbatem.*

(4) *Eligendi Abbates.*) Legem istam observatam non fuisse satis constat, si quis tantisper introspicere velit annales & historias illorum temporum & privilegia monasteriis concessa. Istud ipsum ante me observavit Joachimus Vadianus in libro primo de collegiis monasteriisque Germaniæ veteribus pag. 19. in editione Goldasti: *Porro Carolus Imperator cognomento Magnus communi edicto permisit monachis ut Abbates ipsi legerent, quod ante se & Pipinus pater multis cœnobiis indulserat, adjecta tamen conditione ut & Regum auctoritatem pro more agnoscerent, jussisque illorum parerent & acquiescerent. Quod insecuti tamen Principes neglexerunt, sæpius ordinatis selectisque etiam externis, qui monasteriorum habenis adhiberentur.*

(5) *Et qualiter.*) Hæc & quæ sequuntur usque ad verbum *ordinaverimus* desunt in codice Parisiensi & in Pithœano.

(6) *De servorum.*) Raymundus in titulo, *De servis non ordinandis*, caput istud laudavit ex Concilio Toletano. Reprehendit autem hoc loco Raymundum Janus a Costa, quod Regibus & Episcopis Francorum invidisse videatur gloriam celeberrimæ sanctissimæque constitutionis. Verum ea culpa Raymundi non fuit, sed mala seculi fortuna. Tum enim non recurrebant ad fontes, sed ex aliorum collectionibus novæ consarcinabantur. Primus omnium Burchardus hanc constitutionem tribuit Concilio Toletano, ut dictum est in Notis ad Reginonem pag. 576. Burchardum secuti sunt Ivo, Gratianus, Bernardus Papiensis, Raymundus. Aliam viam tenuit auctor collectionis Decretalium quæ consuevit edi post Concilium Lateranense Alexandri III. ubi parte 50. cap. 56. caput istud sumptum dicitur *ex Concilio Maticensi*. Quamquam ibi idem Janus a Costa legit *Triburiensi* pro *Maticensi*, non dubitans, ut ipse ait, quin caput istud nostrum sumptum sit ex Concilio Triburiensi. Sane in capite 29. illius Concilii agitur de servis non ordinandis, sed aliis omnino verbis, laudatis etiam Leonis & Gregorii Romanorum Pontificum decretis. Quod non fecit auctor istius nostri capitis. Alteserra in commentario ad Decretales Innocentii III. pag. 145. putat hoc caput esse illud *quod in quodam Concilio Toletano laudatur ex pacto Francorum*; additque hanc interpretationem: *Non inepte lex regia pactum Francorum dici potuit, quia leges sancitæ fuere in conventu Francorum.* Verum nos jam observavimus falsos hic fuisse viros eruditissimos, & pacti Francorum nomine intelligi legem Ripuariam, non vero Capitularia Regum. Vide Ivonem parte 6. cap. 132.

(7) *Servorum.*) Id est, colonorum, qui operas suas debebant dominis fundorum quos colebant. Iidem vocantur rustici in Consuetudinibus Clarendonæ cap. 16. *Filii rusticorum non debent ordinari absque assensu domini de cujus terra nati dignoscuntur.* Rusticos Ecclesiæ pro servis dixerat diu antea Sanctus Gregorius libro 1. epist. 42.

(8) *Indiscrete promovebantur.*) Hic locus lucem magnam accipit ex charta manumissionis, quam Hugo Abbas Sancti Aniani concessit Reginaldo ut ad sacros ordines promoveri posset, data anno primo imperii Caroli Calvi,

omnibus cum ſacris canonibus concordare debere. Et ſtatutum (1) eſt ut nullus Epiſcoporum deinceps eos ad ſacros ordines promovere præſumat niſi prius a dominis (2) propriis libertatem conſecuti fuerint. Et ſi quilibet ſervus dominum ſuum fugiens, aut latitans, adhibitis teſtibus munere conductis vel corruptis, aut qualibet calliditate vel fraude ad gradus eccleſiaſticos pervenerit, decretum eſt ut deponatur & dominus ejus eum recipiat (3). Si vero avus vel pater ab alia patria (4) in aliam migrans, in eadem provincia filium genuerit, & ipſe filius ibidem educatus & ad gradus eccleſiaſticos promotus fuerit, & utrum ſervus ſit ignoraverit (5), & poſtea veniens dominus ejus legibus eum adquiſierit, ſancitum eſt ut ſi dominus ejus illi libertatem dare voluerit, in gradu ſuo permaneat. Si vero eum catena ſervitutis a caſtris dominicis extrahere voluerit, gradum amittat (6): quia, juxta ſacros ordines (7), vilis perſona (8) manens, ſacerdotii dignitate fungi non poteſt. De rebus vero illorum vel peculiare (9) qui

---

vi. Integram chartam daturi ſumus ſuo loco. Hic interim placuit ejus initium deſcribere, quod, ut dixi, valde illuſtrat hunc locum. Sic ergo habet: *Cum Chriſtianiſſimus ac religioſiſſimus Imperator Ludovicus cæleſtis protectionis ope ſuffragante invictiſſimus Auguſtus ſanctam matrem Eccleſiam ad meliora inſtantiſſime ſubveheret, hoc inter cetera ſanctæ devotionis ſuæ ſtudia exhibuit ut ujus valde inolitus atque reprehenſibilis, qui dignitatem ejus magna ex parte fuſcare videbatur, eo quod ſcilicet ſervilis & originariæ conditionis homines Eccleſiæ utilitati idonei reperti nexu ſervitutis eriperentur & ad hanc dignitatem promoverentur, una cum conſenſu Pontificum & optimatum imperii ſui ſtatuere procuravit &c.*

(1) *Et ſtatutum.*) In vetuſtis exemplaribus regio, Sangallenſi, Normannico, Trecenſi, in uno Vaticano, & in meo legitur: *Unde ſtatutum eſt.*

(2) *Niſi prius a dominis.*) Vita Ludovici Pii: *Conſiderans etiam idem piiſſimus Imperator non debere Chriſti miniſtros obnoxios eſſe humanæ ſervituti, ſed & multorum avaritiam abuti miniſterio eccleſiaſtico ad proprium quæſtum, ſtatuit ut quicunque ex ſervili conditione, conciliante ſcientia & morum probitate, ad miniſterium altaris aſciſcerentur, primum manumittantur a propriis dominis vel privatis vel eccleſiaſticis, & tunc demum gradibus altaris induantur.* Duravit illud jus uſque ad tempora Pontificum Romanorum, qui Avenionenſem cathedram tenuerunt. Edita eſt nuper charta libertatis quam Emelina Abbatiſſa Sanctæ Mariæ Sueſſionenſis conceſſit anno MCCCXVII. Petro filio Valteri de Choy ut Clericus fieret & in clericali libertate permaneret. Extat in bibliotheca regia vetus codex Ms. numero 1892. in quo continetur *formularium*, ut fert titulus, *Domini Papæ correctum & reformatum de ſpeciali mandato Domini Benedicti Papæ duodecimi*. Continet autem formulas rerum quæ magna ex parte actitabantur ſub pontificatu Bonifacii Octavi. Illic mentio eſt cujuſdam ſervi, qui, ignorante domino ſuo, ab Epiſcopo non ſuo per ſimplicitatem & juris ignorantiam ordinem ſubdiaconatus receperat, & poſtmodum habitu religionis aſſumpto, ad ordines ſuperiores acceſſerat. Reſcripto Romanæ pœnitentiariæ committitur Abbati monaſterii in quo ille degebat, ut ſi præfatus monachus non fuit poſt religionis ingreſſum a ſuo domino requiſitus, & ex taciturnitate ejus præſumi poſſit eum conſenſiſſe, in ordine ſuo poſt peractam pœnitentiam miniſtrare ſinatur. Alius quidam, domino ſuo ſciente & non contradicente, ordinem ſubdiaconatus furtive ſuſceperat, in ipſo publice diutius miniſtraverat, & proceſſu temporis ad ſuperiores proceſſerat. Mandatur Epiſcopo ejus ut ſi prædictis veritas ſuffragatur, & alias dictos ordines rite recepit, cum eo diſpenſetur eo modo quo de ſuperiore ſtatutum vidimus. Similem porro huic regio codicem habet bibliotheca Cæſarea, ut Lambecius monet in libro ſecundo commentariorum de eadem bibliotheca pag. 932.

(3) *Dominus ejus eum recipiat.*) Sed quæri poteſt utrum præſcriptio hic locum habeat adverſus dominum. Ea controverſia agitata eſt anno DCCCLV. in cauſa Archidiaconi Eccleſiæ Viennenſis, ut patet ex capite 23. Concilii Valentini tertii. Hincmarus quoque apud Flodoardum lib. 3. cap. 23. præſcriptionem oppoſuit Irminſindæ cuidam matronæ, quæ Diaconum quendam comprehendi juſſerat & in ſervitium ſuum redigi.

(4) *Ab alia patria.*) In codice regio, in Trecenſi, & meo legitur *aliqua*.

(5) *Ignoraverit.*) Antiqui libri Remenſis, Pithœanus, & Pariſienſis habent, *ignoratum fuerit*. Sic etiam legit Hincmarus Epiſcopus Laudunenſis in epiſtola ad Remenſem, quæ edita eſt in tomo ſecundo operum Hincmari pag. 343. Regino, Burchardus, Ivo, & appendix Concilii Lateranenſis, *ignotum ſit*.

(6) *Gradum amittat.*) Joachimus Vadianus lib. 1. de collegiis monaſteriiſque Germaniæ veteribus pag. 13. *Servum fugitivum ab ignorante Epiſcopo in presbyterum ordinatum, ſi dominus requiſiviſſet, non aſſerebat adeo ſacerdotium quin probata ſervitute in priſtinam conditionem remigraret. Necdum enim notus erat character ille indelebilis quem ſcholæ poſtea inventum ſacrificiis ſuis induſſerunt.*

(7) *Juxta ſacros ordines.*) Ita omnia vetera exemplaria & Hincmarus Laudunenſis. Dubium autem non eſt quin hic ordinum vocabulo intelligantur canones ſive regulæ eccleſiaſticæ. Itaque Regino, Burchardus, Ivo, & Gratianus voci *ordines* ſubſtituerunt vocem *canones*. Infra cap. 91. legitur *juxta ſacros canones*. Et tamen in Capitulari ipſo anni DCCCXVI. ex quo caput illud ſumptum eſt, vetus codex Sancti Remigii Remenſis, qui nunc extat in bibliotheca Thuana, ſcriptum habet, *juxta ſacros ordines*. Unde colligi poteſt aut voces illas tum permutari invicem ſolitas, aut pronos in hunc errorem fuiſſe librarios. Benedictus III. in epiſtola ad Hincmarum: *Æquiparare te viros illos proſpeximus qui non terrenis actibus caducisque delectati ſunt obſervationibus, infinitoque Dei zelo accenſi, eccleſiaſtica promulgarunt ſtatuta & ordines*. Hinc fortaſſis *ordinare* pro conſtituere, jubere. Certe apud Reginonem lib. 1. cap. 63. in antiquis exemplaribus Pariſienſi, Viennenſi, & Moguntino legitur *præter ordinationem*, ut in canone tertio apoſtolico apud Dionyſium Exiguum & Iſidorum, cum in Helmæſtadienſi ſcriptum ſit *præter ordinem*.

(8) *Vilis perſona.*) Reſpicit ad caput primum epiſtolæ primæ Sancti Leonis, ubi ſcriptum eſt de ſervis non ordinandis, *tanquam ſervilis vilitas hunc honorem capiat*.

(9) *Peculiare.*) Vadianus lib. 2. pag. 82. *Pe-*

cu-

qui a propriis dominis libertate donantur ut ad gradus ecclesiasticos jure promoveantur, statutum est ut in potestate dominorum consistat utrum illis concedere an sibi vindicare voluerint. Ceterum si post ordinationem aliquid adquisierint, illud observetur quod in canonibus de consecratis (1) nihil habentibus constitutum est. De Ecclesiarum vero servis communi sententia decretum est ut Archiepiscopi per singulas provincias constituti nostram auctoritatem (2), suffraganei vero illorum exemplar illius penes se habeant. Et quandocunque de familia Ecclesiæ (3) utilis (4) inventus aliquis ordinandus est, in ambone (5) ipsa auctoritas coram populo legatur; & coram sacerdotibus, vel coram fidelibus laicis, ante cornu altaris (6), sicut in nostra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate libertatem consequatur, & tunc demum ad gradus ecclesiasticos promoveatur. Similiter quoque de his agendum est quos laici de familia Ecclesiarum ad sacros ordines promovere voluerint. Sed & de his quos Præpositi Canonicorum aut monachorum ordinandos expetiverint eadem forma servanda est. *Ibid. c. 6.*

De personis a quibus non sunt res accipiendæ.

LXXXIII. Statutum est ut nullus quilibet ecclesiasticus ab his personis res deinceps accipere præsumat quarum liberi aut propinqui hac inconsulta oblatione possint rerum propriarum exheredari (7). Quod si aliquis (8) deinceps hoc facere tentaverit, a synodali vel imperiali sententia modis omnibus (9) feriatur. *Ibid. c. 7.*

De Presbyteris constituendis.

LXXXIV. Statutum est ut sine auctoritate vel consensu Episcoporum Presbyteri in quibuslibet Ecclesiis nec constituantur nec expellantur. Et si laici Clericos (10) probabilis vitæ & doctrinæ Episcopis consecrandos suisque in Ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos rejiciant. *Ibid. c. 9.*

De mansis uniuscujusque Ecclesiæ.

LXXXV. Sancitum (11) est ut unicuique Ec-

culium dixere Jureconsulti quidquid servus domini permissu possidebat, quod a chartulario illo nostro peculiare recte & Latine est dictum. Quicquid enim ad peculium attinet, peculiare dici potest.

(1) *In canonibus de consecratis.*) Vide infra cap. 150.

(2) *Nostram auctoritatem.*) Vide appendicem Marculfi cap. 8.

(3) *Familia Ecclesiæ.*) Id est, servi Ecclesiæ, ut res ipsa loquitur. Extant apud Reginonem lib. 1. cap. 301. & apud Lindenbrogium cap. 101. itemque in nova nostra collectione formularum cap. 43. formulæ, secundum quas servus ecclesiasticus manumittebatur ut ad sacros ordines promoveri posset. Apud Vadianum vero lib. 2. pag. 74. & apud Goldastum in collectione chartarum Sancti Galli cap. 7. legitur testamentum libertatis Sigimari secundum hanc formulam factum ab Engildruda sanctimoniali. Itaque si quis servus ecclesiasticus ad sacros ordines promovebatur absque consensu Ecclesiæ, cujus servus erat, ordinatio non valebat. Docent istud etiam literæ Guillelmi Episcopi Parisiensis datæ anno MCCXLI. in chartulario monasterii Fossatensis. Et si post susceptam tonsuram clericalem uxorem ducerent, bona eorum quandoque redibant ad Ecclesias, ut patet ex literis Officialis Parisiensis datis anno MCCXIV. in eodem chartulario.

(4) *Utilis.*) Charta monasterii Conchensis data regnante Philippo: *Et si utilis fuerit, faciet illum ordinare ad Presbyterum.*

(5) *In ambone.*) Cresconius cap. 166. *De his quæ debeant in ambone id est in pulpito psallere.* Vide Reginonem lib. 1. cap. 407. & Burchardum lib. 2. cap. 21. 32. & glossarium Spelmanni.

(6) *Ante cornu altaris.*) Vide appendicem Marculfi cap. 8. & novam collectionem formularum cap. 43.

(7) *Exheredari.*) In codice Camberonensi, in Remensi, Normannico, Parisiensi, Pithœano legitur *exhereditari*.

(8) *Quod si aliquis.*) Postrema hæc pars istius capitis sic habet in libro Divionensi: *Quod si aliquis deinceps hoc facere temptaverit, & acceptor synodali sententia districte feriatur, & res ad exheredatos redeant.* Postea sequitur caput octavum Capitularis anni DCCCXVI. quod extat infra lib. 5. cap. 212. In Rivipullensi legitur: *Quod si aliquis deinceps hoc facere temptaverit, acceptor a synodali vel imperiali sententia modis omnibus districte feriatur, & res ad exheredatos redeat.* Tum sequitur idem caput octavum Capitularis anni DCCCXVI. Sic etiam in Normannico, nisi quod in nonnullis vocibus scribendis erratum est a librario. Sane nostrum hoc caput mutilum videtur, & pleniorem sensum habet in his tribus exemplaribus. Quo fit ut existimem Ansegiso nonnulla excidisse inter scribendum, partem nimirum postremam istius nostri capitis & priorem ejus quod sequitur in ipso Capitulari.

(9) *Modis omnibus.*) Codex Pithœanus habet *omnimodis*.

(10) *Si laici Clericos.*) De Clericis laicorum vide infra lib. 5. cap. 230. & Notas ad Agobardum pag. 63.

(11) *Sancitum.*) Caput istud apud Gratianum refertur ex Concilio Guarmaciensi seu Wormaciensi, ubi hodie legitur. Est autem Ludovici Pii, ut dictum est. Arbitror enim caput istud cum nonnullis ex eis quæ præcedunt & cunctis quæ subsequuntur in vulgatis editionibus Concilii Wormaciensis, ad synodum illam non pertinere, sed esse tantum excerpta studiosi cujusdam ex canonibus Conciliorum, decretis Pontificum Romanorum, & Capitularibus Regum Francorum. Certe pleraque capitula libri primi Capitularium illic descripta sunt eodem ordine quo reperiuntur apud Ansegisum. Præterea unum idemque caput bis reperitur eisdem verbis in illa synodo, quod absurdum esset in mentem venisse cuiquam eorum Episcoporum qui Wormaciensi Concilio interfuerunt. Verissima itaque est observatio Surii, cujus hæc est admonitio statim post caput 44. synodi Wormaciensis: *Usque ad hoc 45. capitulum exclusive omnia superiora capitula, dempto quadragesimo, in quodam vetusto exemplari habebantur. Ea porro quæ sequuntur deerant:*

Ecclesiæ unus mansus integer (1) absque alio servitio attribuatur. Et Presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus (2) fidelium, non de domibus, neque de atriis vel hortis juxta Ecclesiam positis, neque de præscripto manso aliquod servitium faciant præter ecclesiasticum. Et si aliquid amplius habuerint, inde senioribus (3) suis debitum servitium impendant. *V.* 100. 214. *Add. IV.* 163. *Capitul. a.* 816. *c.* 10.

De Presbyteris uniuscujusque Ecclesiæ.

LXXXVI. Statutum (4) est, postquam hoc impletum fuerit (5), ut unaquæque Ecclesia suum Presbyterum (6) habeat, ubi id fieri facultas providente Episcopo permiserit. *Ibid. c.* 11.

De villis novis & Ecclesiis in eis noviter constitutis,

LXXXVII. Sancitum est de villis novis & Ecclesiis in eis noviter constitutis ut decimæ (7) de ipsis villis ad easdem Ecclesias conferantur. *Ibid. c.* 12.

De sacris vasis Ecclesiæ in pignus datis,

LXXXVIII. De sacris vasis (8) Ecclesiæ quæ

---

rant: quæ sane ad hanc synodum pertinere non videntur, cum interdum repetantur quæ jam superius iisdem pene verbis sancita leguntur. Putavit autem Carolus Molinæus caput istud a Carolo M. editum fuisse apud Wormatiam. Hæc sunt ejus verba ex nota marginali ad stylum Parlamenti Parisiensis pag. 231. *Hæc constitutio facta est in dieta imperiali apud Wormatiam, ubi Carolus Magnus primum regni diadema suscepit, & habetur ad verbum in cap.* 1. *extra de censi. insigni ingratitudine Pontificum Romanorum & Canonistarum, qui auctoris videlicet Caroli Magni nomen & memoriam deleverunt.* Multa hic peccavit Molinæus. Nam primo constitutio hæc non est Caroli M. sed Ludovici Pii. Deinde falsum est Carolum M. primum imperii diadema suscepisse Wormatiæ. Neque hic accusandi sunt Romani Pontifices, sed Burchardus, ex quo Gratianus & collectores Decretalium ista sumpserunt. Sane si per malam seculorum quorundam fortunam licuisset recurrere ad fontes, arbitror Gratianum non omissurum fuisse hanc auctoritatem, qui animum a Capitularibus abhorrentem non habebat. Vide porro Notas ad Gratianum pag. 533. & ad Reginonem pag. 545.

(1) *Mansus integer.*) Id est, qui habeat bunuaria duodecim de terra arabili & mancipia duo, ut ista interpretatur Lotharius Imperator tit. 4. cap. 1. id est, servum & ancillam, ut legitur in vita Ludovici Pii: *Volens etiam unamquamque Ecclesiam habere proprios sumptus, ne per ejuscemodi inopiam cultus divini negligerentur, inseruit prædicto edicto ut per singulas Ecclesias mansus tribueretur unus cum pensatione legitima servo atque ancilla.* Vide epistolam Frotharii Episcopi Tullensis. Vide etiam infra lib. 5. cap. 100. 214. & Addit. IV. cap. 163. & Winkelmannum in Notitia Saxo-Westphaliæ pag. 411.

(2) *De oblationibus.*) Quæsitum est olim quid hic intelligi debeat per oblationes fidelium. Reperi enim hanc observationem in vetustissimo codice Ms. bibliothecæ Thuanæ: *De uno manso ad Ecclesiam dato in primo libro Capitulorum ita scriptum habetur;* Sancitum est ut unicuique Ecclesiæ &c. *In hujus autem capituli loco ubi scriptum est* neque de oblationibus fidelium, *intellegendæ sunt etiam terrulæ vel vineolæ quæ pro loco sepulturæ vel pro animæ suæ requie quisunque Ecclesiæ contulit sive contulerit.* Sumpta est ista interpretatio ex capite 407. libri sexti Capitularium & ex capite 57. Additionis quartæ. Vide Capitula Caroli Calvi tit. XXXVII. cap. XI.

(3) *Senioribus.*) *Id est, dominis feudalibus,* ut ait Molinæus in loco paulo ante laudato. *Sic enim vocatur in Capitulis Caroli Magni. Et intelligitur de omni servitio, etiam militiæ, ne resp. fraudetur.* Nescio tamen an vera omni ex parte sit observatio Molinæi, saltem quoad militiam. Nam infra cap. 142. edicitur ut Episcopi prævideant quem honorem Presbyteri pro Ecclesiis suis senioribus tribuant. Sciebant autem Episcopi dictum esse Presbyteris & Diaconibus ut arma non portent, sed magis se confidant in oratione Dei quam in armis, ut legitur supra cap. 66. hujus libri. Et ex Capitulis Caroli Calvi tit. XXXVII. cap. XI. colligi potest servitium senioribus debitum intelligi debere de censu & de caballi pastu. Hanc interpretationem confirmare videtur caput sextum Concilii Troslejani, ubi servitia quæ domini requirebant a Presbyteris de rebus ecclesiasticis, ista enumerantur, exactiones census, exenia, pastus, paravereda, seu caballorum saginationes. Fortassis ad servitium dominis debitum pro terris Presbyterorum pertinet hic locus ex epistola 113. inter Bonifacianas, in qua monachi S. Petri Horbachensis ista scribunt ad Riculfum Archiepiscopum Moguntinum: *Dominus Bernarius Episcopus misit ei unum caballum pascere de nostro stipendio.*

(4) *Statutum.*) Caput istud deest in antiquis exemplaribus Sangallensi & Thuano. In Colbertino legitur in titulo: *De Presbyteris uniuscujusque Ecclesiæ.* Sed caput ipsum ibi non extat. Regino illud refert ex Capitularium lib. 1. cap. 86. Burchardus ex Concilio Remensi.

(5) *Postquam hoc impletum fuerit.*) Id est, postquam mansus integer attributus fuerit Ecclesiæ.

(6) *Suum Presbyterum.*) Id est, proprium Presbyterum, qui curam animarum ad Ecclesiam illam pertinentium exerceat. Istud autem propterea decretum est ne Presbyter unus plures simul Ecclesias haberet. Quod temporibus illis introduci cœptum in Ecclesiam colligi potest ex his quæ adnotata sunt ad epistolam 29. Lupi Ferrariensis.

(7) *Decimæ.*) Ante constitutionem istam (uti alias diximus) decimæ non pertinebant ad Ecclesias noviter fundatas, sed ad antiquiores Ecclesias, id est, ad eas intra quarum limites novæ constitutæ erant. Inter epistolas Frotharii Episcopi Tullensis reperitur una Alberici Episcopi Lingonensis ad eundem Frotharium, in qua conqueritur vicum sive Ecclesiam Bosonis monasterii privilegium ac censum suum perdidisse propter novas capellas a Frothario dedicatas. *Unde tuam,* inquit, *fraternam deprecor dilectionem ut secundum sinceritatem episcopalem ac ecclesiasticam sanctionem agatis ne propter novas capellas antiquissimas quod per tot annos tenuit perdat Ecclesia, & mihi non sit necesse per hoc episcopalem pulsare conventum.*

(8) *De sacris vasis.*) Puto caput istud factum esse adversus Judæos. Vetuerat Carolus M. anno DCCCVI. ne thesauri ecclesiastici venderentur Judæis & aliis negotiatoribus. Inventa

quæ in pignus a nonnullis in quibusdam locis dari comperimus, inhibitum est ne deinceps a quoquam fieri præsumatur, nisi solummodo necessitate redimendorum captivorum compellente. *Ibid. c.* 13.

De Ecclesiis destructis, vel de nonis & decimis.

LXXXIX. De Ecclesiis sane destructis, vel de nonis & decimis, sive de claustris Canonicorum, qualiter constitui & ordinari a nobis placuerit, aliis capitulis subter adnotavimus. *Ibid. c.* 14.

De Ecclesiarum honore.

XC. Sed & de Ecclesiarum honore, quomodo Deo adjuvante, quantum in nobis est, vigeat, similiter in subter adnotatis capitulis insertum esse dinoscitur. *Ibid. c.* 15.

De Episcopis Italiæ.

XCI. De Episcopis vero in Longobardia constitutis, qui ab his quos ordinabant sacramenta (1) & munera contra divinam & canonicam auctoritatem accipere vel exigere soliti erant, modis omnibus inhibitum est ne ulterius fiat: quia juxta sacros canones uterque gradu proprio talia facientes decidi debent. *Ibid. c.* 16.

De Presbyteris qui feminas in domibus habent.

XCII. Statutum est (2) ab Episcopis de Presbyteris qui feminas secum indiscrete habitare permittunt, & propter hoc malæ opinionis suspicione denotantur, ut si deinceps admoniti non se correxerint, velut contemptores sacrorum canonum canonica invectione feriantur. *Ibid c.* 17.

De Presbyteris qui pro chrismate in Cœna Domini veniebant.

XCIII. De Presbyteris (3) qui accipiendi chrismatis gratia ad civitates in Cœna Domini venire soliti erant, sancitum est ut de his qui longe positi sunt, de octo vel decem unus ab Episcopo (4) eligatur, qui acceptum chrisma sibi & sociis suis diligenter perferat. Hi vero qui non longius a civitate quam quatuor aut quinque millibus habitant, more solito ad accipiendum chrisma per se veniant. Discendi vero alio non quadragesimæ (5) tempore ad civitates convocentur (6). *Ibid. c.* 18.

De prædicatione & confirmatione Episcoporum.

XCIV. Ne vero Episcopi (7) occasione prædicandi aut confirmandi oneri essent populis (8), a nobis admoniti polliciti sunt se

ta est, ut puto, alia ratio vendendi, nimirum pignus. Itaque impiam illam fraudem hoc capite sustulit Ludovicus Pius.

(1) *Sacramenta.*) Quænam illa fuerint explicat, ut opinor, canon XIII. Concilii secundi Cabilonensis, ubi sic legitur: *Dictum est interea de quibusdam fratribus quod eos quos ordinaturi sunt jurare cogant quod digni sint, & contra canones non sint facturi, & obedientes sint Episcopo qui eos ordinat & Ecclesiæ in qua ordinantur.* In formulis promotionum episcopalium cap. 18. §. 1. Hincmarus Archiepiscopus Remensis scribens ad clerum populumque Laudunensem de ordinatione Hedenulfi Episcopi Laudunensis, inter cetera, mandata, quæ illi data esse ait ab ordinatoribus suis, istud commemorat: *Ab eis etiam quos ordinaverit indebitum & contra sacras regulas sibi sacramentum fieri non compellat.* Verum tamen etsi Ludovicus ista fieri vetuisset ab Episcopis Longobardis, illi nihilominus hanc consuetudinem retinuerunt, ut patet ex Glabro Rodulpho in vita Willelmi Abbatis Divionensis cap. 4. *Prædictum monasterium in Vercellensis urbis episcopio situm, ejusdem Episcopi ditioni subjacebat, Inoleverat autem male arreptæ consuetudinis usus ut nullus fratrum loci illius Levitici ordinis gradum prius susciperet quam sese assertione jurandi promitteret servaturum fidelitatem Episcopo.* Hodie res est extra omnem controversiam. Nam quando aliquis ordinatur Presbyter, Episcopus sic eum compellat: *Promittis mihi & successoribus meis reverentiam & obedientiam?* Ille vero genuflexus & manibus suis junctis positis inter manus Episcopi, quæ sunt solennia sacramenti fidelitatis, respondet: *Promitto.*

(2) *Statutum est.*) Burchardus tribuit caput istud Papæ Siricio. Burchardum secutus est Ivo Carnotensis.

(3) *De Presbyteris.*) Burchardus pro more suo caput istud refert *ex Concilio Meldensi cap.* VI. Idem tamen, parum memor rerum a se scriptarum, caput 63. ejusdem libri quarti ait sumptum esse ex capite sexto Concilii Meldensis.

(4) *Ab Episcopo.*) Burchardus habet, *ab Archidiacono.* Sic etiam Ivo.

(5) *Non quadragesimæ.*) Antea quippe statutum fuerat ut in quadragesima Presbyteri ad Episcopum in civitatem venirent, ibique rationem villicationis suæ ei redderent, ut patet ex lib. 5. cap. 2.

(6) *Convocentur.*) Postea Regino, Burchardus, & Ivo addunt, *propter plebes sibi commissas.* Sed hæc non extant in antiquis Capitularium exemplaribus.

(7) *Ne vero Episcopi.*) Regino caput istud citat *ex Capitulis synodalibus Karoli Imperatoris tit.* XCIV. hoc est, ex libro primo Capitularium. Putabat enim nihil hic esse Ludovici Pii.

(8) *Oneri essent populis.*) Concilium Toletanum VII. cap 4. *Cum vero Episcopus diocesem visitat, nulli præ multitudine onerosus existat, nec unquam quinquagenarium numerum evectionis excedat, aut amplius quam unam diem per unamquamque basilicam remorandi licentiam habeat.* Isidorus habet *quinarium* pro *quinquagenarium.* Sed hanc lectionem rejiciunt Correctores Romani & Loaisa. Attamen habita ratione modestiæ veterum Episcoporum, quorum animus valde alienus erat a fastu qui postea invasit plurimos eorum qui cathedras episcopales post illos tenuerunt, huc valde inclinat animus ut existimem Isidorianam lectionem esse meliorem. Postea Alexander III. in capite quarto Concilii Lateranensis modum præscribens fastui & ambitioni Prælatorum ecclesiasticorum, Archiepiscopis parrochias visitantibus

ſe deinceps hoc cavere velle, & eo tempore ſuum miniſterium, in quantum facultas dabatur, exequi, quo (1) eorum profectio, quantum in illis erat, his quibus prodeſſe poſſunt & debent non ſit importuna vel onerofa. *Ibid. c.* 19.

De pueris tondendis & puellis velandis.

XCV. Ne pueri vero ſine voluntate parentum tonſurentur, vel puellæ velentur, modis omnibus inhibitum eſt. Et qui hoc facere tentaverit, multam quæ in capitulis legis mundanæ a nobis conſtitutis continetur perſolvere cogatur. *Ibid. c.* 20.

De feminis viros amittentibus.

XCVI. De feminis (2) quæ viros amittunt placet, ne ſe, ſicut hactenus, indiſcrete velent, ſed ut triginta dies poſt deceſſum viri ſui expectent, & poſt triceſimum diem per conſilium Epiſcopi ſui, vel ſi Epiſcopus abſens fuerit, conſilio aliorum religioſorum ſacerdotum ſuorumque parentum atque amicorum id quod eligere debent eligant. Et quia a ſacro (3) conventu rogati (4) ut hi qui publicam gerebant pœnitentiam, & feminæ quæ viros amittebant, noſtra auctoritate, donec deliberent quid agant, tuerentur (5), ſpecialiter pro his capitula fieri & legis mundanæ capitulis inſerenda decrevimus. *Ibid. c.* 21. *Leg. Longob. L. II. tit. 6. c.* 4.

De raptis & de earum raptoribus.

XCVII. De raptis vero & raptoribus; quamquam ſpecialiter decreviſſemus quid pati debeant qui hoc nefas deinceps facere tentaverint, quid tamen ſuper his ſacri canones præcipiant hic inſerendum neceſſarium duximus; quatenus omnibus pateat quantum malum ſit, & non ſolum humana ſed etiam divina auctoritate conſtricti, ab hinc hoc malum caveatur (6). *Ibid. c.* 22.

De puellis raptis necdum deſponſatis.

XCVIII. De puellis (7) raptis necdum deſponſatis in Concilio Chalcedonenſi, ubi DCXXX. (8) patres adfuerunt, capitulo XXXVIII. (9) ita habetur: *Eos qui rapiunt puel-*

---

tibus permiſit habere quadraginta vel quinquaginta evectionum numerum, Epiſcopis vero viginti vel triginta. Iſidorus Clarius Epiſcopus Fulginas modeſte viſitabat ſuam diœceſim, nulli gravis, ne ea quidem a Presbyteris exigens quæ vetuſta conſuetudo & canones Conciliorum præſtari jubent Epiſcopis parœcias ſuas viſitantibus. Docet nos ipſe in oratione 21. in ſermonem Domini in monte habitum: *Quod vero ad inviſendas parochias pertinet, idem Epiſcopus, ne parochis gravis ſit, primum non exigit inter viſitandum id quod ſanctorum patrum decreta ad levandos Epiſcopi ſumptus volunt. Quod vero ei ſponte offertur, ut par pullorum, aut pulli aliqui columbarum, tam exiguum eſt ut nihil differat utrum quicquam ei aut nihil offeratur.* Vide Concilium Valentinum III. cap. 17. 22. & canonem Triburienſem relatum a Regino lib. 1. cap. 12.

(1) *Exequi quo.* In antiquis exemplaribus Normannico, Pithœano, Remenſi, & Pariſienſi ſic legitur: *Exequi ut his quibus prodeſſe poſſunt & debent non ſit importuna vel oneroſa eorum viſitatio.* In duobus Vaticanis & in Metenſi ita: *Exequi his quibus prodeſſe poſſunt & debent, non quo eorum profectio quantum in illis erat ſit importuna vel oneroſa.* Sic etiam ferme Regino.

(2) *De feminis.*) Burchardus caput iſtud tribuit Concilio Aurelianenſi. Et ut fraudem ſuam magis tegat, mutat quædam verba, tanquam iſto capite Epiſcopi decernerent ut rogetur Princeps a ſacro conventu ut publice pœnitentibus & viduis tuitionem ſuam impertiat. Sic etiam Ivo, quia Burchardum exſcripſit. Verum præterquam quod omnia Capitularium exemplaria oſtendunt hanc legem eſſe latam a Principe, & quod illa reperitur in Capitulari Ludovici Pii, eam ab illo editam fuiſſe cum conſenſu Epiſcoporum docent Epiſcopi Concilii ſexti Pariſienſis lib. 1. cap. 44. *Et abhinc ab omnibus obſervandum ſtatuimus ut hujuſcemodi viduæ amiſſis viris repente non velentur, ſed cum convenientia Epiſcopi ſui triginta diebus, ut a glorioſo Principe Domino Hludowico cum conſenſu venerabilium ſacerdotum jamdudum conſtitutum eſt, expectent.* Confirmata dein fuit hæc lex a Lothario Imperatore, ut patet ex libro tertio legis Longobardorum.

(3) *Et quia a ſacro.*) Fraus Burchardi: *Et ut rogetur Princeps a ſacro conventu ut hi qui publicam gerunt pœnitentiam &c.*

(4) *Rogati.*) Codex Pithœanus, itemque Normannicus, Remenſis, Bellovacenſis, Pariſienſis habent, *rogati ſumus.*

(5) *Tuerentur.*) Paſſiva ſignificatione, ut in canone undecimo Concilii ſecundi Hiſpalenſis; *quorum non ſolum gubernaculis tueri ſed etiam doctrinis ædificari poſſint.* Item in epiſtola reclamatoria cleri Moguntini ad Ludovicum Pium Imperatorem: *Ut Eccleſia Chriſti Domini noſtri cuſtodiatur, adunetur, regatur, tueatur, & perfidorum doctrinis intrinſecus purgetur.*

(6) *Hoc malum caveatur.*) Codex Normannicus, Remenſis, & Pariſienſis habent, *hoc malum ab omnibus caveatur.*

(7) *De puellis.*) Caput iſtud Regino refert *ex Capitularium lib.* 1. *cap.* XCVIII. Burchardus *ex Concilio Cabilonenſi cap.* XXVII. Hinc ergo corrige Gratianum, qui caput iſtud repetit ex Concilio Cabilonenſi.

(8) *DCXXX.*) Emendanda eſt per occaſionem epiſtola 72. Fulberti Epiſcopi Carnotenſis, ubi ſcriptum eſt ſynodum Chalcedonenſem fuiſſe duodetriginta Epiſcoporum. Pro quo ſic legendum eſt ex auctoritate veterum codicum Trecenſis & Petaviani: *Teſtem mihi allego magnam ſynodum Chalcedonenſem ſexcentorum triginta Epiſcoporum ſub Leone Papa ſub Marciano Principe congregatorum.*

(9) *XXXVIII.*) Ita omnia ferme vetera exemplaria, non ſolum hic, ſed etiam in libro quinto cap. 224. Sic etiam legitur in vetuſtis exemplaribus ipſius Capitularis & canonum Iſaaci Lingonenſis. Tilius tamen & Pithœus repoſuerunt XXVII. quia re vera canon ſynodi Chalcedonenſis, qui iſthic refertur, eſt XXVII. in vulgatis editionibus Conciliorum. Codex Rivipullenſis habet XXVIII ſicut infra lib. 6. cap. 96. omnes veteres libri habent XXVIII. occaſione iſtius canonis Chalcedonenſis. Heroldus edidit XXVI. In Concilio Troſleiano editum eſt XXVII. An vero ita quoque ſcriptum ſit in antiquis libris affirmare non poſſum, cum nul-

puellas sub nomine simul habitandi, cooperantes & conibentes raptoribus, decrevit sancta synodus, si quidem Clerici sunt, decidant gradu proprio; si vero laici, anathematizentur. Quibus verbis aperte datur intelligi qualiter hujus mali auctores damnandi sunt, quando participes & conibentes tanto anathemate feriuntur, & juxta canonicam auctoritatem ad conjugia legitima raptas sibi jure vindicare nullatenus possunt. *Ibid. c.* 23.

De desponsatis & ab aliis raptis.

XCIX. De desponsatis (1) puellis & ab aliis raptis in Concilio Ancyritano capitulo decimo legitur: *Desponsatas puellas & post ab aliis raptas placuit erui & eis reddi quibus ante fuerant desponsatæ, etiamsi eis a raptoribus vis inlata constiterit.* Proinde statutum est a sacro conventu (2) ut raptor publica pœnitentia multetur. Raptæ vero, si sponsus eam recipere noluerit, & ipsa eidem crimini consentiens non fuit, licentia nubendi alii non negetur. Quod si & ipsa consensit, simili sententiæ subjaceat. Quod si post hæc se conjungere præsumpserint, utrique anathematizentur (3). *Ibid. c.* 24. (4)

De his qui virginibus Deo dicatis se sociant.

C. De his vero (5) qui sacris virginibus se sociant ita in decretis Papæ Gelasii capitulo XX. (6) continetur: *Virginibus sacris temere se quosdam sociare cognovimus & post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscere; quos protinus æquum est a sacra communione detrudi, & nisi publicam probatamque egerint pœnitentiam, omnino non recipi; aut his certe viaticum de seculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negetur.* Si vero de copulatione sacrarum virginum tam severe feriuntur, quanto severius feriendi sunt qui eas rapiunt? Ideo, sicut præmissum est, necesse est ut ab omnibus in Christiana religione consistentibus rigore auctoritatis divinæ vel humanæ hoc malum radicitus amputetur. *Ibid. c.* 25.

De puellis, quo tempore velentur.

CI. Ne vero puellæ indiscrete velentur, placuit nobis etiam de sacris canonibus qualiter observandum sit hic inferre. De tempore velandarum puellarum in Africano Concilio capitulo XVI. continetur ut non ante XXV. annos consecrentur. Item in eodem Concilio capitulo XCIII. de virginibus velandis ita continetur: *Item placuit ut quicunque Episcoporum necessitate periclitantis pudicitiæ virginalis, cum vel petitor potens vel raptor aliquis formidatur, vel si etiam aliquo mortis periculoso scrupulo compuncta fuerit ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus aut his ad quorum curam pertinet, velaverit virginem seu velavit ante XXV. annos ætatis, non ei obsit Concilium quod de isto annorum numero constitutum est.* Unde colligitur quia juxta priorem sanctionem virgines XXV. ætatis suæ anno rite consecrandæ sint; quod si præmissæ necessitates ante id fieri compellant, nullum possit Episcopo adferre præjudicium consecratio. *Ibid. c.* 26.

De examinatione Sanctæ crucis non facienda.

CII. Sancitum est ut nullus deinceps quamlibet examinationem crucis (7) facere præsu-

nullum vetus illius Concilii exemplar viderim, Constans itaque esse debet legitimam esse lectionem quam nos retinuimus. Cur autem hoc caput dicatur sumptum ex canone XXXVIII. synodi Chalcedonensis criticorum esto judicium.

(1) *De desponsatis.*) In libro primo legis Longobardorum caput istud tribuitur Carolo Magno, Toletano vero Concilio apud Burchardum. Puto erratum utrobique esse.

(2) *A sacro conventu.*) Ex hoc loco & ex his quæ dicuntur supra cap. 96. colligitur non extare hodie omnes constitutiones editas ab Episcopis anno DCCCXVI. apud Aquisgranum.

(3) *Utrique anathematizentur.*) Burchardus, ne ullum vestigium Capitularium hic appareret, primum istam constitutionem tribuit Concilio Toletano, tum verba & ordinem verborum mutavit, nonnulla præterea addidit quæ in Capitularibus non extant. Nam ubi dicitur *publica pœnitentia multetur*, ille addit *& sine spe conjugii maneat*. Item in fine scripsit: *utrique usque ad satisfactionem anathematizentur*. Deinceps ergo quærendus non est fons capitis *Statutum*. 27. q. 2. cap. 34. de quo tantopere laborarunt Correctores Romani.

(4) Post caput XCIX. in vetustis exemplaribus Pithœano, Parisiensi, Normannico & Remensi subjungitur: *Qui sponsam alienam ipsa non consentiente rapuerit, licet cum ea concubuerit, reddat eam ei cui sponsa est; & is ducat eam, si velit; quia vim passa potius quam violata videtur. Quod si etiam ducere noluerit, accipiat alteram feminam. Tamen si & ipsa nubere voluerit, excepto raptore cui voluerit alteri legitime copuletur. Raptor vero adulterii crimine reus teneatur. Quod si & ipsa consensit, similiter ut raptor nuptiis in ulterius probibeatur; & is qui eam accepturus erat, aliam quam voluerit accipiat.* Codex Pithœanus habet: *Qui sponsam alienam non consentientem rapuerit, licet cum ea concubuerit, reddat eam cujus sponsa est.* Et postea: *accipiat alteram. Femina tamen, si & ipsa.* Item Normannicus: *accipiat alteram. Femina tamen.* In Normannico, Parisiensi, Pithœano: *Similiter ut raptor & nuptiis &c.*

(5) *De his vero.*) Hoc caput, cum plerisque capitibus libri primi, extat etiam in collectione Benedicti Levitæ lib. 5. cap. 226.

(6) *Capitulo XX.*) In codice regio & in meo, tum etiam in editione Basileensi legitur *capitulo* XXX. haud dubie librariorum errore.

(7) *Examinationem crucis.*) Codex regius, Normannicus, Parisiensis, Remensis, meus, *examinationem sanctæ crucis*, Metensis, *in sanctæ crucis*. Palatinus, Vaticanus, Camberonensis, *in sancta cruce*. Illustrissimus Cardinalis Baronius referens ad annum DCCCVI. verba istius capitis, quod putat esse Caroli Magni, ingenue fatetur nescire se quid sit examen vel judi-

ſumat (1); ne Chriſti paſſio, quæ eſt glorificatio (2), cujuslibet temeritate contemptui habeatur. *Ibid. c. 27.*

De pabulo verbi divini nuntiando.

CIII. Epiſcopos monemus ut ſive per ſe ſive per vicarios pabulum verbi divini ſedulo populis adnuntient: quia, ut ait beatus Gregorius (3), iram contra ſe occulti judicis excitat ſacerdos ſi ſine prædicationis ſonitu incedit. Et ut ipſi clerum ſibi commiſſum in ſobrietate & caſtitate nutrirent, divinisque officiis imbuerent, qui rite ad ſacroſanctos eccleſiaſticos ordines promoveri poſſent. Et ut operam dent quatenus Presbyteri Miſſalem & Lectionarium (4) ſive ceteros libel-

---

judicium crucis. Sane res eſt adeo difficilis & abſtruſa ut etiam poſt eruditas doctiſſimorum obſervationes adhuc in ambiguo ſit quo modo fieret examen illud crucis & qua ratione per crucem finirentur cauſæ dubiæ & obſcuræ. Animus non eſt hic perſequi varias variorum opiniones neque quempiam eorum refellere. Satis erit admonere veram mihi videri ſententiam Gretſeri putantis judicium illud in hoc fuiſſe poſitum ut quis ſub cruce immotus perſiſteret, donec Deus veritatem extraordinario quopiam modo patefaceret. Addo tamen oportuiſſe ut definitum certumque eſſet tempus ſtandi ad crucem; quo elapſo, is qui perſtiterat immobilis, victoriam conſequebatur. Quoniam vero difficile videbatur quempiam immobilem tare ad crucem per longum ſpatium abſque extraordinario Dei auxilio, Deo ſic tribuebant judicium cauſarum quæ ambiguæ & difficiles erant. Extat illuſtre hujus rei exemplum apud Ferdinandum Ughellum in catalogo Epiſcoporum Veronenſium tomo quinto Italiæ ſacræ pag. 619. Orta erat inter cives Veronenſes & Epiſcopum ac clerum ſibi commiſſum controverſia de ædificandis mœnibus urbis, cumque convenire non poſſent, *tandem habito conſilio pacti ſunt ut hæc Dei & Sancti Spiritus reſervarentur judicio. Eligentes duos juvenes Clericos ſine ullo crimine exiſtimatos, ſtatuerunt in Eccleſia Sancti Joannis Baptiſtæ ad domum, & ad crucem ſtare fecerunt; quorum unus Aregaus, poſt Archipresbyter, Eccleſiæ majoris nomine, alter vero ex parte Sancti Zenonis, Pacificus ſcilicet, qui poſt Archidiaconus Eccleſiæ majoris fuit. Hi ambo ab introitu Miſſæ uſque ad mediam paſſionem tantum quæ eſt ſecundum Matthæum pariter ſtarent. Ille qui de parte publica datus fuerat, in terram velut exanimis corruit. Pacificus vero uſque ad finem paſſionis ſtetit. His geſtis, & omnibus gratias Deo agentibus, quartam partem tam civitatis quam caſtelli pars epiſcopii cum his quæ ſupra memoravimus accepit.* Acta hæc regnante Carolo Magno.

(1) *Facere præſumat.*) Beatus Rhenanus lib. 2. rerum Germanicar. pag. 94. *Utebantur judicio aquæ frigidæ, aquæ ferventis, novem vomerum candentium, & examine ſanctæ crucis. Quæ omnia poſt probibita fuere.* Huic tamen Ludovici Pii conſtitutioni evenit quod de pleriſque aliis ejuſdem Principis ſanctionibus obſervatum eſt, nimirum eam non ubique ſervatam eſſe. *Ego*, inquit Gretſerus, *crediderim latam quidem legem quæ hanc probationem vetaret, verum uſu non receptam.* Iſta viri docti ſententia aliquid veri admixtum habet. Certum quippe eſt eam legem non ubique ſervatam fuiſſe, licet alicubi deinceps ab examinatione crucis abſtentum fuerit, puta in vicinis Rheno, Moſæ, Moſellæque pagis. Iſtud collegiſſe mihi videor ex eo quod in aliquot antiquis exemplaribus quæ ex tractu illo ad nos pervenerunt, crucis judicium & examen omiſſum eſt in ſingulis locis Capitularium, in quibus reliqua exemplaria illud habent. Incipiamus a Capitulari quarto anni DCCCIII. in cujus capite tertio hæc habet editio Bavarica & vetus codex Vaticanus: *aut cruce aut ſcuto & fuſte contra eum decertet.* At codex Sancti Vincentii Metenſis hæc tantum: *cum ſcuto & fuſte contra eum decertet.* Item pro eo quod in capite ſexto idem codex Vaticanus & editio Bavarica habent *campo vel cruce contendant*, Metenſis legit *campo contendant.* Hoc poſtremum caput extat etiam in libro tertio Capitularium capite 46. & lib. 2. legis Longobardorum tit. 28. c. 3. iiſdem omnino verbis quibus editum eſt ab Amerbachio; ubi cum omnia vetera exemplaria præferant lectionem quam nos retinuimus, Metenſe tamen habet tantum *campo contendant* abſque ulla mentione crucis. Item in appendice ſecunda libri quarti cap. 34. legitur in omnibus ferme exemplaribus: *contendere voluerit in judicio aut in campo aut ad crucem, licentiam habeat.* Hic vero idem codex Metenſis & alter bibliothecæ Vaticanæ, qui fuit Palatinus, omittunt voces *aut ad crucem.* Hæc oſtendunt, ut opinor, hanc legem ſervatam eſſe in pagis Aquiſgranenſi palatio vicinis. Servatam quoque fuiſſe in Longobardia colligitur ex gloſſa codici regio appoſita in titulo XXVIII. libri ſecundi legis Longobardorum cap. 3. *Si actor datus fuerit ab illo ſuper quem res intertiata fuerit, & ipſe auctor rem intertiatam recipere noluerit in auctoritate ſita, & dixerit ſe illi rem illam non dediſſe vel vendidiſſe cui intertiata fuerit, & nullo modo ſe auctorem illius rei eſſe, tunc debet contendere cum illo cauſæ auctorem negat campo vel cruce. Sed cruce non, propter capitulum Lotharii Sancitum eſt.* Id eſt propter conſtitutionem iſtam Ludovici Pii, quæ Lothario tribuitur in libro ſecundo legis Longobardorum tit. 55. cap. 32. Abolitum quoque olim propter hanc legem in Italia fuiſſe judicium crucis probat gloſſa ad idem caput tituli XXVIII. in altero codice regio: *In hoc vero quod dicitur* cruce vel campo contendat, *de cruce repugnat, cum per crucem non debeat fieri judicium.* Probatur demum ex nota præſenti noſtro capiti adjecta in priore codice regio, ubi ſic legitur: *Hoc capitulum derogat capitulo Ludovici*, Si duo teſtimonia *tit. de teſtibus, & certis aliis legibus examinationem crucis fieri præcipientibus, ut eſt tertia de rebus intertiatis.* In capite tamen, *Si duo teſtimonia*, quod extat inter capitula Ludovici Pii excerpta ex lege Longobardorum, nulla crucis mentio reperitur. Sed lege tertia de rebus intertiatis, quæ conſtituit partem capitis 214. libri ſexti Capitularium & caput 46. libri tertii, mentio habetur judicii crucis.

(2) *Quæ eſt glorificatio.*) In antiquis exemplaribus Vaticano, Metenſi, Palatino, Normannico, Bellovacenſi, Tiliano, Pariſienſi, Remenſi, Divionenſi, Pithœano, & Camberonenſi legitur, *neque glorificatio.* In libro ſecundo legis Longobardorum, *quæ glorificata eſt.* Libellus monachorum Fuldenſium oblatus Carolo M. cap. 19. *Ut crucis gloriatio in ſingulis diebus dominicis fiat ante Miſſam.*

(3) *B. Gregorius.*) Lib. 1. epiſt. 24.

(4) *Miſſalem & Lectionarium.*) Iatto in epiſtola ad Otgarium Archiepiſcopum Moguntinum, quæ eſt 114. inter Bonifacianas: *Mittite mihi de pergameno bono ad unum Lectionarium perſcri-*

bellos (5) sibi necessarios bene correctos habeant, & qualiter Ecclesias destructas ad se pertinentes juxta vires emendent, qualiter etiam viduas diligenter instruant, quomodo etiam

---

scribendum & ad unum Missalem Gregorianum. Hi duo libri sæpe conjunguntur apud veteres, quia utroque opus erat ad celebrandas Missas. Polypticus Sancti Remigii Remensis: *Missalem Gregorii, cum evangeliis & lectionibus*. Flodoardus lib. 3. cap. 9. agens de donis ab Hincmaro Archiepiscopo datis Ecclesiæ Remensi: *Sed & Lectionarium ad Missas librum pari decore venustatum ibidem contulit*. Lectionarium, ut videmus in eo libro qui a Pamelio editus est in Tomo secundo liturgicorum, continebat epistolas & evangelia de circulo anni. Unde in testamento Eurardi Comitis legitur: *Lectionarium de epistolis & evangeliis cum auro scriptum*. In chronico Fontanellensi cap. 16. scriptum est de Ansegiso Abbate: *Lectionarium etiam in membrano purpureo similiter scribere jussit, decoratum tabulis eburneis*. Simile Remensi Ecclesiæ donavit Hincmarus, ut Flodoardus docet lib. 3. cap. 5. *Librum quoque sacramentorum, sed & Lectionarium, quos scribi fecit, ebore argentoque decoravit*. In excerptionibus Egberti Archiepiscopi Eboracensis statuitur, ut is qui voluerit sacerdotalem auctoritatem accipere, primum sibi comparet Psalterium, Lectionarium, Antiphonarium, Missalem, Baptisterium. Itaque in Inquisitione veteri quæ edita est apud Reginonem præcipitur Episcopo ut in visitatione sua investiget utrum Presbyter plebem regens Missalem plenarium, Lectionarium, & Antiphonarium habeat. Et in Admonitione synodali antiqua Episcopus hæc inter alia dicebat Presbyteris: *Missale plenarium, Lectionarium, & Antiphonarium unusquisque habeat*; Sed ista mutata sunt in sequentibus editionibus. Missale plenarium vocabant, ut opinor, codicem in quo singula continebantur, quæ ad Missam pertinebant, Lectionarium vero codicem in quo lectiones & evangelia continebantur. In Necrologio Ecclesiæ Carnotensis ista legi: *II. Non. Marc. Obiit Raginaldus Presbyter & Canonicus sanctæ Mariæ, & Bernardus Capicerius, postea factus monachus, qui dedit huic Ecclesiæ cooperiendæ quadraginta libras & Lectionarium evangeliorum argento tectum*. Præterea erat in Ecclesia alius codex eidem usui destinatus, *Capitulare nimirum evangeliorum de circulo anni*, in quo descripta erant initia & fines evangeliorum uniuscujusque diei. Istius nos sex vetustissima exemplaria vidimus, duo in bibliotheca regia, quorum unum monasterio Sancti Martini Metensis datum olim fuit a Lothario Imperatore, aliud in bibliotheca Sanctæ Genovefæ Parisiensis, reliqua tria in bibliotheca Colbertina. Aliud extare didici in monasterio Sancti Medardi Suessionensis. Extare etiam in antiquissimo codice bibliothecæ Vaticanæ docet Leo Allatius in dissertatione de Dominicis & hebdomadibus recentiorum Græcorum cap. 37. ubi editus est ex eodem codice ordo Dominicarum & feriarum totius anni. Librum Sanctæ Genovefæ edidit integrum Joannes Fronto, mutato tamen titulo. Nam cum in veteri libro legatur, *Incipit capitulare evangeliorum de anni circulo*, Fronto hunc illi titulum fecit: *Kalendarium Romanum nongentis annis antiquius*. Capitulare istud in Vaticano codice, in uno regio, sed præcipue in uno Colbertino, qui est antiquissimus, quasdam lectiones commemorat quæ in codice Sanctæ Genovefæ non extant, & sunt magni momenti. Visum est illa isthic describere ex codice Colbertino.

Contra judices male agentes. Secundum Johannem cap. LXXXXVIIII. *In illo tempore loquente Jesu ad turbas multi crediderunt in eum*, usque *opera Abrahæ facite*.

Item alia secundum Lucam cap. CCXIIII. *In illo tempore dicebat Jesus discipulis suis parabolam hanc, quoniam oportet semper orare*, usque *cito faciet vindictam illorum*.

Contra Episcopos male agentes. Secundum Matthæum cap. LIIII. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, Omnia ergo quæcunque vultis*, usque *intravit in regnum cælorum*.

In adventu Episcopi. Secundum Matthæum cap. CLXXXI. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, Quid vobis videtur, Si fuerint alicui centum oves*, usque *in medio eorum*.

Item secundum Johannem cap LXXXVIII. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, Ego sum pastor bonus*, usque *& unus pastor*.

In adventu principum. Secundum Lucam cap. CLXVI. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc, Simile est regnum cælorum grano synapis*, usque *qui erant novissimi*.

In adventu judicum. Secundum Lucam cap. CXVIII. *In illo tempore interrogavit Jesum quidam princeps*, usque *vitam æternam*.

Item secundum Lucam cap. CXLVIIII. *In illo tempore respondens quidam de turba dicit ad Jesum, Magister, dic fratri meo*, usque *& non est in Deum dives*.

Ad sponsas benedicendas. Secundum Matthæum cap. CCXXI. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, Simile est regnum cælorum homini*, usque *pauci vero electi*.

Pro velatione ancillarum Dei. Secundum Matthæum cap. CCXXI. *In illo tempore loquebatur Jesus cum discipulis suis in parabolis dicens, Simile factum est regnum cælorum homini*, usque *pauci vero electi*.

Ad velandam maritatam. Secundum Johannem cap. XXVII. *In illo tempore respondit Jesus & dixit, Non potest homo*, usque *impletum est*.

Item secundum Matthæum cap. CLXXXVIIII. *In illo tempore venit Jesus in fines Judææ trans Jordanem*, usque *homo non separet*.

In lætania tempore belli. Secundum Lucam cap. CL. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, Nolite solliciti esse*, usque *adjicietur vobis*.

Item secundum Matthæum cap. CCXLIII. *In illo tempore accesserunt ad Jesum discipuli ejus secreto dicentes*, usque *hic salvus erit*.

Pro Regibus. Secundum Lucam cap. CCXVIII. *In illo tempore interrogavit Jesum quidam princeps dicens, Magister bone*, usque *vitam æternam*.

Pro sterilitate terræ. Secundum Marcum cap. LXXVI. *In illo tempore, cum multa turba esset cum Jesu*, usque *& dimisit eos*.

Ad pluviam postulandam. Secundum Matthæum cap. CLX. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, Misereor turbæ*, usque *& discipuli ejus cum eo*.

Ad poscendam serenitatem. Secundum Lucam cap. LXXXIII. *In illo tempore factum est in una dierum, & Jesus ascendit in naviculam*, usque *obediunt ei*.

Pro quacunque tribulatione. Secundum Lucam cap. CXXV. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, Petite & dabitur vobis*, usque *spiritum bonum petentibus se*.

In tempore mortalitatis. Secundum Matthæum cap. XXIII. *In illo tempore circuibat Jesus totam Galilæam*, usque *secutæ sunt eum turbæ multæ*.

Pro iter agentibus. Secundum Lucam cap. LXXXIII. *In illo tempore factum est in una dierum*,

etiam secundum apostolicam auctoritatem conversari debeant edoceant. Et ut superstitiones quas quibusdam in locis in exequiis mortuorum (6) nonnulli faciunt eradicent, & ut exemplo suæ innocentiæ alios ad bene vivendum provocent, & cunctis ecclesiasticis negotiis, quantum Dominus juverit, totis viribus consulere satagant, diligenter admonuimus. Et ut id liberius exequi valeant, nos, in quantum Dominus posse dederit, opem ferre modis omnibus optamus, *Ibid. c.* 28. *Infra VI.* 197.

De incestis nuptiis, & de Ecclesiis non dividendis.

CIV. Nonnulla vero capitula, sicut de incestis nuptiis, nec non & de Ecclesiis quæ inter coheredes dividuntur, & tali occasione proprio honore carent, sive de his Ecclesiis quæ nimium rebus propriis sunt adtenuatæ (7), vel certe de his rebus quæ nuper necessitate compellente a nonnullis Ecclesiis sunt ablatæ, & si qua sunt alia sive in ecclesiasticis sive in publicis rebus emendatione digna, quæ pro temporis brevitate efficere nequivimus, in tantum differendum illud dignum judicavimus donec, Domino favente, consultu fidelium, facultas nobis id definiendi ab eo tribuatur. Inventa vero ut Deo opitulante (8) effectum obtineant per tempora, hic inserenda censuimus (9). *Ibid. c.* 29.

De

---

rum, usque *& venti & mare obediunt ei.*

Item secundum Matthæum cap. LXXXII. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, Euntes prædicate dicentes quia*, usque *quam illi civitati.*

Ad Missa votiva. Secundum Marcum cap. CXXVI. *In illo tempore. Sedens autem Dominus Jesus contra gazophylacium*, usque *totum victum suum.*

Pro quolibet amico. Secundum Lucam cap. CCXIIII. *In illo tempore duo homines ascenderunt in templum*, usque *exaltabitur.*

Pro salute vivorum. Secundum Johannem cap. CLIII. *In illo tempore respiciens Jesus in discipulos suos dixit, Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum*, usque *& ego in ipsis.*

Pro infirmis. Secundum Matthæum cap. LXVII, *In illo tempore, cum venisset Jesus in domum Petri*, usque *& abiit in domum suam.*

Item secundum Lucam cap. LXV. *In illo tempore intravit Jesus Capharnaum, Centurionis autem*, usque *qui langerat sanavit.*

Pro eleemosynas facientibus. Secundum Lucam cap. CLII. *& in* CLXXX. *In illo tempore dicebat Jesus ad quosdam, Vendite quæ possidetis*, usque *panem in regno Dei.*

Item secundum Matthæum cap. XLI. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, Estote ergo & vos perfecti*, usque *reddet tibi.*

Contra temptationem carnis. Secundum Matthæum cap. CXC. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, Dico autem vobis quia quicunque dimiserit uxorem suam*, usque *qui potest capere capiat.*

Pro petitione lacrymarum. Secundum Johannem cap. XCIIII. *In illo tempore dixit Martha ad Jesum, Domine si fuisses hic, frater meus non esset mortuus*, usque *crediderunt in eum.*

Contra obloquentes. Secundum Lucam cap. XLVIII. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, Beati eritis cum vos oderint homines*, usque *multa in cœlo.*

In contentione. Secundum Lucam cap. CXCVII. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, Impossibile est ut non veniant scandala*, usque *quod debuimus facere fecimus.*

Pro pace. Secundum Johannem cap. CXXXII. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, usque *sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.*

In agenda mortuorum. Secundum Johannem cap. LVI. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, Omne quod dat mihi pater*, usque *in novissimo die.*

Item secundum Johannem cap. XCIIII. *In illo tempore dixit Martha ad Jesum, Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*, usque *in hunc mundum venisti.*

Item secundum Johannem cap. XXXVIIII. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, Sicut enim pater suscitat mortuos*, usque *de morte ad vitam.*

Item secundum Johannem cap. LXV. *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, Ego sum panis vivus*, usque *in novissimo die.*

Item secundum Johannem cap. CXCII, *In illo tempore, Tunc oblati sunt ei parvuli*, usque *abiit inde.*

Item secundum Johannem cap. XXXIII. *In illo tempore veniens Jesus in civitate Samaritana quæ dicitur Sichar*, usque *non sitiet in æternum.*

In uno codice regio ista leguntur, quæ non extant in Colbertino.

In scrutinio primo. Secundum Matthæum cap. CXCII. *Tunc oblati sunt parvuli ad Jesum*, usque *talium est regnum cœlorum.*

Item in secundo scrutinio. Secundum Marcum cap. CVI. *Afferebant ad Jesum parvulos*, usque *benedicebat eos.*

Item in tertio scrutinio. Secundum Lucam cap. CCXVI. *Afferebant ad Jesum infantes*, usque *talium est enim regnum Dei.*

In alio codice regio hæc quoque leguntur, quæ in aliis antiquis libris non inveni.

Quando ad Regem vel ad Principem itur. Secundum Lucam cap. CIX. *Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*, usque *adpropinquavit in vos regnum Dei.*

(5) *Ceteros libellos,*) Id est, librum evangeliorum, psalterium, antiphonarium, breviarium, ut est in polyptico Sancti Remigii Remensis, id est, ut ego interpretor, capitulare evangeliorum de circulo anni, in quo initia tantum & fines evangeliorum indicantur. Præterea librum de computo, alium de ordine baptismi, Martyrologium, Pœnitentiale, Passionale, canonum volumen, homilias quadraginta Sancti Gregorii. Hos enim libros in supellectili Ecclesiæ commemorat idem Polypticus.

(6) *In exequiis mortuorum.*) Vide infra lib. 6. cap. 197.

(7) *Adtenuatæ.*) In codice Thuano legitur *admptiatæ*, in Colbertino & in Sangallensi *adnullatæ*, in uno Vaticano *annullatæ*, in editione Basileensi *adunatæ*.

(8) *Deo opitulante,*) Codex Colbertinus, itemque Metensis, Palatinus, Bellovacensis, Normannicus, Camberonensis, Parisiensis, Remensis, & Pithœanus habent *Domino opitulante*.

(9) *Hic inserenda censuimus.*) Hæc est lectio codicis Palatini, Bellovacensis, Metensis, Camberonensis, Rivipullensis, Thuani, Divionensis, Parisiensis, Remensis, Tiliani, Pithœani, & editionis Basileensis. Normannicus habet, *pro tempore hic inserenda censuimus*. Alii, *per tempora, jam emendata atque correcta ac restituta*

De ſcriptoribus.

CV. De ſcribis, (1) ut non vitioſe ſcribant (2). *Capitul. I. a.* 805. *c.* 3.

De ſervis propriis vel ancillis.

CVI. De ſervis propriis vel ancillis, ut non amplius tondeantur vel velentur niſi ſecundum menſuram, & ut ibi ſatis fiat, & vil-

---

tuta ſcriptis confirmare optamus. Certe ita legitur in ipſo Capitulari. Nos emendavimus Anſegiſum ad vetuſta Anſegiſi exemplaria, & majorem librorum numerum minori prætulimus.

(1) *De ſcribis.*) In codice Sancti Vincentii Metenſis legitur; *De ſcriptoribus, ut non vitioſe ſcribant*. In uno Vaticano, in Sangallenſi, & in Colbertino: *Jubemus ut ſcriptores quique non vitioſe ſcribant*. Sic etiam ſcriptum fuit in libro Caroli Molinæi.

(2) *Non vitioſe ſcribant.*) Magni quippe momenti eſt habere libros bene emendatos & correctos, ut legitur in cap. 68. & 103. hujus libri. Nam imperiti ac temerarii ſcriptores aliquando ita perturbabant ſenſum ordinemque verborum ut etiam in hac clariſſima luce literarum infinita ſint loca in veterum ſcriptis quæ nulla eruditorum induſtria ſanare poteſt. Atque ob eam cauſſam olim ars ſcribendi libros inter præcipua eruditorum ſtudia cenſebatur, uti dictum eſt in Notis ad Agobardum pag. 145. & oſtendit etiam Hugo Menardus in Notis ad Concordiam regularum pag. 825. Hieronymus in catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum tradit Pamphilum martyrem manu ſua deſcripſiſſe magnam partem operum Origenis: *Pamphilus Presbyter tanto bibliothecæ divinæ amore flagravit ut maximam partem Origenis voluminum ſua manu deſcripſerit, quæ uſque hodie in Cæſarienſi bibliotheca habentur. Sed & in duodecim Prophetas viginti quinque ἐξηγήσεων Origenis volumina manu ejus exarata reperi, quæ tanto amplector & ſervo gaudio ut Crœſi opes habere me credam*. Paulinus Presbyter in vita Sancti Ambroſii Epiſcopi Mediolanenſis: *Nec operam declinabat ſcribendi propria manu libros, niſi cum aliqua infirmitate corpus ejus attenuaretur*. In veteri libro Priſciani Ms. in bibliotheca Colbertina hæc leguntur in calce: *Fl. Theodoſius V. D. Memorialis ſacri ſcrinii epiſtolarum & adjutor Quæſtorum ſacri palatii ſcripſi manu mea artem Priſciani viri diſertiſſimi grammatici doctoris mei in urbe Roma Conſtantinopoli die V. Kal. Martias Mavortio V. C. Conſule*. Alcuinus quoque, vir tantus, libros propria manu ſcribebat. Teſtis codex ſacrorum bibliorum quem in Vallicellana bibliotheca extare Baronius ait ad annum DCCLXXVIII. ubi inter varia carmina, iſta leguntur:

Pro me, quiſque legas verſus, orare memento.
Alcuin dicor ego.

Teſtis etiam auctor Annalium Anianenſium, his verbis: *Dedit idem ſereniſſimus Rex Auguſtus Anianenſi cœnobio quatuor evangeliorum librum, qui textus dicitur, cujus poſtes ſunt mirabili ſchemate compoſiti, ut unum electri aureolum conformet peripitaſma, alterum vero eburis pulcre cælatum diſtinguat iconiſma. Quem librum ejuſdem Regis magiſter & didaſcolus propria manu deſcripſit Alicuinus, qui & Albinus, qui artium liberalium apprime fuit peritus: cujus libri multi reperiuntur, quorum quidam de tractatu philoſophiæ ſeu dialecticæ, quidamque de Trinitatis conſcripti habentur confeſſione. Fecit & hunc evangeliorum librum, non cordis dictante proprio ſenſu, ſed corporis propria ſcribente manu*. Hincmarus quoque Remenſis Archiepiſcopus, vir primarum in republica partium, librum Adalardi de ordine palatii ſua manu ſcripſit, ut ipſe teſtatur in epiſt. 14, cap. 12. *Adalhardum ſenem & ſapientem Domni Karoli Magni Imperatoris propinquum & monaſterii Corbejæ Abbatem inter primos Conſiliarios primum in adoleſcentia mea vidi, cujus libellum de ordine palatii & legi & ſcripſi*. De Simone Abbate Sancti Albani legitur in vitis XXIII. Abbatum ejuſdem monaſterii, quod *poſtquam feliciter in curam paſtoralem eſt aſſumptus, non deſiit libros optimos & volumina authentica & gloſſata tam novi quam veteris teſtamenti ſcribere & ad unguem irreprehenſibiliter præparare, quorum numerum longum foret explicare*. De eodem legitur *quod duos vel tres electiſſimos ſcriptores continue in camera ſua honorifice ſuſtinuit; unde librorum optimorum copiam impretiabilem ad unguem præparavit*. Et paulo poſt de eodem: *Scriptorium quoque tunc temporis fere diſſipatum & contemptum reparavit, & quaſdam laudabiles conſuetudines in ipſo innovavit, & ipſum ampliavit redditibus*. Scriptorium erat locus ubi ſcribæ manibus operabantur. Locus is, ut Browerus ait, Fuldæ fuit ſeceſſu & reticentiæ ſtudio ſingularis, cui Flaccus magiſter hos inſcripſit verſiculos.

Hic ſedeant ſacræ ſcribentes famina legis,
Necnon ſanctorum dicta ſacrata patrum.
Hic interſerere caveant ſua frivola verbis,
Frivola nec propter erret & ipſa manus.
Correctoſque ſibi quærant ſtudioſe libellos,
Tramite quo recto penna volantis eat.
Eſt labor egregius ſacros jam ſcribere libros.
Nec mercede ſua ſcriptor & ipſe caret.

Scriptor mercede ſua non caret: quia hi qui libri utuntur, gratiam ſemper habent ei qui ſcripſit; modo recte & emendate ſcripſerit. Nam ſi negligenter in hoc verſatus fuerit, tum pro gratia querelas excitat. S. Hieronymus in epiſtola ad Lucinium de inſcitia & temeritate notariorum ac librariorum queritur his verbis quæ merentur hic tranſcribi. *Unde ſi paragrammata reperens*, inquit, *vel minus aliqua deſcripta ſunt quæ ſenſum legentis impediant, non mihi debes imputare, ſed tuis, & imperitiæ notariorum librariorumque incuriæ, qui ſcribunt, non quod inveniunt, ſed quod intelligunt, & dum alienos errores emendare nituntur, oſtendunt ſuos*. Vide Juretum in Miſcellaneis ad Symmachum lib. 1. ep. 18. De notariis quod ait Hieronymus, intelligendum videtur de his qui notarum grammaticarum uſum callebant, artem ſane operoſam admodum ac difficilem, & ex qua propter difficultatem operis & notariorum inſcitiam multa fœdiſſima menda irrepſerunt in veterum ſcriptorum libros, ut ante me monuit vir ſummus Jacobus Cujacius lib. 9. Obſervat. cap. 16. Extat in codice 874. bibliothecæ regiæ vetuſtiſſimus liber artis notariæ, in cujus præfatione hæc leguntur: *Multi ſunt qui incipiunt & volunt diſcere notas; ſed paucorum eſt gratia conferta. Videtur enim mihi ars iſta ſimilitudinem tenere ſalicis juxta aquas poſitæ; ut quomodo rami ejus omnia fruteta ſilvarum conligare atque conſtringere poſſunt, ita etiam ars iſta omnem auctoritatem novi ac veteris teſtamenti ſive orthodoxorum patrum omnemque erudimentum fidei velociſſime valde excipere poteſt*. Et infra: *Sunt igitur aliqui qui dimittunt ad tertiam partem, aliqui tamen ad medietatem. Et ſunt plurimi qui non di-*

& villæ non sint desolatæ (1). *Ibid. c.* 11.

De congregationibus.

CVII. De congregationibus superfluis, ut nullatenus fiant. Sed tantos congreget (2) quis quantis consilium dare potest. *Ibid. c.* 12.

De pulsantibus.

CVIII. De his qui non fiunt secundum regulam pulsati, ut deinceps emendentur & pulsentur secundum regulam. *Ibid. c.* 13.

De infantulis puellis, quando velentur.

CIX. Ut infantulæ ætatis puellæ (3) non velentur antequam illæ eligere sciant quid velint, & pulsentur (5), salva canonica auctoritate (5). *Ibid. c.* 14. *lib.* 3. *Longob. t.* 1. *c.* 6.

De Præpositis monachorum.

CX. Ut laici non sint Præpositi monachorum infra monasteria. Nec Archidiaconi sint laici. *Ibid. c.* 15.

De incestuosis.

CXI. De incestuosis, ut canonice examinentur, & nec propter alicujus amicitiam quidam relaxentur, quidam vero constringantur. *Ibid. c.* 16.

De fame, clade, & pestilentia, si evenerit.

CXII. De hoc si evenerit fames (6), clades, pestilentia, & inæqualitas aeris (7), vel alia qualiscunque tribulatio (8), ut non expe-

---

dimittunt nisi ubi in fine dicitur Plateola. *Et cum jam adjuvante Domino Christo remeaverint ad portum, tunc jam indesinenter nolunt* (leg. *volunt*) *dimittere quod per totum anni spatium laborare visi sunt*. In collatione Carthaginensi cognitione 1 cap. 5. Petilianus Episcopus partis Donatistarum ait: *Notas non novimus; neque ea natura rerum est atque ipsarum, ut ita dixerim, litterarum ut quisquam notas legat alienas*. Ob eam caussam pars Catholicorum habebat suos notarios, pars vero Donatistarum suos, ut patet ex initio primæ & secundæ cognitionis: *Excipientibus quoque Januario & Vitale notariis Ecclesiæ catholicæ. Victore & Cresconio notariis Ecclesiæ Donatistarum*. Ex ignoratione notarum istarum emerserunt, ut dixi, tot menda quæ passim occurrunt in veteribus libris, velut in hac ipsa collatione Carthaginensi, ubi in capite vigesimo primæ cognitionis legitur *Edictis enim propositis præsentiæ tuæ*, cum scribendum esset *præstantiæ*, ut in capite 65. ejusdem primæ cognitionis: *Pervidet jam hic præstantia tua*. In capite 108. habetur, *In judicio prudentiæ tuæ* pro *præstantiæ tuæ*. Fœdius aberratum est in capite 138. tertiæ cognitionis, ubi idem Petilianus sic alloquitur Marcellinum tribunum: *Ego tamen tuam desidero providere pronuntiationem quid hoc loco sentias*; ubi dubium non est quin legendum sit *præstantiam*. Sunt & alia multa loca fœdissime depravata per inscitiam notariorum & temeritatem librariorum, quorum emendationem opportuniori tempori reservo.

(1) *Non sint desolatæ.*) Beatus Rhenanus lib. 2. rerum Germanicarum pag. 93. *Omnia redundabant servis tam fiscalinis sive regiis quam ecclesiasticis. Proinde tædio servitutis multi monasticam vitam profitebantur. Unde lex extat eatenus hoc fieri permittens, ne pagi justis cultoribus destituantur.*

(2) *Tantos congreget.*) In codice Normannico legitur: *tantos congregate quantos consilium dari potest*. In Parisiensi, *tantos congregate quantis consilium dare potest*. In Remensi, *tantos congregate quantis consilium dari potest*. In Pithœano, *tantos congregate quantis subsidium dari potest*.

(3) *Puellæ.*) In uno codice Vaticano, in Colbertino, & in Sangallensi legitur *puellaris*, hoc est, puellares. Puto autem hic agi de puellis monasterio traditis in tenera ætate, quæ in codicibus mox laudatis adjective vocantur puellares quo modo monasteria puellaria.

(4) *Et pulsentur.*) Dubitavi an expungerem has duas voces, quia non habentur in plerisque vetustis exemplaribus, neque in editione Basileensi, neque demum in codice legis Longobardorum. Desunt enim in duobus Vaticanis, in Bellovacensi, Metensi, Normannico, Parisiensi, Camberonensi, Rivipullensi, Divionensi, Pithœano, Tiliano.

(5) *Salva canonica auctoritate.*) Vetus glossa addita in margine legis Longobardorum in uno codice regio: *id est, non fiat monacha ante* XV. *annos, metu mortis aut raptu excepto*. Sed in hac glossa legendum est *ante* XXV. *annos*, ut supra cap. 45. hujus libri. Vide quæ adnotata sunt ad caput 44. Francofordiense.

(6) *Si evenerit fames.*) Caput istud tribuitur Liberio Papæ in codice XVI. librorum apud Binium. Sed hujus falsitatis auctor est Burchardus; qui edicti præterea mentionem omisit, ne qua Capitularium vestigia remanerent in hoc loco.

(7) *Inæqualitas aeris.*) Statuta antiqua Sancti Petri Corbejensis cap. 3. *Si propter aliquam necessitatem cujuslibet temporis, hospitum, & inæqualitate aeris necesse fuerit, deputetur eis talis frater maturus de cujus conscientia omnes securi sint*. Anastasius Bibliothecarius in vita Stephani III. *Postea vero beatissimus Papa præ nimio labore itineris atque temporis inæqualitate fortiter infirmatus est*. Institutio Sancti Angilberti Abbatis Centulensis de diversitate officiorum: *Per viam monasterii una cum populo accedentes ad portam beati archangeli Michaelis, paradisum ingrediantur; & coram sancta nativitate oratione facta, post ostium medianum & per cocleam meridianam ascendentes, ad sanctum Salvatorem perveniant. Quod si ratio aeris hoc non permiserit, de sancta Maria per Longaniam terra tenus usque ad ascensorium ipsius Longaniæ, quo sursum ascenditur, veniant*. Inæqualitas alibi morbum significat, ut pluribus ostendit Hugo Menardus in Notis ad Concordiam regularum pag. 179. 638. 669.

(8) *Tribulatio.*) Vita Alcuini: *Docuit etiam eum* (id est, Carolum M.) *per omne vitæ suæ tempus quos psalmos pœnitentiæ cum letania & orationibus precibusque, quos ad orationem specialem faciendam, quos in laude Dei, quos quoque pro quacunque tribulatione, quemque etiam ut se in divinis exerceret laudibus decantaret*. In libro sacramentorum, inter orationes feriæ quartæ post palmas ista leguntur: *Perveniant ad te preces de quacunque tribulatione clamantium*. Et infra habetur Missa pro quacunque tribulatione. Aliam nos olim ex codice Colbertino edidimus post Notas ad Reginonem titulo VII.

expectetur edictum nostrum (1), sed statim deprecetur Dei misericordia. Et in præsenti anno de famis inopia (2), ut suos quisque adjuvet, & suam annonam non nimis care vendat. Et ne foris imperium nostrum vendatur aliquid alimoniæ. *Capitul. II. a.* 805. *c.* 4. *Capitul. III. a.* 805. *c.* 5. 6.

De fugitivis Clericis sive Laicis.

CXIII. De fugitivis Clericis sive Laicis vel etiam feminis, sicut in alio Capitulari præcepimus, ita servetur. *Capit. II. a.* 805. *c.* 14. *Capitul. III. a.* 805. *c.* 16.

De liberis hominibus ad servitium Dei se tradentibus.

CXIV. De liberis (3) hominibus qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut prius hoc non faciant quam a nobis licentiam postulent. Hoc ideo quia audivimus aliquos ex illis non tam caussa devotionis hoc fecisse quam pro exercitu seu alia functione regali fugienda (4), quosdam vero cupiditatis caussa ab his qui res illorum concupiscunt circumventos audivimus. Et hoc ideo fieri prohibemus. *Capitul. II. a.* 805. *c.* 15. *Capitul. III. a.* 805. *c.* 17.

De oppressione pauperum.

CXV. De oppressione (5) pauperum (6) liberorum hominum, ut non fiant a potentioribus per aliquod malum ingenium contra justitiam oppressi (7), ita ut coacti res eorum vendant aut tradant. Ideo hæc & supra & hic de liberis hominibus diximus, ne forte parentes eorum contra justitiam fiant exheredati, & regale obsequium minuatur, & ipsi heredes propter indigentiam mendici vel latrones (8) seu malefactores efficiantur. Et ut sæpius non fiant manniti ad placita; nisi sicut (9) in alio Capitulari præcepimus, ita servetur (10). *Capitul. II. a.* 805. *c.* 16. *Capitul. III. a.* 805. *c.* 18.

De Missis qui per civitates & monasteria mittuntur.

CXVI. Ut Missi per singulas civitates & monasteria virorum & puellarum prævideant quomodo aut qualiter in domibus Ecclesiarum & ornamentis Ecclesiæ emendatæ vel restauratæ esse videntur; & diligenter inquirant de conversatione singulorum, vel quomodo emendatum habeant quod jussimus de eorum lectione & cantu ceterisque disciplinis ad ordinem ecclesiasticæ regulæ pertinentibus. *Capitul. V. a.* 806. *c.* 4.

De thesauris ecclesiasticis.

CXVII. Ut singuli Episcopi, Abbates, seu Abbatissæ diligenter considerent thesauros ecclesiasticos, ne propter perfidiam aut neglegentiam custodum aliquid de gemmis aut de vasis vel de reliquo quoque thesauro perditum sit. Quia dictum est nobis quod negotiatores Judæi nec non & alii gloriantur quia quicquid eis placet possint ab eis emere. *Ibid. c.* 5.

De

(1) *Edictum nostrum.*) Hinc collegimus in Notis ad Reginonem, jejunia & supplicationes quæ tum extra ordinem injungebantur, auctoritate Principis interdum consuevisse decerni. Frustra enim Princeps tolleret necessitatem expectandi edicti, si ea nulla fuisset.

(2) *Famis inopia.*) Nihil frequentius in annalibus & veteribus monumentis illorum temporum quam commemoratio famis quæ diversis temporibus & per multos annos sub Carolo & Ludovico afflixit populum Christianum. Frotharius Episcopus Tullensis epist. 26. *Cum his præteritis annis inopiam famis multimodam ob ariditatem segetum vel grandinis irruptionem perpessi fuerimus.*

(3) *De liberis.*) Istud caput sic paraphrastice exposuit Beatus Rhenanus in libro secundo rerum Germanicarum pag. 94. *Libero homini non licebat sese addicere monasterio nisi consulto Principe. Nam quidam hoc faciebant, non studio pietatis, sed ut pericula bellorum & civilium functionum molestias evitarent. Quidam, quod opibus pollerent, a callidis monachis circumveniebantur illos velut piscem in nassam pellicientibus.* Huc quoque respexisse videtur Joachimus Vadianus libro secundo de collegiis monasteriisque Germaniæ veteribus pag. 43. *Francis quidem*, inquit, *tametsi liberum non esset monasterium ingredi nisi Principe consulto, quod jam tum essent qui conditione delectati otium magis quam pietatem sectarentur, tamen hoc amplius monachismo Alemanni favebant.*

(4) *Functione regali fugienda.*) Sive *ut onus curiale declinet*, ut verbis Sancti Ambrosii utamur ex libro secundo adversus Symmachum. Vide Concilium primum Aurelianense cap. 4.

(5) *De oppressione.*) Caput istud reperitur descriptum in cap. 17. Concilii Moguntini anni DCCCXLVII.

(6) *Pauperum.*) Hæc vox non habetur in antiquis exemplaribus, Vaticano, Thuano, Sangallensi.

(7) *A potentioribus oppressi.*) Anianus in interpretatione legis 9. Cod. Theod. de contrahenda emptione: *Sciant omnes, quicunque a potentioribus personis oppressi aut donaverint aut vendiderint, posse revocari.* Ad quæ vetus glossa in antiquissimo codice Ms. bibliothecæ regiæ sic habet: *Verbi gratia. Si in mallo non fuerit vilis persona, potentior, ut judex, minando requiret ab eo cur spreverit constringensque fisco coget multam pecuniam offerre qui ob paupertatem res suas cogetur tradere judici; at postea revocari poterit.* Vide Jacobum Gothofredum ad hunc locum.

(8) *Latrones.*) In auctario Sigeberti Aquicinctino scriptum est tantam fuisse famem anno MCXCVII. ut *multi hac necessitate constricti contra consuetum vivendi usum latrones effecti, laqueo sint suspensi.*

(9) *Nisi sicut.*) Rhabanus in eodem capite Concilii Moguntini; *nisi sicut in dominico capitulari olim facto præcipitur.*

(10) *Ita servetur.*) Hæc est lectio omnium ferme veterum exemplarium & editionis Basileensis. In Tiliana & Pithœana legitur, *sed omnimodo ita servetur*. Quæ lectio sane habetur in codice Colbertino, in Rivipullensi, & Sangallensi.

De mendicis discurrentibus.

CXVIII. De mendicis (1) qui per patrias discurrunt, volumus ut unusquisque fidelium nostrorum suum pauperem de beneficio aut de propria familia nutriat, & non permittat aliubi ire mendicando. Et ubi tales inventi fuerint, sibi manibus laborent, & nullus eis quicquam tribuere præsumat. *Ibid, c.* 10.

De usura.

CXIX. Usura est (2) ubi amplius requiritur quam datur. Verbi gratia, si dederis solidos decem, & amplius requisieris; vel si dederis modium vini, frumenti, & iterum super aliud exegeris. *Ibid. c.* 12.

De cupiditate in bonam partem.

CXX. Cupiditas in bonam partem potest accipi & in malam. In bonam, juxta Apostolum: *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Et in psalmo; *Concupivit anima mea in atria Domini. Ibid. c.* 13.

Item de cupiditate in malam partem.

CXXI. Cupiditas vero in malam partem accipitur si quis supra modum res quaslibet injuste appetere vult, juxta Salomonem: *Post concupiscentias tuas non eas. Ibid. c.* 14.

Item de avaritia.

CXXII. Avaritia est, alienas res appetere & adeptas nulli largiri. Et juxta Apostolum hæc est radix omnium malorum. *Ibid. c.* 15.

De turpibus lucris.

CXXIII. Turpe lucrum exercent qui per varias circumventiones lucrandi caussa inhoneste res quaslibet congregare decertant. *Ibid. c.* 16.

De Fœnore.

CXXIV. Fœnus est qui aliquid præstat. (3) Justum fœnus est qui amplius non requirit nisi quantum præstitit. *Ibid. c.* 17.

De emptione tempore messis caussa cupiditatis & turpis lucri.

CXXV. Quicunque (4) enim tempore messis vel tempore vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem (5), comparat annonam aut vinum, verbi gratia, de duobus denariis comparat modium unum & servat usque dum venundare possit contra denarios quatuor aut sex seu amplius, hoc turpe lucrum dicimus. Si hoc propter necessitatem comparat ut sibi habeat & aliis tribuat, negotium (6) dicimus. *Ibid. c.* 18.

De hoc si per plurima loca fames fuerit.

CXXVI. Consideravimus itaque, quia per plurima loca fames valida esse videtur, ut omnes Episcopi, Abbates, Abbatissæ, optimates, & Comites, seu domestici, & cuncti fideles qui beneficia regalia tam de bonis ecclesiasticis quamque & de reliquis habere videntur, ut unusquisque de suo beneficio suam familiam nutricare faciat, & de sua proprietate propriam familiam nutriat. Et si Deo donante super se & super familiam suam aut in beneficio aut in alode annonam habuerit & venundare voluerit, non carius vendat nisi modium de avena contra denarios duos, modium de hordeo contra denarios tres, modium unum de sigilo contra denarios quatuor, modium unum de frumento parato contra denarios sex. Et ipse modius sit quem omnibus habere constitutum est. Et unusquisque habeat æquam mensuram & æquales modios. *Ibid. c.* 19.

De synodis, qualiter fiant.

CXXVII. Ut per singulos annos synodus bis fiat. *Capitul. VI. a.* 806. *c.* 1.

De metropolitanis Episcopis.

CXXVIII. Ut nequaquam inter duos Metropolitanos provincia dividatur. *Ibid. c.* 3.

De Episcopis, quot sint in una civitate.

CXXIX. Ne in una civitate duo sint Episcopi. *Ibid. c.* 4.

De ordinatione Episcoporum.

CXXX. Quod non oporteat ordinationes Episcoporum diu differre (7). *Ibid. c.* 5.

De stabilitate Episcoporum vel Clericorum.

CXXXI. Ne de uno loco ad alium transeat Episcopus sine decreto Episcoporum, vel Clericus sine jussione Episcopi sui. *Ib. c.* 10.

De

(1) *De mendicis.*) Beatus Rhenanus libro 2. rerum Germanicarum pag. 95. referens leges aliquot Francorum: *Mendici per regiones vagari non permittuntor. Suos pauperes quæque civitas alito. Illis, nisi manibus operentur, nullus quicquam dato.*

(2) *Usura est.*) Burchardus istam constitutionem refert *ex Concilio Agathensi cap.* 1. ubi non extat. Sic etiam Ivo in veteri codice Sancti Victoris. Nam in editionibus legitur, *ex Concilio Carthaginensi cap.* XIII. In Pannormia quoque lib. 3. cap. 161. refertur *ex Concilio Agathensi cap.* 1. Vide Notas ad Gratianum.

(3) *Præstat.*) Commodat, mutuum dat, ut dictum est in Notis ad Reginonem pag. 569. Alibi præstare significat donare, ut in Concilio primo Hispalensi cap. 1. *si præstitum de suis rebus non fecit Ecclesiæ*; & in Concilio Toletano IX. cap. 3. *causam præstiti evidenter exponat.*

(4) *Quicunque.*) Burchardus caput istud accepisse se ait *ex decretis Julii Papæ usurariis missis cap.* 125. Vide Notas ad Gratianum.

(5) *Propter cupiditatem.*) Vide Jureti miscellanea ad Symmachum pag. 72.

(6) *Negotium.*) *Negoce* Francis, id est, mercaturam, negotiationem. Unde negotiari significat mercaturam exercere.

(7) *Diu differre.*) Vide Capitulare sextum anni DCCCXIX. cap. 10.

De communione fidelium.

CXXXII. Ut omnes fideles communicent & ad Missas perexpectent sine alia deprecatione. *Ibid. c.* 23.

De Presbyteris, Diaconibus, & reliquis ex clero. Et de decretis beati Sylvestri Papæ.

CXXXIII. Fecit hos gradus in gremio synodi, ut non Presbyter adversus Episcopum, non Diaconus adversus Presbyterum, non Subdiaconus adversus Diaconum, non Acolytus adversus Subdiaconum, non Exorcista adversus Acolytum, non Lector adversus Exorcistam, non Ostiarius adversus Lectorem det accusationem aliquam. Et non damnabitur Præsul nisi in LXXII. testibus. Neque Præsul summus a quoquam judicabitur, quoniam scriptum est: *Non est discipulus super magistrum*. Presbyter autem nisi in quadraginta quatuor testibus non damnabitur. Diaconus autem in cardine constitutus in urbe Roma nisi XXXVII. non condemnabitur. Subdiaconus, Acolytus, Exorcista, Lector, nisi, sicut scriptum est, in septem testimoniis filios habentes (1) & uxores & omnino Christum prædicantes. Sic datur mystica veritas. *Ibid. c.* 23.

De confugio ad Ecclesiam.

CXXXIV. Si quis ad Ecclesiam (2) confugium fecerit, in atrio ipsius Ecclesiæ pacem habeat, nec sit ei necesse Ecclesiam ingredi (3). Et nullus eum inde per vim abstrahere præsumat. Sed liceat ei confiteri (4)

quod fecit, & per manus bonorum hominum ad discussionem in publico producatur. *Capitul. II. a.* 803. *c.* 3. *lib. II. Longob. tit.* 40. *c.* 5.

De his qui ad casam Dei res suas tradere voluerint.

CXXXV. Qui res suas pro anima sua ad casam Dei tradere voluerit (5), domi traditionem faciat coram testibus legitimis (6). Et quæ in hoste factæ sunt traditiones, de quibus nulla est quæstio, stabiles permaneant (7). Si vero aliquis alii res suas tradiderit, & in hostem profectus fuerit, & ille cui res traditæ sunt interim mortuus fuerit, qui res tradidit, cum reversus fuerit, adhibitis testibus coram quibus traditio facta est, res suas recipiat. Si autem & ipse mortuus fuerit, heredes ejus legitimi res traditas recipiant. *Capit. II. a.* 803. *c.* 6.

De ordinatione Presbyterorum.

CXXXVI. Ut Presbyteri (8) non ordinentur priusquam examinentur. Et ut excommunicationes passim & sine caussa (9) non fiant. *Capitul. III. a.* 803. *c.* 2.

De conversione liberi hominis.

CXXXVII. Ut liber homo qui in monasterio regulari comam deposuerit, & res suas ibidem delegaverit, promissione facta (10) secundum regulam (11) firmiter teneatur. *Ibid. c.* 12.

De non cogendo bibere.

CXXXVIII. Ut nemini liceat alium cogere

---

(1) *Filios habentes.*) Tilius & Pithœus ediderunt, *filios habentibus & uxores & omnino Christum prædicantibus*. Sed omnia vetera exemplaria & editio Basileensis repugnant. Utrobique enim scriptum est uti nos edidimus. Atque ita profecto legitur in canone secundo synodi Romanæ sub Silvestro, unde ista accepta sunt. Æneas Episcopus Parisiensis in libro adversus Græcos cap. 204. legit, *in septem testimonia filios & uxores habentes & omnino Christum prædicantes*. Similis loquendi modus reperitur in capite secundo Francofordiensi, *nullus ex mancipiis ad illum pertinentes beneficium fame moriatur*. Sic emendandum est diploma Arnulphi Ducis pro monasterio Sancti Arnulphi Metensis; ubi pro eo quod Meurissius in historia Episcoporum Metensium pag. 113. edidit *mobilibus & immobilibus cum omni integritate seu adjacentiis ad se aspicientibus vel pertinentibus*, in chartulario ex quo ista edita sunt legitur *aspicientes vel pertinentes*. Hinc apud Hincmarum in opusculo LV. capitulor. cap. 24. & in legibus Sancti Stephani Regis Hungariæ lib. 2. cap. 3. *Testes autem & accusatores sine aliqua sint infamia, uxores & filios habentes, & omnino Christum prædicantes*.

(2) *Si quis ad Ecclesiam.*) Hæc constitutio Ludovico Pio tribuitur in vulgatis editionibus legis Longobardorum, in antiquis vero libris Carolo Imperatori, quod melius est.

(3) *Ecclesiam ingredi.*) Glossa vetus in uno exemplari regio legis Longobardorum: *Per hoc apparet Ecclesiam non dici emunitatem*. Vide infra lib. 5. cap. 279.

(4) *Confiteri*) Ad hoc verbum ista adnotat Nicolaus Boherius: *Nota processum criminalem in Ecclesia fieri posse*. Vide infra lib. 6. cap. 291.

(5) *Tradere voluerit.*) In antiqua editione & in vetustis exemplaribus legis Longobardorum legitur *maluerit*, apud Lindenbrogium vero *voluerit*. Glossa interlinearis in uno codice regio sic habet ad hunc locum: *Hinc debemus intelligere quod ideo illi traditæ erant ut ab ea distribuerentur & sub conditione*.

(6) *Testibus legitimis.*) *Id est, viventibus eadem lege qua & ipse*, ut ait eadem glossa.

(7) *Stabiles permaneant.*) *Sive legitimis testibus sive non legitimis confectæ sunt, valeant*, ut est in eadem glossa.

(8) *Ut Presbyteri.*) Vide infra lib. 5. cap. 40. & lib. 6. cap. 217.

(9) *Sine caussa.*) Id est, irrationabiliter. Flodoardus lib. 3. cap. 21. de epistolis ab Hincmaro Archiepiscopo ad diversos scriptis; *Erpuino Silvanectensi pro quodam homine quem irrationabiliter ab eo excommunicatum compererat, intimat*.

(10) *Promissione facta.*) Leg. *promissionem factam secundum regulam firmiter teneat*.

(11) *Secundum regulam.*) Ita etiam in vulgatis editionibus legis Longobardorum. Sed in uno veteri codice legitur *secundum legem*, in alio *secundum regulam*, ubi postea vox *legem* reposita est supra lineam a manu antiqua, ut indicaretur, opinor, sic emendandum esse.

re ad bibendum (1). *Ibid. c.* 16.

De mercato.

CXXXIX. Ut mercatus (2) die dominico (3) in nullo loco habeatur. *Capitul. I. a.* 809. *c.* 18. *Capitul. II. a.* 809. *c.* 8.

De Presbyteris, qualiter introitum Ecclesiæ consequantur.

CXL. Ut nullus (4) Presbyter ad introitum Ecclesiæ (5) exenia (6) donet.

De Presbyteris, a quibus per Ecclesias constituantur.

CXLI. Ut nullus laicus Presbyterum in Ecclesia mittere vel ejicere præsumat nisi per consensum Episcopi.

De honore pro Ecclesiis dando.

CXLII. Ut Episcopi (7) prævideant quem honorem Presbyteri pro Ecclesiis suis senioribus tribuant.

De decimis dispensandis.

CXLIII. Ut decimæ (8) in potestate Episcopi sint qualiter a Presbyteris dispensentur.

De Ecclesiis vel altaribus.

CXLIV. Ut Ecclesiæ vel altaria melius construantur (9). Et nullus Presbyter annonam vel fœnum in Ecclesia mittere præsumat.

De Ecclesiis vel altaribus ambiguis.

CXLV. Ut Ecclesiæ (10) vel altaria quæ ambigua sunt de consecratione consecrentur (11).

De linteis altaribus præparandis.

CXLVI. Ut Presbyteri (12) per parrochias suas feminis prædicent ut linteamina altaribus (13) præparent.

De parrochianis alterius Presbyteri.

CXLVII. Ut nullus Presbyter alterius parrochianum (14) nisi in itinere fuerit vel placitum ibi habuerit, ad Missam recipiat.

De parrochia alterius Presbyteri.

CXLVIII. Ut nullus Presbyter in alterius parrochia Missam cantare (15) præsumat, nisi in

---

(1) *Ad bibendum.*) Editiones Tilii & Pithœi addunt, *nisi quantum sufficit*. Sed hæc non habentur in antiquis exemplaribus. Translata autem huc sunt ex Capitulari tertio anni DCCCIII. ubi hæc clausula additur in codice Sancti Remigii Remensis, ut illic monuimus. Vide Cæsarii Arelatensis homiliam quintam inter eas quæ a nobis editæ sunt.

(2) *Ut mercatus.*) Burchardus caput istud tribuit Concilio apud Sanctum Medardum præsente Carolo Imperatore.

(3) *Die dominico.*) Vide Notas ad Agobardum & ad Concilia Galliæ Narbonensis.

(4) *Ut nullus.*) Burchardus hanc constitutionem refert ex Concilio Aurelianensi cap. 10. ubi non extat.

(5) *Exenia.*) Sic scribebant per illas tempestates. Haiminus Presbyter in libro de miraculis Sancti Vedasti c. 6. *Exenia quæ manus ejus invenire potuit, mihi quidem obtulit*. Sic legendum apud Ivonem par. 3. cap. 93. Vide eundem ibid. cap. 269.

(6) *Exenia.*) Id est, munera. Capitulare Theodulfi cap. 16. & Attonis Episcopi Vercellensis cap. 33. *Si quis Presbyter inventus fuerit alicui Clerico aut laico munera dare aut dedisse ut Ecclesiam alterius Presbyteri subripiat*, Capitulare Ahytonis Episcopi Basileensis cap. 12. *Sciant quia nemo per pecunias ordinandus est, nec per munera Ecclesiam debet occupare*. Hincmari capitula tit. 4. cap. 5. *Sæpe vos admonui de exeniis superfluis contra sacras regulas pro Ecclesiis viduatis non dandis*. Idem apud Flodoardum lib. 3. cap. 28. scribit *Sigloardo & Rodoldo pro quodam Presbytero cui consenserat, suadente Sigloardo, ut libello suæ professionis a regimine plebis sibi commissæ redderet se alienum, & alium in loco suo expeteret ordinandum, sed colludium quod habebat factum sibi celaverat, videlicet ut alumnus ejus sine consensu senioris sui in loco ipsius ordinaretur, & quia xenium reuvadiare dolose fecerit*.

(7) *Ut Episcopi.*) Caput istud ex Concilio Arelatensi cap. 3. laudat Burchardus, Regino ex capite 142. Capitularium. Vide Capitula Caroli Calvi titulo XL. cap. 8. & 9.

(8) *Ut decimæ.*) Charta Udalgarii Episcopi Helenensis pro monasterio Arulensi data anno MCXLII. *Licet enim prædicta parrochia juxta terminum sit Bisullunensi, & multa habeantur infra ejus terminum quæ ad prædictam parrochiam pertinere dinoscuntur, quia prædicta parrochia sub nostra diocesi constructa manet, decimæ, primitiæ, atque oblationes fidelium, quæ juris esse debentur, nostra auctoritate terminari debentur. Quia sic scriptum est in canonicali auctoritate: Decimæ & primitiæ in manu Episcopi consistunt*. Vide Addit. III. cap. 82.

(9) *Melius construantur.*) In uno codice Vaticano legitur, *melius a Preslyteris conserventur.*

(10) *Ut Ecclesiæ.*) Burchardus refert *ex Concilio Meldensi cap.* 45. Gratianus ex eodem Concilio cap. 8. Male utrobique, uti dictum est in Notis ad Gratianum.

(11) *Consecrentur.*) Regino addit, *& superflua altaria destruantur de Ecclesia*. Burchardus, *& ut superflua altaria destruantur*. Gratianus, *& superflua altaria destruantur*. Sed ista clausula in nullo veterum exemplarium extat quæ nos vidimus, neque in vulgatis editionibus Capitularium.

(12) *Ut Presbyteri.*) Apud Burchardum constitutio ista sumpta dicitur ex Concilio Remensi cap. 4.

(13) *Linteamina altaribus.*) Regino lib. 1. c. 60. & Burchardus, *linteamina in altaria*. Sic etiam codex Metensis. Vide Notas Hugonis Menardi ad librum sacramentorum.

(14) *Alterius parrochianum.*) Vide Capitula Herardi Archiepiscopi Turonensis cap. 29. qui addit *absque licentia sui Presbyteri*. Burchardus legit *alterius plebesanum eo nolente*, id est, nolente proprio Presbytero. Gratianus addit in initio capitis: *Nullus Presbyter aut Diaconus alterius plebanum &c.* ubi Correctores Romani recte adnotant has duas voces *aut Diaconus* non extare in Concilio Nannetensi, ex quo caput istud descriptum est, neque in Capitularibus, neque apud Burchardum. Sane non extant in Colbertino Gratiani codice.

(15) *Missam cantare.*) Id est, celebrare, ut palam est vel ex capite 431. libri septimi Capi-

in itinere fuerit, nec decimam ad alterum pertinentem audeat recipere.

De termino Ecclesiarum.

CXLIX. Ut terminum habeat unaquæque Ecclesia de quibus villis decimas recipiat.

De rebus Presbyterorum.

CL. Ut unusquisque (1) Presbyter res quas post diem consecrationis adquisierit propriæ Ecclesiæ relinquat.

De pœnitentibus non cogendis.

CLI. Ut nullus Presbyter aut laicus pœnitentem (2) invitet (3) bibere aut carnem manducare nisi ad præsens pro ipso unum vel duos denarios (4) juxta qualitatem pœnitentiæ dederit.

De Presbyteris, a quibus se caveant.

CLII. Ut nullus Presbyter chartas scribat (5) nec conductor (6) sui senioris (7) existat.

De sepultura, ubi non fiat.

CLIII. Ut nullus deinceps in Ecclesia (8) mortuum sepeliat.

De prædicatione & capitulis Presbyterorum.

CLIV. Ut unusquisque (9) Presbyter capitula habeat de majoribus (10) vel de minoribus vitiis (11), per quæ cognoscere valeat vel prædicare subditis suis ut se caveant ab insidiis diaboli.

---

pitularium. Admonitio synodalis antiqua: *Nullus in alterius parrochia Missam cantet absque proprii Presbyteri voluntate & rogatu.* Attoram Presbyter in epistola ad Ludovicum Pium, quæ est centesima septima inter Bonifacianas: *Hortavit me Fortuvinus cantare in illa Ecclesia.* Notitia traditionum Ecclesiæ Salisburgensis apud Canitium t. VI. p. 155. *Omnibus Presbyteris contradixit ut nemo ibi cantaret Missam.* Hincmarus ep. 41. pag. 697. *ad altare Ecclesiæ meæ cantare possem.* Concilium Duziacense parte 4. cap. 7. *ut Missam Presbyteri non cantarent.* Ditmarus lib. 7. pag. 100. de Thieddego Pragensi antistite. *Paralyticus autem erat, & præ manuum tremore assiduo sine astantium auxilio Presbyterorum Missam canere non potuit.* Fratres Joannes & Petrus S. R. E. Presbyteri Cardinales & apostolicæ sedis Legati in epistola data anno MCXXIX. ad Canonicos Sancti Alexandri Pergamensis edita a R. P. Cælestino in libro 22. historiæ Pergamensis pag. 428. *Vestra namque intererit sacerdotem autem Clericum idoneum invenire, inventum vero in eis collocare; quem si non poterit Episcopus canonica ratione repellere, & canendi licentiam & curam commendabit animarum.* Primus pœnitentialis Andegavensis a Joanne Morino editus in appendice operis de pœnitentia p. 36. *Roget Presbyterum ut Missam cantet pro eo.*

(1) *Ut unusquisque.*) Burchardus istam constitutionem accepisse se ait ex capite 48. Concilii Carthaginensis. Sane in Concilio Carthaginensi tertio cap. 49. habetur sententia istius capitis, sed non iisdem verbis. Itaque Burchardus non descripsit ex Concilio Carthaginensi, sed ex Reginone. Admonitio synodalis antiqua ad Presbyteros: *Res & facultates quas post diem ordinationis vestræ acquiritis, ad Ecclesiam ad quam titulati estis pertinere sciatis.* Vide Isidorum Pelusiotam lib. 2. epist. 127. Capitulare quintum anni DCCCXIV. cap. 6. Flodoardum lib. 3. cap. 26. ubi agit de epistola ab Hincmaro scripta ad Theodulfum Comitem, Bignonium in Notis ad appendicem Marculfi.

(2) *Pœnitentem.*) Admonitio synodalis antiqua: *Nullus pœnitentem invitet carnem manducare & bibere vinum, nisi pro eo ad præsens eleemosynam faciat.*

(3) *Invitet.*) In codice Palatino, in regio, Colbertino, Trecensi, & meo, tum etiam infra lib. 5. cap. 53. legitur *cogat*. Sic etiam in suo exemplari legebat Heraldus Turonensis Archiepiscopus, ut patet ex capite 26. capitulorum ejus. In titulo sane scriptum est: *De pœnitentibus non cogendis*; ubi codex Divionensis addit, *ad manducandum vel bibendum.*

(4) *Unum vel duos denarios.*) Hæc est lectio veterum exemplarium Normannici, Tiliani, Divionensis, Rivipullensis, Thuani, Remensis, & editionis Basileensis. Colbertinus, Bellovacensis, & Metensis habent, *unum aut duos denarios.* At in codice Palatino, in regio, Pithœano, Trecensi, Camberonensi, & meo scriptum est; *unum aut duos vel tres.* In Sangallensi, *unum aut duos vel tres.*

(5) *Chartas scribat.*) Nota, inquit hoc loco Nicolaus Boherii, *Presbyterum notarium esse non posse.* Postea tamen licuit.

(6) *Conductor.*) *Id est, generalis administrator*, ut ait glossa interlinearis in uno codice regio legis Longobardorum. Alia glossa sic habet: *id est, ministerialis, si laicus est senior. vel ut possit conducere Ecclesiam ab Episcopo.* Admonitio synodalis antiqua: *Nullus vestrum usuras exigat & conductor sui senioris existat.* Inquisitio vetus episcopalis cap. 41. *Si usuras exigat, & conductor sui senioris existat.* Isidorus Clarius Episcopus Fulginas oratione 21. in sermonem Domini in monte: *Abutuntur homines sacerdotibus tanquam manciptis ad vilissima quæque officia, ad prophana negocia, ad mercaturam. Plerique vero non expectant dum accersantur, sed ipsi ultro se offerunt, neque ullum quamvis abjectissimum officii munus detrectant, modo inde aliquid lucri assequi posse sperent.* Vide Notas ad Agobardum.

(7) *Sui senioris.*) Hæc est vera lectio. In codice tamen legis Longobardorum legitur *suis senioribus.* Quam lectionem habent etiam vetera Capitularium exemplaria Palatinum, Colbertinum, & Sangallense. Normannicum habet *suis senioris.*

(8) *In Ecclesia.*) De hoc argumento pluribus dictum est ad Reginonem pag. 557. & sequentibus.

(9) *Ut unusquisque.*) Burchardus ait se accepisse hanc constitutionem ex capite 26. Concilii Moguntini.

(10) *Capitula de majoribus.*) In veteri codice Oxoniensi ex quo Spelmannus edidit Capitulare Episcoporum anni DCCCI. sequebantur post caput ultimum tituli de capitalibus criminibus. Majora vitia sunt octo, quæ apud Bedam & Reginonem explicantur, id est, superbia, vana gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Minora vitia sunt, furtum, falsum testimonium, & similia, ut idem Beda ait.

(11) *Vitiis.*) Walterius Episcopus Aurelianensis addit, *seu etiam virtutibus.* Sed hæc verba mendose irrepserunt in hunc locum.

De eucharistia.

CLV. Ut Presbyter (1) semper eucharistiam habeat paratam; ut quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus (2) fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur.

De ampullis duabus in cœna Domini habendis.

CLVI. Ut Presbyter (3) in cœna Domini duas ampullas (4) secum deferat, unam ad chrisma, alteram ad oleum ad catechumenos inunguendum vel infirmos juxta sententiam apostolicam; ut quando quis infirmatur, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, unguentes eum oleo in nomine Domini.

De nonis & decimis.

CLVII. Ut qui Ecclesiarum beneficia habent, nonam & decimam ex eis Ecclesiæ cujus res sunt donent. Et qui tale beneficium habent, & ad medietatem (5) laborant, ut de eorum portione proprio Presbytero decimas donent. *Add. IV.* 165.

De

---

(1) *Ut Presbyter.*) Burchardus citat *ex Concilio Wormaciensi cap.* 10. Inter capitula excerpta ex Capitularibus Regum Francorum, quæ a Spelmanno edita sunt sub nomine Egberti Archiepiscopi Eboracensis, istud sic legitur cap. 22. *Ut Presbyter eucharistiam habeat semper paratam ad infirmos, ne sine communione moriantur.* Citat autem hoc caput Joachimus Vadianus in libro sexto de eucharistia pag. 215.

(2) *Parvulus infirmus.*) Vide Notas ad Reginonem.

(3) *Ut Presbyter.*) Constitutionem istam Burchardus adscribit Concilio Meldensi.

(4) *Duas ampullas.* Multum hic discrepant antiqui libri & editiones. Nam editio Tiliana, Basileensis, & prima Pithœana habent uti nos edidimus. Secunda & Lindenbrogica, *tres ampullas.* Nimirum hæc pars istius capitis mutata est prout variæ fuerunt provinciarum ac temporum consuetudines. Vetustis temporibus in provincia Belgica secunda mos erat ut Presbyteri duas tantum ampullas secum deferrent. Itaque in codice Capitularium Remensi & in Bellovacensi scriptum hoc loco est *duas ampullas.* Istud confirmari potest ex libro miraculorum Sancti Vedasti Episcopi Atrebatensis apud Bollandum tom. I. Februarii pag. 808. ubi mentio est olei ad baptizandum tantum & ad infirmos ungendos: *Unde factum est ut Dominus Hildemannus & universi successores Bellovacensis Ecclesiæ inde sumerent oleum tam ad baptizandum quam ad infirmorum unctionem.* Postea cum mutatus fuisset hic ritus, in eisdem codicibus Remensi & Bellovacensi jugulata est vox *duas*, eique superposita vox *tres*, quæ est ex emendatione. In Camberonensi vero erasa est cultelli ope tota ferme ista clausula, pro qua hæc substituta sunt a manu antiqua: *aliam ad oleum catecuminorum, tertiam ad ungendos infirmos.* Itaque in veteri libro pontificali Ecclesiæ Remensis sic legitur: *Feria quinta majoris hebdomadæ, id est, in cœna Domini, mane primo, mansionarii ordinent omnia quæ sunt necessaria ad consecrationem chrismatis, ampullas tres de oleo mundissimo plenas ponentes in sacrario, unam ad oleum pro infirmis, alteram ad chrisma, tertiam vero ad oleum ad cathecuminos ungendos.* Ob eandem rationem, ut opinor, tria olei genera distinguit Manasses Episcopus Cameracensis anno MCI. in literis pro Ecclesia de Burnehem, quæ ab Andrea Duchesnio editæ sunt inter probationes historiæ Ghisnensis pag. 63. *Statuimus quoque oleum infirmorum, oleum baptismatis & sanctum chrisma ab Episcopo vel ministris ejus nullatenus abnegandum.* In Belgica prima & in Germania nonnullæ diœceses tribus ampullis agebant, aliæ duabus. Regino, qui in Belgica prima morabatur, lectionem retinuit quæ *duas ampullas* habet. Sic etiam codex Metensis & Palatinus. Idem usus fuit apud Helvetios, ut patet ex ordine librorum catholicorum qui in Ecclesia Romana ponuntur ad legendum in vetustissimo codice Ms. Sancti Galli: *& præparantur ampullæ duæ cum oleo.* At tribus ampullis utebantur Presbyteri qui in Moguntina provincia habitabant, ut patet ex Burchardo, qui *tres ampullas* hic legit, & ex libris Fuldensibus ab Heroldo laudatis in præfatione ad leges antiquas. Apud Misnenses quoque trium ampullarum usus servabatur, ut colligitur ex homilia quam Cochlæus ex veteri pontificali descripsit quod extabat in Stolpensi arce Episcopi Misnensis, & in libro secundo miscellaneorum edidit pag. 138. *Hodie tribus modis consecratur oleum, pro infirmis, & pro populo, oleum principalis chrismatis, & oleum ad unguendos catecuminos & neophitos.* In provincia Lugdunensi quarta usus erat trium ampullarum. Ita docet vetus liber pontificalis Ecclesiæ Senonensis qui nunc extat in bibliotheca regia, in quo hæc leguntur: *Incipit ordo in die cœnæ Domini. Feria V. majoris hebdomadæ, id est, in cœna Domini, mane primo, mansionarii ordinent omnia &c.* ut supra in pontificali Ecclesiæ Remensis. Eundem usum fuisse provinciæ secundæ Lugdunensis probat vetus alter liber pontificalis Ecclesiæ Rotomagensis ab Hugone Menardo laudatus in Notis ad librum sacramentorum pag. 80. ubi eadem verba habentur quæ paulo ante descripta sunt ex libro pontificali Ecclesiæ Remensis. Extant autem hæc ipsa etiam in Ordine Romano. Usus iste provinciæ Lugdunensis secundæ confirmari potest ex eo quod in codice Normannico, tamen etsi de duabus tantum ampullis agat in initio capitis, in calce tamen tertiæ ampullæ mentio reperitur. Ex aliis Capitularium vetustis exemplaribus nulla observatio similis proferri potest, quia eorum origo nescitur. Sufficiet itaque adnotare eorum lectiones. Duo Vaticana, Tilianum, Divionense, Thuanum, Rivipullense habent *duas ampullas.* Sic etiam legitur in Pithœano, Parisiensi, Remensi, Normannico. Sed tamen iidem libri, pro eo quod hic legitur *vel infirmos*, habent *tertiam ad infirmos.* Unus codex Vaticanus, regius, Trecensis, Colbertinus, Sangallensis, meus legunt *tres ampullas.*

(5) *Habent, & ad medietatem.*) Codex Tilianus, Divionensis, & Thuanus: *habent, ad medietatem laborent, & de.* Ita etiam in Palatino, Metensi, & uno Vaticano, & apud Reginonem. Normannicus, Remensis, & editio Basileensis, *habent, ut ad medietatem.* Editio Tiliana & prima Pithœana, *habent quod ad medietatem.* Ita etiam in codice Colbertino. Unus Vaticanus habet *quo.* In secunda editione Pithœana, tum etiam in codice Parisiensi scriptum est, *habent unde ad medietatem laborent, & de.* Bellovacensis & Rivipullensis, *habent unde ad medietatem laborent, de.*

De festivitatibus in anno.

CLVIII. Hæ sunt festivitates in anno, quæ per omnia venerari debent. Natalis Domini, sancti Stephani, sancti Johannis Evangelistæ, Innocentum, Octabas Domini, Epiphania, Octabas Epiphaniæ, Purificatio sanctæ Mariæ, Pascha dies octo, Letania major, Ascensio Domini, Pentecosten, sancti Johannis Baptistæ, sancti Petri & Pauli, Sancti Martini, sancti Andreæ. De adsumptione sanctæ Mariæ (1) interrogandum relinquimus.

De admonitione Sacerdotum.

CLIX. Ut sacerdotes (2) admoneant populum ut eleemosynam dent & orationes faciant pro diversis plagis quas assidue pro peccatis nostris patimur. *Capitul. I. a.* 810. *c.* 4.

De prædicatione ad plebem.

CLX. Ut ipsi sacerdotes unusquisque secundum ordinem suum prædicare & docere studeat plebem sibi commissam. *Ibid. c.* 5.

De ebrietate.

CLXI. De ebrietate (3), ut primo omnium seniores semetipsos exinde caveant, & eorum junioribus exemplum bonum sobrietatis ostendant. *Ibid. c.* 6.

De admonitione ad omnes.

CLXII. Admonendi sunt omnes generaliter secundum evangelicam auctoritatem ut sic luceant opera eorum bona coram hominibus ut glorificent Deum qui in cœlis est. *Ibid. c.* 7.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

---

(1) *De adsumptione sanctæ Mariæ.*) Supersedet Carolus definiendæ huic rei donec interrogaverit Episcopos, ut opinor, regni sui. Huc enim referri debent hæc verba, *interrogandum relinquimus*. Postea cum illi in Concilio Moguntiaco congregati anno DCCCXIII. respondissent eam festivitatem reponendam esse in catalogo, Ludovicus Pius eam celebrari jussit, ut patet ex capite 35. libri secundi Capitularium. Observavit istud ante me Joachimus Vadianus in libro primo de monasteriis collegiisque Germaniæ veteribus pag. 10. *De assumptione sanctæ Mariæ Carolus interrogandum reliquit, Ludovicus filius persuasus festivam esse jussit.* Ab illo tempore frequens mentio est istius festivitatis apud veteres; eique stabiliendæ fabricata est homilia quædam Sancto Hieronymo tributa, quæ nunc quoque extat in tomo nono operum ejus pag. 53. in editione Nivelliana, & a Flodoardo commemoratur lib. 3. cap. 5. de Hincmaro: *Libellum quoque de ortu sanctæ Dei genitricis Mariæ, sed & sermonem beati Hieronymi de ipsius Dominæ assumptione scribi fecit.* Attamen hæc homilia contradictionem passa est, propter quorundam duritiem qui falsam eam esse dicebant. Testis idem Flodoardus in capite 23. ejusdem libri: *Item pro libello historiæ de ortu sanctæ Mariæ, & homilia beati Hieronymi de assumptione ipsius Dei genitricis, quæ quidam monachus Corbejensis monasterii non esse recipienda contendebat. Ad quæ respondet idem Domnus Hincmarus præfatam historiam nos habere ad lectionem, non ad proferendum auctoritatem; homiliam vero eandem a sancto Hieronymo asserit catholice dictatam; sicut & stilus & cautela sensus & intellectus & alia certa indicia monstrant, & certæ personæ, per quas de partibus orientalibus tempore certo delata ad regiones nostras pervenit, fidem faciunt.* Apud Pamelium tomo secundo Liturgicorum pag. 388. assumptio beatæ Mariæ ponitur inter festivitates, hoc modo: *Huc usque præcedens sacramentorum libellus a beato Papa Gregorio constat esse editus, exceptis his quæ in eodem in nativitate vel adsumptione beatæ Mariæ, præcipue vero in quadragesima, virgulis antepositis, lectoris invenerit jugulata solertia.* At in vetustissimo codice Ecclesiæ Lugdunensis, quem suspicor scriptum esse ævo saltem Caroli Magni, nulla illic nativitatis aut assumptionis beatæ Mariæ mentio, & in eo hæc tantum leguntur: *Huc usque præcedens sacramentorum libellus a beato Papa Gregorio constat esse editus, exceptis his quæ in eodem in quadragesima virgulis antepositis lectoris invenerit jugulata solertia.* Post edictum Ludovici assumptionis beatæ Mariæ memoria in omni regno Francorum celebrata est præcipua veneratione. Narrat enim Anastasius Bibliothecarius Paschalem Papam dedisse Ecclesiæ beatæ Mariæ ad præsepe *vestem de chrysoclavo habentem historiam qualiter beata Dei genitrix Maria corpore est assumpta.* Leo IV. in privilegio Ecclesiæ Hammaburgensis numerat assumptionem Sanctæ Mariæ inter dies festos quibus Anschario Archiepiscopo & successoribus ejus concedit usum Pallii. Flodoardus in poemate de Pontificibus Romanis pag. 591.

Tandem clara dies Reginæ adsumptio cœlis
Regiparentis adest.

Prætermissa est in hoc loco & in edicto Ludovici Pii nativitas beatæ Mariæ. Unde collegit Baronius Gallicanam Ecclesiam etiam temporibus Caroli M. & Ludovici Pii eam ignorasse. Et tamen ejus mentio extat in charta synodi Suessionensis anni DCCCLXII. pro monasterio S. Dionysii. Eadem ignoravit festum conceptionis beatæ Mariæ per multa secula; quod Hispanis quoque antiquitus ignotum fuisse puto. Neque enim mihi placet quod quidam ejus antiquitatem in Hispania colligunt ex decreto Ervigii Regis adversum Judæos, in quo enumerantur dies festi qui ab iisdem Judæis sollicita devotione observandi sunt, & in his primo loco ponitur *festum sanctæ virginis Mariæ quo gloriosa conceptio ejusdem genitricis Domini celebratur.* Hic enim non agitur de conceptione beatissimæ Virginis, sed de conceptione Christi, quæ *adnuntiatio sanctæ Mariæ matris Domini* vocatur in vetustis martyrologiis; pro quo in libro Comitis Ms. in bibliotheca Ecclesiæ Bellovacensis scriptum est: *In conceptione sanctæ Mariæ.*

(2) *Ut sacerdotes.*) Burchardus pro more suo caput istud tribuit Concilio Aurelianensi. Sic etiam Ivo, quia Burchardum describebat.

(3) *De ebrietate.*) Mirum nemini videri debet quod Princeps tantus quantus erat Carolus M. ebrietatem fugiendam esse moneat, vir aliunde, ut Eginhardus tradit, *in cibo & potu temperans, sed in potu temperantior, quippe qui ebrietatem in qualicunque homine, nedum in se ac suis, plurimum abominabatur.*

LIBER SECUNDUS.

INCIPIT PRÆFATIUNCULA LIBELLI SECUNDI.

SUpra in primo libello capitula ecclesiastica quæ Domnus Imperator Karolus fecit adunavi. In hoc vero ea ecclesiastica quæ Domnus Hludovicus Cæsar piissimus edidit descripsi libello.

INCIPIUNT CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

PRÆLOCUTIO.

I. OMnibus vobis aut visu aut auditu notum esse non dubitamus quia genitor noster & progenitores, postquam a Deo ad hoc electi sunt, in hoc præcipue studuerunt ut honor sanctæ Dei Ecclesiæ & status regni decens maneret. Nos etiam juxta modum nostrum eorum sequentes exemplum, sæpe vestram devotionem de his admonere curavimus, & Deo miserante multa jam emendata & correcta videmus. Unde & Deo justas laudes persolvere & vestræ bonæ intentioni multimodas debemus gratias referre. *Capitul. a.* 823. *c.* 1.

De divina providentia in constitutione Domni Imperatoris, & de conservatione trium capitulorum.

II. Sed quoniam complacuit divinæ providentiæ nostram mediocritatem ad hoc constituere ut sanctæ suæ Ecclesiæ & regni hujus curam gereremus (1), ad hoc certare & nos & filios ac socios nostros diebus vitæ nostræ optamus ut tria specialiter capitula & a nobis & a vobis, Deo opem ferente, in hujus regni administratione specialiter conserventur, id est, ut defensio & exaltatio vel honor sanctæ Dei Ecclesiæ & servorum illius congruus maneat, & pax & justitia in omni generalitate populi nostri conservetur. In his quippe maxime studere & de his in omnibus placitis quæ vobiscum Deo auxiliante habituri sumus, vos admonere optamus, sicut debitores sumus. *Ibid. c.* 2.

De hoc quod admonitor fidelium Domnus Imperator sit, & omnes fideles adjutores ipsius.

III. Sed quanquam summa hujus ministerii in nostra persona consistere videatur, tamen & divina auctoritate, & humana ordinatione ita per partes divisum esse cognoscitur ut unusquisque vestrum in suo loco & ordine partem nostri ministerii habere cognoscatur. Unde apparet quod ego omnium vestrum admonitor esse debeo, & omnes vos nostri adjutores esse debetis. Nec enim ignoramus quid unicuique vestrum in sibi commissa portione conveniat. Et ideo prætermittere non possumus quin unumquemque juxta suum ordinem admoneamus. *Ibid. c.* 3.

De sacro ministerio Episcoporum & de admonitione Domni Imperatoris ad Episcopos.

IV. Sed quoniam scimus quod specialiter pertineat ad Episcopos ut primum ad sacrum ministerium suscipiendum juste accedant, & in eodem ministerio religiose vivant, & tam bene vivendo quam recte prædicando populis sibi commissis iter vitæ præbeant, & ut in monasteriis in suis parrochiis constitutis sancta religio observata fiat, & ut unusquisque juxta suam professionem veraciter vivat, curam impendant, omnes vos in hoc sacro ordine constitutos & officio pastorali functos monemus atque rogamus ut in hoc maxime elaborare studeatis & per vosmetipsos & per vobis subjectos, quantum ad vestrum ministerium pertinet, nobis veri adjutores in administratione ministerii nobis commissi existatis; ut in judicio non condemnari pro nostra & vestra neglegentia, sed potius pro utrorumque bono studio remunerari mereamur. Et ubicunque per neglegentiam Abbatis aut Abbatissæ vel Comitis sive Vassi nostri aut cujuslibet personæ aliquid vobis difficultatis in hoc apparuerit, nostræ dinoscentiæ id ad tempus insinuare non differatis; ut nostro auxilio suffulti, quod vestra auctoritas exposcit, famulante, ut decet, potestate nostra facilius perficere valeatis. *Ibid. c.* 4.

De admonitione Domni Imperatoris ad Episcopos de sacerdotibus ad eorum curam pertinentibus, & de scholis.

V. De sacerdotibus vero ad vestram curam pertinentibus magnum adhibete studium, ut qualiter vivere debeant, & quomodo populis ad suam portionis curam pertinentibus exemplo & verbo prosint, a vobis cum magna cura edoceantur & admoneantur, & ut id facere studeant

(1) *Ecclesiæ curam gereremus.*) Capitula Caroli Calvi tit. 2. cap. 1. *Ecclesia vobis ad gubernandum commissa.* Præceptum Ludovici Pii pro monasterio Landeveneci apud Henschenium & Papebrochium tomo 1. Martii pag. 260. *cum universali Ecclesia Deo dispensante nobis commissa.* Vide Notas ad Agobardum pag. 21.

deant veſtra pontificiali auctoritate conſtringantur. Quicquid autem in illis a populis (1) juſte reprehenditur, in exemplo propriæ converſationis veſtra providentia corrigere non neglegat. Ne vero eccleſiæ illis commiſſæ in reſtauratione aut in luminaribus juxta poſſibilitatem rerum ab illis neglegantur, veſtra nihilominus invigilare debet ſolertia. Et ſicut alios prohiberis ne de manſis ad eccleſiæ luminaria datis aliquid accipiant; ſic & vos & veſtri Archidiaconi de eiſdem manſis nihil accipiendo, aliis exemplum præbeatis; ſed potius ad id quod data ſunt ſervire concedantur; ut totum, ſicut dictum eſt, in reſtauratione eccleſiarum & luminaribus veſtra auctoritate & ſtudio cedere poſſit. Scholæ ſane ad filios & miniſtros Eccleſiæ inſtruendos vel edocendos, ſicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promiſiſtis & vobis injunximus, in congruis locis, ubi nec dum perfectum eſt, ad multorum utilitatem & profectum a vobis ordinari non neglegantur. *Ibid. c. 5.*

De admonitione ad Comites pro utilitate ſanctæ Dei eccleſiæ.

VI. Vobis vero Comitibus dicimus, voſque commonemus, quia ad veſtrum miniſterium maxime pertinet, ut reverentiam & honorem ſanctæ Dei Eccleſiæ exhibeatis, & cum Epiſcopis veſtris concorditer vivatis, & eis adjutorium ad ſuum miniſterium peragendum præbeatis, & ut vos ipſi in miniſteriis veſtris pacem & juſtitiam faciatis, & quæ noſtra auctoritas publice fieri decernit, in veſtris miniſteriis ſtudioſe perficere ſtudeatis. Proinde monemus veſtram fidelitatem ut memores ſitis fidei nobis promiſſæ & in parte miniſterii noſtri vobis commiſſi, in pace ſcilicet & juſtitia facienda, voſmetipſos coram Deo & coram hominibus tales exhibeatis ut & noſtri veri adjutores & populi conſervatores juſte dici poſſitis. Et nulla quælibet cauſſa, aut munerum acceptio, aut amicitia cujuſlibet, vel odium, aut timor, vel gratia, ab ſtatu rectitudinis vos deviare compellat quin inter proximum & proximum ſemper juſte judicetis. Pupillorum vero & viduarum & ceterorum pauperum adjutores ac defenſores & ſanctæ eccleſiæ vel ſervorum illius honoratores juxta veſtram poſſibilitatem ſitis. Illos quoque qui temeritate & violentia in furtis & latrociniis ſive rapinis communem pacem populi perturbare moliuntur, veſtro ſtudio & correctione, ſicut decet, compeſcite. Et ſi aliqua perſona vobis impedimento fuerit quin ea quæ dicimus facere non valeatis, nobis ad tempus illud notum fiat; ut noſtra auctoritate adjuti, miniſterium veſtrum digne adimplere poſſitis. *Ibid. c. 6.*

De admonitione ad laicos pro honore eccleſiaſtico conſervando.

VII. Omnes vero laicos monemus ut honorem eccleſiaſticum conſervent, & dignam venerationem Epiſcopis & Dei ſacerdotibus exhibeant, & ad eorum prædicationem cum ſuis devote occurant, & jejunia ab illis communiter indicta (2) reverenter obſervent & ſuos obſervare doceant & compellant. Et ut etiam (3) dies dominicus ſicut decet honoretur & colatur omnes ſtudeant. Et ut liberius fieri poſſit (4), mercata & placita a Comitibus, ſicut ſæpe admonitum fuit, illo die prohibeantur. *Ibid. c. 7.*

De admonitione ad Abbates & laicos pro monaſteriis ex regali largitate ſibi commiſſis.

VIII. Abbatibus quoque & laicis ſpecialiter jubemus ut in monaſteriis quæ ex noſtra largitate habent; Epiſcoporum conſilio & documento ea quæ ad religionem Canonicorum, monachorum, ſanctimonialium pertinent, peragant, & eorum ſalubrem admonitionem in hoc libenter audiant & obediant. *Ib. c. 8.*

De admonitione ad Epiſcopos, Abbates & ad omnes fideles pro Comitum adjutoriis.

IX. Epiſcopis iterum, Abbatibus, & Vaſſis noſtris, & omnibus fidelibus laicis dicimus ut Comitibus ad juſtitias faciendas adjutores ſitis. *Ibid. c. 9.*

De admonitione ad Epiſcopos vel Comites pro concordia ad invicem & cum ceteris fidelibus.

X. Epiſcopi vero vel Comites (5) & ad in-

---

(1) *A populis.*) In codice Pariſienſi legitur *apoſtolis*, certo mendo. Similes errores nos olim emendavimus in libro tertio Salviani de gubernatione Dei pag. 48. & apud Agobardum in capite ſeptimo apologetici.

(2) *Jejunia indicta.*) Vide ſupra lib. 1. cap. 47. & lib. 5. cap. 152.

(3) *Et ut etiam.*) Hæc conſtitutio Carolo M. tribuitur in libro ſecundo legis Longobardorum.

(4) *Ut liberius poſſit.*) Id eſt, ut integra libertas ſit orandi Deum, ne Chriſtiani ab oratione avocentur, mercata & placita die dominico prohibeantur. Gloſſa vetus in uno codice regio legis Longobardorum: *Ut dies dominicos liberius poſſint homines colere, & mercata & placita probibeantur illis diebus. Vel aliter. Et ut liberius & mercata & placita fieri poſſint, in die dominico fieri probibeantur.* Itaque in altero codice regio ad verba *ut liberius fieri poſſit* adnotatum eſt ſupra lineam, *ſcilicet in aliis diebus.*

(5) *Epiſcopi vel comites.*) Flodoardus libro 3. cap. 23. de epiſtolis Hincmari: *Villeberto Cathalaunenſi reſcribit ad ipſius conſulta pro Gangulfo Comite ut de his quæ contra eum ſe feciſſe vel negabat quædam vel confitebatur aliqua, juxta præceptum apoſtolicum leniter ageret, quatinus in hoc legem Chriſti, caritatem ſcilicet, adimpleret, & ad ſatisfactionem dilectionemque ſui utcunque poſſet & induſtria eumdem Comitem provocans, illi ſuam clareſcere benignitatem permitteret.*

invicem & cum ceteris fidelibus concorditer vivant, & ad sua ministeria peragenda vicissim sibi adjutorium ferant. *Ibid. c.* 10.

De admonitione ad omnes generaliter pro caritate & pace ad invicem.

XI. Omnibus etiam generaliter dicimus ut caritatem & pacem ad invicem habeatis, & generalem jussionem nostram generaliter observare decertetis, & Missis nostris pro qualicunque scilicet aut ecclesiastica aut publica utilitate vel opportunitate a nobis directis nostri honoris caussa honorem exhibeatis, & propter nostræ auctoritatis venerationem ea quæ per illos injungimus agere non neglegatis. *Ibid. c.* 11.

De hoc quod unusquisque Episcoporum vel Comitum partem ministerii regalis habeat, & de testimonio ipsorum ad invicem.

XII. Et quoniam, sicut diximus, unusquisque vestrum partem ministerii nostri per partes habere dinoscitur, volumus studere & per clamatores & per alia qualibet certa indicia & per Missos nostros, quos ad hoc ordinaverimus, qualiter unusquisque ad hoc certare studuerit & per commune testimonium, id est, Episcoporum de Comitibus, Comitum de Episcopis, comperire qualiter scilicet Comites justitiam diligant & faciant, & quam religiose Episcopi conversentur & prædicent, & amborum relatu de aliorum in suis ministeriis consistentium æquitate & pace atque concordia cognoscere. Similiter etiam volumus ut omnes illis & illi omnibus de communi societate & statu a nobis interrogati verum testimonium sibi mutuo perhibere possint. *Ibid. c.* 12.

De caussa orta ad inhonorationem regni pertinente.

XIII. Et si talis caussa in qualibet provincia aut in aliquo comitatu orta fuerit quæ aut ad inhonorationem regni aut ad commune damnum pertineat, quæ etiam sine nostra potestate corrigi non possit, nos diu latere non permittatis, qui omnia, Deo auxiliante, corripere debemus. Quia quicquid hactenus in his quæ ad pacem & justitiam totius populi pertinent & ad honorem regni & communem utilitatem aut a nobis aut a vobis neglectum est, debemus Deo auxiliante certare qualiter ab hinc nostro & vestro studio emendatum fiat. *Ibid. c.* 13.

De pace in itinere exercitali custodienda.

XIV. De pace vero in exercitali itinere servanda usque ad marcham hoc omnibus notum fieri volumus, quod quicunque auctorem damni sibi præterito anno inlati nominatim cognoscit, ut justitiam de illo quærat & accipiat. *Ibid. c.* 14.

De denuntiatione, ut qui in hostem pergunt, suos, qui in suo obsequio sunt, unusquisque cognoscat.

XV. Deinceps tamen omnibus denuntiare volumus ut cognoscat unusquisque omnes qui in suo obsequio in tali itinere pergunt, sive sui sint, sive alieni, ut ille de eorum factis rationem se sciat redditurum; & quicquid ipsi in pace violanda deliquerint, ad ipsius debet periculum (1) pertinere; ea scilicet conditione, ut pacis violator primum juxta facinoris qualitatem sive coram nobis, sive coram Misso nostro, dignas pœnas persolvat: & Senior qui secum talem duxerit quem aut constringere noluit aut non potuit ut nostram jussionem servaret, & insuper in regno nostro prædas facere non timeret, pro illius neglegentia, si ante eum de his non admonuerit, & postquam neglegentia contemptoris ad ejus notitiam pervenerit, eum corrigere, sicut decet, neglexerit, honore suo privetur, ut scilicet neuter illorum sine justa vindicta remaneat. *Ibid. c.* 15.

De inhonoratione Regis propter neglegentiam eorum qui legationes male recipiunt.

XVI. De inhonoratione quoque Regis & regni, & mala fama in exteras nationes dispersa propter neglegentiam eorum qui legationes ad nos directas in suis mansionibus aut male recipiunt, aut constitutam a nobis expensam non tribuunt, aut paravereda dare nolunt, aut furto aliquid eis subripiunt, aut (quod perpessimum est) apertas violentias, eos cædendo & res eorum diripiendo, in ipsis exercere non pertimescunt, hoc omnibus notum esse volumus, quod quicunque ex his qui honores nostros habent ab hinc neglegentiam hanc emendare non certaverit, & suos homines, qui ejus vice hoc agere debent, ut id bene perficiant non instruxerit aut non constrinxerit ut ulterius illud neglegere non præsumant, & honorem nostrum & regnum nobis commissum custodire contempserit, nec nostrum nec regni nostri honorem ulterius volumus ut habeat; sed volumus ut unusquisque fidelium nostrorum procuratores rerum suarum de his specialiter instruat, ut quandocumque & undecunque legatio advenerit, & aut litteras aut Missum viderint, honorifice illam in omni loco imperii nostri propter nostrum & totius regni honorem omnes suscipere valeant. *Ibid. c.* 16.

De

(1) *Periculum.*) Hæc est lectio editionis Basileensis & veterum exemplarium Colbertini, Trecensis, Sangallensis, unius Vaticani, Rivipullensis, & Thuani. In Normannico legitur *peculium*, haud dubie pro *periculum*. Tilius & Pithœus ediderunt *pluvium*. Quo modo scriptum est in libro Pithœano, in Parisiensi, & in Divionensi. In Remensi primo scriptum fuit *pluvium*. Sed postea emendatio reposuit *plivium*. Codices Bellovacensis & Tilianus habent *plivium*.

De locis in quibus legationes recipiendæ sunt.

XVII. In illis vero locis ubi modo via & mansionatici a genitore nostro & a nobis per Capitulare ordinati sunt, Missos ad hoc specialiter constitutos, qui hoc jugiter prævideant, habeant, ut omnia quæ ad easdem legationes suscipiendas pertinent, fideles nostri ad hoc constituti ad tempus præparare studeant, ut non tunc sit necesse de longe quærere vel adducere quando tempus est illa dare vel persolvere. In ceteris vero locis per totum imperium nostrum unusquisque fidelium nostrorum & per se & per ministros suos, sicut diximus, sedulam vigilantiam adhibeat. *Ibid. c.* 17.

De admonitione unius monetæ.

XVIII. De moneta vero, unde jam per tres annos & admonitionem fecimus, & tempus quando una teneretur & aliæ omnes cessarent constituimus, hoc omnibus notum esse volumus, quoniam ut absque ulla excusatione cito possit emendari, spatium usque ad Missam sancti Martini (1) dare decrevimus, ut unusquisque Comitum in suis ministeriis de hoc jussionem nostram tunc possit habere adimpletam, quatinus ab illa die non alia sed illa sola per totum regnum nostrum ab omnibus habeatur juxta illam constitutionem, sicut in capitulis quæ de hac re illis Comitibus dedimus in quorum ministeriis moneta percutitur constitutum est; quia tunc volumus Missos nostros hujus rei gratia dirigere per singulos comitatus, qui diligenter inquirant qualiter Comites in hoc nostram jussionem adimplere certaverint. Et quicunque neglegens inde inventus fuerit, volumus ut ante nostram præsentiam quantocius venire jubeatur, ut rationem reddat utrum hoc quod jussimus facere noluerit aut non potuerit, aut si aliqua re præpediente id facere non potuit, cur nobis ipsam impossibilitatem ad tempus non annuntiavit. Quia si ipse aut non voluit, aut suæ negligentiæ caussa non potuit, nos talem invenire volumus qui hoc quod jubemus servare velit & possit. Ut autem jussio nostra in hac re citius impleatur, volumus ut quicunque ab illa die alium denarium negotiandi caussa protulerit, a Comite & ministris ejus auferatur ab eo. *Ibid. c.* 18.

De injustis teloneis.

XIX. Similiter quoque de injustis teloneis, de quibus qualiter ab omnibus observandum esset, & capitulis constituimus, & creberrimas admonitiones fecimus, prædicti Missi nostri volumus ut inquisitionem faciant a quibus nostra jussio in hoc adimpleta, a quibus quoque sit neglecta; & eum qui implere neglexit aut distulit, ad nostram volumus ut veniat jussus præsentiam, ut cito rationem de his, sicut superius diximus, reddat; & si culpabilis inventus fuerit, dignam correctionem accipiat, ut ceteris neglegentibus exemplum terroris præbeat. *Ibid. c.* 19.

De pontibus ubi antiquitus fuerunt renovandis.

XX. Ut ubi pontes antiquitus fuerunt, & in his locis ubi tempore genitoris nostri ipso jubente diversarum necessitatum caussa facti sunt, omnino absque ulla dilatione ab his qui eos tunc fecerunt restituantur & renoventur, ita ut ad Missam sancti Andreæ restaurati fiant; nisi forte aut ipsa operis magnitudo aut aquarum in quolibet loco inundatio hoc prohibeat. Aliter vero nullus quolibet occasione hoc neglegere aut differre præsumat quin ad prædictum tempus completum fiat. Et Missi nostri, quorum superius mentionem fecimus, volumus ut renuntient in quibus locis nostra jussio impleta, in quibus neglecta est, aut aliqua impossibilitate vel certa ratione dilata. *Ibid. c.* 20.

De nonis & decimis.

XXI. De nonis quidem & decimis unde & genitor noster & nos frequenter & in diversis placitis admonitionem fecimus, & per Capitularia nostra qualiter hæc observentur ordinavimus, volumus atque jubemus ut de omni conlaborato (2) & de vino & fœno fideliter & pleniter ab omnibus nona & decima persolvatur. De nutrimine vero pro decima, sicut hactenus consuetudo fuit, ab omnibus observetur. Si quis tamen Episcoporum fuerit qui argentum pro hoc accipere velit, in sua maneat potestate, juxta quod ei & illi qui hoc persolvere debet convenerit. *Ibid. c.* 21.

De

(1) *Missam sancti Martini.*) Id est, diem Sancto Martino festum. Hæc interpretatio non indiget probatione. Frequenter in veteribus libris & scriptoribus legimus Missam Sancti Martini, Sancti Joannis, Apostolorum Petri & Pauli, Sancti Andreæ, Sancti Michaelis, Sancti Bonifacii, Sancti Remigii, Sancti Albini, Sancti Felicis, Sancti Marcellini, Sanctæ Balthildæ, Sancti Nazarii, Sancti Philiberti, Sancti Galli, Sancti Clementis, Sancti Aniani, Sancti Lamberti, Sancti Juliani, Sancti Mauricii, Sancti Bavonis, & omnium Sanctorum. Vvormius lib. 3. Fastorum Danicorum exhibet vetus Kalendarium Runicum ante trecentos annos scriptum, cum interpretatione Latina. In eo Kalendario vocabulum Missæ accipitur pro festo; ut *Paulus Messa* mense Januario, pro quo Vvormius recte vertit *Pauli festum*. Mense Februario *Mathias miss.* Majo *Crusis messa*. Iunio *Ioans missa & Petars missa*. Iulio *Iacaubs missa & Olafs missa*. Et sic in ceteris mensibus, ne singulos commemorem.

(2) *De omni conlaborato.*) Sirmondus in Notis ad Capitula Caroli Calvi hanc constitutionem tribuit Carolo Magno. In quo illum puto falsum esse.

De operibus in restaurationem ecclesiarum adimplendis.

XXII. Similiter quidem de operibus in restaurationem ecclesiarum, sive in faciendo, sive in redimendo, episcopalis potius sequatur voluntas. Nullatenus tamen remaneat quin, sicut a nobis sæpe jussum est, hoc aut illud partibus ecclesiarum persolvatur. Et hoc omnibus notum sit, quia quicunque neglegenter exinde egerit, & coram nobis exinde neglegens repertus fuerit, illud volumus omnino ut subeat quod in nostro Capitulari de hac re communi consultu fidelium nostrorum ordinavimus. *Ibid. c.* 22.

De Comitibus, ut ministris ecclesiæ in suis ministeriis adjutores sint.

XXIII. Comites vero ministris ecclesiæ in eorum ministeriis, ut hoc plenius & de nostris & de se & de suis hominibus obtinere possint, adjutores in omnibus fiant. Et quicunque prima & secunda vice de his a Comite admonitus non se correxerit, volumus, ut per eundem Comitem ejus neglegentia ad nostram notitiam perferatur, ut nostra auctoritate quod in nostro Capitulari continetur subire cogatur. *Ibid. c.* 23.

De capitulis a Cancellario palatii ab Archiepiscopis & Comitibus accipiendis.

XXIV. Volumus etiam ut capitula quæ nunc & alio tempore consultu fidelium nostrorum a nobis constituta sunt, a Cancellario nostro Archiepiscopi & Comites eorum de propriis civitatibus modo aut per se aut per suos Missos accipiant, & unusquisque per suam diocesim (1) ceteris Episcopis, Abbatibus, Comitibus, & aliis fidelibus nostris ea transcribi faciant, & in suis comitatibus coram omnibus relegant, ut cunctis nostra ordinatio & voluntas nota fieri possit. Cancellarius tamen noster nomina Episcoporum & Comitum qui ea accipere curaverint notet, & ea ad nostram notitiam perferat, ut nullus hoc prætermittere præsumat. Vassi quoque & Vassalli nostri nobis famulantes volumus ut condignum apud omnes habeant honorem, sicut a genitore nostro & a nobis sæpe admonitum est. *Ibid. c.* 24.

De nominibus locorum in quibus Missi dominici legatione funguntur.

XXV. In Vesontio, quæ est diocesis Bernoini Archiepiscopi, Heiminus Episcopus & Monogoldus Comes. In Mogontia, quæ est diocesis Heistulfi Archiepiscopi, idem Heistulfus Episcopus & Rhuotbertus Comes. In Treviris Hetti Archiepiscopus (2) & Adalbertus Comes. In Colonia Hadaboldus Archiepiscopus & Eemundus Comes. In Rhemis Ebbo Archiepiscopus, quando potuerit (3), (& quando ei non licuerit, Rhuothadus Episcopus (4) ejus vice) & Rhuotfridus Comes sint, super sex videlicet comitatus, id est, Remis, Cathalon, Suessionis, Silvanectis, Beluacus, & Laudunum: super quatuor vero episcopatus qui ad eandem diocesim pertinent, id est, Noviomacensem, Ambianensem, Taruanensem, & Camaracensem, Rangarius Episcopus (5) & Berengarius Comes. Senones Hieremias Archiepiscopus & Donatus (6) Comes (7). Rothoma-

---

(1) *Unusquisque per suam diocesim.*) Id est, unusquisque Archiepiscopus per suam provinciam suscipiat curam proponendi capitula a Principe constituta. Quod ita fiebat ut in proximo placito rationem reddere tenerentur Archiepiscopi an paritum in hoc fuisset jussioni Imperatoris, ut patet ex epistola 28. Frotharii Tullensis.

(2) *Hetti Archiepiscopus.*) De hac Hetti Trevirensis Archiepiscopi legatione agit, ut puto, Frotharius Episcopus Tullensis epist. 18.

(3) *Quando potuerit.*) Jubet Ludovicus ut Ebbo Remensis Archiepiscopus legationem istam exerceat in Remensi provincia, *quando potuerit*. Istam clausulam Henschenius in Notis ad vitam S. Anscharii tomo 1. Februarii pag. 404. interpretatur de legatione Ebbonis ad septentrionales regiones, pro qua illum abesse interdum oportebat a sua provincia, tumque curam missatici implendi in ejus absentia commissam esse Rothado Episcopo. Ego vero arbitror clausulam illam simpliciter additam quia Ebbo frequenter erat in palatio, adeoque substituendi erant qui locum absentis implerent. Flodoardus lib. 2. cap. 19. *Dum frequenter igitur Ebbo Præsul in palatio tunc moraretur.*

(4) *Rhuothadus Episcopus.*) Suessionensis.

(5) *Rangarius Episcopus.*) Noviomensis, qui Concilio Parisiensi interfuit anno DCCCXXIX. Ad eum extat epistola Amalarii in tomo septimo Spicilegii Dacheriani pag. 165. Hinc ergo illustrari poterit catalogus Episcoporum Noviomensium.

(6) *Donatus Comes.*) Heroldus habet, *Donatus & Ingbertus Comes*. Codex Thuanus, *Donatus & Ingobertus Com.* Palatinus, Sangallensis, Colbertinus, & Rivipullensis, *Donatus & Ingobertus Comites*.

(7) *Donatus Comes.*) Melodunensis. Adrevaldus Floriacensis lib. 1. de miraculis S. Benedicti cap. 25. *Aderant in eodem placito missi a latere Regis Ionas Episcopus Aurelianensis & Donatus Comes Milidunensium.* Hincmarus in narratione de villa Noviliaco cap. 4. *Dominus Hludowicus Imperator donavit ipsam villam Noviliacum Donato in beneficio.* Et infra: *Donatus de infidelitate ejus comprobatus ipsi Imperatori quæsitum sacramentum juravit, & comitatum Miridunensem & villam Noviliacum cum suis appendiciis Imperator ab eo abstulit.* Idem anno DCCCXXVII. missus est in Hispaniam Tarraconensem, quæ tum Marca Hispanica dicebatur, ad componendos provinciæ illius motus. Eginhardus: *Imperator Helisachar Presbyterum & Abbatem, & cum eo Hildetrandum atque Donatum Comites ad motus Hispanicæ Marcæ componendos misit.* Anno dein DCCCXXXVII. in eandem provinciam iterum missus est cum Bonifacio Comite & Adrebaldo monasterii Flaviniacensis Abbate, ut querelas adversus Bernardum Ducem illarum partium propositas audirent; quemadmodum testatur auctor vitæ Ludovici Pii. Ejusdem Donati, ut opinor, mentio extat in Capitulis Caroli Calvi tit. XIV. pag. 70.

magum Willebertus Archiepiſcopus (1) & Ingobertus Comes. Turones Landramnus Archiepiſcopus & Rhuotbertus Comes. Lugdunum, Tarentaſia, & Vienna, Albricus Epiſcopus (2) & Richardus Comes. *Ib. c.* 25.

De commemoratione ad legationem prædictorum Miſſorum pertinente.

XXVI. Commemoratio quid ad prædictorum Miſſorum legationem pertineat. Primo, ut conventum in duobus aut tribus locis congregent, ubi omnes ad eorum legationem pertinentes convenire poſſint, & omnibus generaliter notum faciant qualis ſit eorum legatio, ſcilicet ad hoc eſſe ſe a nobis Miſſos conſtitutos ut ſi quilibet Epiſcopus aut Comes miniſterium ſuum propter quodlibet impedimentum implere non poſſit, ad eos recurrat, & cum eorum adjutorio miniſterium ſuum adimpleat, & ſi talis cauſſa fuerit quæ per eorum admonitionem emendari non poſſit, per eos ad noſtram notitiam deferatur; & ſi forte Epiſcopus aut Comes aliquid neglegentius in ſuo miniſterio egerit, per iſtorum admonitionem corrigatur; & omnis populus ſciat ad hoc eos eſſe conſtitutos ut quicunque per neglegentiam aut incuriam vel impoſſibilitatem Comitis juſtitiam ſuam adquirere non potuerit, ad eos primum querelam ſuam poſſit deferre, & per eorum auxilium juſtitiam adquirere, & quando aliquis ad nos neceſſitatis cauſſa reclamaverit, ad eos poſſimus relatorum querelas ad definiendum remittere. Ipſi vero Miſſi non ſine certiſſima cauſſa vel neceſſitate huc illucque diſcurrant, niſi forte quando tale aliquid in cujuslibet miniſterio ad legationem ſuam pertinente ortum eſſe cognoverint quod eorum præſentia indigeat & ſine illorum conſilio vel adjutorio emendari non poſſit. Inde tamen debent eſſe ſolliciti, ut propter illorum neglegentiam nihil in ſua legatione incorrectum remaneat; ſed ubi certam & veram neceſſitatem cognoverint, noſtram juſſionem adimplere non neglegant. *Ibid. c.* 26.

De hoc quod per Miſſos dominicos ea quæ per Capitula ſtatuta ſunt, omnibus nota fieri debeant.

XXVII. Volumus etiam ut omnibus notum ſit quia ad hoc conſtituti ſunt ut ea quæ per Capitula noſtra generaliter de quibuſcunque cauſſis ſtatuimus, per Miſſos nota fiant omnibus, & in eorum procuratione conſiſtant, ut ab omnibus adimpleantur. Et ubi forte aliquo tali impedimento quod per eos emendari non poſſit, aliquid de his quæ conſtituimus ac juſſimus remanſerit imperfectum, eorum relatu nobis ad tempus indicetur, ut per nos corrigatur quod per eos corrigi non potuit. *Ibid. c.* 27.

De admonitione ad eos qui legatione funguntur.

XXVIII. Noſſe vos credimus quanti ſit ponderis legatio quam vobis commiſimus, & quam ſit periculoſum tantæ rei curam neglegere quantam vos pro noſtra omnium communi ſalute ex noſtra obligatione ſuſcepiſſe non ignoratis. De qua re cum vos interrogaſſemus, non ſit nobis reſponſum eſt ut in eo reſponſo ſufficere potuiſſet ad eam diſpoſitionem quam rerum neceſſitas ad communem utilitatem pertinentium poſcere videbatur, vel qua nobis aliquod ſecuritatis ſolatium afferri potuiſſet. Et hoc ideo eveniſſe perſpeximus quia anno præterito, quando Capitulare legationis veſtræ vobis dedimus, caute vos obſervare juſſimus ne ſine cauſſa his quos honoratos eſſe volumus aliqua fieret injuria. Quapropter volumus vobis notum facere qualiter nunc Domino adjuvante eandem juſſionem noſtram debeatis adimplere. Volumus ut Miſſi noſtri, quos ad hoc conſtitutos habemus ut curam & ſollicitudinem habeant qualiter unuſquiſque qui rector populi noſtri a nobis conſtitutus eſt, in ſuo ordine officium ſibi commiſſum juſte ac Deo placite ad honorem noſtrum ac populi noſtri utilitatem adminiſtret, in hunc modum cognoſcendi diligentiam adhibeant, ſi ea quæ in Capitulari noſtro, quod eis anno præterito dedimus, continentur, ſecundum voluntatem Dei ac juſſionem noſtram fiant adimpleta. Itaque volumus ut medio menſe Majo conveniant iidem Miſſi, unuſquiſque in ſua legatione, cum omnibus Epiſcopis (3), Abbatibus, Comitibus, ac vaſſis noſtris, advocatis noſtris, ac Vicedominis Abbatiſſarum, nec non & eorum qui propter aliquam inevitabilem neceſſitatem ipſi venire non poſſunt, ad locum unum. Et ſi neceſſe fuerit propter opportunitatem conveniendi, in duobus vel tribus locis, vel maxime

(1) *Willebertus Archiepiſcopus.*) Rotomagenſis. In veteri codice Ms. bibliothecæ imperatoriæ, ex quo prodiit codex Carolinus a Gretſero editus, ſcriptum eſt in principio majuſculis literis

LIBER VVILLIBERTI ARCHIEPI. Docet nos ita Petrus Lambecius in libro ſecundo commentariorum de bibliotheca Cæſarea pag. 321. & mox addit ſibi dubium non eſſe quin per Archiepiſcopum Willibertum, ad quem codex iſte olim pertinuit, intelligi debeat Willibertus Archiepiſcopus Rotomagenſis, qui illum ſibi comparaverit poſt mortem Caroli M. ex bibliotheca ipſius.

(2) *Albricus Epiſcopus.*) Lingonenſis. Ejus eſſe videtur epiſtola trigeſima earum quæ ſub Frotharii Tullenſis Epiſcopi nomine editæ ſunt.

(3) *Cum omnibus Epiſcopis.*) Reperi in chartulario Eccleſiæ Viennenſis veterem querelam ab Agilmaro Archiepiſcopo adverſus Wigericum Comitem propoſitam in ſolemni Miſſorum dominicorum conventu, cui Remigius Lugdunenſis Archiepiſcopus & alii quatuor Epiſcopi intererant cum Comitibus undecim & viginti vaſſis dominicis. Hinc ergo valde illuſtrari poteſt hic locus & agnoſci quonam modo fierent iſtiuſmodi conventus.

xime propter pauperes populi, idem conventus habeatur, qui omnibus congruat; & habeat unusquisque Comes Vicarios & Centenarios suos secum, nec non & de primis Scabineis suis tres aut quatuor. Et in eo conventu primum Christianæ religionis & ecclesiastici ordinis collatio fiat. Deinde inquirant Missi nostri ab universis qualiter unusquisque illorum, qui ad hoc a nobis constituti sunt, officium sibi commissum secundum Dei voluntatem ac jussionem nostram administret in populo, & quam concordes atque unanimes ad hoc sint, vel qualiter vicissim sibi auxilium ferant ad ministeria sua peragenda. Et tam diligenter ac studiose hanc investigationem faciant ut omnem rei veritatem per eos cognoscere valeamus. Et si aliqua talis caussa ad eorum notitiam perlata fuerit quæ illorum auxilio indigeat, secundum qualitates caussarum quæ in nostro Capitulari continentur, tunc volumus ut illuc pergant, & ex nostra auctoritate illud corrigere studeant. *Ibid. c.* 28.

De rebus ad venerabilem locum pertinentibus non alienandis.

XXIX. Nulla sub Romana (1) ditione constituta Ecclesia vel xenodochium vel ptochotrophium vel nosocomium vel orphanotrophium vel gerontocomium vel brephotrophium vel monasterium tam monachorum quam sanctimonialium, Archimandritam habens vel Archimandritissam, contra hæc agere præsumat. Ergo his omnibus non liceat alienare rem immobilem, sive domum, sive agrum, sive hortum, sive rusticum mancipium, vel panes civiles (2), neque creditoribus specialis hypothecæ titulo obligare. Alienationis autem verbum (3) contineat venditionem, donationem, permutationem, & emphitheuseos perpetuum contractum. Sed omnes omnino sacerdotes ab hujusmodi alienatione se abstineant, pœnas timentes quas Leoniana constitutio minatur, id est, ut is quidem qui comparaverit, rem loco venerabili reddat cujus & antea fuerat, scilicet cum fructibus aliisque emolumentis quæ in medio tempore facta sunt, œconomum autem Ecclesiæ præstare omne lucrum quod ex hujusmodi prohibita alienatione senserit, vel qui ecclesiæ damnum effecerit, a ministerio submoveat, ita ut in posterum œconomus non sit. Non solum autem ipse, sed etiam successores ejus hac lege teneantur, sive ipse Archiœconomus alienaverit, sive respiciens alienantem Episcopum non prohibuerit; multo magis si consenserit. Tabellionem autem, qui talia interdicta instrumenta (4) conscripsit, perpetuo exilio tradi oportet. Magistratus autem qui eadem instrumenta admiserunt, & officiales qui operam dederunt ut & monumentis intimentur donationes vel ceteræ alienationes actis intervenientibus confirmentur, non solum magistratu sed etiam dignitate & facultatibus suis cedant. Remittit autem constitutio ea quæ in præterito tempore acta sunt. Excipit autem quosdam contractus, quos in sequentibus exponit capitulis, per quos & Ecclesiarum immobiles res alienari possunt. Xenodochium, id est, locus venerabilis in quo peregrini suscipiuntur. Ptochotrophium, id est, locus venerabilis in quo pauperes & infirmi homines pascuntur. Nosocomium, id est locus venerabilis in quo ægroti homines curantur. Orphanotrophium, id est, locus venerabilis in quo parentibus orbati pueri pascuntur. Gerontocomium, id est, locus venerabilis in quo pauperes & propter senectutem solam infirmi homines curantur. Brephotrophium, id est, locus venerabilis in quo infantes aluntur.

De hoc quomodo liceat ad Imperatorem res sancti loci transferre.

XXX. Si Princeps (5) voluerit rem immobilem sancto loco præstare, & accipere ab eo aliam immobilem rem, & eo modo permutationem contrahere, liceat hoc facere ei

---

(1) *Nulla sub Romana.*) Burchardus, qui partem aliquam istius capitis descripsit, accepisse se ait *ex Concilio apud Silvanectim præsente Ludovico cap.* v.

(2) *Panes civiles.*) Qui alibi gradiles vocantur, quia de gradibus palatii palam accipiebantur. Vide Cujacium lib. 26. Observat. cap. 17. & Jacobum Gothofredum in Notis ad l. 2, 4. 6. Codicis Theodos. de annonis civicis & pane gradili.

(3) *Alienationis verbum.*) Janus a Costa in librum primum Decretalium pag. 261. *Alienationis nomine intelligitur quæcunque traditio perpetua omnisque conditio imposita rei ecclesiasticæ. Sic enim interpretandum esse censeo quod viris eruditis negotium facessit in d. cap. Nulli: Alienationis verbum continere venditionem &c.*

(4) *Interdicta instrumenta.*) Ita editiones & codex Metensis ac Rivipullensis. Reliqui habent *strumenta*; nisi quod in uno Vaticano & in Pithœano scriptum est *frumenta* vitio librariorum. Ivo quoque Carnotensis hic *strumenta* habet, non quidem in libris editis, sed in veteri codice Ms. S. Victoris Parisiensis. Franciscus Pithœus sic edidit in cap. 8. Novellæ 124. apud Julianum antecessorem; *cum instructo strumentoque suo*. Concordia regularum pag. 607. ex regula S. Isidori: *strumentorum custodia*. Nihil vulgatius in veteribus libris, præsertim vero in antiquis exemplaribus formularum Marculfi.

(5) *Si Princeps.*) Burchardus caput istud tribuit eidem Concilio Silvanectensi cui adscripserat caput quod antecedit. Imposuit autem hæc Burchardi fraus auctori glossæ capitis istius in libro 3. Decretalium, titulo *de rerum permutatione*, ubi ita scriptum est: *Quæsitum fuit in Concilio isto utrum Ecclesia posset rem immobilem permutare cum Principe. Statuit Concilium quod si Princeps voluerit permutare rem immobilem cum sanctis locis & ab eis rem aliam accipere & de communi voluntate permutationem facere, hoc licitum sit, dummodo causa rationabilis hoc exposcat, & res quam Princeps præstiterit major fuerit vel saltem æqualis, & super hac permutatione Principis sanctio promulgetur.* Vide Notas Antonii Augustini ad hunc locum in prima collectione Decretalium.

ei divina pragmatica ſanctione (1) ab eo promulgata.

De orphanis exheredatis ſubveniendum.

XXXI. Propter iſtius itaque pacis concordiam conſervandam, placuit nobis de orphanis & pauperibus, qui debite vel indebite dicuntur amiſiſſe hereditatem paterni vel materni juris ad ſe legibus pertinentem, ſi alicubi inventi fuerint quos patres vel matres propter traditiones illorum exheredes fecerunt, aliorum ſcilicet ſuaſionibus aut petitionibus vel aliquo ingenio, omnino volumus atque decrevimus emendari, quantum ad nos vel ad noſtram pertinet poteſtatem, juxta voluntatem Dei & veſtram ſanctam admonitionem & conſiderationem; ut ſi forte extra officium noſtrum alicubi inventum fuerit, admonere veſtram clementiam audeamus ut emendetur.

De rebus pauperum vel minus potentum mala occaſione non emendis.

XXXII. Propter proviſiones (2) pauperum, pro quibus curam habere debemus, placuit nobis ut nec Epiſcopi, nec Abbates, nec Comites, nec Vicarii, nec Judices, nulluſque omnino ſub mala occaſione vel malo ingenio res pauperum vel minus potentum nec emere nec vi tollere audeat; ſed quiſquis ex eis aliquid comparare voluerit, in publico placito coram idoneis teſtibus & cum ratione hoc faciat. Ubicunque autem aliter inventum fuerit, factum hoc omnino emendetur per juſſionem noſtram.

Qualiter juſtitiæ fiant pauperibus.

XXXIII. De cauſſis (3) viduarum, pupillorum, orphanorum, vel reliquorum pauperum, ut in primo conventu ante mediam diem illorum ratio vel querela audiatur & definiatur, & poſt mediam diem cauſſa regia & Eccleſiarum vel potentum hominum: quia ipſi pauperes non habent facultatem unde ſuſtentare ſe poſſint (4) donec ad eorum perveniant juſtitiam, & ideo tantos clamores (5) faciunt ad aures noſtras.

De illis hominibus qui injuſtas querelas habent.

XXXIV. De illis hominibus qui injuſte ſuper alios homines querelas faciunt, de quibus volumus, ſi inventus fuerit aliquis qui non habeat juſtitiam cauſſandi (6) vel reclamandi, & revictus fuerit, propter illam calumniam quam fecit, ſecundum legem & æquitatem juſtitiam reddat.

De feſtivitatibus anni.

XXXV. Feſtos dies in anno celebrare ſanximus, hoc eſt, diem dominicum Paſchæ cum honore & ſobrietate (7) venerari, ſimili modo totam hebdomadam illam obſervare decrevimus, diem aſcenſionis Domini pleniter celebrare. In Pentecoſte ſimiliter ut in Paſcha. In natali Apoſtolorum Petri & Pauli diem unum. Nativitatem ſancti Johannis Baptiſtæ, aſſumptionem ſanctæ Mariæ (8), dedicationem ſancti Michaelis, natalem ſancti Remigii, ſancti Martini, ſancti Andreæ. In natali Domini dies quatuor, octavas Domini; Epiphaniam Domini, purificationem ſanctæ Mariæ (9). Et illas feſtivitates martyrum vel confeſſorum obſervare decrevimus quorum in unaquaque parrochia ſancta corpora requieſcunt.

(1) *Pragmatica ſanctione.*) Præcepto, ut loquebantur ævo Capitularium. Hujuſmodi præceptum Arnulphi Imperatoris pro Eccleſia Patavienſi extat in tomo 1. Metropolis Saliſburgenſis pag. 350.

(2) *Propter proviſiones.*) Hæc conſtitutio repetita eſt in Concilio Moguntino anni MCCCXLVII. cap. 18.

(3) *De cauſſis.*) Caput iſtud & ſequens deſunt in antiquis exemplaribus Vaticanis, Palatino, Metenſi, Divionenſi, Sangallenſi, Tiliano, Rivipullenſi, Thuano, Bellovacenſi, Camberonenſi, Colbertino. Deſunt etiam in editione Baſileenſi. In Remenſi prætermiſſa erant; ſed poſtea addita ſunt a manu antiqua in ſcheda codici adjecta. Extant autem ſuis locis in libro Pithœano, in Pariſienſi, & in Normannico. Unde colligi debet primam editionem Anſegiſi non habuiſſe hæc duo capita, addita vero fuiſſe in poſteriori. Nam Hincmarus in Quaternionibus Carolo Calvo oblatis pag. 430. in editione Cellotii caput *De his qui injuſte ſuper alios querelas faciunt* laudat ex libro ſecundo Capitulorum imperialium. Et Concilium Troslejanum cap. 6. caput *Ut Eccleſiæ antiquitus conſtitutæ* refert ex ſecundo libro Capitularium cap. 47. Quod verum eſſe non poſſet, ſi duo illa capitula jam tum inſerta non fuiſſent in hoc loco.

(4) *Unde ſuſtentare ſe poſſint.*) In antiquis exemplaribus Pithœano, Pariſienſi, & Normannico legitur: *unde ſe ſuſcitare poſſint*. In Remenſi vero: *unde ſuſare poſſint donec ad eorum perveniatur juſtitiam.*

(5) *Tantos clamores.*) In Remenſi codice legitur *tantas clamores*. Vide quæ de hoc Galliciſmo ſupra diximus.

(6) *Cauſſandi.*) Id eſt, litigandi, cauſam agendi, ut recte iſta explicat Hugo Menardus in Notis ad Concordiam regularum pag. 141.

(7) *Cum honore & ſobrietate.*) Hæc non habentur apud Reginonem. Puto autem hic inſinuari fidelibus feſtos Paſchæ dies tranſigendos eſſe abſque luxu & temulentia, ut Chriſtianos decet. At hodie omnia in diverſum mutata ſunt. Vide Notas ad Agobardum pag. 21.

(8) *Aſſumptionem ſanctæ Mariæ.*) Vide quæ de hoc argumento dicta a nobis ſunt ſupra & Notas ad Gratianum pag. 565.

(9) *Purificationem ſanctæ Mariæ.* Hæc ſola ſanctæ Mariæ feſtivitas olim celebrabatur in Eccleſia. Addita deinde eſt aſſumptio, tum conceptio, præſentatio, annuntiatio, ac viſitatio. Ingenioſa poſterorum diligentia ultra progreſſa feſtum deſponſationis Sanctæ Mariæ reperit, auctore Petro Aurato ex ſodalitio Dominicanorum, qui anno MDXLVI. novæ iſtius feſtivitatis officium compoſuit & Paulo III. obtulit approbandum, ut Ferreolus Locrius teſtatur in libro ſexto Mariæ Auguſtæ cap. 4.

De antiquis Ecclesiis, ut honorem suum habeant.

XXXVI. Ecclesiæ (1) antiquitus constitutæ nec decimis nec aliis possessionibus priventur, ita ut novis oratoriis tribuantur. *Capitul. I. a.* 813. *c.* 19. *Infra c.* 47.

De spiritualibus filiolis.

XXXVII. Deinde præcipimus ut unusquisque compater vel proximi spiritales filios suos catholice instruant.

De hoc ut sacerdotes inreprehensibiles sint.

XXXVIII. Ut juxta (2) Apostoli vocem sacerdotes inreprehensibiles sint, & moribus ornati, & nequaquam turpibus lucris deserviant, juxta illud quod ait Scriptura: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat cui se probavit.* Et a turpibus lucris & usuris non solum ipsi abstineant, verum etiam plebes sibi subditas abstinere instruant (3).

De hoc ut ab incestuosis, & ab his qui decimas non dant, & a Presbyteris negligenter viventibus wadii non accipiantur.

XXXIX. Dictum est (4) nobis quod in quibusdam locis Episcopi & Comites ab incestuosis & ab his qui decimas non dant wadios accipiant, & a Presbyteris pro quibusdam neglegentiis, & inter se pecuniam dividant; quod penitus abolendum decrevimus, ne forte avaritiæ locus detur. Et constituimus ut incestuosi juxta canonicam sententiam pœnitentia multentur. Qui vero decimas post creberrimas admonitiones & prædicationes sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur. Juramento vero eos constringi nolumus, propter periculum perjurii.

De discretione in corporis & sanguinis dominici perceptione.

XL. In perceptione corporis & sanguinis dominici magna discretio adhibenda est. Cavendum est enim ne si nimium in longum differatur, ad perniciem animæ pertineat, dicente Domino: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & sanguinem ejus biberitis, non habebitis vitam in vobis.* Si vero indiscrete accipiatur, timendum est illud quod ait Apostolus: *Qui manducat & bibit indigne, judicium sibi manducat & bibit.* Juxta ejusdem ergo Apostoli documentum probare se debet homo, & sic de pane illo manducare, & de calice bibere; ut videlicet abstinens aliquot diebus ab operibus carnis, & purificans corpus animamque suam, præparet se ad percipiendum tantum sacramentum; exemplo David, qui nisi se confessus fuisset abstinuisse ab opere conjugali ab heri & nudius tertius, nequaquam panes propositionis a sacerdote accepisset.

De hominibus diversarum conditionum, & de his qui eis prælati sunt.

XLI. Quia ergo constat in Ecclesia diversarum conditionum homines esse, ut sint nobiles & ignobiles, servi, coloni, inquilini, & cetera hujuscemodi nomina, oportet ut quicunque eis prælati sunt, sive Clerici sive laici, clementer erga eos agant, & misericorditer eos tractent, sive in exigendis ab eis operibus, sive in accipiendis tributis & quibusdam debitis. Sciantque eos fratres suos esse, & unum secum patrem habere Deum, cui clamant *Pater noster qui es in cœlis*, & unam matrem sanctam Ecclesiam, (5) quæ eos intemerato sacri fontis utero gignit. Disciplina igitur eis misericordissima & gubernatio opportuna adhibenda est; disciplina, ne indisciplinate vivendo auctorem suum offendant; gubernatio, ne in quotidianis vitæ commeatibus prælatorum adminiculo destituti fatescant.

De feminis & Abbatissis, quales sint quæ monasteriis puellaribus præferri debent.

XLII. Monasteriis sane puellaribus (6) tales præferri debent feminæ & Abbatissæ credi, quæ & se & subditum gregem cum magna religione & sanctitate custodire noverint, & his quibus præsunt prodesse non desinant. Sed & se & illas ita observent utpote vasa sancta in ministerio Domini præparata. Tales enim se debent exhibere subditis in habitu, in veste, & in omni convictu, ut eis ad cœlestia regna pergentibus ducatum præbeant. Sciant etiam se pro his quas in regimine acceperunt in conspectu Domini rationem reddituras.

De incestuosis & homicidis sacerdotum admonitionibus aurem nolentibus accommodare.

XLIII. Incestuosi, parricidæ, homicidæ multi apud nos (proh dolor!) reperiuntur, sed

(1) *Ecclesiæ.*) Caput istud Burchardus refert *ex Concilio Meldensi cap.* 8. Ita etiam Ivo parte 3. cap. 18. in veteri codice Sancti Victoris Parisiensis. In Concilio Moguntino anni DCCCXLVII. sic legitur; *Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis nec aliis possessionibus pro novis oratoriis sine consensu & concilio episcopali priventur.*

(2) *Ut juxta.*) Caput istud, quod revera est Concilii Cabilonensis secundi, Burchardus tribuit Concilio Aurelianensi.

(3) *Instruant.*) Ita omnia exemplaria Ansegisi, Regino, Burchardus. Hinc itaque emendandum est caput quintum Concilii Cabilonensis, ubi legitur *instituant.*

(4) *Dictum est.*) In libro tertio legis Longobardorum caput istud refertur inter constitutiones Lotharii, haud dubie quia ab illo renovata est hæc lex.

(5) *Matrem sanctam Ecclesiam.*) Vide infra lib. 6. cap. 486.

(6) *Monasteriis puellaribus.*) Vide infra lib. 5. cap. 384.

ſed aliqui ex illis ſacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommodare, volentes in priſtinis perdurare criminibus: quos oportet per ſecularis potentiæ diſciplinam a tam prava conſuetudine coercere, qui per ſalutifera ſacerdotum monita noluerunt revocari: quorum aliquos jam excommunicavimus, ſed illi hoc parvipendentes in hiſdem perdurarunt criminibus. Quamobrem veſtra decernat manſuetudo quid de talibus deinceps agendum ſit.

De dominis ſubditorum admonendis.

XLIV. Admonendi ſunt domini ſubditorum ut circa ſuos pie & miſericorditer agant, nec eos qualibet injuſta occaſione condemnent, nec vi opprimant, nec illorum ſubſtantiolas injuſte tollant, nec ipſa debita, quæ a ſubditis reddenda ſunt, impie ac crudeliter exigantur.

De corporis Domini & ſanguinis communicatione laicorum.

XLV. Ut ſi non frequentius, vel ter laici (1) homines in anno communicent, niſi forte quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur (2).

De eruditione filiorum a parentibus & patrinis.

XLVI. Ut parentes filios ſuos & patrini (3) eos quos de fonte lavacri ſuſcipiunt erudire ſummopere ſtudeant; illi, quia eos genuere, & eis a Domino dati ſunt; iſti vero, quia pro eis fidejuſſores (4) exiſtunt.

(1) *Vel ter laici.*) Hinc collegit Vadianus libro 6. de Euchariſtia pag. 216. laicos imperante Ludovico Pio cœpiſſe abſtinere a frequenti communione corporis & ſanguinis Domini, cum paulo antea, id eſt, ſub Carolo Magno, frequentius fuiſſet per Eccleſias communicatum; huncque abuſum deſcendere facit ex ſtudio Miſſæ privatæ & ex cupiditate monachorum. Referenda autem ſunt ipſa Vadiani verba. *Imperante Hludovico Caroli filio circiter annum a nato Chriſto* DCCCXV. *adeo increbuit privatæ Miſſæ ſtudium ut quum paulo antea frequentius fuiſſet (ceu diximus) per Eccleſias communicatum, legem ferre Princeps compulſus fuerit ut laici ſaltem ter in anno communicarent, quam legem Anſegiſus prodidit canone 38. libri ſecundi. Adeo quiſque ſuam vicem ſumendæ euchariſtiæ in alium rejiciebat qui & ſumere ſe pro aliis poſſe profitebatur, quodque omnium fides & pietas expoſcebat, paucorum curæ ceu pro aliis merentium commiſſum eſt, nec ſine quæſtus acceſſione, qui monaſteria multa, præſertim Benedictina, ad illas opes quibus hodie tam ſplendide & tanta cum ſecuritate perfruuntur evexit.* Dolendum eſt hanc obſervationem, quæ falſa eſt, excidiſſe viro docto: qui ſi conſuluiſſet antiquos canones Gallicanos, inveniſſet illam laicorum abſtinentiam a communione multo antiquiorem eſſe quam ut ad tempora Ludovici Pii referri poſſit. Nam in canone 18. Concilii Agathenſis ita diſerte ſcriptum eſt: *Seculares qui natale Domini, Paſcha, & Pentecoſten non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur.* Præterea conſtitutio Ludovici relata a Vadiano ſumpta eſt ad verbum ex Concilio Turonenſi III. habito ſub imperio Caroli Magni. Neque hic mos cenſendus eſt deſcendiſſe ex perſuaſione quæ in animos hominum illius ævi penetrarit, poſſe fideles euchariſtiam ſumere per vicarium, id eſt, per eum qui pro ſe ac populo ſacrificat & oblationes Deo offert in altari, ſed ex tepiditate Chriſtianorum, *remordente conſcientia mala*, ut in epiſtola 83. ait Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis de Presbyteris agens qui toties non communicant quoties Miſſam celebrant. Joannes Aventinus annalium Bojorum lib. 4. pag. 367. alia via aberrans, hac lege, quam Carolo Magno tribuit, putat interdictum eſſe laicis, quos ipſe Latina lingua prophanos vocat, ne pluſquam ter in anno communionem acciperent euchariſtię. *Edixit quoque*, inquit, *prophanum pluſquam ter in anno de ſacroſancto convivio, quod euchariſtiam nuncupamus, veſci non placere.*

(2) *Impediatur.*) Regino addit, *id eſt, in Paſcha, Natali Domini, & Pentecoſten.* Ita etiam Burchardus, Ivo, & Gratianus. Sed hæc non habentur in Concilio Turonenſi, ex quo caput iſtud ſumptum eſt, neque in exemplaribus Anſegiſi. Interpretatio eſt Reginonis, ſumpta ex admonitione ſynodali antiqua, in qua hæc leguntur: *Tribus temporibus in anno, id eſt, in Natale Domini, Paſcha, & Pentecoſten, omnes fideles ad communionem corporis & ſanguinis Domini accedere ammonete.* Vide etiam inquiſitionem de vita & converſatione laicorum cap. 56. apud Reginonem in initio libri ſecundi. Ceterum Burchardus Fabiano Papæ tribuit hanc conſtitutionem.

(3) *Patrini.*) Patrini ſunt qui offerunt baptizandos, eoſque baptizatos de ſacro fonte ſuſcipiunt, ut ait Hugo Menardus in Notis ad librum ſacramentorum pagina 107 Jeſſe Ambianenſis in libello de ordine baptiſmi cap. 1. *Signent ipſos infantes in fontibus eorum ſuſceptores viri vel feminæ, id eſt, patrini, vel matrinæ.* Homilia incerti auctoris in aſcenſu Domini in vetuſtiſſimo codice Eccleſiæ Lugdunenſis: *Quid dicendum eſt de parvulis, qui, quando baptizantur, non habent intellectum credendi neque pro ſe reſpondendi? De majoribus nulla quæſtio eſt, quia ipſi pro ſe reſpondere ſciunt. Facilis ſolutio eſt. Parvuli, qui necdum ſciunt loqui, fide illorum qui eos ſuſcipiunt de ſacro fonte merentur remiſſionem peccatorum accipere. Et certe dignum eſt ut qui peccato carnalium parentum polluuntur, fide ſpiritalium parentum ſalventur.* Amalarius Trevirenſis Archiepiſcopus in epiſtola ad Carolum Magnum cap. 2. *Docemus orationem dominicam patrinos & matrinas, ut & ipſi ſimiliter faciant quos ſuſcepturi ſunt ad ſacrum baptiſma.* Cap. 4. *Illud ſignum faciant in fontibus eorum Presbyteri, Acolythi, patrini vel matrinæ.* Item cap. 15. *Deinde perſcrutamur patrinos & matrinas ſi poſſint cantare dominicam orationem & ſymbolum.* Concilium Remenſe apud Reginonem libro 1. cap. 272. *Presbyter omnibus patrinis annuntiet quod debitores ſint ſuis filiolis &c.* Apud Ivonem parte 6. cap. 158. legitur *patrimis*. Sed emendandus eſt ex Reginone & ex veteri exemplari Ms. S. Victoris Pariſienſis. Eodem modo emendandum eſt caput primum ſecundæ additionis, ubi legitur *patroni* pro *patrini*.

(4) *Fidejuſſores.*) Homilia S. Eligii Epiſcopi Noviomenſis in tomo 5. Spicilegii Dacheriani pag. 212. *Mementote quia tunc pactum cum Deo feciſtis, atque abrenuntiare vos diabolo & omnibus operibus ejus in ipſo baptiſmi ſacramento promiſiſtis. Qui potuit, tunc ipſe per ſe & pro ſe hæc reſpondit. Qui vero non potuit, fidejuſſor pro eo ad ejus vicem iſta Deo promiſit, ille ſcilicet qui eum de ſacro fonte ſuſcepit.*

De Ecclesiis antiquitus constitutis.

XLVII. Ut Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis nec alia ulla possessione priventur. *Vide supra c. 36.*

De sepultura.

XLVIII. Ut de sepeliendis in basilicis mortuis illa constitutio servetur, quæ ab antiquis patribus (1) constituta est.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

INCIPIT TERTII PRÆLOCUTIUNCULA LIBELLI.

Superius in duobus libellis capitula ecclesiastica præfatorum Principum Domni Karoli Imperatoris & Domni ac gloriosissimi Hludouvici Augusti descripsi. Nunc autem illa ad mundanæ augmentum legis pertinentia, quæ Domnus Karolus Imperator edidit, in hoc tertio adunavi libello.

INCIPIUNT CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

De pace servanda.

I. De pace admonemus ut omnes qui per aliqua scelera ei rebelles sunt, constringantur, *Capitul. II. a. 805. c. 1.*

De justitiis generalibus.

II. De justitiis Ecclesiarum Dei, viduarum (2), orphanorum, & pupillorum præcipimus ut in publicis judiciis non despiciantur clamantes, sed diligenter audiantur. *Ib. c. 2. Capitul. III. a. 805. c. 2. 3.*

De justitiis regalibus.

III. De justitiis regalibus, ut pleniter fiant inquisitæ, *Ibid. c. 3. & 4.*

De armis non portandis.

IV. De armis infra patriam non portandis, id est, scutis & lanceis & loricis. Si faidosus quis sit, discutiatur tunc quis e duobus contrarius sit ut pacati fiant, & distringantur ad pacem, etiamsi noluerint. Et si aliter se pacificare nolunt, adducantur in nostram præsentiam. Et si aliquis post pacificationem alterum occiderit, componat illum, & manum quam perjuravit perdat, & insuper bannum dominicum solvat (3). *Ibid. c. 5. & 7.*

De armatura in hostem habenda.

V. De armatura in exercitu, sicut jam antea in alio Capitulari commendavimus, ita servetur; & insuper omnis homo de duodecim mansis bruniam habeat. Qui vero bruniam habens, eam secum non tulerit, omne beneficium cum brunia pariter perdat. *Ibid. c. 6. & 8.*

De negotiatoribus quo adusque procedant.

VI. De negotiatoribus qui partibus Sclavorum (4) & Avarorum (5) pergunt, quousque procedere cum suis negotiis debeant, id est, partibus Saxoniæ usque ad Bardenwich, & ad Magadoburg, & ad Erpesfurd, & ad Halaxstat, & ad Foracheim, & ad Breemberg, & ad Reginisburc, & ad Lauriacum; & ut arma & brunias non ducant ad venundandum. Quod si inventi fuerint portantes, omnis substantia eorum auferatur ab eis; dimidia quidem pars partibus palatii; alia vero medietas inter jam dictos Missos & inventorem dividatur. *Ibid. c. 7. & 9.*

De clamatoribus vel caussidicis.

VII. De clamatoribus (6) vel causidicis qui nec judicium Scabineorum adquiescere nec blas-

---

(1) *Ab antiquis patribus.*) Id est, ut opinor, in canone 6. Concilii Nannetensis. Nam Regino, postquam retulit istud nostrum caput, statim describit canonem illum Nannetensem, tanquam si ostendere vellet quid per antiquorum patrum constitutionem hic intelligatur.

(2) *Viduarum.*) Vide supra lib. 2. cap. 33.

(3) *Bannum dominicum solvat.*) Vide infra lib. 5. cap 247. & lib. 6. cap. 271.

(4) *Partibus Sclavorum.*) Negotiatores Francos consuevisse antiquitus exercere mercaturam apud Sclavos docent gesta Dagoberti Regis cap. 27. *Sclavi cognomento Winidi, quorum regnum Samo tenebat, negotiatores Francorum cum plurima multitudine interficiunt & rebus exspoliant.*

(5) *Avarorum.*) Ita codex Metensis. Divionensis habet *Arorum*. Pithœanus, Normannicus, Remensis, Belloyacensis, Tilianus, & Parisiensis, *Havarorum*. Contra in Colbertino, Thuano, Rivipullensi, uno Sangallensi, & in editione Basileensi scriptum est *Bauvariorum*, in altero Sangallensi *Baugariorum*, & in Camberonensi *Bajuvatorum*.

(6) *De clamatoribus.*) Clamatores hoc loco sunt qui litigant.

blasphemare volunt, antiqua consuetudo servetur, id est, ut in custodia recludantur donec unum e duobus faciant. Et si ad palatium pro hac re clamaverint, & literas detulerint, non quidem eis credatur, nec tamen in carcere ponantur; sed cum custodia & cum ipsis literis (1) pariter ad palatium nostrum remittantur, ut ibi discutiantur sicut dignum est. *Ibid. c.* 8. & 10.

De juramento.

VIII. De juramento, ut nulli alteri per sacramentum fidelitas promittatur nisi nobis & unicuique proprio seniori ad nostram utilitatem & sui senioris; excepto his sacramentis quæ juste secundum legem alteri ab altero debentur. Et infantes (2) qui antea non potuerunt propter juvenilem ætatem jurare, modo fidelitatem repromittant. *Ibid. c.* 9. 11. & 12.

De conspirationibus.

IX. De conspirationibus (3) vero, quicunque conspirationem facere præsumpserint, & sacramento quamcunque conspirationem firmaverint, ut triplici ratione judicentur. Primo, ut ubicumque aliquod malum per hoc (4) perpetratum fuit, auctores facti interficiantur; adjutores vero eorum singuli alter ab altero flagellentur, & nares sibi invicem præcidant. Ubi vero nihil mali (5) perpetratum est, similiter quidem inter se flagellentur, & capillos sibi vicissim detondeant. Si vero per dextras aliqua conspiratio firmata fuerit, si liberi sunt, aut jurent cum idoneis juratoribus hoc pro malo non fecisse; aut si facere non potuerint, suam legem componant. Si vero servi sunt, flagellentur. Et ut de cetero in regno nostro nulla hujusmodi conspiratio nec per sacramentum nec sine sacramento fiat. *Ibid. c.* 10. & 12.

De perjuriis.

X. De perjuriis (6), ut caveantur, & non admittantur testes ad juramentum antequam discutiantur. Et si aliter discuti non possunt, separentur ab invicem (7), & singulariter inquirantur. Et non soli accusatori (8) liceat testes eligere (9), absente suo causatore (10). Et omnino nullus nisi jejunus ad juramentum vel ad testimonium admittatur. Si vero aliquis (11) refutatur (12), di-

---

(1) *Cum ipsis literis.*) Carolum M. non esse repertorem istius juris colligi potest ex epistola 104. S. Bonifacii, in qua sic scribit ad Pippinum Regem: *Quidam servus Ecclesiæ nostræ, & ipse mendacissimus, qui nos arte fugiebat, Ansfrid nomine, veniens ad nos cum indiculo vestro, rogans ut ei justitiam faceremus, misimus illum ad vos cum ipsis litteris cum Misso nostro, ut cognoscatis quia mentitus vobis est, petentes ut nos pro mercede vestra defendatis contra tales falsarios, & eorum mendaciis non credatis.*

(2) *Et infantes.*) Vide quæ adnotantur infra post caput 16. hujus libri.

(3) *De conspirationibus.*) Hæc constitutio tribuitur Lothario in libro primo legis Longobardorum. In uno vero codice regio ejusdem legis hæc adnotata antiquitus sunt in margine: *Infirmat hæc supradictum capitulum* Volumus, *si conspiratio per sacramentum firmetur. Infirmat etiam legem Rotharis* Si quis pro injuria sua vindicanda, & Si quis gregem equorum, & Si pro quacunque causa homines, & *li. quæ est* Si quis sine voluntate, & *Rachis* Cognovimus enim. *Nisi hæ omnes prædictæ de conspiratione non sacramento vel dextera data loqui dicantur.* Capitulum *Volumus*, cujus hic mentio, est constitutio Lotharii, quæ extat in eodem libro 1. legis Longobardorum tit. 17. cap. 9. Lex Rotharis est prima in eodem titulo.

(4) *Per hoc.*) Ita omnia fere antiqua exemplaria, editio Basileensis, & Regino. Codex Trecensis habet *propter hoc*, unus Sangallensis *pro hoc*. Desunt hæ duæ voces in codice legis Longobardorum.

(5) *Ubi vero nihil mali.*) Alia glossa marginalis in eodem codice regio: *Si nihil mali perpetratum est, actor secundum quosdam in Corsicam est mittendus, secundum alios tam actor quam sequaces est flagellandus, secundum alios actor mori debet.* Quod hic ait auctor glossæ actorem secundum quosdam in Corsicam esse mittendum, sumptum est ex titulo tertio capitulorum Lotharii cap. 4.

(6) *De perjuriis.*) In ipso capitulari, ex quo ista sumpta sunt, legitur ut hic editum est, itemque in plerisque vetustis Ansegisi exemplaribus & in codice legis Longobardorum. In uno tamen Vaticano, in uno Sangallensi, in Trecensi, & Colbertino scriptum est: *Præcipimus ut perjuria summopere caveantur.*

(7) *Separentur ab invicem.*) In quibusdam codicibus legitur, *separentur ad invicem*. Alcuinus in libro de virtutibus & vitiis ad Witonem Comitem cap. 20. *Si falsi testes separantur, mox mendaces inveniuntur.*

(8) *Accusatori.*) *Id est, actori*, ut ait vetus glossa interlinearis in uno codice regio legis Longobardorum. Quod ideo recte observatum est, ne quis putare posset hic agi de causis tantum criminalibus.

(9) *Testes eligere.*) *Id est, adducere testes ut jurent*, inquit eadem glossa. Unde ait alia glossa in altero codice regio: *Etiam reo licet testes eligere & contradicere per capitulum Lotharii: Si quis cum altero.* Verum lex quam auctor istius glossæ dicit esse Lotharii, Ludovico Pio tribuitur in libris legis Longobardorum. Extat autem infra lib. 4. cap. 23.

(10) *Causatore,*) *Id est, reo*, inquit auctor prioris glossæ. Quidam codices legunt *accusatore*.

(11) *Si vero aliquis refutatur.*) Ita pleraque exemplaria. In Thuano, Remensi, Tiliano, Bellovacensi, Divionensi, Metensi, & in editione Basileensi legitur simpliciter: *Si refutatur, dicat &c.* In Camberonensi: *Et ille qui ad testimonium ducitur, si refutetur.* In Pithœano, Normannico, & Parisiensi: *Et ille qui ad testimonium adducitur, si refutatur.* Codex legis Longobardorum: *Et ille qui ad testimonium adductus fuerit, si refutatur.*

(12) *Si refutatur.*) Charta Ludovici VI. Regis pro monasterio Fossatensi: *Quod si aliquis temeraria præsumptione illorum testimonium in aliquo refutaverit.* Verus historia Trevirensis in tomo XII. Spicilegii Dacheriani pag. 219. *Cœpit a fratribus omnino caritatem refutare*, id est, *recusare*, ut in margine adnotat clarissimus

dicat ille qui eum refutat & probet quare illum recipere nolit. Et de ipso pago aut de vicinis centenis eligantur, nisi forte longius extra comitatum caussa sit inquirenda. Et si quis convictus fuerit perjurii, perdat manum aut redimat. *Ibid. c.* 11. *&* 13. *Vide secundam appendicem libri quarti cap. XVI.*

De Advocatis, Vicedominis, Vicariis & Centenariis.

XI. De Advocatis, Vicedominis, Vicariis, & Centenariis pravis, ut tollantur, & tales eligantur quales & sciant & velint juste caussas discernere & terminare. Et si Comes pravus inventus fuerit, nobis nuntietur. *Ibid. c.* 12. *&* 14.

De teloneis.

XII. Placet nobis ut antiqua & justa telonea a negotiatoribus exigantur, tam de pontibus, quamque de navigiis, seu mercatis. Nova vero seu injusta, ubi vel funes tenduntur, vel cum navibus sub pontibus transitur, seu his similia, in quibus nullum adjutorium itinerantibus præstatur, ut non exigantur (1). Similiter etiam nec de his qui sine negotiandi caussa (2) substantiam suam de una domo sua ad aliam, aut ad palatium, aut in exercitum ducunt, teloneum nullatenus ab eis exigatur. *Ibid. c.* 13. *&* 15.

De falsis monetis.

XIII. De falsis monetis, quia in multis locis contra justitiam & contra edictum fiunt, volumus ut in nullo alio loco moneta sit nisi in palatio (3) nostro; nisi forte iterum a nobis aliter fuerit ordinatum. *Ibid. c.* 18. *&* 20.

De heribanno.

XIV. De heribanno (4) volumus ut Missi nostri fideliter exactare debeant absque ullius personæ gratia vel blanditia (5) seu terrore, secundum jussionem nostram. Id est, ut de homine habente libras sex in auro, argento, bruneis, æramento, pannis integris, caballis, bubus, vaccis (6), vel alio peculio (7), & uxores eorum vel infantes non fiant despoliati pro hac re, de eorum ve-

mus editor. Regula cujusdam in Concordia regularum pag. 728. *Caro & vinum sive potus in quo sit ebrietas refutanda sunt monachis nec suscipienda.* Ubi vide Notas Hugonis Menardi.

(1) *Ut non exigantur.*) Hæc habentur in ipso Capitulari ex quo sumpta sunt, & in antiquis exemplaribus Metensi & Rivipullensi. In Normannico legitur: *præstatur, non exigantur.* Reliqua exemplaria non habent hæc tria vocabula; quæ desunt etiam in editione Basileensi & apud Ivonem. Vide infra libro 6. cap. 379.

(2) *Sine negotiandi caussa.*) Sive *ad eorum supplendas necessitates*, ut legitur in præcepto Ludovici Pii de immunitate monasterii Miciacensis a præstatione tributorum pro navibus per flumina regni Francorum discurrentibus pro quibuslibet præfati monasterii necessitatibus, quod privilegium postea confirmatum est a Carolo Calvo. Simile privilegium monasterio S. Philiberti concessit Pippinus Rex Aquitanorum; ut patet ex ejus præcepto, quod a R. P. Chiffletio editum est in historia monasterii Trenorchiani pag. 192. Item Lotharius Imperator simile monasterio Duserensi apud eundem Chiffletium pag. 264. Simile quoque privilegium Andegavensi Ecclesiæ concessum a Ludovico Pio ediderunt Sammarthani in tomo secundo Galliæ Christianæ, & aliud Caroli M. pro monasterio Organensi juxta Veronam, Ferdinandus Ughellus in tomo quinto Italiæ sacræ pag. 600. Habemus præterea præcepta Caroli M. & Pippini Regis Aquitaniæ, quibus immunitatem telonei & aliorum tributorum concedunt monasterio Cormaricensi pro duabus navibus per diversa flumina discurrentibus. Item præceptum Ludovici Pii de quinque navibus Ecclesiæ Viennensi concessis *ad sua negotia deferenda*, itemque aliud de quatuor navibus monasterii S. Germani Autissiodorensis. Idem Ludovicus monasterio S. Aniani Aurelianensis concessit privilegium habendi sex naves *quæ sive per Ligerim flumen sive per cetera flumina infra ditionem imperii nostri ob utilitatem & necessitatem monasterii* discurrere possint ubicunque velint, ut legitur in litteris ejusdem Ludovici a clarissimo Huberto editis pag. 75. probationum historiæ ejusdem monasterii S. Aniani. Quæ ideo adnotavimus ut agnoscerent lectores eam generalem legem, de qua nunc agimus, indiguisse auctoritate Principis speciali ut executioni mandaretur per singula loca.

(3) *Nisi in palatio.*) Quæ moneta palatina dicebatur. Vide Capitula Caroli Calvi tit. 26. cap. 12. & Capitulare secundum anni DCCCVIII. cap. 7.

(4) *De heribanno.*) Ita plerique codices, Palatinus tamen, Camberonensis, Tilianus, unus Sangallensis, Thuanus, Bellovacensis, & Divionensis legunt *hairibanno*. Vaticanus unus & Rivipullensis, *hairibanno*. In polyptico monasterii Fossatensis legitur *hairbannus*. Vide Adversaria Petri Pithœi lib. 2. cap. 20. & Notas Bignonii.

(5) *Blanditia.*) Codex Palatinus, Metensis, Thuanus, & Divionensis, *blanditiæ*. In uno codice regio legis Longobardorum legitur, *absque ullius personæ gratia, ambitione, sive terrore.*

(6) *Bubus, vaccis.*) In editione Tiliana & sequentibus legitur, *bobus, ovibus, vaccis*. Sed vox *ovibus* non extat in editione Basileensi, neque in antiquis Ansegisi exemplaribus, neque demum in codice legis Longobardorum. Error ortus ex eo quod in quibusdam editionibus Capitularis secundi anni DCCCV. legitur *bovibus* pro *bobus*. In libro tamen quinto cap. 258. legitur *bovis, ovis*.

(7) *Peculio.*) Id est, pecudibus, animalibus. Hinc peculium utriusque sexus in veteri charta monasterii Schlechdorsensis in tomo tertio Metropolis Salisburgensis pag. 321. Statuta antiqua Sancti Petri Corbejensis in tomo 4. Spicilegii Dacheriani pag. 20. *Similiter quicquid in diversis laborationibus quolibet modo acquiritur, vel in variis peculium generibus enutritur.* Testamentum Evrardi Comitis apud Aubertum Miræum in Codice donationum piarum pag. 99. & in tomo duodecimo ejusdem Spicilegii pag. 495. *sive in laboratione sive in peculio.* Porro in hoc istius capitis loco, pro eo quod hic legitur *peculio*, codex Palatinus & Bellovacensis habent *pecunio*, quod idem est. In

vestimentis accipiant legitimum heribannum, id est, libras tres. Qui vero non habuerit amplius in suprascripto pretio valente nisi libras tres, solidi triginta ab eo exigantur, id est, libra & dimidia. Qui autem non habuerit amplius nisi libras duas, solidi decem. Si vero unam habuerit, solidi quinque, ita ut iterum se valeat præparare ad Dei servitium & ad nostram utilitatem. Et nostri Missi caveant & diligenter inquirant ne per aliquod malum ingenium subtrahant nostram justitiam, alteri tradendo aut commendando. *Ibid. c. 19.*

De censu regali.

XV. Census regalis undecunque legitime exiebat (1), volumus ut inde solvatur, sive de propria persona hominis, sive de rebus. *Ibid. c. 20. & 22.*

De liberis hominibus uxores fiscalinas habentibus.

XVI. De liberis hominibus qui uxores (2) fiscalinas regias, & de feminis liberis quæ homines similiter fiscalinos regios accipiunt, ut non de hereditate parentum, vel de caussa sua quærenda, nec de testimonio pro hac re abjiciantur; sed talis etiam nobis in hac caussa honor servetur, qualis & antecessoribus nostris Regibus vel Imperatoribus servatus esse cognoscitur. *Ibid. c. 22. & 24.* (3)

De cura Missorum dominicorum.

XVII. Unusquisque in suo missatico maximam habeat curam ad prævidendum & ordinandum ac disponendum secundum voluntatem Dei & secundum jussionem nostram. *Capitul. V. a. 806. c. 1.*

De æqualitate a Missis dominicis facienda.

XVIII. Volumus ut æqualiter Missi nostri faciant de singulis caussis, sive de heribanno, sive de advenis, sive de ceteris quibuslibet caussis. De advenis volumus jam diu conjugatis per singula loca, ut ibi maneant, & sine caussa & sine aliqua culpa non fiant ejecti. Fugitivi vero servi & latrones redeant ad propria loca. *Ibid. c. 6.*

De his qui beneficia habent regalia.

XIX. Auditum habemus qualiter & Comites & alii homines, qui nostra beneficia habere videntur, comparant sibi proprietates de ipso nostro beneficio, & faciunt servire ad ipsas proprietates servientes nostros de eorum beneficio, & curtes nostræ remanent desertæ, & in aliquibus locis ipsi vicinantes multa mala patiuntur. *Ibid. c. 7.*

De his qui fraudem faciunt in regalibus beneficiis.

XX. Audivimus quod aliqui reddant beneficium nostrum ad alios homines in proprietatem, & in ipso placito dato pretio comparant ipsas res iterum sibi in alodem (4); quod omnino cavendum est: quia qui hoc faciunt, non bene custodiunt fidem quam nobis promissam habent. Et ne forte in aliqua infidelitate inveniantur; quia qui hoc faciunt, per eorum voluntatem (5) ad aures nostras talia opera illorum non perveniunt. *Ibid. c. 8.*

De

In testamento Sancti Aldrici Episcopi Cenomanensis legitur ipsum statuisse ut quicquid *de pecuniis diversi generis* & vestimentis in suo ergastulo inventum fuerit post mortem suam, tribuatur monasterio a se condito super fluvium Sartæ. Homilia incerti auctoris in vetustissimo codice Sancti Galli: *Quando Abraham decimas de præda donavit, quanto magis omnis homo de suo labore, de omni pecunio, & de omnibus animalibus.* Concilium Duziacense pag. 293. in editione Cellotii & pag. 1655. in tomo 8. Conciliorum ultimæ editionis: *generis diversi ac sexus pecuniam.* Cellotius in Notis ad hunc locum, cum ista non intelligeret, pecuniam hic explicavit de argento signato. Hæc sunt ejus verba. *Vox insolens*, inquit, *& nusquam alibi mihi lecta. Neque ego sexum alium in pecunia conjicere possum quam si aurum pro mare, argentum signatum pro femina accipias.* Porro pecunia alibi significat quamlibet rem quam quis de pecunia sua comparavit, ut libro quinto Capitularium cap. 347. & libro sexto cap. 11. & in Capitularibus Lotharii tit. 3. cap. 12.

(1) *Exiebat.*) Ita fere omnia vetera exemplaria & editio Basileensis. Tiliana & Pithœana prima habent *exigebatur*, quam lectionem præferunt veteres libri Camberonensis, Colbertinus, Vaticanus, & unus Sangallensis.

(2) *De liberis hominibus.*) Leg. *De liberis hominibus qui uxores.* Error fuit typographi. Ad hunc locum respexit Beatus Rhenanus quum hæc scriberet in libro 2. rerum Germanicarum pag. 94. *Erant & tabularii sive chartularii, libertorum genus. In hos jus habebat Ecclesia. Sed fiscalini privilegiis ecclesiasticos vincebant. Nam liber homo habens uxorem fiscalinam, aut mulier libera habens fiscalinum maritum, nihilo deterioris conditionis hoc nomine efficiebatur.* Item Joachimus Vadianus lib. 2. de collegiis monasteriisque Germaniæ veteribus pag. 75. *Ex publicis autem servis regii seu fiscalini dicti nostris quorum vectigal & usufructus ad fiscum pertinebat. Erant & ecclesiastici, qui operas suas Ecclesiis pendebant. Ceterum & regiorum & ecclesiasticorum longe melior erat conditio.* Regios fiscalinos commemorat Ivo Carnotensis epist. 147.

(3) Post caput istud sequitur in codice Normannico: *De infantibus qui non juraverunt fidelitatem. De his qui tunc infantes fuerunt, & aliis atque aliis qui non juraverunt fidelitatem Domino Imperatori aut suos infantes, modo jurent.* Vide supra cap. 8. hujus libri.

(4) *Alodem.*) Alodium olim dicebant fundum liberum nullius juri obnoxium, ut ait Sirmondus in Notis ad Goffridum Vindocinensem pag. 5. Opus autem non est ista pluribus probare, cum viri clarissimi doctissimos commentarios de toto hoc argumento ediderint.

(5) *Per eorum voluntatem.*) Ista & quæ deinceps sequuntur extant quidem in codice Tiliano, in Parisiensi, Palatino, Metensi, Thuano, Bellovacensi, Pithœano, Normannico, Rivipullensi, Divionensi, & in uno Sangallensi.

De his qui propter propriam justitiam dilatandam fugantur.

XXI. Sunt & alii qui justitiam legibus recipere debent, & in tantum fiunt in quibusdam locis fatigati (1) usque dum illorum justitiam per fidejussorum manus tradant, ita ut aliquid vel parvum possint habere, & fortiores suscipiant majorem portionem. *Ibid. c. 9.*

De armis ad placitum non portandis.

XXII. Ut nullus ad mallum vel ad placitum infra patriam arma, id est, scutum & lanceam portet. *Capitul. III. a.* 806. *c.* 1.

De latronibus.

XXIII. De latronibus præcipimus, quicunque post Missam sancti Johannis latroni mansionem dederit, si Francus est, cum duodecim similibus Francis juret quod ipse latronem eum fuisse non scisset, licet pater ejus sit, aut frater, vel propinquus. Si hoc jurare non potuerit, & ab alio convictus fuerit quod latronem in hospitio suscepisset, quasi latro & infidelis judicetur: quia latro infidelis est nostro regno Francorum (2), & qui illum suscepit, similis est illi. Si autem audivit quod latro fuisset, & tamen non scit pro firmiter, aut juret solus quod nunquam audisset, nec per veritatem, nec per mendacium, eum latronem esse; aut sit paratus, si ille de latrocinio postea convictus fuerit, ut similiter damnetur. *Ibid. c.* 22.

De animalibus vel aliis rebus, a quibus emantur.

XXIV. Ut nullus compararet caballum, bovem, & jumentum, vel alia (3), nisi illum hominem cognoscat qui eum vendit, aut de quo pago est, vel ubi manet, aut quis est ejus senior. *Ibid. c.* 3.

De homicidiis Clericorum.

XXV. Qui Subdiaconum occiderit, trecentos solidos componat. Qui Diaconum occiderit, quadringentos solidos componat. Qui Presbyterum, sexcentos solidos componat. Qui Episcopum, nongentos solidos componat. Qui monachum, quadringentos solidos componat. *Capitul. II. a.* 803. *c.* 1. *Lex Ripuar. t.* 36.

De immunitate, si aliquod damnum ibi factum fuerit.

XXVI. Si quis in immunitate (4) damnum (5) (6) aliquod fecerit, sexcentos solidos componat. Si autem homo furtum aut homicidium vel quodlibet crimen foris committens, infra immunitatem fugerit, mandet Comes vel Episcopo, vel Abbati, vel Vicedomino, vel illi quicunque locum Episcopi vel Abbatis tenuerit, ut reddat ei reum. Si ille contradixerit & eum reddere noluerit, in prima contradictione solidis quindecim culpabilis judicetur. Si ad secundam inquisitionem eum reddere noluerit, triginta solidis culpabilis judicetur. Si nec ad tertiam inquisitionem consentire voluerit, quicquid reus damni fecerit, totum ille qui eum infra immunitatem retinet, nec reddere vult, solvere cogatur. Et ipse Comes veniens licentiam habeat ipsum hominem infra immunitatem quærendi, ubicunque eum invenire potuerit. Si autem statim in prima inquisitione Comiti responsum fuerit quod reus infra immunitatem quidem fuisset, sed fuga lapsus sit, juret quod ipse eum ad justitiam cujuslibet disfaciendam fugere non fecisset, & sit ei in hoc satisfactum. Si autem intranti in ipsam immunitatem Comiti collecta manu quislibet resistere tentaverit, Comes hoc ad Regem vel ad Principem (7) deferat, ibique judicetur, ut sicut ille qui in immunitate damnum fecit sexcentos solidos

---

lensi. Ita etiam editio Tiliana, Basileensis, & prima Pithœana. Secunda, quæ juvatur auctoritate veterum exemplarium Colbertini, Vaticani, Camberonensis, & unius item Sangallensis, habet: *deinceps caveant se omnino a talibus, ne a propriis honoribus & a proprio solo a Dei gratia & nostra extorres fiant.* Hanc postremam lectionem retinuit Lindenbrogius. Pro eo autem quod hic legitur *a Dei gratia*, melius, ut opinor, scriptum est in libro Camberonensi *ac Dei gratia*.

(1) *Fatigati.*) Hæc est lectio multorum veterum librorum. In Thuano, Vaticano, Colbertino, & uno Sangallensi legitur *fugati*. Et hæc quoque lectio bona est.

(2) *Infidelis est nostro regno.*) Hanc lectionem Franciscus Pithœus huc transtulit ex libro 1. legis Longobardorum. Nam in antiquis exemplaribus & editionibus sic habetur: *latro est & infidelis noster & Francorum.* Itaque sic reponendum est.

(3) *Vel alia.*) Codex Rivipullensis, *vel alia quacunque re.*

(4) *Si quis in immunitate.*) Id est, in Ecclesia vel in rebus Ecclesiæ quæ immunitatis nomine censentur infra lib. 5. cap. 279.

(5) *Damnum.*) Id est, furtum, homicidium, aut aliquod crimen, ut statim dicetur.

(6) *Damnum.*) *Ut si ruperit murum, aut Ecclesiæ portam, aut aliud simile. Sed secundum Gualcausum damnum pro homicidio ponitur. Nam si de omni damno diceret, ut si gallinas occidisset, iniquum videretur. Alii vero de omni damno dicunt.* Ita auctor glossæ veteris in uno codice regio legis Longobardorum.

(7) *Ad Principem.*) Id est, ad Ducem, qui super Comitem constitutus est. Infra lib. 5. cap. 367. *Si quis jussione Regis vel Ducis illius qui ipsam provinciam regit &c. Princeps vero & successores ejus defendant eum.* Walfridus Strabo, horum temporum scriptor, cum in fine libri de ecclesiasticis officiis institueret comparationem principatuum sæculi cum dignitatibus ecclesiasticis, Metropolitanos Ducibus comparavit: *quia sicut Duces singulorum sunt provinciarum, ita & illi in singulis provinciis singuli ponuntur.* Comites vero comparat Episcopis, quorum non est adeo ampla jurisdictio ac Metropolitanorum.

dos componere debeat, ita qui Comiti collecta manu resistere præsumpserit, sexcentis solidis culpabilis judicetur. *Ibid. c. 2.*

De eo qui alium in judicio injuste contra alium altercantem adjuvare præsumpserit.

XXVII. Si quis hominem in judicio injuste contra alium altercantem adjuvare per malum ingenium (1) præsumpserit, atque inde coram judicibus vel coram Comite increpatus fuerit, & negare non potuerit, solidis quindecim culpabilis judicetur. *Ibid. c. 4.*

De homine qui per chartam libertatem consequutus est.

XXVIII. Si quis per chartam ingenuitatis a domino suo legitime libertatem est consecutus, liber permaneat. Si vero aliquis eum injuste inservire (2) tentaverit, & ille chartam ingenuitatis suæ ostenderit, & adversarium se inservire velle comprobaverit, ille qui hoc tentaverit, multam (3) quæ in charta descripta est solvere cogatur. Si vero charta non paruerit, sed jam ab illo qui eum inservire voluerit disfacta est, wirgildum ejus componat, duas partes illi quem inservire voluerat, tertiam Regi; & ille iterum per præceptum Regis libertatem suam conquirat. *Ibid. c. 7.*

De homine libero qui se loco wadii tradidit.

XXIX. Liber qui se loco wadii in alterius potestatem commiserit, ibique constitutus damnum aliquod cuilibet fecerit, qui eum in loco wadii susceperit, aut damnum solvat, aut hominem in mallo productum dimittat, perdens simul debitum propter quod eum pro wadio susceperit. Et qui damnum fecit, dimissus juxta qualitatem rei cogatur emendare. Si vero liberam feminam habuerit, usque dum in pignore extiterit, & filios habuerint, liberi permaneant. *Ibid. c. 8.*

De debitis regalibus, qualiter solvi debeant.

XXX. Omnia debita (4) quæ ad partem Regis solvi debent, solidis duodecim denariorum solvantur; excepto freda (5) quæ in lege Salica conscripta est; illa eodem solido, quo ceteræ compositiones solvi debent, componatur. *Ibid. c. 9.*

De eo qui caussam judicatam repetere præsumit.

XXXI. Si quis caussam judicatam repetere præsumpserit in mallo, ibique testibus convictus fuerit, aut quindecim solidos componat, aut quindecim ictus ab Scabineis qui caussam prius judicaverunt accipiat. *Ib. c. 10.*

De eo, qui in testimonium assumitur, qualis esse debeat.

XXXII. Optimus (6) quisque in pago vel civitate in testimonium assumatur, & cui ille contra quem testimoniare debet nullum crimen possit indicere (7). *Ibid. c. 11.*

De Scabineis, Advocatis, Notariis a Missis dominicis eligendis.

XXXIII. Ut Missi nostri Scabineos, Advocatos, Notarios per singula loca eligant, & eorum nomina, quando reversi fuerint, secum scripta deferant. *Capitul. III. a. 803. c. 3.*

De illis qui legem servare contemnunt.

XXXIV. De his qui legem servare contempserint, ut per fidejussores ad præsentiam Regis deducantur. *Ibid. c. 4.*

De heribannatoris conjecto.

XXXV. Ut illi qui heribannum solvere debent, conjectum faciant ad heribannatorem. *Ibid. c. 5.*

De colonis & fiscalinis.

XXXVI. Ut nec colonus (8) nec fiscalinus possint alicubi traditiones facere. *Ibid. c. 10.*

De homine in judicium non mittendo sine caussa.

XXXVII. Ut nullus præsumat hominem in

(1) *Per malum ingenium.*) Hæc desunt in uno codice Vaticano, in Colbertino, Thuano, & in uno Sangallensi.

(2) *Inservire.*) *Id est, in servitute revocare*, ut ait vetus glossa marginalis in uno codice regio legis Longobardorum.

(3) *Multam.*) Eadem glossa: *Ob hoc dicunt quidam quod hæc lex ad legem Salicam sit facta. In aliis enim libertatis cartulis nisi in Salicis pœna poni non solet.* Hanc opinionem fefellit auctor alterius glossæ. *Hæc lex*, inquit, *in hoc quod facit mulctam componere, a quibusdam dicitur Salica esse. Sed male dicunt, quia in omnibus cartulis pœna potest poni.*

(4) *Omnia debita.*) Vide infra lib. 4. cap. 75.

(5) *Freda.*) *Id est, compositio quæ fit pro injuria facta mulieri in mundio Regis habitæ*, ut ait glossa interlinearis in uno codice regio. Alia sic habet: *id est, excepta injuria quæ fit mulieri Salicæ quæ est in mundio Regis.*

(6) *Optimus.*) Burchardus, sui semper similis, caput istud interpolatum, ne qua Capitularium vestigia deprehendi possent, tribuit Concilio Matiscensi.

(7) *Nullum crimen possit indicere.*) Id est, *nullam eis infamiam possit inferre*, ut ait Burchardus. Sive *nullam eis possit afferre calumniam*, ut apud Gratianum, quod melius est.

(8) *Ut nec colonus.*) In codice legis Longobardorum legitur: *Ut nec colonus nec fiscalinus possit alicubi foras mixtos traditionem facere*; ubi glossa interlinearis in uno codice regio *foras mixtos* interpretatur *extra conservos*. Ista lucem accipere possunt ex lib. 5. legis Wisigothorum tit. 7. cap. 16. ubi prohibetur ne servi fiscales mancipia sua aut terras ad liberos homines venditione transferant, nisi tantummodo ad alios servos fiscales, & ut terras sive mancipia donare Ecclesiis non possint.

in judicium mittere fine cauffa, nifi judicatum fiat. *Ibid. c.* 11.

De cauffa ebrii hominis, & de ejus teftimonio, & de placito Comitis.

XXXVIII. Ut nullus ebrius fuam cauffam in mallo poffit conquirere, nec teftimonium dicere; nec placitum Comes habeat nifi jejunus. *Ibid. c.* 15.

De Miffis dominicis vel ceteris hominibus difcurrentibus.

XXXIX. De Miffis noftris difcurrentibus, vel ceteris hominibus propter utilitatem noftram iter agentibus, ut nullus eis manfionem (1) contradicere præfumat. *Ib. c.* 17.

De illis qui ad placitum banniri debeant.

XL. Ut nullus ad placitum banniatur nifi qui cauffam fuam quærit, aut fi alter ei quærere debet; exceptis Scabineis feptem, qui ad omnia placita præeffe debent. *Ibid. c.* 20. *Capitul. I. a.* 809. *c.* 13.

De falfis teftibus.

XLI. De falfis teftibus præcipimus ut non recipiantur. *Capit. III. a.* 803. *c.* 2.

De non jurando per vitam Regis.

XLII. Ut nullus præfumat per vitam Regis (2) & filiorum ejus jurare. *Ibid. c.* 22.

De eo qui per chartam ingenuus eft, fi ad fervitium interpellatus fuerit.

XLIII. Si quis per chartam ingenuus dimiffus fuerit, & a quolibet homine ad fervitium interpellatus fuerit, primum legitimum auctorem fuæ libertatis proferat, & in fua libertate perfeveret. Si vero legitimus auctor defuerit, teftimonio bonorum hominum, qui tunc aderant quando liber dimiffus fuerat, fe defendere permittatur. Si vero teftes defuerint, cum duabus aliis chartis, quæ ejufdem Cancellarii manu firmatæ fint vel fcriptæ, cujufcunque fuerint, fuam chartam, quæ tertia eft, veram & legitimam effe confirmet. Cancellarius tamen talis effe debet qui pagenfibus loci illius notus fuiffet & acceptus. Si autem qui interpellatus fuerit ad fervitium, nec auctorem nec teftimonia habuerit, neque alias duas chartas ad fuam chartam confirmandam invenire potuerit, tunc is qui eum interpellavit, fecundum legem ipfam chartam falfam efficiat, & fervum conquirat. Si vero interpellator auctore aut teftimoniis aut chartarum collatione victus fuerit, ex hoc quod voluit efficere, & non potuerit, multam quæ in ipfa ingenuitatis charta continetur cogatur exfolvere. *Ibid. in fine.*

De fervo qui damnum quodlibet perpetrat.

XLIV. Nemini liceat fervum fuum propter damnum ab illo cuilibet inlatum dimittere (3), fed juxta qualitatem damni dominus pro illo refpondeat, vel eum in compofitionem aut ad pœnam petitori offerat (4). Si autem fervus perpetrato fcelere fugerit, ita ut a domino penitus inveniri non poffit, facramento fe dominus ejus excufare ftudeat quod hoc fuæ voluntatis nec confcientiæ fuiffet quod fervus ejus tale facinus commifit (5). *Capitul. IV. a.* 803. *c.* 20. *Capit. V. a.* 803. *c.* 12.

De mannitione fecundum legem ad mallum.

XLV. Si quis ad mallum legibus mannitus fuerit, & non venerit, fi eum funnis non detinuerit, quindecim folidis culpabilis judicetur. Sic ad fecundum & tertium. Si autem ad quartum venire contempferit, poffeffio ejus in bannum mittatur donec veniat, & fic de re de qua interpellatus fuerit juftitiam faciat. Si infra annum non venerit, de rebus ejus quæ in bannum miffæ funt Rex interrogetur & quicquid inde judicaverit fiat. Prima mannitio fuper noctes (6) feptem, fecunda fuper noctes quatuordecim, tertia fuper noctes viginti & unam, quarta fuper noctes quadraginta & duas fiat. Similiter & de beneficio hominis, fi forte res proprias non habuerit, mittatur in bannum ufque quo Rex interrogetur. *Capitul. IV. a.* 803. *c.* 33.

De auctore vel.

XLVI. Si auctor venerit & rem intertiatam (7) recipere renuerit, campo vel cruce (8) contendant. *Ibid. c.* 35.

De

(1) *Manfionem.*) Frotharius Tullenfis epiftola 18. ad Hetti Archiepifcopum Trevirenfem Miffum dominicum: *Veftris literis mihi fignificari expeto quando huc pro legatione vobis injuncta venire vel quando fynodale Concilium juxta modernam conftitutionem debeatis convocare. De his ob id præcipue follicitus maneo quia & ipfe fecundum imperiale præceptum ad providendas manfiones in quibus Legati fufcipi debent, fcilicet a monte Jovis ufque ad palatium Aquis, ire debeo.*

(2) *Per vitam Regis.*) Caput iftud reperitur in libro 3. legis Longobardorum tit. 24. Vide Filefacum libro 2. felector. pag. 85. & Weftenium in Notis ad Opufcula Origenis pag. 110.

(3) *Dimittere.*) *Id eft, manumittere vel definere poffidere*, ut ait gloffa interlinearis in uno codice regio, quod confirmat & alia gloffa.

(4) *Offerat.*) In lege Longobardorum legitur *afferat*, etiam in antiquis libris.

(5) *Commifit.*) In eadem lege fcriptum eft, *commififfet, & fit abfolutus.*

(6) *Super noctes.*) Majores noftri olim fpatia temporis non numero dierum fed noctium finiebant. Vide Sirmondum in Notis ad Goffridum pag. 38.

(7) *Rem intertiatam.*) Vide infra libro fexto capite 214.

(8) *Vel cruce.*) Hæc non extant in codice Metenfi.

De hominibus ad mortem dijudicatis, & postea eis vita concessa, si justitiam quæsierint.

XLVII. De illis hominibus (1) qui propter eorum culpas ad mortem dijudicati fuerint, & postea eis vita fuerit concessa, si ipsi justitiam ab aliis requisierint, aut ab eis justitiam quærere voluerint, qualiter inter illos judicium (2) terminetur. Primo omnium de illis caussis pro quibus judicatus fuerit ad mortem nullam potest facere repetitionem, quia omnes res suæ, secundum (3) judicium (4) Francorum (5) in publico fuerunt revocatæ. Et si aliquid in postmodum, postquam ei vita concessa est, cum justitia adquirere potuerit, in sua libertate teneat & defendat secundum legem. In testimonium non suscipiatur, nec inter Scabineos ad legem judicandam teneatur. Et si ad sacramentum aliquid ei judicatum fuerit quod jurare debeat, si aliquis ipsum sacramentum falsum dicere voluerit, cum armis contendat (6). *Capitul. I. a. 809. c. 30. Capitul. II. a. 809. c. 1.*

De homine cui post judicium vita concessa est, si justitiam reddere noluerit.

XLVIII. Si alicui post judicium Scabineorum fuerit vita concessa, & ipse in postmodum aliqua mala perpetraverit, & justitiam reddere noluerit, dicendo quod mortuus sit & ideo justitiam reddere non debeat, statutum est ut superius judicium sustineat quod antea sustinere debuit. Et si aliquis adversus eum aliqua mala fecerit, secundum æquitatis ordinem licentiam habeat suam justitiam requirendi de caussis perpetratis postquam ad mortem dijudicatus est; de præteritis maneat sicut supra judicatum fuit. *Capitul. I. a. 809. c. 31. Capitul. II. a. 809. c. 2.*

De latrone forbannito a libero homine susceptо.

XLIX. De latrone forbannito, liber homo qui eum susceperit, quindecim solidos componat, & servus centum viginti percussionibus vapulet. *Capitul. I. a. 809. c. 11. Capitul. II. a. 809. c. 3.*

De Comite latronem in forbannum mittente.

L. Ut Comes qui latronem in forbannum miserit, vicinis suis & aliis Comitibus notum faciat eundem latronem a se esse forbannitum, ut illi eum non recipiant. *Capitul. I. a. 809. c. 32. Capitul. II. a. 809. c. 4.*

De liberis hominibus qui ad mallum venire cogendi sunt.

LI. Ut nullus alius de liberis hominibus ad placitum vel ad mallum venire cogatur, exceptis Scabineis vel vassis Comitum, nisi qui caussam suam adquirere debent aut respondere. *Lib. II. Longob. tit. 42. c. 1.*

De testibus, ad testimonium dicendum qualiter adhibeantur.

LII. Ut testes (7) ad testimonium dicendum præmio non conducantur; & ut nullus testimonium dicat aut sacramentum juret nisi jejunus. Et ut testes priusquam jurent, separatim discutiantur quid dicere velint de illa re unde testimonium reddere debent. *Capitul. I. a. 809. c. 16. Capit. II. a. 809. c. 6.*

De justitia cujuslibet a nullo quolibet dilatanda.

LIII. Ut nullus quilibet Missus noster, neque Comes, neque Judex, aut Scabineus cujuslibet justitiam dilatare præsumat, si statim adimpleta potuerit esse secundum rectitudinem, neque præmia pro hoc a quolibet homine per aliquod ingenium malum præsumat accipere. *Capitul. I. a. 809. c. 33. Capit. II. a. 809. c. 7.*

De non cogendo ad pontem ire caussa telonei.

LIV. Ut nullus cogatur ad pontem ire ad fluvium transeundum propter telonei caussas quando ille in alio loco compendiosius illud flu-

---

(1) *De illis hominibus.*) Glossa interlinearis in uno codice regio: *Hæc lex loquitur cum judicatus fuerit ad mortem propter crimen majestatis.* Quæ interpretatio confirmari potest ex præcepto Caroli Magni mox laudando.

(2) *Qualiter judicium.*) In lege Longobardorum legitur *æquale judicium.* Ibi vero in margine ejusdem codicis regii sequentia adnotata sunt a manu antiqua: *Hæc lex in hoc quod dicit*, æquale judicium inter illos terminetur, *sic exauditur ut nec ipsi justitiam faciant nec accipiant de caussis ante perpetratis.* Rationem vero reddit alia glossa, *quoniam pro mortuis habentur ad ante gesta.*

(3) *Secundum judicium Francorum.*) Præceptum Caroli M. editum post Acta Sanctorum ordinis S. Benedicti tomo 4. pag. 623. *Fuerunt namque aliqui in nostra præsentia convicti & secundum judicium Francorum dijudicati.* Hincmarus in Notitia de villa Noviliaco cap. 4. *Deinde Landrada uxor Donati, sed & filii eorum, pergente Karolo Rege ad obsidendos Nortmannos qui in insula quæ Oscellus dicitur residebant, cum aliis defecerunt; quorum honores & proprietates a Francis auferri & in fiscum redigi judicatæ sunt.*

(4) *Secundum judicium Francorum.*) Glossa marginalis in codice regio paulo ante laudata: *Item cum dicit*, secundum judicium Francorum, *erant quidam qui dicebant hanc esse Salicam. Sed non est. Quia non ideo dixit* secundum judicium Francorum *ut esset Salica, sed quia Karolus Francus nativitate erat, & respexit suam nationem propter suæ gentis dignitatem.*

(5) *Francorum.*) *Id est, Karoli, qui fuit Francus*, inquit alia glossa. *Et hoc ad removendum hanc legem esse Salicam.*

(6) *Cum armis contendat.*) *Cum alii fustibus pugnare debeant*, ut ait una glossa, isti jubentur pugnare cum armis, id est, scuto & lancea.

(7) *Ut testes.*) Burchardus refert ista ex Concilio Matiscensi, ut dictum est paulo ante ad caput 32. hujus libri.

flumen transire potest. Similiter & in plano campo, ubi nec pons nec trajectus est, ibi omnimodis præcipimus ut non teloneum exigatur. *Ibid. c. 19. & c. 9.*

De hoc si Presbyter sanctum chrisma dederit ad judicium subvertendum.

LV. Ut Presbyter qui sanctum chrisma donaverit ad judicium subvertendum (1), postquam de gradu suo depositus (2) fuerit, manum amittat. *Ibid. c. 21. & c. 10.*

De Judicibus, Advocatis, Præpositis, & reliquis ministris, quales sint.

LVI. Ut Judices, Advocati, Præpositi, Centenarii, Vicarii, Scabinei, quales meliores inveniri possunt, constituantur ad sua ministeria exercenda. *Ibid. c. 22. & c. 11.*

De mallo publico.

LVII. Ut in locis ubi mallos publicos habere solent tectum tale constituatur quod in hyberno (3) & in æstate observatum esse possit. *Ibid. c. 25. & c. 13.*

De sacramentis ad palatium adrhamitis.

LVIII. Ut sacramenta (4) quæ ad palatium fuerunt adrhamita, in palatio perficiantur. Et si consacramentales homines cum ipso venire renuerint, jussione dominica aut indiculo aut sigillo ad palatium venire cogantur. *Ibid. c. 29. & c. 14.*

De impedimento clamatorum.

LIX. De clamatoribus qui magnum impedimentum faciunt in palatio ad aures Domni Imperatoris, ut Missi seu Comites illorum Missos transmittant in contra illos qui mentiendo vadunt, ut eos convincant. *Capit. I. a. 810. c. 1.*

De fugitivis contra præceptum dominicum occultatis.

LX. De fugitivis qui per diversas provincias ducti & occultati sunt contra præceptum Domni Imperatoris, ut qui eos post præteritum tempus suscepit aut retinuit, bannum dominicum componat. *Ibid. c. 8.*

De nimium blasphemis latronibus.

LXI. De latronibus qui magnam habent blasphemiam, quicunque aliquem ex his comprehenderit, nullum damnum exinde patiatur. *Ibid. c. 10.*

De pace infra patriam.

LXII. De pace & justitia infra patriam, sicut sæpe per alia capitula jussimus adimpletum fiat. *Ibid. c. 9.*

De junioribus in populo vulgari distringendis.

LXIII. De vulgari populo, ut unusquisque suos juniores distringat, ut melius ac melius obediant & consentiant mandatis & præceptis imperialibus. *Ibid. c. 16.*

De hoc si super Missum dominicum cum collecta & armis quis venerit.

LXIV. Si quis super Missum dominicum cum collecta & armis venerit, & missaticum illi injunctum contradixerit, aut contradicere voluerit, & hoc ei adprobatum fuerit quod sciens contra Missum dominicum ad resistendum venisset, de vita componat. Et si negaverit, cum duodecim suis juratoribus se idoniare faciat; & pro eo quod cum collecta contra Missum dominicum armatus venit ad resistendum, bannum dominicum componat. Simili modo Domnus Imperator de suis vassis judicavit. Et si servus hoc fecerit, disciplinæ corporali subjaceat.

De eo qui domum alienam cujuslibet infringit.

LXV. Si quis domum alienam cujuslibet infregerit, quicquid exinde per virtutem (5) abstulerit aut rapuerit vel furaverit, secundum legem & evvam (6) illi cujus domus fuerit infracta & spoliata in triplum componat,

(1) *Judicium subvertendum.*) Vide infra lib. 5. cap. 145. & Reginonem lib. 1. cap. 72.

(2) *Depositus.*) In Capitulari secundo anni DCCCIX. legitur *expoliatus*, in codice vero legis Longobardorum *expulsus*.

(3) *Hyberno.*) Hyeme. Sanctus Ambrosius serm. 38. *Miser peccator dum hic hyberni rigorem metuit, ibi tenebrarum frigus incurrit.* Brevis annotatio de Principibus Francorum in vetustissimo codice Ms. bibliothecæ Colbertinæ: *Hibernus grandis & durus.* Pro quo hæc habentur in annalibus Laurishamensibus ad annum DCCLXIV. quo istud contigit: *Hiems grandis & durus.* In veteri chronico S. Galli nondum edito: DCCLXIV. XVIIII. *Kal. Jan. sic incipit gelus, & finivit in* XVII. *Kal. April.* Eadem habentur in annalibus Francorum Tilianis. Hinc *hivernaticum* & *hivernatica satio* in polyptico monasterii Fossatensis & alibi.

(4) *Ut sacramenta.*) Vetus nota marginalis in uno codice regio legis Longobardorum: *De his sacramentis loquitur quæ ad manum Regis principalit r pertinent, ut si quis juratus sit regium servum non plagasse, vel quæ ardiuntur sponte fieri ad palatium, licet ad manum Regis non pertineat.*

(5) *Virtutem.*) Ita vetera exemplaria Tilianum, Palatinum, Rivipullense, Metense, Bellovacense, Camberonense, unum Sangallense, Pithœanum, Parisiense, Divionense, Remense. Sic etiam scriptum est in Tiliana editione & in prima Pithœana, itemque in codice legis Longobardorum. At in uno codice Vaticano, in uno Sangallensi, in Thuano, Colbertino, & Camberonensi, tum etiam in Capitulis Caroli Calvi, in Concilio apud Sanctam Macram, apud Ivonem, & in secunda editione Pithœana, postremo in Lindenbrogica legitur *vim*, eadem omnino significatione.

(6) *Secundum legem & evvam.*) Multum variant in hoc loco vetera exemplaria & editiones. Lectionem quam nos retinuimus exhibent

nat, & insuper bannum dominicum solvat. Si servus hoc fecerit, sententiam superiorem accipiat, & insuper secundum suam legem compositionem faciat. Si quis liber homo aliquod tale damnum cuilibet fecerit pro quo plenam compositionem facere non valeat, semetipsum in wadio pro servo dare studeat usque dum plenam compositionem adimpleat.

De messibus vel annonis in hoste raptis vel furatis.

LXVI. Si quis messes (1) aut annonas in hoste super bannum dominicum rapuerit aut furaverit vel paverit aut cum caballis vastaverit, æstimato damno secundum legem in triplum componat. Et si liber homo hoc fecerit, bannum dominicum pro hac re componere cogatur. Servus vero secundum suam legem tripla compositione damnum in loco restituat, & pro damno disciplinæ corporali subjaceat.

De libero homine in hostem bannito.

LXVII. Quicunque liber homo in hostem bannitus fuerit, & venire contempserit, plenum heribannum, id est, solidos sexaginta persolvat. Aut si non habuerit unde illam summam persolvat, semetipsum pro wadio in servitium Principis (2) tradat donec per tempora ipse bannus ab eo fiat persolutus; & tunc iterum ad statum libertatis suæ revertatur. Et si ille homo qui propter heribannum se in servitium tradidit, in illo servitio defunctus fuerit, heredes ejus hereditatem quæ ad eos pertinet non perdant nec libertatem, nec de ipso banno obnoxii fiant. *Capit. II. a. 812. c. 1.*

De heribanno exactando.

LXVIII. Ut non per aliquam occasionem, nec pro vuacta, nec de scara, nec de vuarda, nec pro heribergare, nec pro alio banno heribannum Comes exactare præsumat, nisi Missus noster prius heribannum ad partem nostram recipiat, & ei suam tertiam partem exinde per jussionem nostram donet. Ipse vero heribannus non exactetur neque in terris neque in mancipiis, sed in auro & argento, palliis atque armis, & animalibus, atque pecudibus, sive talibus speciebus quæ ad utilitatem pertinent. *Ibid. c. 2.*

De his qui regales habent honores, & in hostem banniti ad condictum placitum non venerint.

LXIX. Quicunque homo nostros habens honores in hostem bannitus fuerit, & ad condictum placitum non venerit, quot diebus post placitum condictum venisse comprobatus fuerit, tot diebus abstineat a carne & vino. *Ibid. c. 3.*

De his qui sine licentia de hoste revertuntur.

LXX. Quicunque absque licentia vel permissione Principis de hoste reversus fuerit, quod factum Franci *herisliz* (3) dicunt, volumus ut antiqua constitutio, id est, capitalis sententia erga illum puniendum custodiatur. *Ibid. c. 4.*

De his qui beneficia Principum habent.

LXXI. Quicunque ex his, qui beneficium Principis habent, parem suum contra hostes communes in exercitu pergentem dimiserit, & cum eo ire vel stare noluerit, honorem suum & beneficium perdat. *Ibid. c. 5.*

De non cogendo bibere in hoste.

LXXII. Ut in hoste nemo parem suum vel quemlibet alterum hominem bibere roget (4). Et quicunque in exercitu ebrius inventus fuerit, ita excommunicetur ut in bibendo sola aqua utatur quousque se male fecisse cognoscat. *Ibid. c. 6.*

bent unus codex Vaticanus & unus Sangallensis, tum etiam editiones Tilii, Pithœanæ, & Lindenbrogica. Colbertinus habet, *secundum legem & euuma illi cujus*. Alter Sangallensis & Thuanus, *& eam illi cujus*. Rivipullensis & Divionensis, *& ea illi cujus*. Palatinus & Bellovacensis, *& coram illi cujus*. Tilianus & Camberonensis, *& coram illi cui*. Metensis, *& coram illi cujus*. Parisiensis. Pithœanus, Normannicus, Remensis: *aut furaverit, ei cui domus infracta & spoliata fuerit*. In Capitularibus Caroli Calvi, ubi caput istud reperitur descriptum, *secundum legem eam illi*. Apud Ivonem, *secundum legem & vvadios illi*. In uno codice regio legis Longobardorum: *rapuerit aut furatus fuerit, totum illi secundum legem cujus domus*. In alio: *rapuerit aut furatus fuerit, secundum legem illi debet & totum illi cujus domus*. Editio Nicolai Boherii, *secundum legem & totum illi*. Lindenbrogica, *secundum legem & euvam illi*.

(1) *Si quis messes.*) Vide capitula Caroli M. excerpta ex lege Longobardorum cap. 4.

(2) *Principis.*) Id est, Regis, ut explicat vetus nota in codice S. Remigii Remensis, quam exhibemus in Notis ad titulum nonum Caroli Calvi.

(3) *Heriscliz.*) Ita plerique codices antiqui. Alii habent *herisliz*, *hericliz*, *herisclit*. Beatus Rhenanus lib. 2. rerum Germanicarum pag. 94. *Deseruisse exercitum inter capitalia numerabatur. Id flagitium Franci vocabant herischlitz, quasi dicas exercitus scissionem.* Vide glossarium Pithœi ad libros Capitularium.

(4) *Roget.*) Ita omnia vetera exemplaria, uno Rivipullensi excepto, in quo legitur *cogat*. Hæc tamen lectio videtur esse melior, quia in lemmate scriptum est: *De non cogendo bibere in hoste*. Beatus Rhenanus in libro supra laudato pag. 95. agens de legibus Francorum: *Nemo militiæ socium suum aut quemlibet alium ad potandum invitato. Quod si quis ebrius repertus fuerit, ejectus quoad culpam agnoscat, aquam bibito.* Vide Notas ad Reginonem pag. 562. *Rogare* autem hic significat cogere, ut infra Addit. IV. cap. 17. *Nec omnino a quoquam respondere rogetur &c.*

De vassis adhuc in palatio servientibus, & tamen beneficia habentibus.

LXXIII. De vassis dominicis qui adhuc intra casam serviunt, & tamen beneficia habere noscuntur, statutum est ut quicunque ex eis cum Domno Imperatore domi remanserit, vassallos suos casatos secum non retineat, sed cum Comite cujus pagenses sunt ire permittat. *Ibid. c.* 7.

De præparatione ad hostem secundum antiquam consuetudinem.

LXXIV. Constitutum est ut secundum antiquam consuetudinem præparatio ad hostem facienda indicetur & observetur; id est, victualia de marcha ad tres menses, & arma atque vestimenta ad dimidium annum. Quod tamen ita observari placuit, ut his qui de Rheno ad Ligerim pergunt, de Ligere in antea ad tres menses computetur; & qui de Ligere ad Rhenum pergunt, de Rheno in antea ad tres menses victualia habere debeant. Qui autem trans Rhenum sunt, & ad Saxoniam pergunt, ad Albiam marcham esse sciant. Et qui trans Ligerim manent, atque in Hispaniam (1) proficisci debent, montes Pyrenæos marcham sibi esse cognoscant. *Ibid. c.* 8.

De hoc ut non nisi permissione regali brunia vel gladius homini extraneo a quolibet detur aut venundetur.

LXXV. Constitutum est ut neque Episcopus, neque Abbas aut Abbatissa, vel quilibet rector Ecclesiæ bruniam vel gladium sine nostro permissu cuilibet homini extraneo aut dare aut vendere præsumat, nisi tantum vassallis suis. Et si evenerit ut in qualibet Ecclesia vel sancto loco plures brunias habeant quam (2) ad homines rectoris ejusdem Ecclesiæ sufficiant, tunc Principem idem rector (3) Ecclesiæ interroget quid de his facere præcipiat. *Ibid. c.* 10.

De caussarum & litium terminis.

LXXVI. De termino caussarum & litium statuimus ut ex quo bonæ memoriæ Domnus Pippinus Rex obiit & nos regnare cœpimus, caussæ vel lites inter partes factæ atque exortæ discutiantur, & congruo sibi judicio terminentur. Prius vero, id est, ante obitum prædicti Domni Pippini Regis caussæ commissæ vel omnino non moveantur, vel salvæ usque ad nostram interrogationem reserventur. *Capit. III. a.* 812. *c.* 1.

De Episcopis, Comitibus, & potentioribus, si caussam inter se habuerint.

LXXVII. Ut Episcopi, Abbates, Comites, & potentiores quique, si caussam inter se habuerint, ac se pacificare noluerint, ad nostram jubeantur venire præsentiam; neque illorum contentio aliubi dijudicetur, ne propter hoc pauperum & minus potentium justitiæ remaneant. Neque ullus Comes palatii (4) nostri potentiorum caussas sine nostra jussione finire præsumat, sed tantum ad pauperum & minus potentium justitias faciendas sibi sciat esse vacandum. *Ibid. c.* 2.

De testibus ad rem quamlibet discutiendam eligendis.

LXXVIII. Ut quandocunque testes ad rem quamlibet discutiendam quærendi atque eligendi sunt, a Misso nostro & Comite in cujus ministerio de re qualicunque agendum est tales eligantur quales optimi in ipso pago (5) inveniri possunt: Et non liceat litigatoribus per præmia falsos testes adducere, sicut hactenus fieri solebat. *Ibid. c.* 3. *vid. infr. lib.* 5. *c.* 102. & 292.

De placito Centenarii.

LXXIX. Ut nullus homo in placito Centenarii neque ad mortem neque ad libertatem suam amittendam aut ad res reddendas vel mancipia judicetur; sed ista aut in præsentia Comitis vel Missorum nostrorum judicentur. *Ibid. c.* 4.

De inquisitione & descriptione uniuscujusque Missi in suo missatico.

LXXX. Ut Missi nostri diligenter inquirant & describere faciant unusquisque in suo missatico quid unusquisque de beneficio habeat, vel quot homines casatos in ipso beneficio. *Ibid. c.* 5.

De

(1) *Hispaniam.*) Id est, eam citerioris Hispaniæ partem quæ inter Pyrenæos, Mare mediterraneum, & fluvium Rubricatum habitatur. Ea quippe tum erat in regno Francorum, & Marca Hispanica dicebatur. In ea sunt præclaræ urbes Ausona, Barcino, Gerunda, Urgellis. Frotharius Episcopus Tullensis epist. 24. *Si in partes Hispaniæ propter custodiam & sollicitudinem me senior noster isto hyeme futuro destinare voluerit, vos ab illo servitio excusare me dignemini.* Hinc custodes marcæ Hispanicæ & limitis Hispanici in vetustis annalibus.

(2) *Quam.*) Plerique codices habent *quæ.*

(3) *Idem rector.*) In uno codice Sangallensi, in Thuano, & Camberonensi legitur, *id est, rectorem.* Sed hæc lectio bona non est.

(4) *Ullus Comes palatii.*) Bignonius in Notis ad Marculfum ex hoc loco & nonnullis aliis collegit plures Comites palatii uno eodemque tempore fuisse. Einhardus epistola XI. *Adalbardo & Gebuino Comitibus palatii.* Quod fuerit officium Comitis palatii explicat Hincmarus epistola 14. cap. 21. & libro Adalhardi de ordine palatii, qui nunc non extat.

(5) *In ipso pago.*) Ratio hujus constitutionis affertur in capite 23. libri quarti. Charta reclamatoria filii Richart ad Ludovicum Pium inter epistolas S. Bonifacii num. 115. *Multi enim testes de ipsis pagis super hac ipsa re adhiberi possunt qui hanc rem bene sciunt & eam detegere veraciter valebunt.*

De beneficiis, qualiter condricta sint.

LXXXI. Quomodo eadem beneficia condricta (1) sint; aut quis de beneficio suo alodem comparavit vel struxit. *Ibid. c. 6.*

De beneficiis Episcoporum, Abbatum, & reliquorum, & de fiscis regalibus describendis.

LXXXII. Ut non solum beneficia Episcoporum, vel Abbatum, Abbatissarum, atque Comitum, sive vassorum nostrorum, sed etiam fisci nostri describantur in breve, ut scire possimus quantum etiam de nostro in uniuscujusque legatione habeamus. *Ibid. c. 7.*

De legationibus propter justitias, quo tempore exerceantur.

LXXXIII. Volumus ut propter justitias quæ usque modo de parte Comitum remanserunt, quatuor tantum mensibus in anno Missi nostri legationes suas exerceant, id est, in hyeme Januario, in verno Aprili, in æstate Julio, in autumno Octobrio. Ceteris vero mensibus unusquisque Comitum placitum suum habeat & justitias suas faciat. Missi autem nostri quater in uno mense & in quatuor locis habeant placita sua cum illis Comitibus quibus congruum fuerit ut ad eum locum possint convenire. *Ibid. c. 8.*

De jussione dominica in quolibet missatico non adimpleta.

LXXXIV. Ut quicquid ille Missus in illo missatico aliter factum invenerit, quam nostra sit jussio, non solum illud emendare jubeat, sed etiam ad nos ipsam rem, qualiter ab eo inventa est, deferat. *Ibid. c. 9.*

De censu regali inquirendo.

LXXXV. Ut Missi nostri census nostros perquirant diligenter, undecunque antiquitus ad partem Regis exire solebant. Similiter & freda. Et nobis renuntient, ut nos ordinemus quid de his in futurum fieri debeat. *Ibid. c. 10.*

De rebus de quibus census ad partem Regis exire solebat.

LXXXVI. Ut de rebus unde census ad partem Regis exire solebat, si ad aliquam Ecclesiam traditæ sunt, aut reddantur propriis heredibus, aut qui eas retinuerit, illum censum persolvat. *Ibid. c. 11.*

De placitis a Missis dominicis Comitibus notum faciendis.

LXXXVII. Ut unusquisque Missorum nostrorum in placito suo notum faciat Comitibus qui ad ejus missaticum pertinent, ut in illis mensibus quibus ille legationem suam non facit, conveniant inter se & communia placita faciant, tam ad latrones distringendos quam ad ceteras justitias faciendas. *Ibid. c. 12.*

De fidelitate Regis promittenda.

LXXXVIII. Ut Missi nostri populum nostrum iterum nobis fidelitatem promittere faciant secundum consuetudinem jamdudum ordinatam, & ipsi aperiant & interpretentur illis hominibus qualiter ipsum sacramentum & fidelitatem erga nos servare debeant. *Ib. c. 13.*

De homicidiis infra patriam factis.

LXXXIX. (2) Ut homicidia infra patriam, sicut in lege Domini interdictum est, nec caussa ultionis nec avaritiæ nec latrocinandi fiant. Et ubicunque inventum fuerit, a judicibus nostris secundum legem ex nostro mandato vindicentur. Et non occidatur homo nisi lege jubente. *Capit. I. a. 789. c. 65.*

De mensuris & ponderibus.

XC. Ut æquales mensuras (3) & rectas & pondera justa & æqualia omnes habeant, sive in civitatibus, sive in monasteriis, sive ad dandum invicem, sive ad accipiendum, sicut in lege Domini præceptum habemus. *Ibid. c. 72.* (4)

De pace in hoste vel infra patriam.

XCI. Constituimus (5) ut si in hoste aut in-

(1) *Condricta.*) Quidam codices habent *constructa*.

(2) Caput istud & sequens in editionibus Tilii, Pithœorum, & Lindenbrogii leguntur post caput 64. & 69. libri primi. Nos illa inde sustulimus, quia non extant in hoc loco in antiquis libris, sed in fine libri tertii, ut in hac editione nostra. Ex eodem libro tertio citat Regino librum 2. cap. 75. & 427. ubi vide Notas. Ivo tamen parte 10. cap. 41. postremam partem istius capitis refert ex lib. 1. Capitularium cap. 64. Quod indicat Ivonem habuisse collectionis Ansegisi exemplar, in quo caput istud repositum erat in libro 1. Sane in libro Bellovacensi, in uno Sangallensi, in Camberonensi, & in Metensi S. Vincentii caput de homicidiis conjungitur cum capite 64. libri primi, caput vero de mensuris cum cap. 69. ejusdem libri.

(3) *Ut æquales mensuras.*) Vide Concilium Calchutense cap. 17. & Concilium Parisiense VI. libro 1. cap. 51. & lib. 3. cap. 13. & Addit. II. cap. 20.

(4) Post caput istud sequitur in codice Palatino, in uno Vaticano, in Metensi, & in Camberonensi caput *Ut de rebus Ecclesiarum &c.* quod habetur in Additione IV. cap. 171. Præterea in Metensi descriptum est in fine libri istius caput *Pervenit ad nos &c.* quod extat infra lib. 5. cap. 279.

(5) *Constituimus.*) Caput istud in nullo eorum exemplarium extat quæ nos vidimus præterquam in Bellovacensi; in quo tamen descriptum non est eodem tempore quo superiora, neque eodem atramento, quamvis manu ejus, ut reor, scriptum sit qui codicem integrum confecit.

infra regnum nostrum litigatio aut scandalum inter quascunque personas, videlicet majores, & minores, ortum fuerit, quod frequenter insidiante diabolo contingere solet, ut ibi fideles sanctæ Dei Ecclesiæ & nostri ob resistendam impietatis malitiam armati veniant, id est, qui potest habere, cum lorica & scuto, ancipite atque fuste. Et si aliquis quælibet persona adversus eum quamlibet querelam habere voluerit, liceat ei secundum legis ordinem cum sacramento quod posuimus manu propria singula (1) se idoneum facere, ut propter quodlibet negotium aut odium ibi non advenisset nisi ob concordiam & pacem ferendam & ipsam litigationem mitigandam. Et si quislibet renuerit venire, & semetipsum idoneum facere nequiverit, cum supradicto jam sacramento bannum nostrum componat & ad partem nostram persolvat.

EXPLICIT LIBER TERTIUS.

LIBER QUARTUS.

INCIPIT QUARTI PRÆFATIUNCULA LIBELLI.

QUia supra in duobus ecclesiastica quæ præfati Principes Domnus Imperator Karolus & piissimus Hludouvicus Augustus ediderunt capitula descripsi libellis, in tertio vero ad mundanam pertinentia legem quæ Domnus Karolus Imperator fecit congessi, nunc jam in quarto illa ad mundanæ augmentum legis pertinentia quæ præclarissimus Domnus Hludouvicus Augustus fecit capitula adunavi libello.

INCIPIUNT CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

De servis per contumaciam alicui vim inferentibus.

I. SI servi per contumaciam collecta multitudine alicui vim intulerint, id est, aut homicidium aut incendium aut qualiumcunque rerum direptiones (2) fecerint, domini quorum negligentia hoc evenit, pro eo quod eos constringere noluerunt ut talia facere non auderent, bannum nostrum, id est, sexaginta solidos solvere cogantur (3).

De rebus vel mancipiis a fisco regali occupatis.

II. De rebus sive mancipiis quæ dicuntur a fisco nostro esse occupata, volumus ut Missi nostri inquisitionem faciant sine sacramento per veraciores homines pagi illius circummanentes, & quicquid de hac caussa verius ac certius investigare potuerint, ad nostram faciant pervenire notitiam, ut nos tunc definiamus quicquid nobis justum esse videatur.

De servis vel ecclesiasticis vel quorumlibet hominum in fiscum regalem confugientibus.

III. Si servi (4) vel ecclesiastici vel quorumlibet liberorum hominum in fiscum nostrum confugerint, & a dominis vel advocatis eorum repetiti fuerint, si actor fisci nostri intellexerit quod eos juste non possit tenere ad nostrum dominium, ejiciat illos de eodem fisco, & recipiant eos domini eorum. Et si eidem actori visum fuerit quod ad nostrum debeant pertinere dominium, expellat eos de eodem fisco. Et postquam ab eisdem repetitoribus fuerint recepti, habeat cum eis legitimam actionem; & sic eos, si poterit, ad nostram evindicet possessionem.

De vassis dominicis ad marcham custodiendam constitutis.

IV. De vassis nostris qui ad marcham nostram constituti sunt custodiendam (5), aut in longinquis regionibus sua habent beneficia vel res proprias, vel etiam nobis assidue in palatio nostro serviunt, & ideo non possunt affi-

(1) *Manu propria singula.*) Id est, absque conjuratoribus, absque consacramentalibus. Frustra igitur alii *in singulis* hoc loco reposuerunt pro eo quod in veteri codice scriptum est *singula*.

(2) *Qualiumcunque rerum direptiones.*) In lege Longobardorum legitur, *qualecunque damnum*.

(3) *Solvere cogantur.*) In veteribus libris legis Longobardorum legitur ut isthic. In editione vero Boherii, *bannum nostrum solvere cogantur*. Apud Lindenbrogium vero, *bannum nostrum solvere cogantur, id est, LX. sol. componant*. In uno codice regio, post vocem *cogantur* additum est a manu recentiore, sed tamen antiqua, *& insuper damnum aut homicidium componat*.

(4) *Si servi.*) Vide infra cap. 41.

(5) *Marcham custodiendam.*) Annales Fuldenses ad annum DCCCLXIX. *tutores partium illarum*.

assidua custodire placita; quam rem volumus ut Missi nostri vel Comes nobis notam faciant, & nos faciemus ut ad eorum placita veniant (1).

De Comitibus ad custodiam maritimam deputatis.

V. Volumus ut Comites qui ad custodiam maritimam (2) deputati sunt, quicunque ex eis in suo ministerio residet, de justitia facienda se non excuset propter illam custodiam; sed si ibi secum suos Scabineos habuerit, ibi placitum teneat & justitiam faciat.

De his qui propter incestum res proprias amiserunt.

VI. De his qui se dicunt propter incestum (3) res proprias amisisse, constitutum est ut si ante proximum quinquennium, quando placitum nostrum habuimus in Compendio, easdem res amiserint, non eis restituantur.

De conjurationibus servorum in Flandris & in Mempisco & in ceteris maritimis locis.

VII. De conjurationibus servorum (4) quæ fiunt in Flandris & Mempisco (5) & in ceteris maritimis locis, volumus ut per Missos nostros indicetur dominis servorum illorum ut constringant eos ne ultra tales conjurationes facere præsumant. Et ut sciant ipsi eorundem servorum domini quod cujuscunque servi hujuscemodi conjurationes facere præsumpserint postquam eis hæc nostra jussio fuerit indicata, bannum nostrum, id est, sexaginta solidos ipse dominus persolvere debeat.

De his qui in littore maris salem faciunt.

VIII. De terra in littore maris, ubi salem faciunt (6), volumus ut aliqui ex eis veniant ad placitum nostrum, & ratio eorum audiatur, ut tunc secundum æquitatem inter eos definire valeamus.

De uxoribus defunctorum, quam partem conlaborationis post obitum maritorum accipere debeant.

IX. Volumus ut uxores defunctorum post obitum maritorum tertiam partem conlaborationis (7) quam simul in beneficio conlaboraverunt accipiant. Et de his rebus quas is qui illud beneficium habuit aliunde adduxit vel comparavit, vel ei ab amicis suis conlatum est, has volumus tam ad orphanos defunctorum quam ad uxores eorum pervenire.

De aggeribus juxta Ligerim faciendis.

X. De aggeribus juxta Ligerim faciendis, ut bonus Missus eidem operi præponatur. Et hoc Pippino (8) per nostrum Missum mandetur, ut & ille ad hoc Missum ordinet, quatinus prædictum opus perficiatur.

De duodecim pontibus super Sequanam restaurandis.

XI. De duodecim pontibus super Sequanam restaurandis (9), volumus ut hi pagenses qui eos facere debent, a Missis nostris admoneantur ut eos celeriter restaurent, & ut eorum vanæ contentioni non consentiant quando dicunt se non aliubi eosdem pontes facere debere nisi ubi antiquitus fuerant, sed

(1) *Ad eorum placita veniant.*) Nimirum vassi dominici. Et sane in chartis judiciorum per illa tempora actitatorum videmus nomina vassorum posita post nomina Missorum & Comitum, ut in charta de controversia quæ erat inter Agilmarum Archiepiscopum Viennensem & Wigericum Comitem. Acta S. Aldrici Episcopi Cenomanensis: *Præcepit hanc justitiam inquirere ab Ebroino Pictaviensis urbis Episcopo & Rorigoni Comiti & Altmaro Seneschalco Domnæ Judith Imperatricis & Misso palatino, una cum aliis vassis dominicis.*

(2) *Ad custodiam maritimam.*) Beatus Rhenanus libro 2. rerum Germanicarum pag. 94. *Erant præterea Comites ad custodiam maritimam, item ad marcam tuendam deputati, quos hodie Marchiones vocamus.* Eginhardus epist. 22. *ad custodiam maritimam fuerunt.*

(3) *Propter incestum.*) Hæc lectio constans est in omnibus antiquis exemplaribus, nisi quod in Rivipullensi legitur *incertum*. Veteres librarii interdum permutabant hæc vocabula; ut in titulo XXXI. Capitulorum Caroli Calvi cap. 5. *interdum etiam incestam propinquam suam*; pro quo in codice S. Vincentii Metensis scriptum est *incertam*. Et in decretione Childeberti Regis cap. 2. pro eo quod illic recte legitur *incestum usum sibi societ conjugio*, veteres libri Remensis & Bellovacensis habent *incertum*. Sed ut ad rem nostram redeamus, certum est hic legendum esse uti nos edidimus. Vide glossarium Francisci Pithœi ad libros Capitularium in verbo *Reclamare*.

(4) *De conjurationibus servorum.*) Beatus Rhenanus libro 2. rerum Germanicarum pag. 94. *De conjuratione servorum in Flandris, Mempisco, & ceteris ad mare locis facta meminerunt leges Francorum.*

(5) *Mempisco.*) Charta Caroli Calvi pro monasterio S. Bavonis apud Miræum in codice donationum piarum pag. 73. *In pago Mempisco, in villa Helsca*; ubi Miræus conjicit Helscam fortasse intelligi debere de vico agri Alostani cui *Esche* nomen est. Andreas Catullius in Tornaco Nerviorum pag. 18. contendit Menapios sive Mempiscos partim in diœcesi Tornacensi fuisse, partim in Morinensi.

(6) *Ubi salem faciunt.*) Hieremias in epistola ad Frotharium Episcopum Tullensem, quæ est vigesima septima inter epistolas ejusdem Frotharii: *Contigit in nostra provincia præsenti anno sal fore carissimum, eo quod propter pluvias in areis maritimis, ubi fieri solebat, non potuisset perfici.*

(7) *Partem conlaborationis.*) Vide legem Ripuariorum tit. 37. cap. 2. & Alteserram lib. 3. rerum Aquitanicar. cap. 18.

(8) *Pippino.*) Regi Aquitaniæ, Pii filio.

(9) *Restaurandis.*) Hæc vox addita est ex plurimis antiquis Ansegisi exemplaribus. Eam tamen non habent Vaticana, neque Palatinum. Deest quoque in Rivipullensi, Tiliano, Divionensi, Metensi, Bellovacensi, tum etiam in editione Basileensi.

ibi ubi nunc necesse est eosdem pontes facere jubeantur.

De omnibus pontibus faciendis.

XII. De omnibus pontibus per regnum nostrum faciendis in commune Missi nostri admoneant, ut ab ipsis restaurentur qui eos facere solebant.

De honore Ecclesiarum.

XIII. Si quis aut ex levi caussa aut sine caussa hominem in Ecclesia interfecerit, de vita componat. Si vero foris rixati fuerint, & unus alterum in Ecclesia fugerit, & ibi se defendendo eum interfecerit, & si hujus facti testes non habuerit, cum duodecim conjuratoribus legitimis per sacramentum affirmet se defendendo eum interfecisse, & post hæc sexcentos solidos ad partem Ecclesiæ, quam illo homicidio polluerat, & insuper bannum nostrum solvere cogatur; is vero qui interfectus est, absque compositione jaceat; ac deinde interfector secundum judicium canonicum congruam facinori quod admisit pœnitentiam accipiat (1). Si proprius servus hoc commiserit, judicio aquæ ferventis (2) examinetur utrum hoc sponte an se defendendo fecisset. Et si manus ejus exusta fuerit, interficiatur. Si autem non fuerit, dominus ejus juxta quod wirgildus illius est ad Ecclesiam persolvat, aut eum, si voluerit, eidem Ecclesiæ tradat. De ecclesiastico (3) & fiscalino & beneficiario servo volumus ut pro una vice wirgildus ejus pro eo componatur, altera vice ipse servus ad supplicium tradatur. Hereditas tamen liberi hominis qui propter tale facinus ad mortem fuerit judicatus, ad legitimos heredes illius perveniat. Si in atrio Ecclesiæ, cujus porta reliquiis sanctorum consecrata est (4), hujusmodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur vel componatur. Si vero porta Ecclesiæ non est consecrata, eo modo componatur quod in atrio committitur, sicut componi debet quod in immunitate violata committitur. *Capitul. I. a. 819. c. 1.*

De injuriis sacerdotum vel quorumlibet ex clero in Ecclesia factis.

XIV. Sanguinis effusio (5) in Ecclesia facta cum fuste (6), si Presbyter fuerit, triplo componatur, duas partes eidem Presbytero, tertia pro fredo ad Ecclesiam & insuper bannus noster. Similiter de Diacono juxta compositionem ejus in triplo cum banno nostro componatur. De Subdiacono similiter in triplo secundum suam compositionem. Et de uniuscujusque (7) ordinis Clerico secundum suam compositionem in triplo persolvatur, & insuper bannus noster. Similiter & de ictu sine sanguinis effusione de uniuscujusque ordinis Clerico secundum suam compositionem in triplo, & bannus noster. Et qui non habet unde ad Ecclesiam persolvat, tradat se in servitium eidem Ecclesiæ usque dum totum debitum persolvat. *Ibid. c. 2.*

De solutione occisi Presbyteri.

XV. Presbyteri (8) interfecti (9) Episco-

(1) *Pœnitentiam accipiat.*) In codice Rivipullensi ista statim adduntur; *id est*, XXI. *annis*, VII. *ex his in pane & aqua ad ostium Ecclesiæ satisfaciat, remotus ab oratione & communione fidelium, ceteros septem societur orationi fidelium; transactos qui supersunt* VII. *communionem plenam perfecte subsequatur. Abstinentia ejus sacerdotali providentia temperetur. Si proprius servus &c.* Itaque ista sunt ex glossemate.

(2) *Judicio aquæ ferventis.*) Vide legum Wisigothorum lib. 6. tit. 1. cap. 3.

(3) *De ecclesiastico.* Integra hæc clausula usque ad vocem *tradatur* deest in codicibus Sangallensibus, in Thuano, Colbertino, Camberonensi.

(4) *Cujus porta ..., consecrata est.*) Ista non extant in codice Colbertino neque in Camberonensi. Necessaria tamen sunt.

(5) *Sanguinis effusio.*) Nota marginalis in uno codice regio legis Longobardorum: *Hæc lex Salica censetur per hoc quod dicit Ecclesiis secundum suam legem debere componi, cum lex Salica solum super hoc loquatur.* Respicit hæc nota ad caput 85. legis Salicæ.

(6) *Cum fuste.*) Ita omnia vetera Ansegisi exemplaria & omnes editiones. Ita etiam legitur in ipso Capitulari, tum etiam in titulo quarto Capitulorum Lotharii cap. 2. & apud Reginonem. In codice tamen legis Longobardorum scriptum est *cum furore*, non solum in libris editis, sed etiam in manuscriptis. Ea mutatio inducta est ex legibus Regum Longobardorum. Rex Rachis lib. 3. tit. 9. cap. 26. *Et si ipse neglexerit, & furore accepto eum battiderit, aut, quod absit, eum occiderit.* Liutprandus in edicto anni XIX. cap. 7. & lib. 1. tit. 16. cap. 4. *Si quis furore accepto battiderit hominem liberum aut mulierem liberam &c.* Itaque furor in his legibus significat fustem.

(7) *Et de uniuscujusque.*) Hæc usque ad *bannus noster* desunt in veteribus libris Colbertino, Thuano, Camberonensi, in duobus Sangallensibus, & in codice legis Longobardorum,

(8) *Presbyteri interfecti.*) Caput istud non extabat haud dubie in prima editione Capitularium quam fecit Ansegisus, cum in plerisque vetustis exemplaribus non reperiatur. Preterea Ludovicus Pius in Capitulari anni DCCCXXIX. tit. 2. cap. 1. & 7. referens cap. 32. & 38. istius libri, trigesimum & trigesimum sextum vocat; quia inter Capitula libri quarti non numerabat decimum quintum neque vigesimum sextum. Istud vero non extitisse in codice Ecclesiæ Trevirensis hinc colligitur quod Brouverus in apparatu ad annales Trevirorum cap. 10. describens caput *Si quis res suas*, quod decimum nonum est in hac editione nostra, decimum octavum esse ait in codice Ms. primariæ Ecclesiæ Trevirensis. Itaque hæc duo capitula, quæ reperiuntur in codice Pithœano, Parisiensi, Normannico, & Remensi, sunt repetitæ editionis. Certe antiquitus inserta fuisse libro quarto probatur auctoritate Capitulorum Caroli Calvi, qui tit. XXXVI. cap. 8. 13. 28. & tit. XLV. cap. 3. nonnulla istius libri capita laudat secundum numeros editioni posteriori affixos. In codice Divionensi, in quo caput istud descriptum reperitur, cap. 26. *Homo de statu suo &c.* omissum est.

(9) *Presbyteri interfecti.*) Regino caput istud

ſcopo ad cujus parrochiam pertinent ſolvantur ſecundum Capitulare (1) glorioſi Karoli genitoris noſtri, ita videlicet ut medietatem wirgildi ejus Epiſcopus utilitatibus Eccleſiæ, cui præfuit, tribuat, & alteram medietatem in eleemoſyna illius juſte diſpertiat. Quia nullus nobis ejus heres proximior videtur, quam ille qui ipſum Domino ſociavit (2). *Habetur rurſum infra lib. 5. c. 186.*

De viduis, pupillis & pauperibus.

XVI. Præcipimus (3) ut quandocunque in mallum ante Comitem viduæ, pupilli & pauperes venerint, primo eorum cauſſa audiatur & definiatur. Et ſi teſtes per ſe ad cauſſas ſuas quærendas habere non potuerint, vel legem neſcierint, Comes illos vel illas adjuvet, dando eis talem hominem qui rationem eorum teneat vel pro eis loquatur. *Ib. c. 3.*

De raptu viduarum.

XVII. Qui viduam (4) intra primos triginta dies viduitatis ſuæ vel invitam vel volentem ſibi copulaverit, bannum noſtrum, id eſt, ſexaginta ſolidos, in triplo componat. Et ſi invitam eam duxit, legem ſuam ei componat, illam vero ulterius non attingat. *Ibid. c. 4.*

De homine publicam pœnitentiam agente interfecto.

XVIII. Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum noſtrum in triplo componat, & wirgildum ejus proximis ejus perſolvat. *Ibid. c. 5.*

De homine libero, ut poteſtatem habeat ubicunque voluerit res ſuas dare, & qualiter hoc facere debeat.

XIX. Si quis res ſuas (5) pro ſalute animæ ſuæ vel ad aliquem venerabilem locum, vel propinquo ſuo, vel cuilibet alteri tradere voluerit, & eo tempore intra ipſum comitatum fuerit in quo res illæ poſitæ ſunt, legitimam traditionem facere ſtudeat. Quod ſi eodem tempore quo illas tradere vult, extra eundem comitatum fuerit, id eſt, ſive in exercitu, ſive in palatio, ſive in alio quolibet loco, adhibeat ſibi vel de ſuis pagenſibus, vel de aliis qui eadem lege vivunt qua ipſe vivit, teſtes idoneos, vel ſi illos habere non potuerit, tunc de aliis quales ibi meliores inveniri potuerint, & coram eis rerum ſuarum traditionem faciat; & fidejuſſores (6) veſtituræ donet (7) ei qui illam traditionem accipit, ut veſtituram faciat. Et poſtquam hæc traditio ita facta fuerit, heres illius nullam de prædictis rebus valeat facere repetitionem. Inſuper & ipſe per ſe fidejuſſionem faciat ejuſdem veſtituræ, ne heredi ulla occaſio remaneat hanc traditionem immutandi, ſed potius neceſſitas incumbat illam perficiendi. Et ſi nondum res ſuas cum coheredibus ſuis diviſas habuit, non ei hoc ſit impedimento; ſed coheres ejus, ſi ſponte noluerit, aut per Comitem aut per Miſſum ejus diſtringatur ut diviſionem cum illo faciat ad quem defunctus hereditatem ſuam voluit pervenire. Et ſi cuilibet Eccleſiæ eam tradere rogavit, coheres ejus eam legem cum illa Eccleſia de prædicta

---

ſtud refert ex libro ſecundo Capitularium. Sane in uno codice Vaticano, in Bellovacenſi, Metenſi, & Camberonenſi reperitur in fine libri ſecundi, qui illud non habent in quarto. Vide porro quæ de iſto capite dicta ſunt in Notis ad Reginonem pag. 581. & in Notis ad Gratianum.

(1) *Secundum Capitulare.*) Burchardus, qui caput iſtud tribuit Concilio Triburienſi, clauſulam iſtam omiſit, ne quis animadvertere poſſet illud ſumptum eſſe ex Capitularibus Regum Francorum. Itaque qui eam clauſulam non habent Ivo & Gratianus, ii decepti a Burchardo ſunt.

(2) *Quam ille . . . ſociavit.*) Hæc deſunt in codice Pariſienſi & in Pithœano, & abſque iis nihilo minus conſtat ſenſus. Habentur tamen in Normannico, Remenſi, Divionenſi, & apud Iſaacum, Burchardum, Ivonem, & Gratianum.

(3) *Præcipimus.*) Joachimus Vadianus lib. 1. de collegiis monaſteriiſque Germaniæ veteribus pag. 22. *Extat præclara Ludovici Pii ſanctio, qua jubebat ut in mallis & placitis primum omnium viduæ, pupilli, & pauperes audirentur, & ſi ad cauſam agendam inhabiles eſſent, datis patronis juvarentur.*

(4) *Qui viduam.*) Nota marginalis in uno codice regio legis Longobardorum: *Hæc lex de Longobarda tantum loquitur. Sed ſi intelligatur de Romana, rumpit legem Romanam, cum per hujus legis intellectum poſt triginta dies poſſit nubere, illa poſt annum.* Item nota marginalis in alio codice regio: *Si vidua Romana eſt, raptor omnem ſubſtantiam ſuam perdat; & femina ſubſtantiam ipſam habeat, ſi ipſa non conſenſit. Si vero vidua Longobarda eſt,* DCCCC. *ſolidos componat, ut dicit lex Liutprandi, Si quis rapuerit qualemcumque feminam, tit. De raptu.* Ea extat lib. 1. legis Longobardorum tit. 30. cap. 11.

(5) *Si quis res ſuas.*) Vetus nota marginalis in uno codice regio legis Longobardorum: *Ex eo quod prædicta lex, Si quis Longobardus, donatorem poteſtatem aliquam de rebus ipſis conſervare pacto vetuerat, intellectus duo concipiuntur, quorum alterius occaſione facta fuit hæc conſtitutio. Cum enim aliquis religioſis locis res ſuas donans ſibi poteſtatem ſecundum aliqua reſervabat, eo defuncto ejus heredes, quaſi contra legem donatione facta, eoque invalida, res donatas revocabant. Ad quod evitandum Lotharius iſtud quaſi generale rebus religioſis indulſit ut hoc quoque pacto facta donatio rata permaneat. Ac per hoc ſi non ſpecialis in locis religioſis judicetur, ſuperior ad hanc trahenda dicetur. Sed alia ſententia ſecundum alium intellectum ex hac lege colligitur. Erit & hujus ſuperioris legis diverſitatis facilis inſpectio.*

(6) *Et fidejuſſores . . . faciat.*) Hæc deſunt in libris Sangallenſibus, Colbertino, Thuano, & Camberonenſi. Deſunt etiam apud Ivonem.

(7) *Fidejuſſores donet.*) Vetus nota marginalis in eodem codice regio: *Hic notari poteſt quod ex ſola traditione quæ fit per inveſtituram non transfertur dominium. Si enim transfertur, cum huc per inveſtituram traditio facta fuiſſet, eoque factus dominus, qua occaſione ab heredibus vexari poterat?*

cta hereditate habeat quam cum alio coherede suo habere debebat. Et hoc observetur erga patrem & filium & nepotem usque ad annos legitimos, & postea ipsæ res ad immunitatem ipsius ecclesiæ redeant. *Ibid. c. 6.*

De homicidiis prohibendis.

XX. Quicunque hominem aut ex levi caussa aut sine caussa interfecerit, wirgildum ejus (1) his ad quos ille pertinet componat. Ipse vero propter talem præsumptionem in exilium mittatur ad quantum tempus nobis placuerit. Res tamen suas non amittat. *Ibid. c. 7.*

De hoc quod in compositionem wirgildi dari debeat.

XXI. In compositionem wirgildi volumus ut ea dentur quæ in lege (2) continentur; excepto accipitre (3) & spatha: quia propter illa duo aliquoties perjurium committitur, quando majoris pretii quam illa sint esse jurantur. *Ibid. c. 8.*

De raptu alienarum sponsarum.

XXII. Si quis sponsam alienam rapuerit, aut patri ejus, aut ei qui legibus ejus defensor esse debet, cum sua lege (4) eam reddat; & quicquid cum ea tulerit, semotim unamquamque rem secundum legem reddat. Et si hoc defensor ejus perpetrari consenserit, & ideo raptori nihil quærere voluerit, Comes singulariter de unaquaque re freda nostra ab eo exactare faciat. Sponso vero legem suam componat, & insuper bannum nostrum, id est, sexaginta solidos solvat; vel in præsentiam nostram Comes eum advenire faciat, & quanto tempore nobis placuerit in exilio maneat, & illam feminam ei habere non liceat. *Ibid. c. 9.*

De falsis testibus convincendis.

XXIII. Si quis cum altero (5) de qualibet caussa contentionem habuerit, & testes contra eum per judicium producti fuerint, si ille falsos eos (6) esse suspicatur, liceat ei alios testes (7), quos meliores potuerit, contra eos opponere, ut veracium testimonio falsorum testium perversitas superetur. Quod si ambæ partes testium ita inter se dissenserint ut nullatenus una pars alteri cedere (8) velit, eligantur duo ex ipsis, id est, ex utraque parte unus, qui cum scutis & fustibus (9) in campo decertent, utra pars falsitatem, utra veritatem suo testimonio sequatur. Et campioni qui victus fuerit, propter perjurium quod ante pugnam commisit, dextera manus amputetur. Ceteri vero ejusdem partis testes, qui falsi apparuerint, manus suas redimant. Cujus compositionis duæ partes ei contra quem testati sunt dentur, tertia pro fredo solvatur. Et in seculari quidem caussa hujuscemodi testium diversitas campo comprobetur. In ecclesiasticis autem caussis, ubi de una parte seculare, de altera vero ecclesiasticum negotium est, idem modus observetur. Ubi vero ex utraq e parte ecclesiasticum (10) fuerit, rectores earundem

(1) *Wirgildum ejus.*) Eginhardus epist. 18. *Duo servi Sancti Martini fugerunt ad limina beatorum Christi martyrum pro eo quod frater eorum quendam socium suum occidisset, rogantes ut eis liceat solvere illum Weregeldum pro fratre suo & ut ei membra perdonentur.* Vide glossari in Spelmanni & Vossium in libro secundo de vitiis sermonis pag. 324.

(2) *In lege.*) *Id est, in usu*, ut ait glossa interlinearis in utroque codice regio.

(3) *Accipitre.*) Ita omnes veteres. Et tamen hæc lectio falsa est. Itaque legendum *ancipite*, ut supra lib. 3. cap. 91. In uno codice regio legis Longobardorum scriptum est *ancipitem*, in editione Boherii *ancipitre*. Hinc itaque confirmatur nostra emendatio.

(4) *Cum sua lege*) *Id est, cum pœna* DCCCC. *solidorum*, ut ait glossa in uno codice regio legis Longobardorum. Sed apertius alia glossa: *id est, cum* DCCCC. *solidis, per legem Rotharis, Si quis puellam aut viduam sponsam alterius.* Rotharis lex extat in libro primo legis Longobardorum tit. 30. cap. 3.

(5) *Si quis cum altero.*) Vide capitula Ludovici Pii excerpta ex lege Longobardorum cap. 3.

(6) *Si ille falsos eos.*) Gesta Sancti Aldrici Episcopi Cenomanensis, eo loco ubi agitur de placito Aquisgrani habito anno DCCCXXXVIII. in quo Ludovicus Pius monasterium Sancti Carilephi restituit eidem Aldrico Episcopo: *Testantur etiam supra memorati testes quod omnes Episcopi qui in dicta civitate a tempore Sancti Innocentis Episcopi, secundi successoris videlicet Sancti Victurii, & a tempore Sancti Karilephi fuerunt, prædictum monasterium subjectum habuissent. Et hoc si aliqui testes contra se venerint, falsos eos, qualiter præceperitis, facere posse testantur.*

(7) *Liceat ei alios testes.*) Hujus legis usum reperio in notitia judicii pro monasterio Cuxanensi adversus Riculfindum mandatarium Salomonis Comitis anno MCCCLXIX. ubi idem Ricosindus ait: *Sic me ... Recosindus alterrogatione judicum quod non possum diffamare ipsos testes & ipsas scripturas, nec testes ampliores nec meliores ut legibus convincere possim ut beneficius debeat esse nec per scripturas nec per nullum judicium veritatis.*

(8) *Alteri cedere.*) Narratio de controversia quæ Caroli M. ævo fuit inter clerum & populum Veronensem, edita in tomo quinto Italiæ sacræ pag. 610. *Cumque in hac contentione diu immorarentur, & neutra pars alteri cederet, tandem habito consilio pacti sunt ut hæc Dei & sancti Spiritus reservarentur judicio, eligentes duos juvenes Clericos sine ullo crimine existimatos &c.*

(9) *Cum scutis & fustibus.*) Vide Sirmondum in Notis ad Goffridum Vindocinensem.

(10) *Ex utraque parte ecclesiasticum.*) Hoc loco abusi sunt Joannes Episcopus Pinnensis & Adam Abbas Casauriensis anno DCCCCLXIX. in literis, quibus invicem commutarunt curtes de Saliano & de Suffiano: *Et iterum Domnus Ludovicus Imperator in sua capitula affixit ut ubi ex utraque parte ecclesiasticum fuisset, rectores earundem Ecclesiarum, si se familiariter pacificare velint, licentiam habeant.* Itaque hanc commutationem postea vocant pacificationem & familiaritatis pacificationem, ut hac arte eludant vim legis, quæ vetat ne commutationes rerum ecclesiasticarum fiant absque auctoritate Principis.

dem Ecclesiarum si se familiariter pacificare velint, licentiam habeant. Si autem de hujuscemodi pacificatione inter eos convenire non possint, advocati eorum in mallo publico ad præsentiam Comitis veniant, & ibi legitimus terminus eorum contentionibus imponatur. Testes vero de qualibet caussa non aliunde quærantur nisi de ipso comitatu in quo res unde caussa agitur positæ sunt: quia non est credibile ut vel de statu hominis vel de possessione cujuslibet per alios melius rei veritas cognosci valeat quam per illos qui viciniores sunt. Si tamen contentio quæ inter eos exorta est in confinio (1) duorum comitatuum fuerit, liceat eis de vicina centena adjacentis comitatus ad caussam suam testes habere. *Ibid. c.* 10.

De proprio in bannum misso.

XXIV. Cujuscunque hominis proprietas ob crimen aliquod quod idem habet commissum in bannum fuerit missa, & ille, re cognita, ne justitiam faciat, venire distulerit, annumque ac diem in eo banno illam esse permiserit, alterius eam non adquirat, sed ipsa fisco nostro societur. Debitum vero quod is cujus ea fuit solvere debuit, per Comitem ac ministros ejus juxta æstimationem damni, de rebus mobilibus quæ in eadem proprietate inventæ fuerint, his quibus idem debitor fuit exsolvatur. Quod si rerum mobilium ibidem inventarum tantitas ad compositionem non suffecerit, de immobilibus suppleatur; & quod superfuerit, sicut dictum est, fiscus noster possideat. Si nihil super compositionem remanere potuerit, totum in illam expendatur. Si autem homo ille nondum cum suis coheredibus (2) proprium suum divisum habuit, convocet eos Comes, & cum eis legitimam divisionem faciat; & tunc, sicut jam dictum est, partem ejus fisco nostro addicat; & compositionem de ea juxta modum superius comprehensum his ad quos illa legibus pertinet exsolvat. Quod si non de alia re, sed de ipsa proprietate quæ in bannum missa fuit, ac per hoc in nostram potestatem redacta est, fuerat interpellatus, Comes in cujus ministerio eam esse constiterit hoc ad notitiam nostram perferre curet, ut nos eandem proprietatem, quæ secundum supradictum modum in nostrum dominium redacta est, per præcepti nostri auctoritatem in jus & potestatem hominis qui eam quærebat, si sua debet esse, faciamus pervenire. *Ibid. c.* 11.

De mannire.

XXV. Si quis de statu suo (3), id est, de libertate vel de hereditate, compellandus est, juxta legis constitutionem manniatur. De ceteris vero caussis unde quis rationem est redditurus, non manniatur, sed per Comitem banniatur. Et si post unam & alteram Comitis admonitionem aliquis ad mallum venire noluerit, rebus ejus in bannum missis venire & justitiam facere compellatur. *Ibid. c.* 12.

Qualiter de statu suo pulsatus evindicet libertatem suam.

XXVI. Homo de statu suo pulsatus, si is qui eum pulsat ad convincendum illum procinctum habuerit, adhibeat sibi octo conjuratores legitimos ex ea parte unde pulsatur, sive illa paterna sive materna sit, & quatuor aliunde non minus legitimos, & jurando vindicet libertatem suam. Quod si procinctus defuerit, adsumat undecunque duodecim liberos homines, & jurando ingenuitatem suam defendat. Omnis controversia (4) coram Centenario definiri potest; excepta redditione terræ & mancipiorum, quæ non nisi coram Comite fieri potest.

De faidis coercendis.

XXVII. Si quis aliqua necessitate cogente homicidium commisit, Comes in cujus ministerio res perpetrata est, & compositionem solvere, & faidam per sacramentum pacificare faciat. Quod si una pars ei ad hoc consentire noluerit, id est, aut ille qui homicidium commisit, aut is qui compositionem suscipere debet, faciat illum Comes qui ei contumax fuerit ad præsentiam nostram (5) ve-

(1) *Confinio.*) Id est, ut omnes intelligunt, in medio duorum comitatuum. Eginhardus ad annum DCCCIX. *Aureolus Comes, qui in confinio Hispaniæ atque Galliæ trans Pyrenæum contra Oscam & Cæsaraugustam residebat, defunctus est.* Hic locus in vita Ludovici Pii corruptus est, itemque in annalibus Bertinianis, ubi pro *confinio* scriptum est *commercio* vitio librariorum, ut sæpe contingit. Ea falsa lectione deceptus vir doctissimus Antonius Dadinus Alteserra lib. 7. rerum Aquitanicarum cap. 16. putavit hic agi de commercio quod in ea Pyrenæi parte inter Gallos & Hispanos tempore belli & pacis æque exercetur, quod pagenses vocant *passerilles*.

(2) *Nondum cum suis coheredibus*). Chartularium prioratus de Paredo fol. 83. *Alii vero heredes nondum sunt divisi; sed tres partes sunt ad Sanctum, quarta Vualterii.*

(3) *Si quis de statu suo.*) Vetus nota marginalis in uno codice regio legis Longobardorum: *Quidam dicunt, Si quis de contractu vel qualibet re appellatus fuerit, & justitiam reddere noluerit, ut res ipsius in bannum mittantur, propter prædictum capitulum. Sed male dicunt. Quia prædictum capitulum non loquitur de crimine. Sed juxta hoc capitulum possumus dicere ut pro omni re res alicujus in bannum mittantur, si justitiam reddere noluerit, eo quod dicit, si post unam & alteram ammonitionem Comitis aliquis ad mallum venire noluerit, rebus ejus in bannum missis venire ad justitiam compellatur. Sed eæ res non transactabuntur, nisi pro crimine in bannum missæ sunt.*

(4) *Omnis controversia.*) Vide capitula Caroli M. excerpta ex lege Longobardorum cap. 30. cum Notis.

(5) *Ad præsentiam nostram.*) Beatus Rhena-

venire, ut eum ad tempus quod nobis placuerit in exilium mittamus, donec ibi castigetur, ut Comiti suo inobediens esse ulterius non audeat, & majus damnum (1) inde non adcrescat. *Ibid. c.* 13.

De sacramentis, ubi juranda sint.

XXVIII. Ubi antiquitus (2) consuetudo fuit de libertate sacramenta adhramire vel jurare, ibi mallum habeatur, & ibi sacramenta jurentur. Mallus tamen neque in Ecclesia (3) neque in atrio (4) ejus habeatur. Minora vero placita Comes sive intra suam potestatem, vel ubi impetrare potuerit, habeat. Volumus utique ut domus a Comite in loco ubi mallum tenere debet, constituatur, ut propter calorem solis & pluviam (5) publica utilitas non remaneat. *Ibid. c.* 14. *vid. infr. Add.* 3. *c.* 118.

De his qui de furto accusati fuerint.

XXIX. Si liber homo de furto accusatus fuerit, & res proprias habuerit, in mallo ad præsentiam Comitis se adrhamiat. Et si res non habet, fidejussores donet qui eum adrhamire & in placitum adduci faciant. Et liceat ei prima vice per sacramentum se secundum legem idoneare, si potuerit. At si alia vice duo vel tres eum de furto accusaverint, liceat ei contra unum ex his cum scuto & fuste in campo contendere. Quod si servus de furto accusatus fuerit, dominus ejus pro eo emendet, aut eum sacramento excuset; nisi tale furtum perpetratum habeat propter quod ad supplicium tradi debeat. *Ibid. c.* 15.

De despectu literarum dominicarum.

XXX. Si quis litteras (6) nostras dispexerit, id est, tractoriam (7) quæ propter Missos recipiendos dirigitur, aut honores quos habet amittat, aut in eo loco ubi prædictos Missos suscipere debuit tamdiu resideat & de suis rebus legationes illuc venientes suscipiat quousque animo nostro satisfactum habeat. Qui vero epistolam nostram quocunque modo dispexerit, jussu nostro ad palatium veniat, & juxta voluntatem nostram congruam stultitiæ suæ castigationem accipiat. Et si homo liber vel ministerialis Comitis hoc fecerit, honorem qualemcunque habuerit, sive beneficium amittat. Et si servus fuerit, nudus ad palum vapulet, & caput ejus tondeatur. *Ibid. c.* 16.

De injustis teloneis & consuetudinibus.

XXXI. Ut ubi tempore avi nostri Domni Pippini consuetudo fuit teloneum dare, ibi

---

nanus in commemoratione quarundam legum Francicarum libro secundo rerum Germanicarum pag. 95. *Qui faidam deferere noluerit, ad regem mittitor. Faidam vocabant Franci simultatem apertam, qua unus aliquis uni vel pluribus bellum denuntiat. Ab hac Gallicani scribæ faidosum appellant qui faidam exercet.* Flodoardus lib. 3. cap. 21. de epistolis ab Hincmaro scriptis ad Lotharium Regem: *Item aliam epistolam de hominibus pacem recipere nolentibus, quid inde fieri debeat, collaudans quod de quibusdam talibus regale jam ministerium exercuerit.* Item cap. 23. *Arnoldo Episcopo pro quibusdam qui homicidium perpetraverant in Remensi parrochia & pacem obtinere non valebant, sed pœnitentiam facere quærebant, quam in hac parrochia non poterant agere.* Vide epistolam 18. Eginhardi.

(1) *Majus damnum.*) Vide infra lib. 5. cap. 205. & Addit. IV. cap. 140.

(2) *Ubi antiquitus.*) In codice Rivipullensi legitur: *Volumus ut ubi antiquitus consuetudo fuit de libertate sacramenta adhramire vel jurare, ibi Scabinei & legis doctores cum reliquis conveniant, & ibi mallus habeatur &c.*

(3) *Neque in Ecclesia neque in atrio.*) Vetus nota marginalis in uno codice regio legis Longobardorum: *Supra de officio judicis, Ut placita &c. Ibi enim ut nullum placitum in Ecclesia vel in atrio fiat, hic vero videtur permittere minora placita in Ecclesia vel in atrio fieri. Sed mihi non ita videtur. Quod notamus per hoc quod dixit, vel ubi impetrare potuerit. Hoc enim propter Ecclesiam, ac si diceret: Mallum, hoc est, generale placitum, non fiat in Ecclesia vel atrio vel quolibet loco, si sit certa domus ad mallum faciendum constituta. Minora vero placita in quolibet loco, ubi impetrare potuerit.*

(4) *Neque in Ecclesia neque in atrio.*) Epistola Gregorii V. ad Herluinum Episcopum Cameracensem apud Baldericum lib. 1. cap. CXI. *Confirmamus ut nullus Dux, Marchio, vel Comes, seu alia quævis magna vel parva persona aliquem districtum sive judicium vel aliquod placitum in aliquo loco sæpe nominati episcopii tenere audeat nisi ab ejusdem sedis Episcopo licentiam acceperit vel invitatus fuerit.* Hoc Ecclesiarum privilegium videtur valuisse ubique. Nam in veteri charta monasterii Casauriensis data anno DCCCCLXVII. reperio controversiam de libertate ejusdem monasterii agitatam fuisse *villa Mariani campo justitis proprietatis sanctæ Firmanæ Ecclesiæ residente Pandulfo Duce & Marchione per licentiam Gaidulfi Episcopi sanctæ Firmanæ Ecclesiæ.*

(5) *Propter calorem solis & pluviam.*) Vir clarissimus Innocentius Cironius in paratitlis ad titulum Decretalium de immunitate Ecclesiarum sic interpretatur hunc locum. *Moris erat olim sub dio causas agere atque in porticis civitatum. Sed plerumque ob ingruentes pluvias aut solis ardores in templum juris dicundi causa sese recipiebant Comites. Quod prohibuit Carolus, jubens ut ipsi domos sibi constituerent in quibus mallum tenerent, non vero in Ecclesiis.*

(6) *Si quis litteras.*) Certum est hanc constitutionem esse Ludovici Pii. Attamen Carolo M. tribuitur in canonibus Abbonis Floriacensis editis in tomo secundo Analectorum v. cl. Joannis Mabillonii, ubi sic legitur pag. 265. *Siquidem non de imperiali præcepto, sed de indiculis epistolarum suarum hoc Karolus proposuit edictum in libro IV. capitulorum suorum. Si quis litteras nostras &c.*

(7) *Tractoriam.*) *Eo nomine* (inquit Juretus in miscellaneis ad Symmachum pag. 233.) *significabantur diplomata, quibus concessa facultas movendi equos publici cursus, pariterque definiri solebat commeatus in itinere præstandus.* De tractoriis vide Filesacum in commentario de sacra Episcoporum auctoritate cap. 1. §. 20. Sirmondum in Notis ad Capitula Caroli Calvi, Correctores Romanos in cap. *Placuit ut quotiescunque.* dist. 18. & Notas nostras ad Lupum Ferrariensem.

ibi & in futurum detur. Nam ubi noviter inceptum est, ulterius non agatur. Et ubi necesse non est fluvium aliquem per pontem transmeare, vel ubi navis per mediam aquam aut subtus pontem ierit, & ad ripam non adpropinquaverit, neque ibidem aliquid emptum vel venundatum fuerit, ulterius teloneum non detur. Et nemo cogat alium ad pontem ire ubi juxta pontem aquam transmeare potest. Et qui ulterius in talibus locis, vel de eis qui ad palatium seu in hostem pergunt, teloneum exactaverit, cum sua lege ipsum teloneum reddat, & bannum nostrum, id est, sexaginta solidos componat. *Ibid. c.* 17.

De his qui bonos denarios accipere nolunt.

XXXII. Quicunque liber (1) homo denarium merum & bene pensantem recipere noluerit, bannum nostrum, id est, sexaginta solidos componat. Si vero servi ecclesiastici aut Comitum aut vassallorum nostrorum hoc facere præsumpserint, sexaginta ictibus vapulent. Aut si magister eorum vel advocatus, qui liber est, eos vel Comiti vel Misso nostro jussus præsentare noluerit, prædictum bannum nostrum, id est, sexaginta solidos componat. *Ibid. c.* 18.

De adulteratoribus monetæ.

XXXIII. De falsa moneta (2) jubemus ut qui eam percussisse comprobatus fuerit, manus ei amputetur. Et qui hoc consensit, si liber est, sexaginta solidos componat. Si servus est, sexaginta ictus accipiat (3). *Ibid. c.* 19.

De proprio dominico sine jussione illius reddito.

XXXIV. Si quis proprium nostrum, quod in vestitura genitoris nostri fuit, alicui quærenti sine nostra jussione reddiderit, aliud tantum nobis de suo proprio cum sua lege componat. Et quicunque illud scienter per malum ingenium adquirere tentaverit, pro infideli teneatur, quia sacramentum fidelitatis quod nobis promisit irritum fecit; & ideo secundum nostram voluntatem & potestatem dijudicandus est. *Ibid. c.* 20.

De pueris invitis parentibus detonsis aut puellis velatis.

XXXV. Si quis puerum (4) invitis parentibus totonderit, aut puellam velaverit, legem suam (5) in triplo componat, aut ipsi puero vel puellæ, si jam suæ potestatis sunt, aut illi in cujuslibet potestate fuerint. Illi vero potestatem habeant capitis sui, ut in tali habitu permaneant qualis eis complacuerit. *Ibid. c.* 21.

De forcapiis.

XXXVI. Si mancipia dominos suos fugerint in alienam potestatem, præcipimus ut propter hoc nullum præmium accipiat ille in cujus potestate fuerint inventa, pro eo quod ea vel reddiderit vel foras ejecerit. Et non solum hoc, sed etiam si ea nec reddere nec foras ejicere voluerit, & legitimo domino ea contradixerit, & illa inde postea effugerint, secundum legem ea solvere cogatur. *Capitul. IV. a.* 819. *c.* 1.

De terra tributaria.

XXXVII. Quicunque terram tributariam, unde tributum ad partem nostram exire solebat, vel ad Ecclesiam vel cuilibet alteri tradiderit, is qui eam susceperit, tributum quod inde solvebatur omni modo ad partem nostram persolvat; nisi forte talem firmitatem de parte dominica habeat per quam ipsum tributum sibi perdonatum possit ostendere. *Ibid. c.* 2.

De beneficiis destructis.

XXXVIII. Quicunque suum beneficium occasione proprii desertum habuerit, & intra annum postquam ei a Comite vel Misso nostro notum factum fuerit, illud emendatum non habuerit, ipsum beneficium amittat. *Ibid. c.* 3.

De terra censali.

XXXIX. Si quis terram censalem (6) habue-

(1) *Quicunque liber.*) Caput istud Carolo M. tribuitur in vulgatis editionibus legis Longobardorum. At in uno codice regio inscribitur nomen Pippini Imperatoris, in alio vero Ludovici Pii. Ludovici Pii esse constat ex Capitulari anni DCCCXXIX. infra Addit. IV. cap. 110.

(2) *De falsa moneta.*) In uno codice Vaticano, in uno item Sangallensi, in Colbertino, Camberonensi, Rivipullensi, & apud Ivonem legitur: *Quicunque falsam monetam percussisse comprobatus fuerit &c.* Ludovicus Pius in præcepto de moneta Cenomanensi: *Nostris futurisque temporibus præscripta moneta in præfata urbe sæpedicto Episcopo successoribusque suis concessa permaneat; ita tamen ut hoc prævideat tam prædictus Aldricus quam successores ut aliqua falsitas in ipsa moneta non appareat.*

(3) *Sexaginta ictus accipiat.*) Carolus Calvus tit. XXXVI. cap. 16. sic interpretatur hunc locum: *Si servus vel colonus, nudus cum virgis vapulet.*

(4) *Si quis puerum.*) Vetus nota marginalis in uno codice regio legis Longobardorum: *Hæc lex Salica est.* Item in alio: *Hæc lex Salica judicatur.*

(5) *Legem suam.*) Glossa interlinearis in priori codice regio: *De puero est pœna XLV. solidorum. De puella non velata est pœna sexaginta solidorum.*

(6) *Terram censalem.*) Id est, terram de qua census solvitur. Polypticus monasterii Fossatensis: *Est ibi terra censalis unde solvunt festivitate Sancti Dionysii solidos novem, denarios octo.* Litteræ Sancti Bernardi Abbatis Claravallensis de controversia quæ erat inter Hugonem Episcopum Autissiodorensem & Willelmum

buerit, quam antecessores sui vel ad aliquam Ecclesiam vel ad villam nostram dederunt, nullatenus eam secundum legem tenere potest, nisi ille voluerit ad cujus potestatem vel illa Ecclesia vel illa villa pertinet; nisi forte filius aut nepos ejus sit qui eam tradidit, & ei eadem terra ad tenendum placitata sit. Sed in hac re considerandum est utrum ille qui hanc tenet, dives an pauper sit, & utrum aliud beneficium habeat, vel etiam proprium. Et qui horum neutrum habet, erga hunc misericorditer agendum est, ne ex toto dispoliatus in egestatem incidat; ut aut talem censum inde persolvat qualis ei fuerit constitutus, vel portionem aliquam inde in beneficium accipiat unde se sustentare valeat. *Ibid. c.* 4.

De nonis & decimis.

XL. Consideratum est ut de (1) frugibus terræ & animalium nutrimine super cetera nonæ & decimæ persolvantur. De opere vero vel restauratione Ecclesiarum Comes & Episcopus sive Abbas una cum Misso nostro, quem ipsi sibi ad hoc elegerint, considerationem faciant ut unusquisque eorum tantum inde accipiat ad operandum & restaurandum quantum ipse de rebus Ecclesiarum habere cognoscitur. Similiter & vassi nostri aut in commune tantum operis accipiant quantum rerum ecclesiasticarum habent, vel unusquisque per se juxta quantitatem quam ipse tenet. Aut si inter eos convenerit ut pro opere faciendo argentum donent, juxta æstimationem operis in argento persolvant. Cum quo pretio rector Ecclesiæ ad prædictam restaurationem operarios conducere & materiam emere possit. Et qui nonas & decimas dare neglexerit, primum quidem illas cum lege sua restituat, & insuper bannum nostrum solvat: ut ita castigatus caveat ne sæpius iterando beneficium amittat. *Ibid. c.* 5. *vid. infr. Add.* 4. *c.* 102.

De mancipiis in villas dominicas confugientibus.

XLI. Si cujuslibet (2) mancipia in villam nostram confugerint, actor ejusdem villæ quærenti domino ea non contradicat, sed statim ea foras de eadem villa ejiciat. Et si se putat ad ea repetenda justitiam habere, repetat illa, & secundum legem adquirat. Si vero tempore Domni Karoli genitoris nostri in villam illam confugerunt, & dominus ea quærit, actor ejusdem villæ aut ea legitime contendat, aut quærenti domino reddat. Et actor propter vestituram (3) Domni Karoli genitoris nostri eadem mancipia contradicere non audeat, si illius propria esse noscuntur. *Ibid. c.* 6.

De forestibus noviter institutis.

XLII. Ut quicunque (4) illas habet, dimittat, nisi forte indicio veraci ostendere possit quod per jussionem sive per permissionem Domni Karoli genitoris nostri eas instituisset; præter illas quæ ad nostrum opus pertinent, unde nos decernere volumus quicquid nobis placuerit. *Ibid. c.* 7.

De pontibus per diversa loca emendandis.

XLIII. Volumus ut Missi nostri per singulas civitates una cum Episcopo & Comite Missos vel nostros homines ibidem commanentes eligant, quorum curæ sit pontes per diversa loca emendare, & eos qui illos emendare debent ex nostra jussione admonere ut unusquisque juxta suam possibilitatem & quantitatem eos emendare studeat. *Ibid. c.* 8.

De legatione omnium Missorum dominicorum, de quibus videlicet caussis agere debeant.

XLIV. Legatio omnium Missorum nostrorum hæc est. Primo, ut sicut jam aliis Missis injunctum fuit, justitiam faciant de rebus & libertatibus injuste ablatis. Et si Episcopus, aut Abbas, aut Vicarius, aut Advocatus, aut quislibet de plebe hoc fecisse inventus fuerit, statim restituantur. Si vero vel Comes, vel actor dominicus, vel alter Missus palatii nostri hoc perpetraverit, & in nostram potestatem redegerit, res diligenter investigata & descripta ad nostrum judicium reservetur. *Capitul. V. a.* 819. *c.* 1.

De

---

mum Comitem Nivernensem: *De terris censualibus manifestum est quod nusquam licet Comiti vel homini suo eas quæ de fundo sunt Episcopi acquirere nisi per Episcopum.*

(1) *Consideratum est ut de.*) Vide infra lib. 5. cap. 277.

(2) *Si cujuslibet.*) Vide supra cap. 3. hujus libri.

(3) *Propter vestituram.*) *Id est, propter possessionem*, ut ait glossa interlinearis in utroque codice regio.

(4) *Ut quicunque.*) In codice Petri Pithoei legitur: *Volumus ut quicumque habet forestes noviter institutas, dimittat illas.* In uno Sangallensi & in Colbertino: *Volumus atque præcipimus ut quicunque.* Ita etiam in Camberonensi & Rivipullensi. Petrus Gregorius Tolosanus lib. 3. syntagmatis cap. 16. refert hoc caput ex libro quarto legis Francicæ cap. 19. hoc est ex editione Basileensi. Deinde addit: *Jus regium est Monarchæ nostro Gallico in saltibus Normanicis, vulgi vocabulo Tertium & Dangierum; cujus canon consistit, ut in aliis inquilinus jus habet, in arborum cæsura, glande, pascuis &c.* Postea Petrus Miraumontius pag. 323. des *Memoires de la Chambre des eaux & forests*, cum ageret de forestibus regiis, laudans librum legis Francicæ, docuit in eo agi de juribus tertii & dangerii, retulitque verba Gregorii Tolosani tanquam ex libro quarto ejusdem legis, quia ea perperam in editione Lugdunensi operum Gregorii scripta sunt charactere quem vocamus Italicum, cum scribi debuissent Romano charactere ut reliqua Gregorii. Quod si Miraumontius animadvertisset, non incidisset in hunc errorem.

De illis libertatibus & rebus reddendis quæ in dominica vestitura sunt, qualiter inquirantur.

XLV. Volumus autem ut de his libertatibus & rebus reddendis quæ in nostra vestitura sunt, primo per optimos quosque inquiratur. Et si per illos inveniri non potest, tunc per eos qui post illos in illa vicinia meliores sunt. Et si nec per illos rei veritas inveniri potest, tunc liceat litigantibus ex utraque parte testes adhibere. Et si discordaverint, secundum constitutionem (1) a nobis promulgatam examinentur. *Ibid. c.* 2.

De oppressione pauperum, viduarum, & pupillorum.

XLVI. De pauperibus, viduis, & pupillis injuste oppressis, volumus ut adjuventur & releventur. *Ibid. c.* 3.

De injustis consuetudinibus noviter institutis.

XLVII. De injustis occasionibus & consuetudinibus noviter institutis, sicut sunt tributa & telonei in media via, ubi nec aqua, nec palus, nec pons, nec aliquid tale fuerit unde census juste exigi possit, vel ubi naves subtus pontes transire solent, sive in medio flumine, ubi nullum obstaculum est, ut auferantur. Antiquæ autem ad nostram notitiam deferantur. *Ibid. c.* 4.

De honore Ecclesiarum.

XLVIII. De honore Ecclesiarum (2), ut per omnia eis exhibeatur sicut nuper a nobis cum consensu omnium fidelium nostrorum constitutum est, & ut hoc Missi nostri omnibus in sua legatione constitutis notum efficiant. *Ibid. c.* 5.

De nonis & decimis.

XLIX. De nonis (3) & decimis, ut secundum jussionem nostram dentur. *Ib. c.* 6.

De locis ad claustra Canonicorum facienda.

L. De locis dandis (4) ad claustra Canonicorum (5) facienda, si terra (6) de ejusdem Ecclesiæ rebus fuerit, nostra liberalitate (7) concedatur ibi. Si de alterius Ecclesiæ vel liberorum hominum, commutetur. Si autem de fisco nostro fuerit, nostra liberalitate concedatur. *Ibid. c.* 7.

De observatione præceptorum dominicorum.

LI. De observatione præceptorum nostrorum & immunitatum, ut ita observentur sicut a nobis & ab antecessoribus nostris constitutum est. *Ibid. c.* 8.

De his qui occasione immunitatis justitiam facere renuunt.

LII. De his qui per occasionem immunitatis justitiam facere renuunt, ut hoc observetur quod a nobis constitutum est. *Ib. c.* 9.

De locis jamdudum sacris & nunc spurcitia fœdatis.

LIII. De locis (8) jamdudum sacris & nunc spurcitia fœdatis, ut juxta possibilita-

(1) *Secundum constitutionem.*) Id est, prout sancitum est supra lib. 3. cap. 10. & 52.

(2) *De honore Ecclesiarum.*) Codex Colbertinus, Camberonensis, & Rivipullensis: *Præcipimus ut honor Ecclesiarum debitus per omnia.* Unus Sangallensis: *Præcipimus ut debitus honor Ecclesiarum per omnia.*

(3) *De nonis.*) Idem codices: *Præcipimus ut nonæ & decimæ secundum.*

(4) *De locis dandis.*) Hunc locum male Vadianus traxit ad fundationes monasteriorum. Hæc sunt ejus verba ex libro primo de collegiis monasteriisque Germaniæ veteribus pag. 23. *Loca ipsa condendis monasteriis delecta, principio nonnisi Principum favore concedebantur. Quæ si liberorum hominum fuissent, & donata non essent, permutatione compensabantur. Si fiscalia, religionis causa dabantur Abbatibus.*

(5) *Claustra Canonicorum.*) Ludovicus Pius in præcepto pro Ecclesia Tornacensi apud Anbertum Miræum in codice donationum Belgicarum pag. 7. & in Notitia Ecclesiarum Belgii pag. 42. *Postulavit vir venerabilis Wendilmarus Tornacensis urbis Episcopus ut terras quasdam fisci nostri in eadem urbe ei in amplianda & dilatanda claustra Canonicorum in nostra eleemosyna concederemus.* Præceptum ejusdem pro Ecclesia Remensi apud Flodoardum lib. 2. cap. 19. *Vias etiam publicas omnes quæ circa eandem Ecclesiam vadunt, & impedimento esse possunt ad claustra & servôrum Dei habitacula construenda, ut transferri atque immutari possint concedimus*; quod postea confirmatum est a Carolo Calvo, ut docet ejus præceptum apud eundem Flodoardum lib. 3. cap. 4. Idem cap. 10. loquens de gestis Hincmari Archiepiscopi: *Præceptum quoque ipsius Karoli de via quæ impediebat ad claustrum Canonicorum sanctæ Remensis Ecclesiæ amplificandum idem Domnus Hincmarus obtinuit.*

(6) *Terra.* Hæc vox non extat in magna parte veterum exemplarium, neque in editione Basileensi. Deest etiam in codice Parisiensi Reginonis, in quo caput istud descriptum reperitur post caput 364. libri primi.

(7) *Nostra liberalitate.*) Ita codex Divionensis, Bellovacensis, Remensis, Metensis, Pithœanus, Parisiensis, & editio Basileensis. Ita etiam unus Vaticanus & Palatinus. Alter Vaticanus, duo Sangallenses, Colbertinus, Normannicus, Camberonensis, Thuanus, Rivipullensis, & codex Reginonis habent, *nostra libertate*. Codex Tilianus pro his vocibus habet tantum *reddatur ibi*. Infra scriptum est in aliquot exemplaribus *libertate* pro eo quod nos secuti auctoritatem aliorum veterum librorum edidimus *liberalitate*. Ceterum integrum hoc caput sic paraphrastice exponitur in capite 53 Concilii Meldensis: *Si vicina episcopio terra de eadem Ecclesia esse reperta fuerit, & ab alio possidetur, Ecclesiæ rectori ad claustra Clericorum vel alia quælibet Ecclesiæ commoda facienda reddatur. Si autem de fisco fuerit, regia liberalitas eandem terram ad servorum Dei habitacula construenda la giri dignetur. Si autem de alia casa Dei aut de cujuslibet proprio fuerit, ex convenientia commutandi licentia tribuatur.*

(8) *De locis.*) Burchardus caput istud refert ex Concilio apud Aquisgranum cap. 6.

tem in antiquum ſtatum reformentur. *Ibid. c.* 10.

De beneficiis dominicis deſtructis.

LIV. De beneficiis noſtris, quæ deſtructa inveniuntur, hoc impleatur quod nuper a nobis conſtitutum eſt. *Ibid. c.* 11.

De falſa moneta, & de aliis diverſis cauſſis prohibendis.

LV. De nova moneta & de falſa moneta, & de diſpectu literarum noſtrarum, & de latronibus coercendis vel puniendis, & de faidis pacandis, de homicidiis prohibendis, de perjuriis & falſis teſtibus compeſcendis, de his omnibus vel ceteris his ſimilibus hoc quod modo conſtituimus omnibus adnuntietur & in futurum obſervetur. *Ibid. c.* 12.

De Miſſorum dominicorum obſervatione.

LVI. Hoc volumus ut Miſſi noſtri obſervent, ut quicquid de his cauſſis vel ſimul vel ſingillatim emendare potuerint, emendent; & ea quæ emendaverint, diligenter ſcriptis notent; & hoc ſic peragere curent quatinus juſte reprehendi a quoquam nullatenus poſſint. Et quæ facere debent aut poſſunt, nullatenus prætermittant: immo caveant ne, quod abſit, aut gratia alicujus aut honoris aut timoris ſive odii cauſſa illud quod agere debent omittant. Et ſummopere ſtudeant ut hoc quod per ſe efficere non poſſunt nobis notum faciant. Et omnimodis prævideant ut per ſingula capitula tam verbis quam ſcriptis de omnibus quæ illic peregerint nobis rationem reddere valeant. *Ibid. c.* 13.

De placitis a liberis hominibus obſervandis.

LVII. De placitis ſiquidem quos liberi homines obſervare debent conſtitutio genitoris noſtri (1) penitus obſervanda atque tenenda eſt, ut videlicet in anno tria ſolummodo generalia placita obſervent, & nullus eos amplius placita obſervare compellat; niſi forte quilibet aut accuſatus fuerit, aut alium accuſaverit, aut ad teſtimonium perhibendum vocatus fuerit. Ad cetera vero quæ Centenarii tenent non alius venire jubeatur niſi qui aut litigat, aut judicat, aut teſtificatur. *Ibid. c.* 14.

De debito ad opus dominicum rewadiato.

LVIII. Ut de debito quod ad opus noſtrum fuerit rewadiatum talis conſideratio fiat ut is qui ignoranter peccavit, non totum ſecundum legem componere cogatur, ſed juxta quod poſſibile viſum fuerit; is vero qui tantum mala voluntate peccavit, totam legis compoſitionem cogatur exſolvere. *Ibid. c.* 15.

De his qui ad palatium vel in hoſtem pergunt, vel inde redeunt.

LIX. Ut nullus ad palatium (2) vel in hoſtem pergens, vel de palatio vel de hoſte rediens, tributum quod tranſturas (3) vocant ſolvere cogatur. *Ibid. c.* 16.

De pontibus publicis.

LX. Ut pontes publici qui per bannum fieri ſolebant, anno præſente in omni loco reſtaurentur. *Ibid. c.* 17.

De Clericis, monachis, & ſervis fugitivis.

LXI. Ut Clerici & monachi & ſervi fugitivi ad loca ſua redire jubeantur. *Ibid. c.* 18.

De Advocatis Epiſcoporum, Abbatum, Comitum, & Abbatiſſarum.

LXII. Ut nullus Epiſcopus, nec Abbas, nec Comes, nec Abbatiſſa Centenarium Comitis Advocatum habeat. *Ibid. c.* 19.

De Vicariis vel Centenariis, ſi latrones celaverint.

LXIII. Ut Vicarii vel Centenarii, qui fures & latrones vel celaverint, vel defenderint, ſecundum ſibi datam ſententiam dijudicentur. *Ibid. c.* 20.

De Comitibus & Vicariis admonendis de conſtitutione legis.

LXIV. Ut Comites & Vicarii & Centenarii de conſtitutione legis admoneantur, qua jubetur ut propter juſtitiam pervertendam munera non accipiant. *Ibid. c.* 21.

De foreſtibus dominicis.

LXV. De foreſtibus noſtris, ut ubicunque fuerint, diligentiſſime inquirant quomodo ſalvæ ſint & defenſæ; & ut Comitibus denuntient ne ullam foreſtem noviter inſtituant, & ubi

---

(1) *Genitoris noſtri.*) *Karoli, quæ eſt in titulo de officio judicis, Ut ante Vicarios*, inquit gloſſa in uno codice regio legis Longobardorum. Hæc conſtitutio habetur inter capitula Caroli M. excerpta ex lege Longobardorum cap. 27.

(2) *Ut nullus ad palatium.*) Beatus Rhenanus lib. 2. rerum Germanicarum pag. 95. in commemoratione legum aliquot Francicarum: *Ad Regem vel in bellum proficiſcens, aut rediens, a vectigali quod ſtraſturam vocant immunis eſto. Straſturam Germani hodie & vuegſturam appellant.*

(3) *Tranſturas.*) Hæc eſt lectio veterum exemplarium Thuani, Divionenſis, & unius Sangallenſis. In Colbertino, Camberonenſi, Rivipullenſi, & altero Sangallenſi legitur *tranſituras*. In Vaticanis, Palatino, Bellovacenſi, *traſturas*. In Tiliano *ſtraturas*. In Metenſi *tractruas*. In Remenſi, Normannico, Pithœano, & Pariſienſi *triſturas*. In antiquis exemplaribus legis Longobardorum ſcriptum eſt *tributum quod tranſitoria vocatur*. Sed in editionibus Boherii & Lindenbrogii legitur *tranſitorium*.

& ubi noviter institutas sine nostra jussione invenerint, dimittere præcipiant. *Ib. c.* 22.

De Missis dominicis, & de his qui justitiam facere renuunt.

LXVI. Ut ubicumque ipsi Missi aut Episcopum aut Abbatem aut alium quemlibet quocunque honore præditum invenerint qui justitiam facere vel noluit vel prohibuit, de ipsius rebus vivant quandiu in eo loco justitias facere debent. *Ibid. c.* 23.

De Missis dominicis, ubi diutius non debeant immorari.

LXVII. Ut in illius Comitis ministerio qui bene justitias factas habet, iidem Missi diutius non morentur, neque illic multitudinem convenire faciant, sed ibi moras faciant ubi justitia (1) vel minus vel negligenter facta est. *Ibid. c.* 24.

De Missis dominicis, & de Comite in aliquod missaticum directo.

LXVIII. Ut in illius Comitis ministerio iidem Missi nostri placitum non teneant qui in aliquod missaticum directus est, donec ipse reversus fuerit; ut caussa quæ adhuc coram Comite non fuit, & is qui se reclamat, propter suam stultitiam aut contumaciam Comitem inde appellare noluit, iterum Comiti commendetur. *Ibid. c.* 25.

De Missis dominicis, qualiter conjectum accipere debeant.

LXIX. Ut Missi nostri qui vel Episcopi vel Abbates vel Comites sunt, quandiu prope suum beneficium fuerint (2), nihil de aliorum conjecto accipiant. Postquam vero inde longe recesserint, tunc accipiant secundum quod in sua tractoria continetur. Vassi vero nostri & ministeriales, qui Missi sunt, ubicunque venerint, conjectum accipiant. *Ibid. c.* 26.

De Vassis dominicis & Episcoporum vel reliquorum qui in hoste non fuerunt.

LXX. Ut vassi nostri, & vassi Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, & Comitum, qui anno præsente in hoste non fuerunt, heribannum rewadient, exceptis his qui propter necessarias caussas & a Domno ac genitore nostro Karolo constitutas domi dimissi fuerunt; id est, qui a Comite (3) propter pacem conservandam & propter conjugem ac domum ejus custodiendam (4), & ab Episcopo vel Abbate vel Abbatissa similiter propter pacem conservandam, & propter fruges colligendas, & familiam constringendam, & Missos recipiendos dimissi fuerunt. *Ibid. c.* 27.

De Episcopis, Abbatibus, & Comitibus, & de placito Missorum dominicorum.

LXXI. Ut omnis Episcopus, Abbas, & Comes, excepta infirmitate vel nostra jussione, nullam excusationem habeat, quin ad placitum Missorum nostrorum veniat aut talem vicarium suum mittat qui in omni caussa pro illo reddere rationem possit. *Ibid. c.* 28.

De non exigendo heribanno antequam jussio dominica nota fiat.

LXXII. Ut Missi (5) & unusquisque in suo ministerio hæc capitula relegi faciant coram populo; & nota sint omnibus, ne aliquis excusationem habere possit. Et non prius bannum exigant a quoquam homine donec omnibus hæc nota fiant.

De dispensa Missorum dominicorum.

LXXIII. De dispensa Missorum nostrorum, qualiter unicuique juxta suam qualitatem dandum vel accipiendum sit; videlicet Episcopo panes quadraginta, friskingæ tres, de potu modii tres, porcellus unus, pulli tres, ova quindecim, annona ad caballos modii qua-

(1) *Ubi justitia.*) Hincmarus apud Flodoardum libro 3. cap. 26. pag. 540. in editione Colvenerii scribit *Achadeo Comiti pro rapinis quas audiebat ab ipsius hominibus fieri in ipsius comitatu, & pro villa Spantia, qua ille annonam Ecclesiæ Remensis auferre disponebat, notificans ei quod si aliquid inde raperet, tam ipsum quam suos excommunicaret, & alienos ab omni christianitate faceret, atque per suum missaticum quod de illo Comite fieri debet qui in suo comitatu injustitiam faciat exequi procuraret.* Quod hic minatur Hincmarus executurum se in suo missatico adversus Achadeum quod de illo Comite fieri debet qui in suo comitatu injustitiam facit, explicatur supra in pag. 523. ubi idem Hincmarus mandat Luitardo illustri viro *ex auctoritate Dei & Sanctæ Mariæ & Sancti Remigii & sua episcopali, necnon ex banno Regis, cujus Missus ipse Pontifex erat, ut nullum impedimentum vel ipse vel homines sui hominibus Remensis Ecclesiæ faciant &c. Quia si aliter fecerit, tam per episcopalem auctoritatem quam per missaticum Regis quod inde rectum fuerit sustinebit.* Itaque Hincmarus tum instructus erat & sua auctoritate episcopali & delegata Principis; sicut hodie Episcopis licet, ex instituto synodi Tridentinæ, nonnulla agere tanquam delegatis apostolicæ sedis quæ ad eorum jurisdictionem alias quoque pertinent. Capitula Caroli Calvi tit. XLVII. cap. 12. *Ipsi nihilominus Episcopi, singuli in suo episcopio, missatici nostri potestate & auctoritate fungantur.*

(2) *Quandiu prope suum beneficium fuerint.*) In libro tertio legis Longobardorum, ubi caput istud descriptum est, legitur: *usqueque intra suam judiciariam vel terminum fuerint.*

(3) *Comite.*) In codice Colbertino, in Camberonensi, & in uno Sangallensi legitur *nobis.*

(4) *Et propter conjugem ac domum ejus custodiendam.*) Hæc non habentur in antiquis exemplaribus monasterii Sancti Galli, neque in uno Vaticano, neque in Tiliano, Camberonensi, Colbertino, Thuano.

(5) *Ut Missi.*) Caput istud deest in codicibus Vaticanis & Sangallensibus. Deest etiam in Palatino, Tiliano, Bellovacensi, Divionensi, Colbertino, Camberonensi, Thuano, Metensi, & Rivipullensi. Deerat quoque primo in Remensi, sed postea additum est in margine a manu antiqua.

quatuor. Abbati, Comiti, atque ministeriali nostro unicuique dentur quotidie panes triginta, friskingæ duæ, de potu modii duo, porcellus unus, pulli tres, ova quindecim, annona ad caballos modii tres. Vasallo nostro panes decem & septem, friskinga una, porcellus unus, de potu modius unus, pulli duo, ova decem, annona ad caballos modii duo. *Ibid. c. 29.*

De eo qui in aliena patria de qualibet caussa fuerit interpellatus.

LXXIV. Si quis in aliena (1) patria, ubi vel propter beneficium vel propter aliam quamlibet occasionem assidue conversari solet, de qualibet caussa fuerit interpellatus, verbi gratia de conquisitu suo vel de mancipiis suis, ibi secundum suam legem justitiam faciat, & cum talibus conjuratoribus quales in eadem regione vel provincia secum habere potuerit legitimum sacramentum juret; excepto si quis eum de statu suo, id est, de libertate sua, vel de hereditate quam ei pater suus moriens dereliquit, appellaverit. De his duobus liceat illi sacramentum in patria sua, id est, in legitimo sui sacramenti loco, jurandum offerre. Et is qui cum eo litigat, si velit, sequatur illum in patriam suam ad recipiendum illud sacramentum. Ipse tamen primo in eodem loco, id est, ubi interpellatus est, satisfaciat tam Comiti & judicibus quam adversario suo, testibus probando quod rem quæ ab eo quæritur pater suus ei dereliquit.

De solutione atque compositione.

LXXV. Ut omnis solutio (2) atque compositio quæ in lege Salica continetur, inter Francos per duodecim denariorum (3) solidos componatur; excepto ubi contentio inter Saxones & Frisiones exorta fuerit. Ibi volumus ut quadraginta denariorum quantitatem solidus habeat quem vel Saxo vel Frisio ad partem Salici Franci cum eo litigantis solvere debet (4).

De statu hominis.

LXXVI. Ut de statu suo, id est, de libertate vel hereditate compellandus, juxta legis constitutionem manniatur. De ceteris vero caussis ubique rationem est redditurus. Si post secundam Comitis admonitionem aliquis ad mallum venire noluerit, rebus ejus in bannum missis venire & justitiam facere compellatur. *Vid. supra c. 25.*

De proprietate hominis quæ ob aliquod crimen in bannum fuerit missa.

LXXVII. Cujuscunque hominis proprietas &c. *ut supra caput XXIV.*

EXPLICIT LIBER QUARTUS.

SEQUUNTUR CAPITULA DOMNI KAROLI AUGUSTI,

Patris videlicet Domni Hludowici Imperatoris.

APPENDIX PRIMA.

Capitula Domni Karoli Imperatoris ecclesiastica, quæ ideo suprascriptis non conjunxi capitulis quia alia ex istis quasi caussa memoriæ scripta fuerant, & non videntur plenum explere sensum, alia sunt geminata, cum aliis videlicet mixta capitulis, alia penitus finita atque ad perfectionem perducta.

INCIPIUNT CAPITULA.

CAP. I.

De lectionibus. *Capitular. I. a. 805. c. 1. & seqq.*

II. De cantu.

III. De Notariis.

IV. De ceteris disciplinis.

V. De compoto.

VI. De medicinali arte.

VII. De Ecclesiis sine honore manentibus, absque officiis & luminaribus: & de his qui decimas sumunt, & de ecclesiis non curant; & de altaribus, ut non superflua sint in Ecclesiis.

VIII. De laicis noviter conversis, ne antequam suam legem pleniter vivendo discant, ad alia negotia mittantur.

IX.

(1) *Si quis in aliena.*) Caput istud & sequens desunt in veteribus libris Tiliano & Divionensi.

(2) *Ut omnis solutio.*) Vide Capitula Caroli M. excerpta ex lege Longobardorum cap. 33. & lib. 3. Capitularium cap. 30.

(3) *Duodecim denariorum.*) Vetus charta Sancti Severi edita in historia Benearnensi pag. 233. *trecentos solidos argenti duodenorum denariorum.*

(4) *Solvere debet.*) Post ista additur in codice Metensi, *& compositionem de ea juxta modum superius comprehensum his ad quos illa legibus pertinent exsolvat.*

IX. De relinquentibus ſeculum, ut unum e duobus eligant, aut pleniter ſecundum canonicam aut ſecundum regularem inſtitutionem vivere debeant.

X. De Eccleſiis (1) ſeu ſanctis noviter inventis ſine auctoritate, niſi Epiſcopo probante minime venerentur, ſalva etiam (2) de hoc & de omnibus Eccleſiis canonica auctoritate. *Capitul. II. a.* 805. *c.* 17.

XI. De ordinatis Epiſcopis (3) nec receptis. *Capitul. VI. a.* 806. *c.* 6.

XII. Quod non oporteat (4) abſolute quoslibet ordinare. *Ibid.*

XIII. De ſervo, ſi neſciente domino ſuo fuerit ordinatus. *Ibid. c.* 8.

XIV. Quod non liceat Clericum in duabus civitatibus miniſtrare, nec Abbatibus plurima monaſteria aut cellas habere. *Ib. c.* 9.

XV. De peregrinis Epiſcopis & Clericis. *Ibid. c.* 10.

XVI. De litteris peregrinorum & Clericis ſine litteris ambulantibus. *Ibid. c.* 12.

XVII. Qualis vel pro qualibus culpis quiſque ſecundum canonicam inſtitutionem degradetur de officio ſacerdotali. *Ibid. c.* 13.

XVIII. De expulſo ab Eccleſia & excommunicato vel damnato ab officio ſuo. *Ibid. c.* 14.

XIX. De ordine eccleſiaſtico & officio Miſſæ. *Ibid. c.* 15.

XX. De reliquiis ſanctorum & oratoriis villaribus. *Ibid.*

XXI. De altari non conſecrando niſi lapideo. *Ibid. c.* 16.

XXII. De confirmatione cum chriſmate. *Ibid. c.* 17.

XXIII. De baptiſmo. *Ibid. c.* 18.

XXIV. De Paſcha & die dominico, & de reliquis feſtivitatibus. *Ibid. c.* 19.

XXV. De jejunio & de quadrageſima vel letaniis. *Ibid. c.* 20.

XXVI. Ut feſtivitates præclare non niſi in civitatibus aut in vicis publicis teneantur. *Ibid. c.* 21.

XXVII. De hoc officio. *Ibid. c.* 22.

XXVIII. De Eccleſiis emendandis, ut ubi in uno loco plures ſunt quam neceſſe eſt, deſtruantur quæ neceſſariæ non ſunt, & aliæ conſtruantur. *Capit. III. a.* 803. *c.* 1.

XXIX. De Eccleſiis non bene conſtructis.

XXX. De judicio pœnitentiæ ad interrogandum reliquimus per quem pœnitentialem vel qualiter judicentur pœnitentes; & de inceſtibus, quibus liceat injungere, quibus non.

XXXI. De eleemoſyna mittenda in Hieruſalem (5) propter Eccleſias Dei reſtaurandas in proximo natali Domini. *Capitul. I. a.* 810. *c.* 17.

XXXII. Ut nullus homo malignis conſentiat, ſed magis in quantum po eſt reſiſtat. Ut pauperes, orphani, & viduæ, & Eccleſiæ Dei pacem habeant. *Ibid. c* 18.

XXXIII. Ut qui monachi & virgines ſunt, propoſitum ſuum obſervent.

XXXIV. Ut iſti mangones (6) & cotiones, qui vagabundi vadunt, per iſtam terram non ſinantur vagari ac deceptiones hominum agere; nec iſti nudi cum ferro (7), qui

(1) *De Eccleſiis.*) Burchardus tribuit caput iſtud Concilio Agrippinenſi.

(2) *Salva etiam.*) Tota hæc clauſula deeſt in uno codice Sangallenſi, in Colbertino, Thuano, & Rivipullenſi.

(3) *De ordinatis Epiſcopis.*) Vide Concilium Ancyranum cap. 17. & Antiochenum cap. 18.

(4) *Quod non oporteat.*) Caput iſtud ſic omnino haber in antiquis codicibus Bellovacenſi, Divionenſi, Metenſi, Thuano, Palatino, Tiliano, & in uno Sangallenſi: *Quod non oporteat ſolvere quoslibet vel ordinare.* Ita etiam editio Baſileenſis.

(5) *De eleemoſyna mittenda in Hieruſalem.*) Eginhardus in vita Caroli M. *Circa pauperes ſuſtentandos & gratuitam liberalitatem, quam Græci eleemoſynam vocant, devotiſſimus, ut qui non in patria ſua ſolum & in ſuo regno eam facere curaverit, verum trans maria in Syriam & Ægyptum atque Africam, Ieroſolymis, Alexandriæ, atque Carthagini, ubi Chriſtianos in paupertate vivere compererat, penuriæ illorum compatiens, pecuniam mittere ſolebat.*

(6) *Ut iſti mangones.*) Beatus Rhenanus lib. 2. rerum Germanicarum pag. 95. in commemoratione legum aliquot Francicarum: *Mangones vagabundi & cotiones, qui impoſturis homines ludunt, coercentor. Mangonum adhuc nomen & res apud Germanos manet.* Michael Menotus in ſermone feriæ quintæ poſt cineres: *Non eſt cauda Prælatorum, qui hodie poſt ſe ducunt canes & mangones indutos ad modum armigerorum, ſicut Suytenſes.* Idem in ſermone feriæ quintæ paſſionis, loquens de Maria Magdalena: *Ipſa ante ſe miſit mangones portantes force de carreaulx de cramoiſy, ut diſponerent ſibi locum.* Per mangones Menotus intelligit famulos variorum colorum veſtibus indutos, quos hodie laquayos vocamus.

(7) *Nudi cum ferro.*) Per illas tempeſtates qui grave aliquod & extraordinarium crimen commiſerant, interdum ferreis vinculis conſtricti, per loca ſancta peregrinari jubebantur, ut recte obſervatum eſt a clariſſimo viro Joanne Mabillonio in pluribus locis, ſed præcipue in præfatione ad tomum ſecundum Actorum Sanctorum ordinis Sancti Benedicti cap. 4. §. 41. ubi hunc locum edidit ex codice Ms. de miraculis Sanctorum Floriani & Florentii, dignum profecto qui hic quoque deſcribatur ad lucem huic loco afferendam. *Conſuetudine antiqua,* inquit auctor horum miraculorum, *partibus interioris Franciæ uſque hodie mos inolevit ut quiſquis propinquiorem ſibi parentem gladio jugulaverit, & poſtea pœnitentia ductus ad Pontificem crimen admiſſi facinoris detulerit, ipſo decernente Pontifice ex ipſo gladio ferrei nexus componantur, & collum peccatoris, venter, atque brachia ſtrictim innectantur ex ipſis ferreis vinculis, ſicque de propria patria & ſolo pellatur. Interim, quouſque divina pietas eadem vincula ſolvi præcipiat, primum Romæ, dehinc per diverſa Sanctorum loca, veniam criminis efflagitando, peregre proficiſci cogitur.* Docet præterea Carolus M. hujuſcemodi pœnitentes conſueviſſe incedere nudos cum ferro. Quod ex viſionibus quorundam ex eis profectum puto qui tum hominibus peccata confitentibus pœnitentiam indicebant. Videbantur enim ſibi interdum iſtiuſmodi homines multum ſapere ſi extraordinariam pœnitentiam, quamvis ridiculam, excogitaſſent. Ineunte ſeculo decimo quarto mulieri

qui dicunt se data pœnitentia ire vagantes. Melius videtur ut si aliquod inconsuetum & capitale crimen commiserint, in uno loco permaneant laborantes & servientes & pœnitentiam agentes, secundum quod canonice sibi impositum sit. *Capit. I. a.* 789. *c.* 77.

XXXV. De concordia fidelium nostrorum.

APPENDIX SECUNDA.

INcipiunt iterum Capitula Domni Karoli Imperatoris mundana, quæ suprascriptam videntur habere caussam.

CAP. I.

DE latronibus, sicut jam antea in alio Capitulari commendavimus, ita maneat. *Capit. II. a.* 805. *c.* 21.

II. De adventitiis, ut cum Missi nostri ad placitum venerint, habeant scriptum quanti adventitii sunt in illorum missatico, aut de quo pago sunt, & nomina eorum, & qui sunt eorum seniores. *Capit. III. a.* 806. *c.* 4.

III. Si quis de libertate sua fuerit interpellatus, & timens ne in servitium cadat, aliquem de propinquis suis, per quem se in servitium casurum timens occiderit, id est, patrem, matrem, patruelem, avunculum, vel quamlibet hujusmodi propinquitatis personam, ipse qui hoc perpetraverit moriatur, agnatio ejus & consanguinitas in servitium cadat. Et si negaverit se illum occidisse, ad novem vomeres ignitos judicio Dei examinandus accedat. *Capitul. II. a.* 803. *c.* 5.

IV. De fugitivis ac peregrinis, ut distringantur, ut scire possimus qui sint aut unde venerint. *Ibid. c.* 6.

V. Ut bauga (1) & bruniæ non dentur negotiatoribus. *Ibid. c.* 7.

VI. De mensuris, ut secundum jussionem nostram æquales sint. *Ibid. c.* 8.

VII. Ut non mittantur testimonia super vestituram Domni Pippini Regis. *Ib. c.* 9.

VIII. Ut omnia quæ vuadiari debent, juxta quod in lege continetur, pleniter secundum ipsam legem reuvadiata fiant, & in postmodum vel Domnus Rex, vel ille cujus caussa est, juxta quod ei placuerit perdonet (2). *Ibid. c.* 13.

IX. Ut Missi nostri qui jam breves detulerunt de adnuntiatione, volumus ut adhuc adducant de opere. *Ibid. c.* 25.

X. Quantam moram faciant in unoquoque loco, & quot homines secum habeant. *Ib. c.* 26.

XI. De prudentia & constantia Missorum nostrorum. *Ibid. c.* 27.

XII. De falsis monetariis requirendum est. *Ibid. c.* 28.

XIII. De illis Saxonibus qui uxores non habent. *Ibid. c.* 23.

XIV. De signatis qui mentiendo vadunt. *Ibid. c.* 24.

XV. Si aliæ res fortuitu non præoccupaverint, VIII. Kalend. Julias, id est, Missa sancti Johannis Baptistæ, ad Magontiam sive Cabillonem generaliter placitum habere volumus. *Ibid. c.* 29.

XVI. De perjuriis, ut caveantur. Et ut non admittantur testes ad juramentum antequam discutiantur. Et si aliter non possunt discuti, separentur ab invicem, & singulariter inquirantur. Et non soli accusatori liceat testes eli ere absente suo caussatore. Et omnino nullus nisi jejunus ad juramentum vel ad testimonium admittatur. Et ille qui ad testimonium ducitur si refutetur, dicat ille qui eum refutat & probet quare illum recipere nolit. Et de ipso pago, non de altero, testes eligantur, nisi forte longius extra comitatum caussa sit inquirenda. Et si quis convictus fuerit perjurii, perdat manum aut redimat. *Vide lib.* 3. *c.* 10. *Capit. I. a.* 809. *c.* 16.

XVII. Ut nemo propter cupiditatem pecuniæ aut propter avaritiam suam prius det pretium aut futuram conventionem sibi præparet ut duplum vel triplum tunc recipiat; sed tunc tantum quando fructus præsens est, illos comparet. *Ibid. c.* 34.

XVIII. De caussis quæ quotidie non cessant. *Ibid. c.* 2.

XIX. De fugitivis qui non cessant recipere & abscondere. *Ibid. c.* 5.

XX. De vagis peregrinis (3). *Ibid. c.* 6.

XXI. De homicidiis. *Ibid. c.* 7.

XXII. De commendatis mensuris modiorum & sextariorum. *Ibid. c.* 8.

XXIII. De beneficiis nostris non bene constructis. *Ibid. c.* 9.

XXIV. De hospitalitate & susceptione iterantium, tam Missorum nostrorum, quam reliquorum bonorum hominum. *Ibid. c.* 35.

XXV. Quod Missos ad vicem nostram (4) mittimus. *Ibid. c.* 36.

XXVI.

---

lieri cuidam libidinosæ inter cetera injunctum est, uti *quadraginta diebus per communia fora nudo corpore ab . . . usque ad umbilicum incedens, cedulam sui delicti conscriptam deferret in capite manifeste*, ut legitur in formulario pœnitentiariæ Romanæ Ms. in bibliotheca regia.

(1) *Ut bauga.*) Lib. 6. cap. 223 *Ut armillæ & bruniæ*. Vide Vossium in libro secundo de vitiis sermonis pag. 182.

(2) *Perdonet.*) In codice Remensi, Divionensi, Pithœano & Parisiensi legitur *accipiat*.

(3) *De vagis peregrinis.*) Id est, de nudis cum ferro, qui dicunt se data pœnitentia ire vagantes, ut dictum est paulo ante.

(4) *Vicem nostram.*) In uno codice Vaticano, in uno Sangallensi, & in Camberonensi legitur

XXVI. De his qui vinum & annonam vendunt antequam colligantur, & per hanc occasionem pauperes efficiuntur, ut fortiter (1) constringantur ne deinceps fiat. *Ibid. c.* 37.

XXVII. Ut ante Vicarium & Centenarium de proprietate aut libertate judicium non terminetur aut adquiratur, nisi semper in præsentia Missorum imperialium aut in præsentia Comitum. *Capit. I. a.* 810. *c.* 2.

XXVIII. De homicidiis factis (2) anno præsenti inter vulgares homines quasi propter pulverem mortalem. *Ibid. c.* 3.

XXIX. De heribanno, ut diligenter inquirant Missi nostri qui hostem facere potuit & non fecit, ut bannum nostrum ipse componat, si habet unde componere possit. Et si non habuerit unde componere valeat, reuvadiatum fiat & inbreviatum; & nihil ex hoc exactum fiat usque dum ad notitiam Domni Imperatoris veniat. *Ibid. c.* 11.

XXX. Qui herisceliz factum habent, per fidejussores mittantur. *Ibid. c.* 12.

XXXI. De beneficiis destructis & alode restaurata. *Ibid. c.* 13.

XXXII. De freda exigenda. *Ibid. c.* 14.

XXXIII. De materiamine ad naves faciendum. *Ibid. c.* 15.

XXXIV. Si aliquis Saxo hominem comprehenderit absque furto aut absque sua propria aliqua re, dicens quod illi habeat damnum factum, & hoc contendere voluerit in judicio aut in campo aut ad crucem (3), licentiam habeat. Si vero hoc noluerit (4), cum suis juratoribus ipse liber homo se idoniare faciat. Et si servum cujuslibet absque aliqua comprobatione comprehenderit, ipse servus aut ad aquam ferventem aut ad aliud judicium se idoniare faciat.

XXXV. Si aliquis Saxo caballos in sua messe invenerit, & ipsos caballos inde ducere pro suo damno ad comprobandum voluerit, si quis liber homo ei hoc contradixerit, aut aliquod malum pro hoc ei fecerit, tripla compositione secundum legem & secundum evvam contra eum emendare studeat, & insuper bannum dominicum solvat, & manum perdat, pro eo quod inobediens fuit contra præceptum Domni Imperatoris, quod ipse pro pace statuere jussit. Si servus hoc fecerit, secundum suam legem omnia in triplum restituat, & disciplinæ corporali subjaceat.

XXXVI. Quicunque liber homo inventus fuerit anno præsente cum seniore suo in hoste non fuisse, plenum heribannum persolvere cogatur. Et si senior vel Comes eum domi dimiserit, ipse pro eo eundem heribannum persolvat; & tot heribanni ab eo exigantur quot homines domi dimiserit. Et quia nos anno præsente unicuique seniori duos homines, quos domi dimitteret, concessimus, illos volumus ut Missis nostris ostendat, quia his tantummodo heribannum concessimus. *Capit. II. a.* 812. *c.* 9.

XXXVII. Ut quandocunque navigium mittere volumus, ipsi seniores in ipsis navibus pergant, & ad hoc sint præparati omnes (5), jubemus. *Ibid. c.* 11.

XXXVIII. Furta & injusta connubia nec non & falsa testimonia, sicut sæpe rogavimus, prohibete diligenter, sicut & Domini lex prohibet. *Capit. I. a.* 789. *c.* 66.

EXPLICIUNT CAPITULA DOMNI KAROLI PATRIS DOMNI HLUDOWICI IMPERATORIS.

---

gitur *judicium nostrum*. In Colbertino, Thuano, Normannico, Rivipullensi, & in altero Sangallensi, *judicium vestrum*.

(1) *Ut fortiter.*) Hæc clausula non extat in codice Palatino, Metensi, Remensi, Bellovacensi, Divionensi, Thuano, Parisiensi, Tiliano. Deest etiam in editione Basileensi.

(2) *De homicidiis factis.*) Caput istud aliqua cura indiget, quod ita conceptum sit, ut prima fronte hic agi videatur de pulvere mortali, cujus vi perpetratæ sint hominum mortes. Atque ob eam causam vir doctissimus existimavit vocem *propter*, quæ paulo post isthic legitur, idem hoc loco valere ac vocem *per*. Aliter tamen se res habet. Anno DCCCX. magna, ut Eginhardus docet, boum mortalitas fuit in regno Francorum. Fama vulgatum est eam cladem ortam esse ex pulvere venenato, quem nonnulli homines spargebant per campos & montes, prata & fontes. Hinc commotum vulgus, boum jacturam ulturum, sæviit in suspectos criminis. Plurimi cæsi, alii diversis suppliciis necati sunt. Homicidia itaque patrata sunt propter pulverem mortalem, quæ causa & occasio fuit homicidiorum, non vero per pulverem, cum constet nullum aliud animalium genus quam boum hac calamitate affectum fuisse. Auctor istius nostræ interpretationis est Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis in libro de grandine & tonitruis cap. 16. *Ante hos paucos annos disseminata est quædam stultitia, cum esset mortalitas boum, ut dicerent Grimaldum Ducem Beneventorum transmisisse homines cum pulveribus quos spargerent per campos & montes, prata & fontes, eo quod esset inimicus Christianissimo Imperatori Carolo, & de ipso sparso pulvere mori boves. Propter quam causam multos comprehensos audivimus & vidimus, & aliquos occisos, plerosque autem affixos tabulis in flumen projectos atque necatos. Et, quod mirum valde est, comprehensi, ipsi adversum se dicebant testimonium habere se talem pulverem & spargere.* Et infra: *Nec rationabiliter pensabant unde fieri possit talis pulvis de quo soli boves morerentur, non cetera animalia.*

(3) *Aut ad crucem.*) Hæc non habentur in codice Palatino, neque in Metensi. Vide supra in Notis ad caput 102. libri primi.

(4) *Si vero hoc noluerit.*) Heroldus edidit *voluerit*; quam lectionem ei quam nos retinuimus præferunt Velserus & Gretserus. Hec sunt istius verba lib. 2. de cruce cap. 21. *Edidit quidem Pithœus*, Si vero hoc noluerit; *attamen ego cum Velsero in Heroldum, de cetero Pithœo multis modis diligentia inferiorem, hic sum pronior*. Frustra. Nam & sensus huic lectioni repugnat, & omnia vetera exemplaria confirmant editionem Pithœanam.

(5) Alias *præparationes*.). Sed legendum, *præparati omnes*. Error fuit typographi.

APPENDIX TERTIA.

ITem Capitula Principum præclarissimorum ecclesiastica simul & mundana Domni Hludouvici Augusti & Hlotharii Cæsaris, quæ suprascriptam videntur habere rationem.

CAP. I.

BEnedictus de sua reclamatione in perpetuum sileat.

II. De manso quem Gehirfredus Episcopus a Liutrico (1) Comite requirit, ut si Missi nostri invenerint eum justitiam habere, non permittant Liutricum per vestituram Domni Karoli justitiam ejus impedire.

III. De foreste quam Autharius Comes habere vult, ubi ea prius non fuisse dicitur, volumus ut Missi nostri rei veritatem inquirant, & juxta quod justum invenerint, ex nostra auctoritate definiant.

IV. De caussa Hruotmundi Comitis, ut ei liceat hic in palatio sacramentum suum jurare quia propter nostrum servitium sibi constitutum placitum intra patriam observare non licuit.

V. De duabus feminis quæ indiculos attulerunt interrogandi sunt Heiminus & Manoaldus (2) utrum ecclesiasticæ an fiscales (3) fuissent.

VI. Odo buticularius de foreste sua interrogandus est.

VII. De rebus quas Marchio tradidit filio Bosonis vel aliis hominibus, volumus ut hi quibus traditæ fuerunt, vestituram suam accipiant, & insuper confirmationem.

VIII. De rebus quas quædam femina Hildegardi Reginæ tradidit, & portionem quam sibi servavit injuste amisisse dicitur, volumus ut charta traditionis quæratur & inspiciatur, & tunc quid illa habere debeat definiatur.

IX. Querelam quam Helizachar & Heiminus contra Maginarium habent volumus ut Missi nostri secundum justitiam & æquitatem definiant.

X. De querela Hildebrandi Comitis, quod pagenses ejus paravereda dare recusant, volumus ut hoc Missi nostri ab his hominibus qui in eodem comitatu manent, & ea dare non debent, necnon & a vicinis Comitibus inquirant, & si invenerint quod ipsi ea dandi debitores sunt, ex nostra jussione dare præcipiant.

EXPLICIT LEGILOQUUS.

CAPITULARIUM

LIBRI TRES POSTERIORES,

COLLECTI A BENEDICTO LEVITA.

DE Conglutinatione istorum & communicatione septem librorum, Capitulorum videlicet dominicorum, qualiterque, quibus, & a quibus collecti, ordinati, atque conscripti esse monstrantur, sequens indicat lectio, & qui etiam istis panduntur versiculis.

Quatuor explicitis, lector venerande, libellis,
Qui canonum recitant jura tenenda satis,
Quosque pater quondam collegit nobilis apte
Ansegisus ovans ductus amore Dei,
Autcario demum quem tunc Mogontia summum
Pontificem tenuit, præcipiente pio,
Post Benedictus ego ternos Levita libellos
Adnexi, legis quis recitatur opus;
Quos patet inventos, præfatio pandit ut ipsa,
Distinctim titulis subpositisque suis.
Hos igitur relegens devoto pectore biblos.
Gratanter studeas fundere, posco, preces,
Quatinus æterno donentur munere cœlo
Hæc pia sanxerunt qui quoque jura pie.

---

(1) *Liutrico.*) Alibi *Liutrigo*. In codice Thuano & in uno Sangallensi, *Liutfrido*.

(2) *Heiminus et Manoaldus.*) Sive Monoaldus, ut alibi legitur. Iidem fortassis sunt qui inter Missos dominicos nominantur lib. 2. cap. 25.

(3) *Fiscales.*) In codice Bellovac. *fiscalinæ*.

IN-

INCIPIT SEQUENTIUM CAPITULORUM PRÆFATIO.

PRæcedentes quatuor libelli nonnulla gloriosissimorum Karoli atque Hludouvici Imperatorum continent capitula, quæ eorum tempore ab Ansegiso Abbate sunt collecta atque in prædictis coacta libellis, sicut in eorundem procemio continetur. Sed quia ab eo nec media, ut rati sumus, sunt forsitan inventa vel collecta, necesse erat ut a fidelibus ubicunque inveniri potuissent quærerentur, & ob recordationem tantorum Principum vel eorundem capitulorum utilitatem coadunarentur, & membranis insererentur, atque a fidelibus memoriæ commendarentur. Quapropter ea quæ ille aut invenire nequivit aut inserere fortasse noluit, & illa quæ postmodum a fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & Pippini ac Karoli atque Hludouvici didicimus in jam dictis libellis minime esse inserta, pro Dei omnipotentis amore & sanctæ Dei Ecclesiæ ac servorum ejus atque totius populi utilitate fideliter investigare curavimus, & in tribus subsequentibus libellis distincte cum titulis suis coadunare, ac Hludouvico Hlotharioque atque Karolo nobilissimis Regibus, filiis scilicet Hludouvici piissimi Imperatoris, habenda & omnium Christianorum fidelibus tradenda scribere non distulimus; ut scirent qualiter juxta normam avi, proavi, ac genitoris, secundum Domini scilicet voluntatem, sicut & illi fecerunt, clerum & populum sibi commissum, Domino opem ferente, regere mererentur. Hæc vero capitula, quæ in subsequentibus tribus libellis coadunare studuimus, in diversis locis & in diversis scedulis, sicut in diversis synodis ac placitis generalibus edita erant, sparsim invenimus, & maxime in sanctæ Mogontiacensis metropolis Ecclesiæ scrinio a Riculfo ejusdem sanctæ sedis Metropolitano recondita, & demum ab Autcario secundo ejus successore atque consanguineo inventa reperimus, quæ in hoc opusculo tenore suprascripto inserere maluimus. Monemus ergo lectores ut si eadem capitula duplicata vel triplicata repererint, non hoc nostræ imperitiæ reputent; qui, ut diximus, diversis ea in scedulis invenimus; & ob id tam cito hæc emendare nequivimus, sed cunctis scientiæ repletis lectoribus hæc corrigenda dimisimus. Invenimus insuper quædam ex his paria initia habentia & imparem finem; quædam vero pares fines, sed non paria initia; in quibusdam autem minus, & in quibusdam plus. Et propterea illa sic dimisimus sicut invenimus. Precamur etiam omnes ut si deinceps plura ex his invenerint, quæ memoratus Ansegisus non inseruit, nec nos potuimus hactenus invenire, ut ea illis in quarto aut in quinto libello distincta inserere non pigeat; quatinus ipsi ex hoc gratiam Dei habeant, & clerus ac populus eorum utilitatibus non careat, quoniam valde sunt utilia hæc capitula, & scire volentibus oppido profutura, quæ pro lege tam ecclesiastica quam & seculari jure firmissimo sunt tenenda. Primo igitur in loco posuimus nonnullos versiculos in laudem prædictorum Principum metrice compositos. Deinde sequuntur capitula primi libelli, subjectis numeris suis, ut facilius inveniri possit sententia quæ quæritur. His ita peractis, est in fronte primi libelli posita Zachariæ Papæ epistola omnibus Episcopis ac reliquis ecclesiastici ordinis gradibus & cunctis Ducibus atque Comitibus omnibusque Deum timentibus per Gallias & Francorum provincias constitutis directa, sicut in ea continetur. Quam sequuntur duo synodales conventus quos sanctæ Romanæ & apostolicæ Ecclesiæ Legatus Bonifacius memoratæ Mogontiacensis Ecclesiæ Archiepiscopus vice supradicti Zachariæ Papæ una cum Karlomanno Francorum Principe canonice tenuit, Ut agnoscant omnes hæc prædictorum Principum capitula maxime apostolica auctoritate fore firmata. Post ista quoque quæ sequuntur, eadem auctoritate, maxima, ut diximus, ex parte, & omnium Francorum utriusque ordinis virorum assensu sunt roborata. Secundo vero in libello, post capitulorum numerum, prima fronte posita sunt quædam ex lege divina excerpta capitula, sicut ea sparsim in eorum mixta capitulis reperimus; ut omnes hæc capitula legibus divinis regulisque canonicis concordare non ignorent. Tertio siquidem in libello, post ejusdem libelli capitulorum numerum, quædam ex canonibus a Paulino Episcopo & Albino magistro reliquisque jussione Karoli invictissimi Principis magistris sparsim collecta sunt inserta capitula; & quibusdam interpositis, sequuntur alia regulæ monasticæ congruentia, & demum ea quæ sequuntur ad sanctæ Dei Ecclesiæ servorumque ejus atque totius Christiani populi utilitatem sunt conscripta capitula, sicut in eodem continentur libello. Precamur quoque lectores omnes cunctosque judices & sapientes ut non ea sinistra interpretatione ullo unquam tempore dignentur exponere, aut quemquam injuste judicare, vel eo quod non sint quædam ex his juxta regulam grammaticæ artis composita reprehendere; sed pro ipsis Principibus eorumque & sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, qui hæc eadem simul cum eis tractaverunt, atque pro nobis, qui ea colligere ac describere curavimus, orare studeant; & jam dicta capitula pariter nobiscum illi amplecti, venerari, amare, legibusque tenere decertent, annuente Domino, ut parem omnes ex hoc mercedem habere mereamur. Amen.

FINIT.

INCIPIUNT VERSUS DE PRÆDICTIS PRINCIPIBUS.

AUrea grogenies, felici stemmate pollens,
Francorum virtus, perpetuumque decus,
Pippinus quondam micuit sublimiter, atque
Karlomannus agens quæ placuere Deo.
Censores etenim veri pietatis amore,
Ecclesiæ leges instituere sacras.
Quas dum lector ovans descriptas legerit istic,
Nec minus & jura posteriora legat.
Hinc Cæsar Karolus, divino munere fretus,
Nobiliter proceres rexit in orbe suos:
Quorum sceptra piis una moderatus habenis,
Cunctorum vicit inclita gesta patrum;
Virtutum gemmis David veliquosque secutus,
Insigni fama fulsit ubique sui.
Quid memorem multas domuit quas denique gentes,
E quis & remeans clara trophæa tulit?
Nec mirum, coluit dum Regis jussa superni,
Decernens sanctis jura tenenda viris.
Ob quæ promeruit cœlestia scandere regna,
Qua quoque percepit præmia larga satis.
Inde Hludouvicus regno successit avito,
Eximius Princeps, divus & orbis apex,
Augusto nituit sub quo Germania cultu,
Cultori tribuens commoda multa suo.
Pacis amator enim Cæsar, pietatis & almæ,
Consuluit populis, plebibus atque suis.
Scilicet ut Regum renovans sancita priorum,
Prudenter titulos adderet ipse pios.
Quapropter moriens penetravit sidera cœli,
Solvens præcelso cantica digna Deo.
Ex quo persequitur soboles veneranda per orbem
Ipsius, insigni nomine digna patris.
Hludouvicus enim (1) *fluvii cis littora Rheni*
Imperat, & gentes comprimit ecce feras,
Necnon Hlotharius pavili ditione potitus,
Francorum Cæsar sceptra tremenda vehit.
Tum Karolus regnum Francorum sorte retentat,
Nomen avi referens auxiliante Deo.
Nos quibus illa tenent terni quæ jura libelli,
Obtulimus scripta, semper habenda sibi.
Quorum norma docet jugiter nos vivere recte,
Et studiis Domino rite placere piis.
Hæc resecant pravos æquo moderamine mores,
Vivendi normam contribuendo piis.
Namque patrant multi funestas sæpe rapinas,
Nonnulli violant templa dicata Deo,
Sunt alii scelerum fœdati labe suorum,
Fistula quos omnes commemorare nequit,
Sed cohibet tales legum censura sacrarum;
Decretisque vetat ista patrare piis.
Ergo duces laudare decet per carmina fortes,
Munere virtutum qui micuere sacro;
Francia sub quorum sceptris tutissima mansit,
Libertate vigens, colla superba terens;
Quam variæ gentes dominam timuere severam,
Utpote quas armis cepit ovando suis.
Unde sibi nomen meruit, decus atque perenne,
De victis populis celsa trophæa ferens.
Cœlestis patriæ donati munere Reges
Exultant jugiter, & sine fine canunt;
Alta poli cujus subierunt culmina cœli,
Quos devota chelys jam resonavit ovans.
Felices nimium quos aula beata receptans,
Cœlicolis junxit civibus ipsa libens.
Non ibi jam metuunt furvas nocuasque tenebras,
Quin potius veræ lucis amœna vident.
Sic evangelici testatur pagina bibli,
Quod mundi lumen sit Deus altitonans.
Hoc jubar exhilarat superorum corda virorum,
Inradiansque procul nubila tetra fugat.
Hoc etiam vatum cecinit pulcherrime quidam,
Olim quod Dominus lusit amando Deus.
Cui decus & virtus, laus & veneratio semper,
Imperiumque manet cuncta per æva sacrum,
Ipse tibi tribuat prolixæ tempora pacis
Credita qui plebi sersque talenta tibi.

LIBER QUINTUS.

INCIPIT LIBELLUS QUINTUS.

Epistola Zachariæ Papæ Francis & Gallis directa.

I. ZAcharias Papa universis Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Abbatibus, cunctis etiam Ducibus, Comitibus, omnibusque Deum timentibus per Gallias & Francorum provincias constitutis. Referente nobis reverentissimo atque sanctissimo fratre nostro Bonifacio Episcopo quod dum synodus adgregata esset in provincia vestra juxta nostram commonitionem, mediantibus filiis nostris Pippino & Karlomanno Principibus vestris, peragente etiam vice nostra Metropolitano Bonifacio, Dominus

(1) *Hludouvicus enim.*) Octo sequentes versus desunt in libro Bellovacensi, pro quibus ista ibidem leguntur.

Lotharius primum regnum sortitus avitum,
Arduennæ nemoris incola factus ovat.
Hinc Hludouvicus heros Rheni cis littora genti
Imperat, & populi effera colla terit.
Tunc Karolus, cari species genitoris amata,
Gallorum cœtus ordinat atque domat.
Illis nos qui fata tenent loca partibus æquis
Hæc ferimus scripta, semper habenda sibi.

nus illuminasset corda vestra cum Principibus vestris in prædicationem ejus, ut omnibus commonitionibus ejus obediretis, & falsos & schismaticos & homicidas & fornicarios a vobis expelleretis sacerdotes, omnipotenti Deo nostro gratias egimus, & pro vobis incessanter sumus orantes, ut qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat usque in finem. Obsecramus enim omnes vos coram Deo ut ejus commonitionibus firmiter obediatis. Ipsum enim vice nostra in partibus illis ad prædicandum constitutum habemus, ut vos, Deo propitio, ad viam perducat rectitudinis, & a cunctis facinoribus salvi esse possitis. Habuistis enim (1), peccatis facientibus, nunc usque falsos & erroneos sacerdotes. Unde & cunctæ paganæ gentes vobis pugnantibus prævalebant, quia non erat differentia inter laicos & sacerdotes, quibus pugnare licitum non est. Qualis enim victoria datur ubi sacerdotes una hora dominica pertractant mysteria & Christianis dominicum porrigunt corpus pro suarum animarum redemptione, & post Christianos, quibus hoc ministrare debuerant, aut paganos, quibus Christum prædicare, propriis sacrilegisque manibus necant; præcipue dicente eis Domino: *Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo condietur? Ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus*. Et dum hæc ita sint, & tales in vobis fuerint sacerdotes, quomodo victores contra vestros inimicos esse poteritis? Nam si mundos & castos ab omni fornicatione & homicidio liberos habueritis sacerdotes, ut sacri præcipiunt canones, & nostra vice prædicat præfatus Bonifacius frater noster, & ei in omnibus obedientes exstiteritis, nulla gens vestrum ante conspectum stabit; sed corruent ante faciem vestram omnes paganæ gentes, & eritis victores; insuper & bene agentes, vitam possidebitis æternam. Vos autem, carissimi fratres, qui estis veri sacerdotes, vel sub regali disciplina constituti, sic vosmetipsos exhibete ut certe ministros Dei & dispensatores mysteriorum Dei, ut non vituperetur ministerium vestrum, ne fiat in vobis sicut scriptum est: *Erit, sicut populus, sic sacerdos*. Et si hoc fuerit, qualis vobis erit ab hominibus laus, aut qualis a Deo expectatur retributio? Sed sic vos corrigite ut veri sacerdotes. Et tales ad sacerdotium perducite ut & vobis & illis testimonium maneat bonum ab his qui foris sunt; quatinus ab hominibus vobis adquiratis laudem, & a Deo mercedis præmium in æterna beatitudine percipere mereamini, eo quod per vos ad Christi perducti sunt rectam fidem, innoxios habentes sacerdotes. Ad synodum namque omni anno convenite ad pertractandum de unitate Ecclesiæ; ut si quid adversi acciderit, radicitus amputetur, & Dei Ecclesia maneat inconcussa. Bene valete.

Incipit Synodus cum actibus suis jussione apostolica a sancto Bonifacio & Francorum Episcopis sub Karlomanno Duce habita anno incarnationis dominicæ DCCXLII.

II. In nomine Domini (2) nostri Jesu Christi. Ego Karlomannus Dux & Princeps Francorum anno ab Incarnatione Christi DCCXLII, XI, videlicet Kalendas Majas, cum consilio servorum Dei & optimatum meorum, Episcopos qui in regno meo sunt cum Presbyteris ad Concilium & synodum pro timore Christi congregavi, id est, Bonifacium Archiepiscopum, & Burchardum, & Regemfridum, & Wiztanum, & Witbaldum, & Dadanum, & Eddanum, ac reliquos Episcopos, cum Presbyteris eorum, ut mihi consilium dedissent quomodo lex Dei & ecclesiastica religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum dissipata corruit, & qualiter populus Christianus ad salutem animæ pervenire possit, & per falsos sacerdotes deceptus non pereat. Et per consilium sacerdotum & optimatum meorum ordinavimus per civitates Episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium, qui est Missus sancti Petri (3). Statui-

(1) *Habuistis enim.*) Hæc pars epistolæ Zachariæ extat apud Ivonem par. 10. cap. 34.

(2) *In nomine Domini.*) Daniel Papebrochius in prolegomenis ad Tomum II. Aprilis pag. 7. hæc acta abominatur, quia Principem laicum faciunt conventui ecclesiastico præsidere, adeoque pro genuinis ea non vult agnoscere, Baronium etiam redarguens quod illa non satis severo examine ponderavit cum in annales suos referret. Hæc sunt verba Papebrochii: *Cum hæc omnia excedant potestatem secularem, & Principem laicum faciant conventui ecclesiastico præsidere eaque ordinare quæ disciplinam & correctionem cleri ac monachatus concernunt, absit ut ea habeamus pro genuinis*. Et paulo post: *Extant ea quidem in vulgatis Conciliorum collectionibus, æque ac alia spuria non pauca, suisque annalibus haud indigna Baronius censuit. Sed, quod salva tanti scriptoris reverentia dictum sit, severiori fuerant examine ponderanda, nec propter eam quam præferunt speciem utilitatis statim recipienda*. Sed hæc Papebrochii argumenta nullius momenti sunt ut supervacaneum existimem his refellendis occupari. Illud tantum dicam, nemini hactenus ante ipsum in mentem venisse ea acta, quæ in multis vetustissimis libris ac bibliothecis reperiuntur, ac tot seculorum reverentia & usu celebrata fuerunt, esse falsa ac supposititia. Nam quod ea vir clarissimus rejicit quia Princeps laicus ecclesiastico conventui præsedisse hic narratur ac decreta condidisse de emendanda vita Clericorum ac monachorum, si semel ista disputandi ratio permissa fuerit, certum est plures constitutiones ecclesiasticas quæ vetustis temporibus editæ fuerunt casuras, cum constet Principes olim præfuisse per semetipsos pluribus conventibus ecclesiasticis, pluribus etiam per suos gloriosissimos judices sive legatos.

(3) *Missus sancti Petri.*) Id est, Legatus apostolicæ sedis & Zachariæ Papæ. Hic erat mos loquendi per illas tempestates. Hincmarus epist. 41. ad Hadrianum Papam: *Missos vestros, Paulum*

tuimusque per annos singulos synodum congregari, ut nobis præsentibus canonum decreta & Ecclesiæ jura restaurentur, & religio Christiana emendetur. Et fraudatas pecunias Ecclesiarum Ecclesiis restituimus & reddidimus. Falsos vero Presbyteros & adulteros vel fornicatores Diaconos & Clericos de pecuniis Ecclesiarum abstulimus & degradavimus & ad pœnitentiam coegimus. Servis Dei per omnia omnibus armaturam portare vel pugnare aut in exercitum & in hostem pergere omnino prohibemus, nisi illis tantummodo qui propter divinum ministerium, Missarum scilicet sollemnia adimplenda & sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt; id est, unum vel duos Episcopos (1) cum capellanis Presbyteris Princeps secum habeat, & unusquisque Præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare & indicare pœnitentiam possit. Nec non & illas venationes & silvaticas vagationes cum canibus (2) omnibus servis Dei interdiximus. Similiter ut acceptores & falcones non habeant. Decrevimus quoque juxta sanctorum canones ut unusquisque Presbyter in parrochia habitans Episcopo subjectus sit illi in cujus parrochia habitat, & semper in quadragesima rationem & ordinem ministerii sui, sive de baptismo, sive de fide catholica, sive de precibus & ordine Missarum, Episcopo reddat & ostendat. Et quandocunque jure canonico Episcopus circumeat parrochiam populos ad confirmandos, Presbyter semper paratus sit ad suscipiendum Episcopum cum collectione & adjutorio populi qui ibi confirmari debet. Et in Cœna Domini semper novum chrisma ab Episcopo quærat. Ut Episcopo testis adsistat castitatis & vitæ & fidei & doctrinæ illius. Statuimus etiam ut secundum cautelam omnes undecunque supervenientes ignotos Episcopos vel Presbyteros ante probationem synodalem in ecclesiasticum ministerium non admitteremus. Decrevimus quoque ut secundum canones unusquisque Episcopus in sua parrochia sollicitudinem habeat, adjuvante Grafione qui defensor Ecclesiæ est, ut populus Dei paganias non faciat; sed ut omnes spurcitias gentilitatis abjiciat & respuat, sive profana sacrificia mortuorum, sive sortilegos vel divinos, sive phylacteria & auguria, sive incantationes, sive hostias immolatitias, quas stulti homines juxta Ecclesias ritu pagano faciunt sub nomine sanctorum martyrum vel confessorum Domini, & suos (3) sanctos ad iracundiam provocantes, sive illos sacrilegos ignes quos nedfratres vocant, sive omnes, quæcunque sunt, paganorum observationes diligenter prohibeant. Statuimus similiter ut si post hanc synodum, quæ fuit XI. Kalendas Majas, unusquisque servorum Dei vel ancillarum Christi in crimen fornicationis lapsus fuerit, ut in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua. Et si ordinatus Presbyter sit, duos annos in carcere permaneat, & antea flagellatus & scorticatus videatur; & post Episcopus adaugeat. Si autem Clericus vel monachus in hoc peccatum ceciderit, post tertiam verberationem in carcerem missus, vertentem annum ibi pœnitentiam agat. Similiter & nonnanes velatæ eadem pœnitentia contineantur, & radantur omnes capilli capitis ejus. Decrevimus quoque ut Presbyteri vel Diaconi non sagis, laicorum more, sed casulis utantur ritu servorum Dei. Et nullus in sua domo mulierem habitare permittat. Et ut monachi & ancillæ Dei monasteriales juxta regulam sancti Benedicti cœnobia vel Xenodochia sua ordinare, gubernare, & vivere studeant, & vitam propriam degere secundum prædicti patris ordinationem non neglegant. *Capit. a. 742. Capitul. Pipin. a. 744.*

Item altera synodus a supradictis Episcopis ac Principe apostolica auctoritate Kalendas Martias Liptinas habita.

III. Modo in hoc synodali conventu, qui congregatus est Kalendas Martias in loco qui dici-

---

lum scilicet & Leonem venerabiles Episcopos. Idem apud Flodoardum lib. 3. c. 21. scribit Liutberto Moguntino antistiti, *exhortans ut litteras & Missum Papæ benigne suscipiat*. Concilium apud Altheim apud B[illegible]h[illegible]d in lib. 11. cap. 68. *præsente videlicet Domni Johannis Papæ Apocrisiario Sanctæ Ortensis Ecclesiæ Petro venerabili Episcopo*. Et paulo post: *Tum demum præfatus Sancti Petri & Domni Johannis Papæ Missus proferens chartam &c.* Item lib. 1. cap. 52. *Interdicit eis Petrus Sancti Petri & Papæ Missus*. Ivo Carnotensis epist. 133. ad Richardum Episcopum Albanensem & apostolicæ sedis in Gallia Legatum: *Debitor sum honestati Romanæ Ecclesiæ, quantum ad parvitatem meam pertinet, providere: cujus si non honoro Missum, non videor honorare mittentem*.

(1) *Unum vel duos Episcopos*.) Antea legebatur *presbyteros*. Emendatum est auctoritate veterum exemplarium. Fatendum tamen est in codice Tiliano & in Trecensi scriptum esse *presbyteros*.

(2) *Vagationes cum canibus*.) Vide Notas ad Agobardum & Petrum Blesensem epist. 56. & 61.

(3) *Confessorum Domini, & suos*.) Hæc est lectio veterum codicum Normannici, Camberonensis, Tiliani, Sangallensis, & Trecensis; quam lectionem retinuerunt Tilius & Petrus Pithœus. At in codice Colbertino & in Rivipullensi, tum etiam in secunda editione Pithœana legitur *confessorum, Deum & suos*; quæ est sincera lectio. Error ortus ex eo quod veteres librarii vocem *Deum* sic scribebant per abbreviationem *dm*, ex quo postea alii effecerunt *dni*, id est, *domini*. Simile omnino mendum extat apud Pseudoplautum in Querolo; ubi ad eum locum *sequuntur atque observant unice panem domini*, Pithœus manu sua adnotavit in veteri codice scriptum esse *panem dm.* quod ipse recte interpretatur *panem Deum*. Transcribo enim ipsa verba ex libro edito qui fuit ejusdem Pithœi, in cujus margine vir clarissimus emendationes posuit ex veteri exemplari Ms. & notulas etiam suas adjecit. Alterum quoque ejusdem comœdiæ exemplar editum habeo manu Petri Danielis notatum, in quo ille ad hunc locum adnotavit legendum esse *panem Deum*, & de eucharistia intelligendum aperte pronuntiat.

dicitur Liptinas, omnes venerabiles sacerdotes Dei & Comites & Præfecti prioris synodi decreta consentientes firmaverunt, seque ea implere velle & observare promiserunt. Et omnis ecclesiastici ordinis clerus, Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi, cum reliquis Clericis, suscipientes antiquorum patrum canones, promiserunt se velle ecclesiastica jura moribus & doctrinis & ministerio recuperare. Abbates vero & monachi receperunt regulam sancti patris Benedicti ad restaurandam normam regularis vitæ. Fornicatores namque & adulteros, qui sancta loca vel monasteria ante tenentes coinquinaverunt, præcepimus inde tollere & ad pœnitentiam redigere. Et si post hanc definitionem in crimen fornicationis vel adulterii ceciderint, prioris synodi judicium sustineant. Similiter & monachi & nonnæ. Statuimus quoque cum consilio servorum Dei & populi Christiani, propter imminentia bella (1) & persecutiones ceterarum gentium quæ in circuitu nostro sunt, ut sub precario & censu aliquam partem ecclesialis pecuniæ in adjutorium exercitus nostri cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus, ea conditione, ut annis singulis de unaquaque casata solidus, id est, duodecim denarii ad Ecclesiam vel monasterium reddantur; eo modo ut si moriatur ille cui pecunia commodata (2) fuit, Ecclesia cum propria pecunia revestita sit; & iterum, si necessitas cogat aut Princeps jubeat, precarium renovetur, & rescribatur novum. Et omnino observetur ut Ecclesiæ vel monasteria penuriam & paupertatem non patiantur (3) quorum pecunia in precario præstita sit. Sed si paupertas cogat, Ecclesiæ & domui Dei reddatur integra possessio. Similiter præcipimus ut juxta decreta canonum adulteria & incesta matrimonia, quæ non sunt legitima, prohibeantur, & emendentur Episcopo-

rum judicio; & ut mancipia Christiana paganis non tradantur. Decrevimus quoque (4), quod & pater meus ante præcipiebat, ut qui paganas observationes in aliqua re fecerit, mulctetur & damnetur quindecim solidis. *Capitul. a. 743. Capitul. Pipini a. 744. c. 6.*

De fide catholica & primo præcepto legis.

IV. Primo omnium admonemus ut fides catholica ab Episcopis & Presbyteris diligenter legatur omnique populo prædicetur. Hoc enim primum præceptum Domini Dei omnipotentis est in lege: *Audi Israel quia Dominus Deus tuus Deus unus est.* Et ut ille diligatur ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima, & ex tota virtute. *Vide supra lib. I. c. 58.*

De pace & concordia servanda.

V. Ut pax sit & concordia & unanimitas cum omni populo Christiano, inter Episcopos, Abbates, Comites, judices, & omnes ubique seu majores seu minores personas: quia nihil Deo sine pace placet, nec munus sanctæ oblationis ad altare; sicut in evangelio ipso Domino præcipiente legimus. Et ut est illud secundum mandatum in lege: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Item in evangelio: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Et iterum: *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* In hoc enim præcepto discernuntur filii Dei & filii diaboli: quia filii diaboli semper dissensiones & discordias movere satagunt, filii autem Dei semper paci & dilectioni student. *Ibid. c. 59.*

De eo qui a Presbytero non baptizato baptizatus est.

VI. Si quis baptizatus (5) est a Presbytero

(1) *Propter imminentia bella.*) Infra lib. 5. cap. 333. *Loca sibi a nobis propter aliquam necessitatem concessa.* Hincmarus apud Flodoardum lib. 3. cap. 10. *Ab Imperatore quoque Lothario præceptionis imperialis auctoritatem super quibusdam rebus obtinuit quæ tempore Karoli Imp. occasione quadam interveniente a Remensi sunt abstractæ Ecclesiæ & publicis usibus subactæ.* Præceptum Caroli Regis Burgundiæ editum in tomo duodecimo Spicilegii Dacheriani pag. 129. *sed nos postmodum pro quadam necessitate illas in beneficium contuleramus.*

(2) *Pecunia commodata.*) Ita codex Sangallensis, Normannicus, Camberonensis, Colbertinus. Rivipullensis habet *accommodata.* Trecensis & Tilianus, *commendata.* Marca lib. 1. historiæ Benearn. cap. 28. §. 13. præfert hanc ultimam lectionem. Præstat ejus verba referre. *Filesacus in tractatu de querela veteris Ecclesiæ Gallicanæ hic agi putat de pecunia numerata, in quo egregie fallitur. Pecunia pro bonis ecclesiasticis, ut capite primo prioris synodi* Liptin. *& lib. 6. Capitularium tit. 321. Quod probatur ex natura contractus precarii, qui alius est a contractu mutui, & pertinet ad immobilia. Quo tendunt etiam verba canonis:* Ecclesia revestita sit cum propria pecunia. *Itaque non erat quod in editione Conciliorum sollicitaretur lectio ista,* pecunia commendata. *Commendare enim apud auctores istius seculi idem sonat ac in beneficium dare.*

(3) *Paupertatem non patiantur.*) Statuta antiqua monasterii Corbeiensis edita in tomo quarto Spicilegii Dacheriani pag. 19. *ita ut nec penuriam patiantur nec aliqua superfluitate distendantur.*

(4) *Decrevimus quoque.*) Vide infra libro 6. cap. 422.

(5) *Si quis baptizatus.*) Rhabanus in epistola ad Reginbaldum tomo VIII. Conciliorum pag. 1849. cap. 6. *De illo vero qui Presbyterum se esse finxerit, cum non esset ordinatus, & baptismi officium exercuit, requirendum est utrum ipse baptizans baptizatus esset, & utrum in nomine Sanctæ Trinitatis sub trina mersione baptizaverit. Quod si ita erat, non est iterum baptizandus, sed per impositionem manus episcopalis & unctionem sacri chrismatis id quod factum est confirmandum.* Homilia incerti auctoris in die Pentecostes manuscripta in vetustissimo codice Ecclesiæ Lugdunensis: *Sive enim facinorosus quisque Presbyter aut Diaconus baptizaverit, sive hæreticus, sive schismaticus, si recte baptizaverit in nomine sanctæ Trinita-*

tero non baptizato, & ſancta Trinitas (1) in ipſo baptiſmo invocata fuit, baptizatus eſt, ſicut Sergius (2) Papa dixit. Impoſitione vero manus indiget (3). Georgius Epiſcopus Romanus & Johannes Sacellarius ſic ſenſerunt. *Capit. a.* 757. *c.* 9.

De eo qui filiaſtrum aut filiaſtram ante Epiſcopum tenuerit.

VII. Si quis filiaſtrum (4) aut filiaſtram ſuam ante Epiſcopum ad confirmationem tenuerit, ſeparetur ab uxore ſua, & alteram non accipiat. Similiter & mulier alterum non accipiat. Georgius ſenſit. *Ibid. c.* 12.

De his qui propter faidam in alias patrias fugiunt.

VIII. Qui propter faidam fugiunt in alias patrias, & dimittunt uxores ſuas, nec ille vir nec illa femina accipiant alterum conjugium. Georgius ſenſit. *Ibid. c.* 18.

De inceſtis.

IX. Si homo inceſtum commiſerit cum Deo ſacrata, aut cum matre ſua, aut cum matrina ſua de fonte aut confirmatione (5), aut cum matre & filia, cum duabus ſororibus, aut cum matris filia, aut cum ſororis filia, aut cum nepta, aut cum conſobrina, aut ſubrina, aut cum amita vel matertera, aut cum his quibus canones prohibent copulari; de iſtis criminibus pecuniam ſuam perdat, ſi habuerit. Et ſi hæc emendare noluerit, nullus eum recipiat, nec cibum donet. Et ſi fecerit, ſexaginta ſolidos Domno Regi componat, uſque dum ipſe homo ſe correxerit. Et ſi pecuniam non habuerit, ſi liber eſt, mittatur in carcerem uſque ſatisfactionem. Si autem ſervus aut libertus eſt, vapuletur plagis multis. Et ſi dominus ſuus eum permiſerit amplius in talem lapſum cadere, ipſe ſexaginta ſolidos Domno Regi componat. De reliquis vero propinquis juxta conſtituta ſanctorum patrum & juxta decreta canonum judicetur. *Capit. a.* 756. *c.* 1. *Capit. a.* 757. *c.* 19.

De eccleſiaſticis viris.

X. Si eccleſiaſtici viri ſupradicta facinora commiſerint, ſi honorabilis perſona fuerit, perdat honorem ſuum; minores vero vapulentur, aut in carcerem mittantur. *Ibid. c.* 2. *& c.* 20.

De Presbyteris & Clericis, ut Archidiaconus eos convocet ad ſynodum.

XI. De Presbyteris & Clericis ſic ordinavimus, ut Archidiaconus Epiſcopi eos ad ſynodum convocet. Et ſi quis ire contempſerit, tunc Comes, juſſione Epiſcopi monitus, eum diſtringere faciat, ita ut ipſe Presbyter aut defenſor ſuus ſexaginta ſolidos componat, & ad ſynodum poſtea velit nolit veniat, & Epiſcopus ipſum Presbyterum vel Clericum juxta canonicam auctoritatem dijudicari faciat. Solidi vero ſexaginta de ipſa cauſſa in ſacellum Domni Regis veniant. *Ibid. c.* 3. *& c.* 21.

De eo qui Miſſo Epiſcopi contradixerit vel Presbytero aut Clerico inceſtuoſum.

XII. Si aliqua perſona per violentiam Presbytero aut Clerico vel Miſſo Epiſcopi inceſtuoſum contradixerit, tunc Comes ipſam perſonam per fidejuſſores poſitam ante Regem faciat venire una cum Miſſis Epiſcopi. Et Domnus Rex ita eos diſtringat ut ceteri emendentur. *Cap. a.* 756. *c.* 3.

De his qui res eccleſiaſticas verbo Domni Regis tenent.

XIII. Ut illi homines qui res eccleſiaſticas per verbum Domni Regis (6) tenent, ſic ordinatum eſt, ut illas Eccleſias unde ſunt, vel

---

nitatis, ille qui ita baptizatus eſt non valet iterum a bonis catholicis rebaptizari, ne confeſſio vel invocatio tanti nominis videatur adnullari; niſi forte hoc evenerit ut ignoretur utrum ille qui venit ad fontem baptizatus fuerit an non. Quod ſolet evenire de infantibus qui projiciuntur a matribus in triviis aut in oſtiis domorum, & de illis qui revertuntur de captivitate, quorum matres prægnantes captivatæ ſunt a paganis. Iſti tales ſi propter ignorantiam rebaptizati fuerint, pro uno baptiſmate habebitur eorum baptiſmus.

(1) *Sancta Trinitas.*) Concilium Sueſſionenſe II. act. 5. *ſacrum baptiſma, quod in nomine ſanctæ Trinitatis perfectum eſt.*

(2) *Sergius.*) Jam monuimus in Notis ad Gratianum videri hic legendum eſſe *Stephanus*, ita ut hæc conſtitutio referenda ſit ad Stephanum Secundum. Nam quis eſt iſte Sergius Papa?

(3) *Impoſitione manus indiget.*) Vide epiſtolam Sancti Leonis ad Ruſticum cap. 18. & Burchardum lib. 4. cap. 42.

(4) *Si quis filiaſtrum.*) Vide a nobis dicta in Notis ad capitula Caroli M. excerpta ex lege Longobardorum cap. 48.

(5) *Matrina de fonte aut confirmatione.*) Hinc colligi poſſe videtur hanc conſuetudinem tum fuiſſe in Eccleſiis noſtris, ut non iidem patrini, non eædem matrinæ eſſent in baptiſmo & in confirmatione. Alioqui ſuperflua eſſet iſta matrinarum diſtinctio.

(6) *Per verbum Domni Regis.*) Conſtitutio Pippini de letaniis faciendis: *Sic prævidere faciatis & ordinare de verbo noſtro.* Infra cap. 198. hujus libri & Addit. IV. cap. 132. *fiat deſcriptio inter conventores de verbo noſtro.* Verbum itaque Regis hic ſignificat auctoritatem, voluntatem, juſſum. Hincmarus epiſt. 34. *per poteſtatem & per verbum Regis.* Capitulare de villis Caroli M. cap. 33. *uſque ad verbum noſtrum ſalvetur.* Et cap. 47. *de noſtro verbo eis aliquid facere præceperint.* Ludovicus Pius in epiſtola ad G. Comitem, quæ eſt decima nona inter epiſtolas Einhardi: *Quicquid ille tibi de verbo noſtro ſimul cum aliis Comitibus & fidelibus noſtris ad faciendum injunxerit.* Hincmarus apud Flodoardum lib. 3. cap. 25. *de quo ex verbo Regis mandat ut eum vel ad habitandum regulariter inter ipſos recipiant;* & cap. 28. *ex verbo Dei & ſuo atque ex banno Regis ad eamdem ſynodum convenire jubeant.* Alibi ſermo Regis ſignificat

vel illas domos episcopii vel monasterii cujus esse noscuntur, juxta quod de ipsis rebus tenent, emendare debeant, & illos census vel illas decimas ac nonas ibidem dare pleniter debeant sicut eis ad Vernum (1) ordinavimus. Et qui hoc non fecerit, ipsas res perdat. *Ibid. c.* 4.

Ut Presbyteri qui vicos vel Ecclesias tenent, ceram vel alios census ad matrem civitatis Ecclesiam persolvant, sicut consuetudo fuit.

XIV. Ut hi qui illos vicos vel illas Ecclesias tenent, illos census vel illam ceram quæ longo tempore ad illud episcopium reddiderunt, modo sic ordinavimus ut sic faciant. Et qui hoc non fecerit, sexaginta solidos componat. *Ibid. c.* 5.

De emunitatibus servandis.

XV. Ut emunitates pleniter conservatæ sint. *Ibid. c.* 8. *Cap. a.* 755. *c.* 19. 28.

De justitiis faciendis.

XVI. Ut omnes justitias faciant, tam publici quam ecclesiastici. Et si aliquis homo ad palatium venerit pro caussa sua, & antea suo Episcopo suisque ministris quæ ecclesiastica sunt, & quæ secularia suo Comiti non innotuerit in mallo ante Rachinburgios, aut si caussa sua ante Comitem in mallo fuit & ante Rachinburgios, & hoc sustinere noluerit, quod ipsi legitime judicaverint, si pro istis caussis ad palatium venerit, vapuletur. Et si major persona est, legem exinde faciat. *Capit. a.* 755. *c.* 29. *Capit. a.* 756. *c.* 9.

De ecclesiasticis viris qui se reclamantes ad palatium veniunt.

XVII. Si ecclesiastici viri ad palatium venerint de eorum caussis se reclamare, nisi super eorum seniore, vapulent, nisi senior suus eos pro caussa sua transmiserit. *Ibid. c.* 30. & *c.* 10.

De muliere quæ sine licentia viri sui velum in caput miserit.

XVIII. Mulier si sine comiato (2) viri sui velum in caput miserit, si viro suo placet, recipiat eam iterum ad conjugium. *Capit. a.* 757. *c.* 3.

De eo qui filiastram suam contra voluntatem ipsius dederit viro ingenno vel servo.

XIX. Si quis homo filiastram suam contra voluntatem ipsius & matris & parentum dederit viro ingenuo aut ecclesiastico vel servo, & illa noluerit habere ipsum, & reliquerit eum, potestatem habeant parentes illius dare illi alium maritum. Et si jam maritum habet, non separetur. *Ibid. c.* 4.

De femina ingenua quæ servum acceperit.

XX. Si femina (3) ingenua acceperit servum, sciens quod servus esset, habeat eum. (4) Una enim lex erit & viro & feminæ. *Ibid. c.* 5.

De eo qui habet mulierem legitimam, si frater ejus adulteraverit cum ea.

XXI. Si quis homo habens mulierem legitimam, si frater ejus adulteraverit cum ea, ille frater vel illa femina qui adulterium perpetraverunt, interim quod vivunt, nunquam habeant amplius conjugium. Ille vero cujus uxor fuit, si vult, potestatem habet uxorem accipere aliam (5). *Ibid. c.* 8.

ficat mundeburdem, id est, tuitionem & defensionem, ut notat Janus a Costa in commentario ad novellam tertiam Justiniani de numero Clericorum Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Lex Ripuariorum tit. 35. c. 3. *Si quis ingenuam puellam vel mulierem quæ in verbo Regis vel ecclesiastica est.* Lex Salica tit. 14. cap. 5. *Si vero puella quæ trahitur in verbo Regis fuerit.*

(1) *Ad Vernum.*) Id est in synodo Vernensi, quæ superiore anno congregata fuerat.

(2) *Comiato.*) Hæc est lectio veterum librorum Sangallensis, Bellovacensis, Tiliani, Colbertini, Rivipullensis. Capitulare anni DCCLVII. ex quo caput illud sumtum est, tum etiam codex Normannicus habent *commeatu*. Trecensis, regius, Camberonensis, Palatinus, Colbertinus, meus, *licentia*. Sic etiam Regino, Burchardus, Ivo, & Gratianus. Vide Notas ad Gratianum.

(3) *Si femina.*) Burchardus caput istud tribuit Concilio Vermeriensi, cum tamen sumptum sit ex Compendiensi.

(4) *Habeat eum.*) Burchardus hic addit: *quia omnes unum patrem habemus in cœlis*. Sed hæc additio superflua est & inepta in hoc loco. Burchardum Gratianus descripsit. Item Ivo par. 8. cap. 165. Sed idem cap. 52. hanc clausulam non habet, quia tum caput istud repetiit ex libro quinto Capitularium.

(5) *Accipere aliam.*) In excerptis ex collectione Benedicti Levitæ, quæ extant in vetustissimo codice Ms. bibliothecæ Thuanæ, ita legitur: *accipere aliam si absque ejus conscientia* (*) *factum fuerit illud adulterium, & si ab ea abstinuit posquam rescivit. Nam cum illa reconciliari non potest* (**).

Notæ ad istam Appendicem.

(*) *Si absque ejus conscientia.*) Hinc colligi potest repertos fuisse interdum maritos adeo perditos & impudentes ut uxores suas ad adulterium aut cogerent aut suaderent, quemadmodum antiquitus quidam patres filias suas prostituebant in lupanaribus, ut patet ex titulo Codicis Theodosiani de lenonibus. Maritorum istorum infamem dementiam repressit Liutprandus Rex Longobardorum anno vigesimo primo regni sui his verbis: *Si quis dixerit conjugi suæ, malam licentiam dando, Vade & concumbe cum tali homine, aut si dixerit ad hominem, Veni & fac cum muliere mea carnis commixtionem, & tale malum factum fuerit, & causa probata &c.* Vide reliqua in libro primo legis Longobardorum tit. 32. cap. 6. Extant apud me tabulæ matrimonii initi inter Raimundum Comitem Paliariensem & Valentiam filiam Arnaldi Mironis & Arsindis ejus uxoris, in quibus Raimundus promittit se sponsam suam, quæ mox uxor futura erat, nunquam dimissurum nisi propter adulterium, immo

Ut sacerdotes vel Clerici ad secularia negotia, relicto Episcopo suo, non convolent.

XXII. Quod non oporteat sacerdotes vel Clericos habentes adversus invicem negotia proprium Episcopum relinquere & ad secularia negotia (1) convolare. *Vid. supra lib. I. c. 28.*

Ut Presbyteri & Diaconi præter Episcopum nihil agant.

XXIII. Presbyteri & Diaconi præter Episcopum nihil agere pertentent.

De eo qui oblata dederit vel acceperit præter Episcopi jussionem.

XXIV. Si quis oblata dederit vel acceperit præter Episcopum vel eum qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam (2) pauperibus, & qui dat & qui accipit anathema sit.

Cum excommunicatis non licere communicare.

XXV. Cum excommunicatis non licere communicare. Nec cum his qui per domos conveniunt, devitantes orationes Ecclesiæ, simul orandum est. Ab alia Ecclesia non suscipiendus est qui in alia minime congregatur.

De eo qui Ecclesiam Dei conturbat.

XXVI. Si quis Ecclesiam Dei conturbare & sollicitare persistit, tanquam seditiosus per potestates exteras opprimatur.

De monachis, ut in civitate vel regione qualibet Episcopo suo subjecti sint.

XXVII. Monachos per unamquamque civitatem aut regionem subjectos esse Episcopo suo, & quietem diligere, & intentos esse tantummodo jejunio & orationi, in locis quibus renuntiaverunt seculo permanentes. Nec ecclesiasticis vero nec secularibus negotiis communicent, vel in aliquo sint molesti, propria monasteria deserentes, nisi forte eis præcipiatur, propter opus necessarium, ab Episcopo civitatis.

Ut Clericus in Ecclesia in qua prætitulatus est permaneat.

XXVIII. Clericum permanere oportet (3) in Ecclesia cui in initio ab Episcopo prætitulatus est ac sortitus est, & ad quam confugit quasi ad potiorem. Hoc autem refutantes, statuimus revocari debere ad suam Ecclesiam in qua primitus ordinatus est, & ibi tantummodo ministrare. Si quis hanc diffinitionem transgressus fuerit, decrevit sancta synodus a proprio gradu recedere.

Ut Episcopus curam monasteriorum gerat.

XXIX. Episcopum convenit civitatis competentem monasteriorum providentiam (4) gerere.

De eo qui excommunicatus pro suo neglecto fuerit.

XXX. Si quis excommunicatus fuerit pro suo neglecto, & tempore excommunicationis suæ ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationis judicetur protulisse sententiam.

Ut Presbyteri rem Ecclesiæ non vendant.

XXXI. Placuit ut Presbyteri non vendant rem Ecclesiæ ubi sunt constituti, nescientibus

mo nec propter hanc quoque causam si cum ejus conscientia factum fuerit. *Valentiam*, inquit, *filiam vestram in conjugio accipio, & vobis manifeste convenio ut eam semper cum honore teneam sicut homo debet tenere suam legitimam uxorem, & nunquam eam dimittam, dum vixero, nisi propter cucuciam quam ipsa mihi faciat, & ipsa cucucia mihi sit probata a me legaliter & manifeste convicta, & non sit facta per meum assensum, nec per meum consilium, nec per meum stabilimentum.* Dubitatum valde fuit olim an marito qui uxorem dimisisset propter adulterium, liceret aliam ducere, ac diversæ in hoc fuere veterum sententiæ. Quidam putarunt licuisse in Francia per hoc caput.

(**) *Reconciliari non potest.*) Negatio tollenda videtur ab hoc loco, ut sensus sit licere marito adhærere uxori suæ adulteræ. Caput 102. codicis canonum Ecclesiæ Africanæ: *Placuit ut secundum evangelicam & apostolicam disciplinam neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito, alteri conjungatur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur.* Vide infra lib. 6. cap. 87. & lib. 7. 382. Vide etiam Hincmarum epist. 37. cap. 8.

(1) *Secularia negotia.*) Ita omnino scriptum est in veteribus libris. Et tamen legendum est *secularia judicia*, ut patet ex canone novo synodi Chalcedonensis, ex quo caput istud sumptum est. Eadem medicina adhibenda est capiti tertio libri septimi.

(2) *Misericordiam.*) Id est, eleemosynam. S. Fulgentius Episcopus Ruspensis in libro de Trinitate pag. 163. in editione Sirmondi: *Nam qui sibi peccata impune videntur committere dum fortasse aliquas eleemosynas in pauperes faciunt, multum falluntur. Nesciunt enim quod opus misericordiæ primum sit seipsum Deo offerre & sic in alio misericordiam facere. Ergo faciendæ sunt eleemosynæ; sed ante sunt vitia relinquenda.* D. Petrus Chrysologus sermone 54. *Audeo dicere, qui de fraude Deo offert, cumulat crimina, non emundat: quia Deus in tali munere exuvias suorum pauperum, non misericordias, intuetur.* Hincmarus apud Flodoardum lib. 3. cap. 26. in epistola ad Theodulfum Comitem: *Contra omnes leges ecclesiasticum ministerium homo laicus usurpasti, & eleemosynam, id est, misericordiam pauperum, ac per hos Deum, qui misericordia miserorum est, sicut Judas proditor, vendidisti.* Concilium Vasense I. cap. 9. *pro ipsorum decem dierum misericordia.*

(3) *Clericum permanere oportet.*) Vide Notas ad epistolam 29. Lupi Ferrariensis.

(4) *Competentem monasteriorum providentiam.*) Hanc constitutionem Joachimus Vadianus tribuit Carolo M. lib. 1. de collegiis monasteriisque Germaniæ veteribus pag. 23. *Carolo Magno placuit ut Episcopi veteri more competentem monasteriorum curam gererent, contra autem monachi horum dicto audientes essent.* Repetitur autem hoc caput infra lib. 7. cap. 18.

bus Episcopis suis. *Vide infra lib. 7. c. 27.*

Ut manumissiones in Ecclesia celebrentur.

XXXII. Manumissiones in Ecclesia sunt celebrandæ.

De defensoribus Ecclesiarum ab Imperatore poscendis.

XXXIII. Defensores Ecclesiarum adversus potentias secularium vel divitum ab Imperatore sunt poscendi.

Ut nullus sacerdos canones ignoret.

XXXIV. Nulli sacerdoti liceat canones ignorare.

Quid de Presbyteris criminosis, de quibus adprobatio non est, agendum sit.

XXXV. Et hoc nobiscum magno studio pertractandum est., quid de illis Presbyteris criminosis, unde adprobatio non est, & semper negant, faciendum sit. Nam hoc sæpissime a nobis & progenitoribus atque antecessoribus nostris ventilatum est, sed non ad liquidum hactenus definitum. Unde ad consulendum Patrem nostrum Leonem Papam sacerdotes nostros mittimus. Et quicquid ab eo vel a suis perceperimus, vobis, una cum illis quos mittimus, renuntiare non tardabimus. Vos interdum vicissim tractate adtentius quid ex his vobiscum constituamus una cum prædicti sancti patris institutionibus; ut murmur cesset populi, & nos his satisfacientes, inlæsi, Domino auxiliante, ab utrisque maneamus. *Capit. a. 799.*

SEQUITUR CONSTITUTIO MEMORATA.

De Sacerdotum purgatione. Ex Capitulis Domni Karoli.

XXXVI. Omnibus vobis visu aut auditu notum esse non dubitamus quod sæpissime, suadente antiquo hoste, sacerdotibus crimina diversa objiciantur. Sed quoniam qualiter ex eis ab his rationabilis examinatio & satisfactio fiat, licet tempore bonæ memoriæ Domni genitoris nostri Pippini sive priscis temporibus a sanctis patribus & a reliquis bonæ devotionis hominibus sæpissime ventilatum fuerit, nos tamen pleniter & ad liquidum definitum reperire minime quivimus. Nostris quippe temporibus idipsum a sanctis Episcopis & reliquis sacerdotibus & ceteris ecclesiasticæ dignitatis ministris nostris in regnis seu in aliis Deo degentibus, nobisque una cum eis agentibus, sæpissime propter multas & nimias reclamationes, quæ ex hoc ad nos ex diversis partibus venerunt, ventilatum est. Sed qualiter consultu Domni & patris nostri Leonis Apostolici, ceterorumque Romanæ Ecclesiæ Episcoporum & reliquorum sacerdotum, sive orientalium & Græcorum Patriarcharum, & multorum sanctorum Episcoporum & sacerdotum, nec non & nostrorum Episcoporum omnium, ceterorumque sacerdotum ac Levitarum auctoritate & consensu, atque reliquorum fidelium & cunctorum Consiliariorum nostrorum consultu definitum est, vobis omnibus utriusque ordinis ministris scire volumus. Statutum est namque ratione & necessitate ac auctoritate prædicta consultu omnium ut quotiescunque cuiquam sacerdoti crimen imponitur, si ipse accusator talis fuerit ut recipi debeat; quia quales ad accusationem (1) sacerdotum admitti debeant, in canonibus pleniter expressum est. Si autem, ut dictum est, ille accusator, qui canonice est recipiendus, eum cum legitimo numero verorum & bonorum testium adprobare in conspectu Episcoporum poterit, tunc canonice dijudicetur. Et si culpabilis inventus fuerit, canonice damnetur. Si vero eum suprascripto prætextu adprobare ipse accusator minime poterit, & hoc canonice definiatur. Ipse ergo sacerdos si suspiciosus aut incredibilis suo Episcopo aut reliquis suis consacerdotibus sive bonis & justis de suo populo vel de sua plebe hominibus fuerit, ne in crimine aut in prædicta suspicione remaneat, cum tribus aut quinque vel septem bonis ac vicinis sacerdotibus, exemplo Leonis Papæ (2), qui duodecim Presbyteros in sua purgatione habuit (3), vel eo amplius (4), si suo Episcopo visum fuerit, aut necesse propter tumultum populi inesse perspexerit, & cum aliis bonis & justis hominibus, se sacramento coram populo super quatuor evangelia dato purgatum Ecclesiæ reddat (5). Si quis autem scire desiderat quales testes ad accusationem sacerdotum recipi debeant, & quid de accusatore faciendum sit, pleniter in canonibus reperire poterit, *Capit. I. a. 805. c. 7.*

(1) *Quales ad accusationem.*) Hincmarus apud Flodoardum lib. 3. cap. 28. scribens ad Sigloardum Archipresbyterum: *Notificetur etiam eisdem accusatoribus & testibus quales personas ad accusationem presbyteri vel ad testimonium super eum sacri canones recipi non permittunt.*

(2) *Exemplo Leonis Papæ.*) Vide Burchardum lib. 1. cap. 198. 230. & lib. 2. cap. 184.

(3) *Qui duodecim Presbyteros in sua purgatione habuit.*) Hæc addita sunt auctoritate aliquot veterum exemplarium. Sane sensus integer non est absque illa clausula. Confirmant autem hanc lectionem Hincmarus, Isaacus, & Ivo.

(4) *Vel eo amplius.*) Hincmarus apud Flodoardum lib. 3. cap. 26. *Anselmo illustri viro pro quodam Presbytero quem apud se accusaverat, sed ad denominatum placitum non venerat, significans purificasse hunc Presbyterum canonice se ipsum a crimine coram Missis ipsius Anselmi in conspectu plurimorum tam Clericorum quam laicorum, non tamen misisse, quia nec debuerit, in sacramentum plures sacerdotes ipsius testes.*

(5) *Purgatum Ecclesiæ reddat.*) Hincmarus ibidem cap. 28. *Placitum eidem Presbytero denuntietur ad triginta dies, ut ita præparatus veniat quo se vel canonice purificet vel concredat.*

De eo qui confitetur de crimine.

XXXVII. Manifestum est confiteri eum de crimine qui indulto & delegato judicio purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest utrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt de eo comprobentur, cum ipsa absentia pro confessione constat.

De usuris.

XXXVIII. Usuram non solum Clerici sed nec laici Christiani exigere debent.

De Comitibus, ut ministris Ecclesiæ in suis ministeriis adjutores sint.

XXXIX. Comites ministris (1) Ecclesiæ eorumque ministeriis, ut hoc plenius & de nostris & de se & de suis hominibus obtinere possint, adjutores in omnibus fiant. Et quicunque prima & secunda vice de his a Comite admonitus non se correxerit, volumus ut per eundem Comitem ejus neglegentia ad nostram notitiam perferatur, ut nostra auctoritate quod in nostro Capitulari continetur subire cogatur.

De ordinatione Presbyterorum.

XL. Ut Presbyteri non ordinentur priusquam examinentur. Et ut ante ordinationem pleniter & studiosissime instruantur qualiter se a vitiis cavere debeant, & qualiter subditos doceant; ne torpentes vel hebetes in doctrina sancta vel vitio malæ famæ, eorum neglectu, vel aliqua mala similitudine, quod absit, aspergantur: quoniam detractio sacerdotum ad Christum pertinet, cujus & ministri vel nuntii esse dicuntur; quia nimis graviter peccant qui Sacerdotes & ministros Christi detrahunt. Quoniam, testante evangelica tuba, melius est unicuique ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris, quam scandalizet unum de pusillis, Christi videlicet ministris. Et alibi: *Qui vos recipit, me recipit; & qui vos spernit, me spernit*. Et ut hoc detractionis & scandali peccatum omnes summopere caveant obnixe monemus, & coram Deo testamur, & sicut Dei fideles rogamus, ne Christi detrahant ministros. Similiter & Christi Domini nostri ministros & sacerdotes nostrosque magistros monemus ne locum subditis tribuant detrahendi; quia qui detrahit fratrem suum, homicida est; & pejor legitur esse detractio quam fornicatio. Ideo monemus & præcipue rogamus ne fiat; ne absque gladio aut vulnere corporis aliquo quisquam homicida inveniatur. Et sicut de hominibus corporaliter occisis judicare decrevimus, sic & de illis qui ex hoc detractionis scelere detecti coram nobis fuerint peragi Domino annuente decernimus; ut pax Ecclesiarum, in quantum Dominus auxilium dederit, in finibus & regionibus nobis a Deo commissis nulla turbetur tempestate detractionum atque bellorum.

De Presbyteris, qualiter Ecclesiæ introitum consequantur.

XLI. Ut nullus Presbyter ad introitum Ecclesiæ exenia donet. *Vid. supra lib. I. cap.* 140.

De non cogendo bibere.

XLII. Ut nemini liceat alium cogere ad bibendum. *Vide supra lib. I. cap.* 138.

De Presbyteris, a quibus per Ecclesias constituantur.

XLIII. Ut nullus laicus Presbyterum in Ecclesiam mittere vel de Ecclesia ejicere præsumat nisi per consensum Episcopi. *Vid. ibid. cap.* 141.

De honore pro Ecclesiis dando.

XLIV. Ut Episcopi prævideant quem honorem Presbyteri pro Ecclesiis suis senioribus tribuant. *Vid. ibid. cap.* 142.

De decimis dispensandis.

XLV. Ut decimæ in potestate Episcopi sint, qualiter a Presbyteris dispensentur. *Vide supra lib. I. cap.* 143.

De Ecclesiis vel altaribus inmeliorandis.

XLVI. Ut Ecclesia vel altaria melius constituantur. Et ut nullus Presbyter annonam vel fœnum in Ecclesiam mittere præsumat. *Vide supra lib. I. cap.* 144.

De Ecclesiis vel altaribus ambiguis.

XLVII. Ut Ecclesiæ vel altaria quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur. *Vide supra lib. I. c.* 145.

De linteis altaribus præparandis.

XLVIII. Ut Presbyteri per parrochias suas feminis prædicent ut linteamina altaribus præparent. *Ibid. c.* 146.

De parrochianis alterius Presbyteri.

XLIX. Ut nullus Presbyter alterius parrochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, ad Missam recipiat. *Ib. c.* 147. *& infra cap.* 115. *hujus libri.*

De parrochia alterius Presbyteri.

L. Ut nullus Presbyter in alterius Presbyteri parrochia, eo inconsulto, Missam cantare præsumat, nisi in itinere fuerit; nec decimam ad alterum pertinentem audeat recipere. *Vide supra lib.* 1. *cap.* 148.

De termino Ecclesiarum.

LI. Ut terminum habeat unaquæque Ecclesia

(1) *Comites ministris.*) Vide supra lib. 2. cap. 23. & infra cap. 273. istius libri.

clesia de quibus villis decimas recipiat. *Vide supra lib. I. cap.* 149.

De rebus Presbyterorum.

LII. Ut unusquisque Presbyter res quas post diem consecrationis adquisierit propriæ Ecclesiæ relinquat. *Vide supra lib. I. cap.* 150.

De pœnitentibus non cogendis vinum bibere.

LIII. Ut nullus Presbyter aut laicus pœnitentem cogat vinum bibere aut carnem manducare, nisi ad præsens pro ipso unum vel duos denarios juxta qualitatem pœnitentiæ dederit. *Vide supra lib. I. cap.* 151.

De Presbyteris, a quibus se caveant.

LIV. Ut nullus Presbyter cartas scribat, nec conductor sui Senioris existat. *Vide supra lib. I. cap.* 152.

De Presbyteris qui agenda in domiciliis celebraverint.

LV. Statutum est (1) ut si quis Presbyter in domiciliis agenda celebraverit sine licentia & consilio sui Episcopi, honore sacerdotali privetur.

De prædicatione vel capitulis Presbyterorum.

LVI. Ut unusquisque Presbyter capitula habeat de majoribus vel de minoribus vitiis, per quæ cognoscere valeat vel prædicare subditis suis ut se caveant ab insidiis diaboli. *Vide supra lib. I. cap.* 154.

De eucharistia.

LVII. Ut Presbyter eucharistiam habeat paratam; ut quando quis infirmaverit, aut parvulus infirmus fuerit, statim eum communicet, ne sine communione moriatur. *Vide supra lib. I. cap.* 155.

De ampullis tribus in Cœna Domini habendis.

LVIII. Ut Presbyter in Cœna Domini tres ampullas secum deferat, unam ad chrisma, aliam ad oleum ad catechumenos inunguendos, tertiam ad infirmos unguendos juxta sententiam apostolicam, ut quando quis infirmatur, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, unguentes eum oleo in nomine Domini. *Vide supra lib. I. cap.* 156.

Ut omnes Clerici Episcopis suis subjecti sint.

LIX. Ut omnes Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi sub potestate Episcopi maneant.

De ordine Sacerdotum.

LX. Ut nullus Presbyter (2) præsumat in alia parrochia baptizare nec Missas celebrare sine jussione Episcopi in cujus parrochia est. Et omnes Presbyteri ad Concilium Episcopi (3) conveniant. Et si hoc quod superius comprehensum est facere contempserint, secundum canonicam institutionem judicentur tam ipsi quam & defensores eorum.

De eo qui non confitetur Dei Verbum passum carne.

LXI. Si quis non confitetur (4) Dei Verbum passum carne, & crucifixum carne, & mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundum quod vita est & vivificator ut Deus, anathema sit.

De modo excommunicationum, tam de Clericis, quam de laicis.

LXII. Si quis Presbyter (5) ab Episcopo suo degradatus vel excommunicatus fuerit, & ipse per contemptum postea aliquid de suo officio sine comiato facere præsumpserit, & postea ab Episcopo correptus & excommunicatus fuerit, qui cum ipso communicaverit scienter, sciat se esse excommunicatum similiter. Quicunque Clericus vel laicus aut femina incestum commiserit, & ab Episcopo suo correptus se emendare noluerit, & ab ipso excommunicatus fuerit, qui postea cum ipso communicaverit, similiter excommunicetur. Et ut sciatis qualis sit modus istius excommunicationis, in Ecclesiam non debet intrare, nec cum ullo Christiano cibum vel potum sumere; nec ejus munera quisquam accipere debet, vel osculum porrigere, nec in oratione se jungere, nec salutare, antequam ab Episcopo suo sit reconciliatus. Quod si aliquis se reclamaverit quod injuste sit excommunicatus, licentiam habeat ad metropolitanum Episcopum venire, ut ibidem secundum canonicam institutionem dijudicetur; & interim suam excommunicationem custodiat. Quod si aliquis ista omnia contempserit, & Episcopus hoc minime emendare potuerit, Regis judicio exilio condemnetur. *Capitul. a.* 755. *c.* 9.

De

(1) *Statutum est.*) Vide infra lib. 6. cap. 306.

(2) *Ut nullus Presbyter.*) Caput istud sumptum est ex capite octavo synodi Vernensis sub Pippino Rege.

(3) *Concilium Episcopi.*) Sic tum vocabant synodum quam nos hodie dicimus diœcesanam, ut patet etiam ex capite octavo synodi Vernensis relato infra cap. 60. huius libri. In tomo primo analectorum Joannis Mabillonii pag. 387. extat titulus capitulorum synodalium Hildegarii Episcopi Meldensis, in quo scriptum est eum convocasse *Concilium sacerdotum suæ diocesis apud Ecclesiam sanctæ Celiniæ*. Vide Capitula Herardi Archiepiscopi Turonensis cap. 133.

(4) *Si quis non confitetur.*) Ex canone duodecimo Concilii Ephesini ex versione antiqua quæ extat in collectione Isidori.

(5) *Si quis Presbyter.* Burchardus caput istud in epitomen contraxit & Toletano Concilio tribuit. Sed Loaisa illud noluit agnoscere pro legitimo canone Toletano, & inter supposititios reposuit. Burchardum secutus est Ivo.

De his qui a Synodo vel à suo Episcopo damnati sunt.

LXIII. Hæc vero per singula capitula in statutis Nicæni Concilii legere potestis, seu in aliis sanctorum patrum Synodalibus edictis, & in Antiocheno Concilio, quod hi qui damnati sunt a Synodo vel a suo Episcopo, & postea ministrare præsumunt, præcipitur ut nullus audeat eis communicare. Si quis vero eis communicat, simili sententiæ subjaceat sicut & damnatus. *Vide supra lib. I. c.* 7.

De Episcopis vel quibuslibet ex Clero.

LXIV. Item in eodem Concilio, ut Episcopus vel quilibet ex clero sine consilio vel litteris Episcoporum vel Metropolitani non audeant regalem dignitatem pro suis caussis clamare; sed in communi Episcoporum Concilio caussa eorum examinetur. *Ibid. c.* 10.

De die dominica, qualiter observanda est.

LXV. Item in eodem Concilio præcipitur ut a vespera usque ad vesperam dies dominica servetur. *Ibid. c.* 15.

De ignotis angelorum nominibus.

LXVI. Item in eodem Concilio præcipitur ut ignota angelorum nomina nec fingantur nec nominentur, nisi illorum quos habemus in auctoritate. Hi sunt, Michael, Gabriel, Raphael. *Ibid. c.* 16.

De mulieribus, ne ad altare accedant.

LXVII. Item in eodem Concilio, quod non oporteat mulieres ad altare ingredi. *Ib. cap.* 17.

De Episcopis ordinandis vel quibuslibet ex clero.

LXVIII. Item in Concilio Chalcedonensi, quod non oporteat Episcopum aut quemlibet ex clero per pecunias ordinare: quia utrique deponendi sunt, & qui ordinat, & qui ordinatur, nec non & qui mediator est inter eos. Item de eadem re in canonibus Apostolorum. *Si quis Episcopus aut Presbyter aut Diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur ipse & ordinator ejus, & a communione abscidantur. Vid. supra lib. I. c.* 19.

De maleficis vel incantatoribus.

LXIX. Item in eodem Concilio, ut coclearii, malefici, incantatores & incantatrices fieri non sinantur, quos in Simone mago Dominus terribiliter damnavit. *Ib. c.* 21.

De negotio Clericorum inter se.

LXX. Item in eodem Concilio, ut si Clerici inter se negotium aliquod habuerint, a suo Episcopo dijudicentur, non a secularibus. *Ibid. c.* 28.

De conspiratione Clericorum vel monachorum seu laicorum.

LXXI. Item in eodem Concilio, ut nec Clerici nec monachi nec laici conspirationem vel insidias contra pastorem suum faciant. *Ibid. c.* 29.

De fide sanctæ Trinitatis prædicanda.

LXXII. In Concilio Carthaginensi. Primo omnium necesse est ut fides sanctæ Trinitatis & incarnationis Christi, passionis, resurrectionis, & ascensionis in cœlos, diligenter omnibus prædicetur. *Ibid. c.* 32.

De his qui se convertunt ad Deum.

LXXIII. Item in eodem, de his qui in periculo constituti sunt, & convertunt se ad Deum, ut canonice inquirantur de reconciliatione, & canonice reconcilientur. *Ibid. cap.* 34.

De his qui non sunt bonæ conversationis.

LXXIV. Item in eodem, ut illi qui non sunt bonæ conversationis, & eorum vita est accusabilis, non audeant Episcopos vel majores natu accusare. *Ibid. c.* 35.

De his qui cum excommunicato communicaverunt.

LXXV. Item in eodem, ut qui excommunicato præsumptiose quis communicaverit, excommunicetur & ipse. *Ibid. c.* 36.

De subjectione Presbyterorum.

LXXVI. Item in eodem Concilio infra dua capitula, ut nullus Presbyter contra Episcopum suum superbire audeat. *Ibid. c.* 37.

De Clericis ecclesiastici ordinis.

LXXVII. Item in eodem, ut Clerici ecclesiastici ordinis, si culpam incurrerint, apud ecclesiasticos judicentur, & non apud seculares. *Ibid. c.* 38.

De falsis nominibus sanctorum.

LXXVIII. Item in eodem, ut falsa nomina martyrum & incertæ sanctorum memoriæ non venerentur. *Ibid. c.* 41.

De uxore a viro dimissa.

LXXIX. Item in eodem, ut nec uxor a viro dimissa alium accipiat virum vivente viro suo, nec vir aliam accipiat vivente uxore priore. *Ibid. c.* 42.

De oblatis pauperum.

LXXX. In Concilio Gangrensi, ut nulli liceat oblationes quæ ad pauperes pertinent rapere vel fraudare. *Ibid. c.* 46.

De jejuniis a sacerdotibus constitutis.

LXXXI. Item in eodem, ut ecclesiastica a sacerdotibus jejunia constituta sine necessitate rationabili non solvantur. *Ibid. c.* 47.

De

De his qui contra naturam peccant.

LXXXII. In Concilio Ancyrano. Si inventi sunt inter vos qui cum quadrupedibus, aut cum consanguineis usque ad septimum geniculum, vel masculis contra naturam peccant, dura & districta pœnitentia sunt coercendi. Quapropter Episcopi & Presbyteri, a quibus judicium pœnitentiæ injungitur, conentur omnimodis hoc malum a consuetudine prohibere vel abscidere. *Ibid. c.* 48.

De nominibus recitandis.

LXXXIII. Item ejusdem, ut nomina publice non recitentur ante preces sacerdotales. *Ibid. c.* 52.

De canonum institutis a Presbyteris non ignorandis.

LXXXIV. Item ejusdem, ut nulli sacerdoti liceat ignorare sanctorum canonum instituta. *Ibid. c.* 53.

De sacerdotibus contra decretalia agentibus.

LXXXV. Item ejusdem, ut si quis sacerdotum contra constituta decretalium præsumptiose egerit, & corrigi noluerit, ab officio suo submoveatur. *Ibid. c.* 56.

De fide Presbyterorum ab Episcopis discutienda.

LXXXVI. Ut Episcopi diligenter discutiant per suas parrochias Presbyterorum fidem & baptisma catholicum & Missarum celebrationes, ut fidem rectam teneant & baptisma catholicum observent, & Missarum preces bene intellegant, & ut psalmi digne secundum divisiones versuum modulentur, & dominicam orationem ipsi intellegant & omnibus prædicent intelligendam, ut quisque sciat quid petat a Deo. Et ut *Gloria Patri* cum omni honore apud omnes cantetur, & ipse sacerdos cum sanctis angelis & populo Dei communi voce *Sanctus, sanctus, sanctus* decantet. Et omnimodis dicendum est Presbyteris & Diaconibus ut arma non portent, sed magis confidant in defensione Dei quam in armis. *Vide supra lib. I. cap.* 66.

De Presbyteris in Ecclesiis constituendis ab Episcopis, & non ab aliis.

LXXXVII. Statutum est ut sine auctoritate vel consensu Episcoporum Presbyteri in quibuslibet Ecclesiis nec constituantur nec expellantur. Et si laici Clericos probabilis vitæ & doctrinæ Episcopis consecrandos suisque in Ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos rejiciant. *Ibid. c.* 84.

De villis novis & Ecclesiis in eis noviter constitutis.

LXXXVIII. De villis novis & Ecclesiis in eis noviter constitutis, ut decimæ de ipsis villis ad easdem Ecclesias conferantur. *Ibid. cap.* 87.

De Presbyteris qui feminas in domibus habent.

LXXXIX. Sancitum est ab Episcopis de Presbyteris qui feminas secum indiscrete habitare permittunt, & propter hoc malæ opinionis suspicione denotantur, ut si deinceps admoniti non se correxerint, velut contemptores sacrorum canonum canonica invectione feriantur. *Ibid. c.* 92.

De scriptoribus.

XC. Ut scribæ vitiose non scribant. *Ibid. cap.* 105.

De incestuosis.

XCI. De incestuosis, ut canonice examinentur, & nec propter alicujus amicitiam quidam relaxentur, quidam vero constringantur. *Ibid. c.* 111.

De communicatione fidelium.

XCII. Ut omnes fideles communicent, & ad Missas perspectent sine aliqua occasione. *Ibid. c.* 132.

De confugio ad Ecclesiam.

XCIII. Si quis ad Ecclesiam confugium fecerit, in atrio ipsius Ecclesiæ pacem habeat, nec sit ei necesse Ecclesiam ingredi; & nullus eum inde per vim abstrahere præsumat; sed liceat confiteri quod fecit, & inde per manus bonorum hominum ad discussionem in publico perducatur. *Ibid. c.* 134.

De admonitione Sacerdotum.

XCIV. Ut Sacerdotes admoneant populum ut eleemosynam dent & orationes faciant pro diversis plagis quas assidue pro peccatis nostris patimur. *Ibid. c.* 159.

De prædicatione ad plebem.

XCV. Ut ipsi sacerdotes, unusquisque secundum ordinem suum, prædicare & docere studeant plebem sibi commissam. *Ib. c.* 160.

De eruditione filiorum a parentibus vel patrinis.

XCVI. Ut parentes filios suos, & patrini eos quos de fonte lavacri suscipiunt, erudire summopere studeant; illos, quia eos genuerunt, & eis a Domino dati sunt; & istos, quia pro eis fidejussores existunt. *Supra lib.* 2. *cap.* 46.

De Ecclesiis antiquitus constitutis.

XCVII. Ut Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis nec ulla possessione priventur. *Ibid. c.* 47.

De his qui sine consensu Episcopi Presbyteros in Ecclesiis constituunt vel ejiciunt.

XCVIII. De his qui sine consensu Episcopi Presbyteros in Ecclesiis suis constituunt, vel de Ecclesiis ejiciunt, & ab Episcopo vel a quo-

a quolibet Misso dominico admoniti obedire noluerint, ut bannum nostrum rewadiare cogantur, & per fidejussores ad palatium nostrum venire jubeantur; & tunc nos decernamus utrum nobis placeat ut aut illum bannum persolvant aut aliam harmiscaram sustineant. *Capitul. a.* 829. *tit.* I. *c.* I. *Vide Addit. IV. cap.* 95.

De Ecclesiis inter coheredes divisis.

XCIX. De Ecclesiis quæ inter coheredes divisæ sunt consideratum est quatinus si secundum providentiam & admonitionem Episcopi ipsi coheredes eas voluerint tenere, & honorare faciant. Si autem hoc contradixerint, ut in Episcopi potestate maneat utrum eas ita consistere permittat, aut reliquias exinde auferat. Et ubi ad nostrum beneficium Ecclesiæ pertinentes ita divisæ inventæ fuerint, ut describantur, & nobis renuntietur. *Capitul. a.* 829. *tit.* I, *c.* 2. *Add. IV, c.* 96.

De manso ad Ecclesiam dato.

C. De uno manso ad Ecclesiam dato, de quo aliqui homines contra statuta sibi servitium exigunt, quicunque pro hac caussa accusatus fuerit, Comes vel Missi hoc quod inde subtractum est Presbyteris cum sua lege restituere faciant. *Capitul. a.* 829. *tit.* I. *c.* 4. *Add. IV. cap.* 98. 163.

De his qui decimas dare nolunt nisi a se redimantur.

CI. De decimis quas populus dare non vult nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est ne fiat. Et si quis contemptor inventus fuerit; & nec Episcopum nec Comitem audire voluerit, si noster homo fuerit, ad præsentiam nostram venire compellatur. Ceteri vero distringantur ut inviti Ecclesiæ restituant quod voluntarie dare neglexerunt. *Capitul. a.* 829. *tit.* I. *cap.* 7. *Add. IV. c.* 101. 167.

De testibus ad rem quamlibet discutiendam.

CII. Ut quandocunque testes ad rem quamlibet discutiendam quærendi atque eligendi sunt, a Misso nostro & Comite in cujus ministerio de re qualicunque agendum est, tales eligantur quales optimi in ipso pago invenire possint. Et non liceat litigatoribus per præmia falsos testes adducere, sicut hactenus fieri solebat. *Supra lib.* 3. *cap.* 78.

De caussa ebrii hominis, & de ejus testimonio & de placito Comitis.

CIII. Ut nullus ebrius suam caussam in mallo possit conquirere nec testimonium dicere. Nec placitum Comes habeat nisi jejunus. *Supra lib.* 3. *c.* 38.

De hoc si Presbyteri sanctum chrisma dederint ad judicium.

CIV. Ut Presbyter qui sanctum chrisma donaverit ad judicium subvertendum, postquam de gradu suo depositus fuerit, manum amittat. *Ibid. c.* 55.

De placito Centenarii.

CV. Ut nullus homo in placito Centenarii neque ad mortem nec ad libertatem suam amittendam aut ad res reddendas vel mancipia judicetur. Sed isti aut in præsentia Comitis vel Missorum nostrorum judicentur. *Ibid. c.* 79.

De raptu viduarum.

CVI. Qui viduam intra primos triginta dies viduitatis vel invitam vel volentem sibi copulaverit, bannum nostrum, id est, sexaginta solidos, in triplo componat. Vel si invitam eam duxit, legem suam ei componat, illam vero ulterius non adtingat. *Supra lib.* 4. *cap.* 17.

De homine publicam pœnitentiam agente interfecto.

CVII. Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum nostrum in triplo componat, & wirgildum proximis ejus persolvat. *Ibid. c.* 18.

De observatione præceptorum dominicorum.

CVIII. De observatione præceptorum nostrorum & immunitate præcipimus ut ita observentur sicut a nobis & ab antecessoribus nostris constitutum est. *Ibid. c.* 51.

De locis jamdudum sacris & nunc spurcitia fœdatis.

CIX. De locis jamdudum sacris & nunc spurcitia fœdatis, ut juxta possibilitatem in antiquum statum reformentur. *Ibid. c.* 53.

De commutationibus utilibus permanendis, inutilibusque delendis.

CX. Ubicunque commutationes (1) tam tem-

(1) *Ubicunque commutationes.*) Ad hoc ut commutationes de rebus Ecclesiarum valerent, necessaria erat interventio auctoritatis regiæ, ut docent Caroli Calvi Capitula tit. XXXVII. cap. 6. & vetus charta monasterii Conchensis data regnante Ludovico Pio. Flodoardus lib. 3. cap. 10. loquens de Hincmaro: *Res etiam nonnullas episcopii, terras scilicet atque mancipia, cum diversis personis ad incrementum Ecclesiæ pro partium opportunitate commutavit. Sed & præcepta regalia super pluribus earum rerum commutationibus obtinere curavit.* Ludovicus Pius comfirmavit commutationem factam inter Flodegarium Episcopum Andegavensem & Winnerandum. Idem confirmavit commutationem factam inter Smaragdum Abbatem Sancti Michaelis Virdunensis & quosdam homines qui nominantur in tomo secundo analectorum Domni Joannis Mabillonii pag. 406. Item commutationem de villa Cluniaco factam ab Hildebaldo Episcopo Matis-

tempore nostro quamque genitoris nostri legitimæ & rationabiles atque utiles inter Ecclesias Dei factæ sunt, permaneant. Ubicunque vero inutiles & incommodæ atque inrationabiles factæ sunt, dissolvantur (1), & recipiat unusquisque quod dedit. Ubi vero mortua manus interjacet, aut alia quælibet caussa, quæ rationabilis non esse videatur, inventa fuerit, diligenter describatur, & ad nostram notitiam perferatur. *Capitul. II. a. 814. c. 1. Capitul. a. 829. tit. 2. c. 5.*

De Ecclesiæ consecratione in qua mortuorum cadavera sunt sepulta.

CXI. Ecclesiam in qua mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur sanctificare non licet. Sed si apta videtur ad consecrandum, inde evulsa corpora, & rasis vel lotis lignis ejus, reædificetur. Si hæc consecrata prius fuit, Missas in ea celebrare licet; si tamen fideles fuerint qui in ea sepulti sunt.

De officio laicorum.

CXII. Laicus non debet in Ecclesia lectionem recitare, nec alleluya dicere, sed psalmum tantum aut responsoria sine alleluya.

De stultorum voto solvendo.

CXIII. Episcopo licet votum solvere, si vult.

De non prodendo a Presbyteris crimen Episcopi.

CXIV. Presbytero non licet peccatum Episcopi prodere, quia super eum est.

De parrochianis alterius Presbyteri.

CXV. Ut nullus Presbyter alterius parrochianum, nisi in itinere fuerit, nec decimam ad alterum pertinentem audeat recipere. *Vide supra cap. 49.*

De manus impositione & resolutione canonica.

CXVI. Ut nemo sacerdotum populi sibi peccata confitentium sine auctoritate canonum judicare præsumat. Et ut quando unicuique quisquam sacerdos sibi scelera sua confitenti juxta prædictum canonicum modum pœnitentiam tribuit, si comam dimiserit aut habitum mutaverit, manus ei secundum canonicam auctoritatem imponat cum orationibus quæ in Sacramentario (2) ad dandam pœnitentiam continentur. Si vero occulte & sponte confessus fuerit, occulte faciat. Et si publice ac manifeste convictus aut confessus fuerit, publice ac manifeste fiat, & publice coram Ecclesia juxta canonicos pœniteat gradus. Post peractam vero secundum canonicam institutionem pœnitentiam occulte vel manifeste, canonice reconcilietur, & manus ei cum orationibus quæ in Sacramentario ad reconciliandum pœnitentem continentur imponatur; ut divinis precibus & miserationibus absolutus a suis facinoribus esse mereatur: quoniam sine manus impositione nemo absolvitur ligatus. Et ideo Dominus & magister noster discipulis suis ac successoribus eorum ligandi ac solvendi dedit potestatem, ut peccatores ligandi habeant potestatem, & pœnitentiam condigne agentes absolvi atque peccata

---

tisconensi cum Warino Comite, ut patet ex illius præcepto quod extat in Notis ad Bibliothecam Cluniacensem, Carolus Calvus confirmavit commutationem factam inter Abbatem Fossatensem & Abbatem Latiniacensem, item commutationem inter Erchenradum Episcopum Parisiensem & Eginardum Abbatem Fossatensem. Idem confirmavit commutationem quam Hirmintrudis Regina & Abbatissa Kalensis fecerat cum eodem Ainardo Abbate Fossatensi. Confirmavit præterea permutationes factas inter Herpuinum Episcopum Silvanectensem & Godefridum Abbatem Fossatensem. Karlomannus Ludovici Balbi filius confirmavit anno DCCCLXXXI. commutationem factam inter Geilonem Episcopum Lingonensem, & Baldricum fidelem Regis; ut patet ex ejus precepto, quod Perardus edidit in momumentis historiæ Burgundicæ pag. 158.

(1) *Inrationabiles dissolvantur.*) Lotharius Rex Austrasiæ sive Lotharingiæ Remigio Lugdunensi Archiepiscopo restituit res quasdam anno DCCCLIX. quas per inrationabilem & iniquam commutationem amiserat, tamen etsi commutatio confirmata fuisset a Lothario Imperatore patre Lotharii; ut patet ex ejus præcepto, quod editum est in tomo duodecimo Spicilegii Dacheriani pag. 132.

(2) *Sacramentario.*) In quibusdam codicibus & hic & alibi infra legitur *sacramentorio*. In tomo tertio Spicilegii Dacheriani pag. 241. scriptum est Ansegisum Abbatem Fontanellensem, inter ceteros libros, quos Flaviacensi monasterio dedit, dedisse *sacramentoria volumina duo*. Credunt plerique sacramentarium idem esse cum libro sacramentorum. Sed Hugo Menardus in Notis ad librum sacramentorum pag. 85. existimat distinctionem esse inter hæc duo, eo argumento quod cum in ipso sacramentorum libro pag. 69. sacramentarium citetur, manifestum est sacramentarium a libro sacramentorum distingui. Attamen hæc res non adeo manifesta est quin adhuc plurimum habeat difficultatis; ac nisi res apertius elucescat, non admodum constabit sacramentorum librum esse diversum a libro sacramentario. In capite sane quod hic explicandum sucepimus dubitari non potest quin per orationes quæ in sacramentario ad dandam pœnitentiam continentur intelligantur eæ orationes quæ in libro sacramentorum leguntur pag. 225. in editione ejusdem Menardi. Ibidem & infra lib. 7. cap. 202. reconciliatio pœnitentium fieri jubetur *sicut in sacramentario continetur*, id est, secundum formulam quæ extat in eodem libro sacramentorum pag. 226. Infra in eodem libro septimo capite 179. & 389. mentio fit benedictionis nuptiarum quæ in sacramentario continetur. Hæc vero benedictio ab Hugone Menardo edita est pag. 286. ex codice Remensi. Unde colligi posse puto librum sacramentorum non esse diversum a libro sacramentario. In vetustissimo & elegantissimo codice bibliothecæ Colbertinæ literis aureis scripto liber sacramentorum habet hunc titulum: *In nomine Dei. Incipit liber sacramentorum de circulo anni a sancto Gregorio Papa Romano editus qualiter Missa Romana celebratur.* Vide Notas ad Agobardum.

cata cum divina invocatione dimitti queant. Nec mirum hoc. Quia si homines suis servis dant potestatem de subditis ligandi & solvendi vel nocendi & adjuvandi apud se, quanto magis dominus omnium hominum hanc potestative potestatem præpositis Sanctæ Ecclesiæ dedit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta erunt; & reliqua.*

De pœnitente cujus crimen pervulgatum est.

CXVII. In Concilio Carthaginensi de eadem re præcipitur, ut si cujusquam pœnitentis publicum & vulgatissimum crimen est, quod universam commoverit Ecclesiam (1), ante absidam (2) manus ei imponatur. Et alibi in canonibus vel in decretalibus Leonis Papæ præcipitur de eadem re, ut absolutio pœnitentum per manus impositionem Episcoporum supplicationibus fiat, & reliqua multa talia & horum similia.

De pœnitentibus qui eucharistiam acceperint in infirmitate positi.

CXVIII. Pœnitentes qui in infirmitate viaticum eucharistiæ acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint.

De remedio pœnitentiæ, & quod absolutio pœnitentum per manus impositionem Episcoporum supplicationibus fiat. Propter quod necesse est, ut reatus peccatorum ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur, etiamsi, periculo mortis urguente, statim post acceptionem pœnitentiæ & reconciliatio subsequatur. Ex Epistola (3) Papæ Leonis ad Theodorum Forojuliensem Episcopum.

CXIX. Multiplex misericordia Dei ita lapsis humanis subvenit ut non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, & qui regenerationis dona violarunt, proprio se judicio condemnantes, ad remissionem criminum perveniant; sic divinæ voluntatis præsidiis ordinatis ut indulgentiam Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeant obtinere. Mediator enim Dei & hominum Dominus Jesus Christus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem ut & confitentibus pœnitentiæ sanctionem darent & ab eadem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. Cui utique operi incessabiliter ipse Salvator intervenit, qui nunquam his abest, sicut ipse ait: *Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Qua de re innuitur ut si quid per servitutem nostram bono ordine & grato impletur effectu, non ambigamus per Spiritum sanctum nobis fuisse donatum. Si autem aliquis eorum pro quibus Domino supplicamus, quocunque interceptus obstaculo, munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad constituta remedia perveniat temporalem vitam humana conditione finierit, quod manens in corpore non recepit, consequi exutus carne non poterit. Idcirco necesse est nos eorum qui obierint merita actusque discutere, cum Dominus noster, cujus judicia nequeunt comprehendi, quod sacerdotum impleri ministerio non sivit, suæ justitiæ reservavit, ita potestatem suam timeri volens ut hic terror omnibus prosit, & quod quibusdam tepidis aut neglegentibus accidit nemo non metuat. Multum enim utile ac necessarium est ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvatur. His autem qui tempore necessitatis, periculis urguentibus, præsidium pœnitentiæ & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere nec tempora definire, apud quem nullas patitur venire moras conversio, dicente Dei Spiritu per Prophetam: *Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris.* Et alibi: *Dic iniquitates tuas prior, ut justificeris.* Item: *Quia apud Dominum misericordia est, & copiosa apud eum redemptio.* In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec se accusantium gemitus lacrymasque neglegere, cum ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam, dicente Apostolo: *Ne forte det illis Deus pœnitentiam ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.*

Item de pœnitentum absolutione, ut per manus impositionem Episcoporum vel Sacerdotum precibus fiat.

CXX. Si quis in periculo vel pace aut infirmitate pœnitentiam acceperit, si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus eucharistia. *Vide infra c. 140. istius libri.*

Ut

(1) *Universam commoverit Ecclesiam.*) In Concilio ipso legitur, *universa Ecclesia noverit.* Sed nostra lectio, quæ apud Dionysium quoque & Isidorum extat, videtur esse sincerior. Vide Gratianum 26. q. 6. cap. 14. *Presbyter.*

(2) *Ante absidam.*) Vir clarissimus Carolus Dufresnius in commentario ad Paulum Silentiarium pag. 537. ait sibi videri hunc locum intelligendum esse de abside narthecis, ubi consistebant pœnitentes, non vero de absida seu concha altaris. De absida porro vide Rosvveydum in Onomastico ad vitas patrum & Notas ad Reginonem.

(3) *Ex Epistola.*) Hæc est sincera lectio istius loci quam & sensus indicabat & auctoritas vetustæ collectionis canonum quæ edita est in tomo undecimo Spicilegii Dacheriani. In superioribus editionibus & in veteribus libris legitur *Exemplar*; quod mendum fuisse proclive dicemus ad caput 461. libri septimi.

Ut pœnitens ostensis pœnitentiæ fructibus ad communionem recipiatur.

CXXI. Ut pœnitens ostensis (1) necessariis pœnitentiæ fructibus legitimam communionem cum reconciliatoria manus impositione percipiat.

Ut pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, super caput cilicium a sacerdote consequantur.

CXXII. Pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manus super caput & cilicium a sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur. *Vide infra lib. 7. cap.* 310.

Ut omni tempore jejunii manus pœnitentibus a sacerdote imponatur.

CXXIII. Omni tempore jejunii manus pœnitentibus a sacerdotibus imponantur.

Ut lapsi per manus impositionem Episcopi absolvantur.

CXXIV. Nec absolvendos lapsos in fide credamus, nisi per impositionem manus Episcopi.

Ut pœnitentes communicent qui ante reconciliationem moriuntur.

CXXV. Placuit his qui (2) accepta pœnitentia ante reconciliationem migrant ad Dominum communicari, pro eo quod honoraverunt pœnitentiam. Qui si supervixerint, stent in ordine pœnitentum, ut legitimam communionem statuto tempore reconciliatione & manus impositione Episcopi, vel, ejus jussu, Presbyteri, recipiant.

De his qui convivio gentilium usi sunt.

CXXVI. Qui convivio solo gentilium & escis immolatitiis usi sunt, possunt jejuniis & manus impositione purgari. *Vide infra c.* 133.

Ut criminalia peccata multis jejuniis & crebris manus impositionibus a sacerdotibus purgentur.

CXXVII. Criminalia peccata multis jejuniis & crebris manus sacerdotum impositionibus eorumque supplicationibus juxta canonum statuta placuit purgari, ita ut nemo sine manus impositione Episcopi, aut, ejus jussu, alicujus Presbyteri, se credat esse a suis facinoribus absolutum. Non est mirandum si absolutio peccatorum per manus impositionem precibus fit sacerdotum, cum Dominus in veteri lege super caput hostiæ manum sacerdotis præceperit imponi. Etenim sicut tunc per illam hostiam, ita nunc invocatione sancti Spiritus, per quem fit remissio peccatorum, per manus Episcoporum vel eorum auctoritate reliquorum sacerdotum impositione supplicationibus eorum remittuntur peccata. Nam quando Dominus Lazarum suscitavit, ait discipulis suis: *Tollite lapidem*; subauditur, ut mortuus surgat, dans exemplum ut sicut ipsi manibus tollunt lapidem ut mortuus surgat, ita & ipsi & successores eorum manus pœnitentibus imponant, ut per impositionem manuum suis precibus mortuum de sepulchro, id est, peccatorem de vitiis, surgere & relevare faciant; & sicut illi prædictum Lazarum institis, id est funibus conligatum, jubente Domino solvunt, qui ait, *Solvite illum, & sinite abire*, ita isti eorum supplicationibus auxiliante Domino, & comitante Spiritu sancto, qui in his semper operatur, per manus impositionem peccatorum solvant vincula, eosque tempore a sanctis patribus constituto sacra eucharistia communicent, & absolutos ire permittant.

Ut pœnitentibus juxta canonicam auctoritatem pœnitentia detur, & ante suspensos a communione excubare faciant ad Ecclesiæ officium.

CXXVIII. Ut secundum formam canonum pœnitentibus detur pœnitentia, & prius eos a communione suspensos ad officium Ecclesiæ (3) excubare faciant, & inter reliquos pœnitentes ad manus impositionem crebro recurrere. Expleto autem satisfactionis tempore, & sacerdotali percepta manus impositione, juxta ordinem sacramentorum & canonum reconcilient pœnitentes & sacra communione confirment.

De his qui separati a communione fuerint pœnitentibus.

CXXIX. Qui a communione separantur in locis quibus seclusi fuerant, per manus impositionem recipiantur ad communionem. Nec se quisquam a peccatis absolutum sine reconciliatoria manus impositione credat; sed per manus impositionem precibus sacerdotum reconcilietur, sicut auctoritas habet ecclesiastica.

Ne in confinio mortis pœnitens a reconciliatione diutine suspendatur. Et ut oblatio ejus qui pœnitens, nedum reconciliatus, de hac vita exierit, ab Ecclesia recipiatur.

CXXX. Qui pœnitentiam in mortis agit periculo, non diutine a reconciliationis gratia differendus est. Sed si profecto mortis urguet periculum, pœnitentia per manus impositionem accepta, statim & reconciliatio adhi-

(1) *Ut pœnitens ostensis.*) Sumptum est ex canone tertio Concilii primi Arausicani, sive ex postrema illius canonis parte.

(2) *Placuit his qui.*) Hoc caput videtur esse sumptum ex eodem canone Arausicano, additis nihilo minus quibusdam clausulis ex canone quarto Concilii Carthaginensis secundi & ex canone 32. Concilii Carthaginensis III.

(3) *Officium Ecclesiæ.*) Ita veteres libri & editiones. Puto tamen legi debere *ostium*. Vide infra cap. 136. hujus libri.

hibenda est, ne prius ab humanis rebus æger abscedat quam donum reconciliationis accipiat, sicque superstitibus (1) quodammodo doloris videtur esse perpetuum, si præcisum ab Ecclesiæ membris eum qui utique reconciliationis non meruit gratiam, raptim a præsenti vita mortis natura subduxerit. Unde, juxta Papæ Leonis edictum, his qui in tempore necessitatis & in periculi urguentis instantia præsidium pœnitentiæ & mox reconciliationis remedium implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda; quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere nec tempora definire. De his autem qui accepta pœnitentia, antequam reconcilientur, ab hac vita recesserint, quamquam diversitas præceptorum de hoc capitulo habeatur, illorum tamen nobis sententia placuit qui, multiplices numero, de hujusmodi humanius decreverunt, ut & memoria talium in Ecclesiis commendetur, & oblatio pro eorum dedicata spiritibus accipiatur. *Vide supra cap.* 110.

De Presbyteris vel Diaconibus graviori noxa convictis.

CXXXI. Item confirmatum est ut si quando Presbyteri vel Diaconi in aliqua graviore culpa convicti fuerint, qua eos a ministerio necesse sit removeri, non eis manus tanquam pœnitentibus vel tanquam fidelibus laicis imponatur. Neque permittendum ut rebaptizati ad clericatus gradum promoveantur.

De pœnitentibus qui ex gravioribus levioribusque commissis pœnitentiam gerunt.

CXXXII. De pœnitentibus qui sive ex gravioribus commissis sive ex levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat. Ceterum de pondere æstimando delictorum sacerdotis est judicare, ut adtendat ad confessionem pœnitentis & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti cum viderit congruam satisfactionem. Sane si quis ægritudinem inciderit, atque usque desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschæ relaxandum, ne de seculo absque communione discedat.

De his qui convivio solo gentilium & escis immolatitiis usi sunt.

CXXXIII. Qui convivio solo gentilium & escis immolatitiis usi sunt, possunt jejuniis & crebris manuum impositionibus purgari; ut deinceps ab idolothytis abstinentes, sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut idola adoraverunt, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos, nisi per pœnitentiam publicam & per manus impositionem sacerdotali prece sint reconciliati, non oportet admitti. Tempora pœnitudinis habita moderatione sunt constituenda prout conversorum animos sacerdotes inspexerint esse devotos, pariter etiam habentes ætatis senilis intuitum, & periculorum quorumque aut ægritudinum respicientes necessitates; in quibus si quis ita graviter urgeatur ut dum adhuc pœnitet, de salute ipsius desperetur, oportet ei per sacerdotalem sollicitudinem, id est, per manus impositionem, absolutione precum sacerdotalium, communionis gratia subveniri. *Vide supra cap.* 126.

Ut pœnitentes qui ex gravioribus peccatis pœnitentiam gerunt, tribus annis sint inter audientes, si veram pœnitentiam gesserint.

CXXXIV. Pœnitentes qui ex gravioribus peccatis pœnitentiam gerunt, si ex corde pœniteant, sicut Nicæna Synodus de lapsis constituit, tribus annis sint inter audientes, quinque vero vel septem annis subjaceant inter pœnitentes manibus sacerdotum. Duobus etiam annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre; sed tantummodo populis in oratione socientur. Nec confundantur Deo colla submittere qui eum non timuerunt abnegare. Quod si, utpote mortales, intra metas præscripti temporis cœperit vitæ finis urguere, subveniendum est implorantibus, seu ab Episcopo qui pœnitentiam dedit, seu ab alio, qui tamen datam esse probaverit, aut similiter a Presbytero, jussu aut permissu tamen proprii Episcopi, per manus impositionem, absolutione precum sacerdotalium, viaticum abeuntibus de seculo non negetur. Pueris autem, quibus a puritate vocabulum est, seu Clericis, seu laicis, aut etiam similibus puellis, quibus ignorantia suffragatur ætatis, aliquandiu sub manus impositione decentis reddenda communio est. Quod si ante præfinitum pœnitentiæ tempus, despecti a medicis, aut evidentibus mortis pressi indiciis, recepta quiquam communionis gratia convaluerint, servemus in eis quod Nicæni canones ordinarunt, ut habeantur inter illos qui in oratione sola communicant, donec impleatur spatium temporis eisdem præstitutum.

De catechumenis non prætereundis.

CXXXV. Nec catechumeni prætereundi sunt; quia non est caussa dissimilis, sicut iidem sancti canones ordinarunt. Hi qui quolibet modo Christum, quem semel confessi sunt, abjurarint, tribus annis inter audientes sint, & postea cum catechumenis permittantur orare, per manus impositionem communionis catholicæ gratiam recepturi.

Ut

(1) *Superstitibus.*) In codice Sangallensi legitur *supprestibus*, in Camberonensi *subprestibus*, in Normannico *prestibus*. Sic olim scribebant cum de superstitibus intelligerent. Vide Notas ad Gratianum.

Ut qui pœnitentiam publice gerunt, uno anno sint cum cilicio inter audientes.

CXXXVI. Qui pœnitentiam publice gerunt, debent unum annum esse cum cilicio inter audientes, vel usque ad magnum diem, (1) & populo, quando intrat in Ecclesiam, perfusi lacrymis veniam postulare, precarique eum humiliter ut pro eis dignentur orare. Tribus vero annis subjaceant inter pœnitentes manibus sacerdotum in loco retro ostio Ecclesiæ pœnitentibus constituto, & seorsum, infra ipsam tamen Ecclesiam, secluso populo tamen, jam non in terram prostrati, sed vultu & capite humiliato, humiliter & ex corde, ut supra dictum est, veniam postulent, & pro se orare exposcant. Duobus etiam annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre; sed populis tantummodo in oratione socientur, ut perfectionem septimo in Cœna Domini consequantur anno, id est per Episcopi, vel ejus jussu, si ipse abest, aliorum sacerdotum manus impositionem, absolutione sacerdotalium precum, communionis catholicæ gratiam recepturi. *Qualiter septem annorum pœnitentia agatur*. In his vero septem annis multipliciter jejuniis, orationibus, fletibus, & eleemosynarum, prout melius potuerint, exhibitionibus & lacrymis persistant. Et ne ulterius eis talia contingant admodum caveant, dicente Domino: *Vade, & amplius noli peccare*.

De pœnitentibus transgressoribus.

CXXXVII. Ut hi qui frequenti prævaricatione peccata vel pœnitentiam iterant, frequenti sententia, nisi per satisfactionem quæ prævaricati sunt emendare nitantur, coerceantur vel condemnentur, ut hæc quæ voluntarie non diluerunt inviti emendent. Quod si his aliquis renuerit, & præceptis sui sacerdotis inobediens apparuerit, secundum modum culpæ excommunicetur. Si quis autem his ante reconciliationem & eorum satisfactionem absque proprii Episcopi licentia communicare præsumpserit, simili excommunicationi subjaceat. Sacerdotes autem ad quos pertinere noscuntur, si eos quolibet munere vel favore aut neglegentia admonere noluerint, aut per satisfactionem revertentes non susceperint, aut contemnentes de Ecclesia non ejecerint, simili sententia plectantur, quousque vel emendationis vel eorum damnationis sententia promulgetur.

Ut pœnitentibus absque personarum acceptione pœnitentia detur.

CXXXVIII. Ut sacerdos pœnitentibus absque personarum acceptione pœnitentiæ leges injungat.

De neglegentioribus pœnitentibus.

CXXXIX. Ut neglegentiores pœnitentes tardius recipiantur.

De eo qui pœnitentiam in infirmitate petit.

CXL. Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum sacerdos invitatus venit, oppressus in infirmitate obmutuit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus eucharistia. Si supervixerit, commoneatur a supradictis testibus petitionis suæ satisfactio, & subdatur statutum pœnitentiæ tempus, quandiu sacerdos qui pœnitentiam dedit probaverit. *Vide supra cap.* 120.

Ut pœnitentes non se credant absolutos nisi per manus impositionem.

CXLI. Pœnitentes qui in infirmitate viaticum eucharistiæ acceperunt non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint. *Vide supra cap.* 118.

De pœnitentibus qui antequam leges pœnitentiæ exsequantur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint.

CXLII. Pœnitentes qui antequam leges pœnitentiæ exsequantur, si casu in itinere vel in mari mortui fuerint, ubi eis sacerdos subvenire non potuerit, memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.

De loco monasteriorum vel ædificiis providendis.

CXLIII. Dignum ac necessarium est ut Missi nostri per quæque loca directi simul cum Episcopis uniuscujusque diocesis perspiciant loca monasteriorum Canonicorum pariter & monachorum, simulque & puellarum, si in apto & in congruo loco sint posita, ubi commodum necessarium possit adquiri, quod ad utilitatem pertinet monasteriorum, sicut in sancta regula dicitur. *Monasterium autem ita debet constitui ut omnia* (2) *ne-cessaria*

(1) *Magnum diem.*) Id est, diem Paschatis, ut explicat Henricus Spelmannus. Protevangelium D. Jacobi: *Venit autem dies Domini magna, & dixit Judith ancilla ejus: Quousque tandem affliges animam tuam? Non licet tibi lugere, quia dies Domini magna est.* Hic tamen magnus dies non significat diem Paschatis, sed feriam quintam sanctæ hebdomadæ, qua pœnitentes reconciliabantur. Capitula Herardi Archiepiscopi Turonensis cap. 14. *in die magno cœnæ reconciliandi*. Alibi dies magnus intelligitur de die, in quo fiet judicium universale. Carolus M. in epistola ad Elipandum & ceteros Episcopos Hispaniæ orat, ut Deus illos *in die magno ante conspectum gloriæ suæ gloriosos stare concedat*.

(2) *Omnia necessaria.*) Concilium Trosleianum cap. 3. *Sane ne ulla monachis evagandi vel de*

cessaria (1) *infra monasterium exerceantur, ut non sit necessitas monachis vel Clericis* (2) *vagandi foras; quia omnino non expedit animabus eorum*. Similiter quoque ædificationes monasteriorum supradicti Missi & cum eis Episcopi per diversa loca prævideant, si aptæ sint & congruenter sanctæ professioni compositæ, vel si claustrum firmum habeant in quo salvari possint animæ in eis commorantium sub disciplina canonica vel regulari. Ubi autem aliter inventa fuerint, hoc omnimodis Episcopus loci illius faciat emendari, ita ut condignam professioni eorum custodiam habeant Canonici vel monachi atque nonnanes, ne detur eis occasio maleficiendi; quod absit.

Ut Episcopi sciant qualiter Canonici qui sunt cum Abbatibus vivant.

CXLIV. Præcipimus ut unusquisque Episcopus sciat per singula monasteria quantos quisque Abba Canonicos in monasterio suo habeat. Et hoc omnino ambo pariter provideant (3), ut si monachi fieri voluerint, regulariter vivant. Sin autem, canonice vivant omnino.

Ut Presbyteri chrisma diligenter custodiant.

CXLV. Presbyteri sub sigillo (4) custodiant chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ vel maleficii (5) donare inde præsumant (6). Quod si fecerint, honore priventur.

Ut Presbyteri utantur assidue orariis.

CXLVI. Ut Presbyteri sine intermissione utantur orariis propter differentiam sacerdotii dignitatis.

Ne laici Presbyteros ejiciant de Ecclesiis.

CXLVII. Ut laici Presbyteros non ejiciant de Ecclesiis, neque constituant sine consensu Episcoporum suorum. *Capit. a.* 813. *c.* 2.

Ne laici a Presbyteris munera exigant.

CXLVIII. Ut laici omnino munera injusta non exigant a Presbyteris propter commendationem Ecclesiæ cuiquam a Presbytero. *Ibid. c.* 3.

De fugitivis Clericis.

CXLIX. Ut unusquisque Episcopus in sua parrochia diligenter Presbyteros vel Clericos inquirat unde sint. Et si aliquem fugitivum invenerit, ad suum Episcopum redire faciat.

De letania majore.

CL. Placuit nobis ut letania major (7) observanda sit a cunctis Christianis diebus tribus.

De quatuor temporibus observandis.

CLI. Constituimus ut quatuor tempora anni ab omnibus cum jejunio observentur. Id est, in Martio mense hebdomada prima, feria quarta & sexta & Sabbato veniant omnes ad Ecclesiam hora nona cum letaniis ad Missarum sollemnia. Similiter in mense Junio hebdomada secunda, feria quarta & sexta, & Sabbato jejunetur usque ad horam nonam, & a carne ab omnibus abstineatur. Similiter in mense Septembrio hebdomada tertia. Et in mense Decembrio hebdomada quæ fuerit plena ante vigiliam natalis Domini; sicut est in Romana Ecclesia traditum.

De indicto jejunio.

CLII. Quod si quis indictum jejunium (8) su-

---

de talibus præsumendi quippiam detur occasio, provideant Abbates vel Præpositi monasteriorum ut secundum quod temporis vel loci fert possibilitas, omnia illis in victualibus & vestibus necessaria, sicut regula præcipit, opportune ministrentur. Vetus auctor historiæ Trevirensis in tomo XII. Spicilegii Dacheriani pag. 247. *Æstimo namque quod Episcoporum est summam Deo famulantibus diligentiam adhibere, necessaria ministrando; ne dum pro necessariis conquirendis negotiantur, a sancto proposito discedere compellantur.*

(1) *Necessaria.*) *Id est, aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes diversæ intra monasterium exerceantur*, ut hic legitur in regula Sancti Benedicti.

(2) *Vel Clericis.*) Hæc verba non extant in regula Sancti Benedicti, & addita sunt propter Canonicos, ut recte observat Hugo Menardus in Notis ad Concordiam regularum pag. 1034.

(3) *Provideant.*) Hunc locum sic exposuit is qui statuta collegit quæ Sancto Bonifacio tribuuntur in tomo nono Spicilegii Dacheriani pag. 64. cap. 12. *Ut diligenter unusquisque Episcopus in sua parochia prævideat ut ubi monasterium monachorum fuerit, si regulariter vivant & monachice; ubi autem canonica vita fuerit, bene & canonice vivant*. Vide Capitulare primum anni DCCCXIII. cap. 4.

(4) *Presbyteri sub sigillo.*) Vide caput undecimum capitulorum presbyteris datorum post Capitulare ad Salz. Vide etiam Capitulare primum anni DCCCXIII. cap. 17. lib. 3. Capitular. cap. 55. & Addit. III. cap. 99.

(5) *Maleficii.*) Isidorus Clarius Episcopus Fulginas in constitutionibus synodalibus anni MDL. cap. 4. *Corpus Domini honorifice custodiatur in pyxide munda & decenti, & una cum oleo sancto sub clavi diligenter reponatur in aliquo loco condecenti specialiter ad hoc constituto. Quod si quæ parrochiæ sunt quæ non teneant corpus Domini, hoc quod diximus faciant de oleo sancto, & hoc maxime, ne ad veneficia possint auferri.*

(6) *Præsumant.*) In Concilio sexto Arelatensi & in statutis Bonifacio Archiepiscopo tributis cap. 5. additur: *Genus enim sacramenti est, & non ab aliis nisi a sacerdotibus contingi debet.* Itaque caput istud sumptum est simpliciter ex Capitulari primo anni DCCCXIII. quod hanc clausulam non habet. Deest quoque in Concilio Moguntiaco.

(7) *Letania major.*) Vide infra lib. 6. cap 74.

(8) *Indictum jejunium.*) Ab Episcopo nimirum: Riculfus Episcopus Suessionensis cap. 12. *Quan-*

ſuperbiendo contempſerit, & obſervare cum ceteris Chriſtianis noluerit, in Gangrenſi Concilio præcipitur ut anathematizetur niſi emendare ſtudeat.

De dominicis diebus.

CLIII. Omnes dies dominicos cum omni veneratione obſervare decrevimus, & a ſervili opere abſtinere. Et mercatus in eis minime ſit, nec placitum ubi aliquis ad mortem vel ad pœnam tradatur.

De decimis.

CLIV. Admonemus atque præcipimus ut decimis Deo omnino dari non neglegatur, quam Deus ipſe ſibi dari conſtituit: quia timendum eſt ut quiſquis Deo ſuum debitum abſtrahit, ne forte Deus per peccatum ſuum auferat ei neceſſaria ſua; & qui decimam Deo dare neglexerit, novem partes auferantur ab eo.

Ut Eccleſiæ pacem habeant.

CLV. Reum confugientem ad Eccleſiam nemo abſtrahere audeat, neque inde donare ad pœnam vel ad mortem, ut honor Dei & ſanctorum ejus conſervetur. Sed rectores Eccleſiarum pacem & vitam ac membra eis obtinere (1) ſtudeant. Tamen legitime componant quod inique fecerunt.

Iterum de pace Eccleſiarum.

CLVI. Præcipimus ut in Eccleſiis (2) aut in domibus Eccleſiarum vel in atriis placita ſecularia minime fiant.

Ut antiquæ Eccleſiæ honorem ſuum habeant.

CLVII. Eccleſiæ antiquitus conſtitutæ nec decimis nec aliis poſſeſſionibus priventur, ita ut novis oratoriis tribuantur. *Vide ſupra lib. 2. cap. 36.*

De beneficiis eccleſiaſticis.

CLVIII. Quicunque beneficium (3) eccleſiaſticum habent, ad tecta Eccleſiæ reſtauranda vel ipſas Eccleſias emendandas omnino adjuvent, & nonam & decimam reddant. *Capit. a.* 813. *c.* 24.

Ne Presbyter Miſſam ſolus cantet.

CLIX. Nullus Presbyter, ut nobis videtur, ſolus Miſſam cantare (4) recte valet. Quomodo enim dicet *Dominus vobiſcum*, vel ſurſum corda admonebit habere, & alia multa his ſimilia, cum alius nemo cum eo ſit (5).

De oblatione & pace in Eccleſia facienda.

CLX. Oblationem quoque & pacem in Eccleſia facere jugiter admoneatur populus Chriſtianorum: quia ipſa oblatio ſibi & ſuis magnum eſt remedium animarum, & in ipſa pace vera unanimitas & concordia demonſtratur.

De ſymbolo & oratione dominica.

CLXI. Symbolum (6), quod eſt ſignaculum fidei, & orationem dominicam diſcere ſemper admoneant ſacerdotes populum Chriſtianum. Volumuſque ut diſciplinam condi-

Quando autem vobis a noſtra parvitate vel a comminiſtris noſtris jejunium faciendum injungitur, plebes ad Eccleſiam venire rogate. Indicebatur etiam interdum a palatio, ut pluribus exemplis probari poſſet. Capitulare Ahytonis Epiſcopi Baſileenſis cap. 8. *Indictum vero jejunium quando a palatio vel a domo fuerit denunciatum, ab omnibus generaliter obſervetur.* Torſit hic locus clariſſimum editorem iſtius capitis: qui ut ſe a difficultatibus hic occurſantibus expediret, putavit hic pro *domo* legendum eſſe *Domno*, ita ut intelligatur Domnus Apoſtolicus ſive Papa. Nos ſimplicius exiſtimamus hic per vocem *domo* intelligi domum epiſcopii, in qua Epiſcopus habitat, unde jejunia indicit. Ac ſane ſi lectio iſta, quæ conſtans eſt in duobus antiquiſſimis codicibus manuſcriptis monaſterii Sangallenſis, mutanda eſſet in *Domno*, non ſtatim ſequeretur explicandam illam eſſe de Domno Apoſtolico Romano. Simpliciter verum eſſet exiſtimare per Domnum hic intelligi proprium Epiſcopum. Rhabanus lib. 2. de inſtitutione Clericorum cap. 25. *Necnon & illa omnino cuſtodire oportet unumquemque quæ communiter omnibus facere ſive pro tribulatione ſive pro gratiarum actione proprius Eccleſiæ mandat Epiſcopus. Quia qui conſtituta atque demandata jejunia ſervare neglexerit, peccat.* Amalarius in libro de ordine antiphonarii cap. 77. *Collegi quoque ſimul quaſdam antiphonas quæ conſonant tempori exomologeſeos; & ſolemus eos & eas canere per noctes quando obſervatur jejunium indictum & jejunium quatuor temporum.*

(1) *Membra eis obtinere.*) Vide Einhardum epiſtola 7. & 25.

(2) *Præcipimus ut in Eccleſiis.*) Vide infra Addit. III. cap. 32. & 118.

(3) *Quicunque beneficium.*) Caput iſtud ſumptum eſt ex capite 42. Concilii Moguntiaci, ex quo etiam illud laudavit Burchardus. Vide ſupra lib. 4. cap. 40. & Notas ad Reginonem.

(4) *Solus Miſſam cantare.*) Contra in Capitulis Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis, ſi tamen Theodori ſunt, editis in tomo nono Spicilegii Dacheriani legitur cap. 49. *Presbytero liceat ſoli Miſſam facere, ſi neceſſe eſt.* Vide infra Addit. II. cap. 9.

(5) *Cum eo ſit.*) Simon Goulartius in additionibus ad Catalogum teſtium veritatis pag. 1023. monet quoſdam pro his verbis habere *communicet*. Deinde addit: *In communione etenim myſteriorum hæc verba Dominus Vobiſcum, Surſum corda &c. elata voce a Diacono & Sacerdote pronuntiabantur, turba fidelium adſtante & ſigna ſacra participante.* In initio diviſionis quæ in Eccleſiam irrepſit occaſione errorum Martini Lutheri, contendebant Proteſtantes non debere Miſſam celebrari niſi cum adſint aliqui communicantes. Ad quæ Joannes Cochlæus reſpondit non recte auferri Miſſas propter defectum communicantium, & nullam Scripturam prohibere ne ſolus ſacerdos ſumat eucharistiam.

(6) *Symbolum.*) Vide Concilium Cloveshoviæ cap. XI.

gnam habeant qui hæc discere neglegunt, sive in jejunio, sive in alia castigatione. Propterea dignum est ut filios suos donent ad scholam, sive ad monasteria, sive foras Presbyteris, ut fidem catholicam recte discant & orationem dominicam, ut domi alios docere valeant. Qui vero aliter non potuerit, vel in sua lingua hoc discat.

Ut malum ebrietatis omnino vitetur.

CLXII. Magnum malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, modis omnibus cavere præcipimus. Qui autem hec vitare noluerit, excommunicandum eum esse decrevimus usque ad emendationem congruam.

De spiritalibus filiolis.

CLXIII. Præcipimus ut unusquisque compater vel proximi spiritales filios suos catholice instruant. *Vide supra lib. 2. cap. 37.*

Ut canticum luxuriosum circa Ecclesias deseratur.

CLXIV. Canticum turpe atque luxuriosum circa Ecclesias agere omnino contradicimus, quod ubique vitandum est.

De incestuosis.

CLXV. Ut Episcopi incestuosos puriter (1) investigare studeant omnino præcipimus. Et si pœnitere noluerint, de Ecclesia expellantur donec ad pœnitentiam revertantur.

Ne in quarta aut in quinta aut sexta generatione conjugium copuletur.

CLXVI. Contradicimus quoque (2) ut in quarta vel quinta sextaque generatione nullus amplius conjugio copuletur. Ubi autem post interdictum factum inventum fuerit, separentur.

Ne proprius filius de baptismo suscipiatur vel ad confirmationem teneatur.

CLXVII. Nullus igitur proprium filium vel filiam de fonte baptismatis suscipiat, nec filiolam nec commatrem ducat uxorem, nec illam cujus filium vel filiam ad confirmationem tenuerit. Ubi autem factum fuerit, separentur.

De damnatis nuptiis.

CLXVIII. Si quis viduam (3) uxorem duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu duabus sororibus nupserit (4), aut si qua duobus fratribus nupserit, seu cum patre & filio, tales copulationes (5) anathematizari, nec umquam amplius conjugio copulari (6), sed sub magna districtione fieri (7).

De cura & prædicatione sacerdotum erga populum sibi commissum, & ut facinorosos extra Ecclesiam ejiciant.

CLXIX. Ut sacerdotes populi sibi commissi curam habeant, & instanter de eorum animarum salute prædicent, & ut facinorosos secundum evangelicam institutionem arguant.

Ut Presbyteri omnes suos subjectos orationem dominicam & symbolum doceant.

CLXX. Quod Presbyteris prævidendum sit ut omnes qui Christiano nomine censentur orationem dominicam & symbolum memoriter teneant & intellegant.

Qui-

(1) *Puriter.*) Ita veteres libri & omnes editiones Capitularium. Deest autem hæc vox in codice Camberonensi & apud Reginonem. In prima editione Capitulorum, quæ cum canonibus Concilii Wormatiensis edi solent, legitur, *puniter investigare studeant*. Pro quo Crabbus & reliqui Conciliorum editores male reposuerunt, *punire & investigare studeant*. Male, inquam. Nam secundum judiciorum ordinem prius investigandi sunt rei, dein puniendi. Error ortus est ex prurigine corrigendi. Hinc etiam emendandum est Concilium Moguntiacum, ubi *pariter* scriptum est loco *puriter*. Longius aberratum est in capite 28. Concilii Moguntini anni DCCCXLVII. ubi ita legitur: *Ut Episcopi incestuosos penitus investigare studeant*. Vocem porro *puriter* vir clarissimus Franciscus de Roye in libro de Missis dominicis pag. 92. sic intelligi posse existimat ut Episcopi debeant incestuosos investigare absque dilatione, sicut Jurisconsultis pure, id est, sine die & conditione. Ex primo tamen Capitulari anni DCCCV. cap. 16. colligi posse videtur alium esse istius vocabuli sensum, nimirum ut Episcopi sic puriter & absque personarum acceptione incestuosus investigent & examinent ut nec propter alicujus amicitiam alii relaxentur, alii vero constringantur. In vetustissimo libro sacramentorum Ecclesiæ, ut reor, Lemovicensis, qui nunc extat in bibliotheca regia, sic legitur: *Ordo ad visitandum & ungendum infirmum. Antequam ungeatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo & sacerdoti suo puriter omnia peccata sua, & reconciliationem ab eo percipiat plenam.* Eadem habentur in codice Tiliano, ut legitur apud Hugonem Menardum in Notis ad librum sacramentorum pag. 340. Item apud Morinum in appendice tractatus de pœnitentia pag. 25. ubi tamen perperam editum est *pariter* pro *puriter*.

(2 *Contradicimus quoque.*) Hæc constitutio renovata est in Concilio Moguntino anni DCCCXLVII. cap. 30.

(3) *Si quis viduam.*) Caput istud reperitur in eodem Concilio Moguntino anni DCCCXLVII. cap. 29.

(4) *Duabus sororibus nupserit.*) Flodoardus lib. 3. cap. 29. de epistolis Hincmari: *Item cuidam fratri de homine qui cum quadam femina concubuit & postea sororem ipsius in conjugium duxit*. Vide infra Addit. III. cap. 115.

(5) *Tales copulationes.*) Codex Camberonensis ita habet: *Pro tam injusta copulatione debet anathematizari, nec unquam amplius copulari, sed sub magna districtione feriri.*

(6) *Amplius conjugio copulari.*) Ita vetera pleraque exemplaria. Editio Francisci Pithœi: *nec unquam amplius conjugio sub magna districtione copulari*; quam lectionem in nullo eorum librorum reperi quibus usus sum.

(7) *Fieri.*) In libro Trecensi & Camberonensi legitur *feriri*.

Quibus temporibus baptizandum sit.

CLXXI. Ut baptismum non fiat nisi statutis temporibus, id est, Pascha & Pentecosten, nisi infirmitas intercesserit. Et ut aliubi non baptizetur nisi in vicis publicis, nisi, sicut jam dictum est, ob infirmitatis caussam.

Quod nullum pretium pro baptismo accipi debeat.

CLXXII. Ut nemo Presbyterorum pro baptismo pretium accipere præsumat. Quod si fecerit, sciat se canonica regula esse damnandum.

De decimis, ut fideliter a fidelibus dentur, & canonice a Presbyteris dividantur.

CLXXIII. Ut decimæ fideliter sanctæ Ecclesiæ reddantur, & Presbyteri secundum canonicam regulam fideliter eas dividant.

De Presbyteris, ut seculares non exerceant curas, neque judices villarum fiant.

CLXXIV. Ut Presbyteri curas seculares nullatenus exerceant, id est, ut neque judices neque majores villarum fiant.

Ut in titulis quibus Presbyteri consecrantur, ante suam promotionem stabilitatem promittant.

CLXXV. Ut Presbyteri qui in titulis consecrantur, secundum canones, antequam ordinentur, promissionem stabilitatis loci illius faciant.

Ne feminæ cum Presbyteris habitent.

CLXXVI. Ut Presbyteri secum feminas licentiam non habeant habitandi, & ut suspiciones effugiant.

De Presbyteris vel Clericis fugitivis.

CLXXVII. De fugitivis Presbyteris vel Clericis canonica auctoritas observetur, id est, ut nemo nostrum Clericum alterius parrochiæ ordinet neque ordinatum suscipiat sine permissione sui Pontificis. Et hoc considerandum est, quid de talibus faciendum sit.

Ut in domibus non consecratis nequaquam Missa celebretur.

CLXXVIII. Sancitum est ut nullus Presbyterorum in domibus ab Episcopis non consecratis oblationem offerre quoquo modo præsumat.

Ut Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi nec arma portent nec venationem exerceant.

CLXXIX. Et hoc cavendum est, ut Presbyteri vel Diaconi sive Subdiaconi arma portare non præsumant neque venationes aliquas exercere.

Quod non liceat mulieri velum sive sponte sive non sponte acceptum dimittere.

CLXXX. Qualicunque modo (1) mulier, permittente canonice viro suo, aut eo defuncto, velum sanctum in caput acceperit aut sponte aut invita, in eo permaneat omnino, nec dimittat. *Capit. a. 757. c. 11.*

Ut res pauperum vel minus potentum mala occasione non emantur.

CLXXXI. Propter provisiones pauperum, pro quibus curam habere debemus, placuit nobis ut nec Episcopi, nec Abbates, nec Comites, nec Vicarii, nec Judices, nullusque omnino, sub mala occasione vel malo ingenio res pauperum vel minus potentum nec emere nec vi tollere audeat. Sed quisquis ex eis aliquid comparare voluerit, in publico placito coram idoneis testibus & cum ratione hoc faciat. Ubicunque autem aliter inventum fuerit factum, hoc omnino emendetur per jussionem nostram. *Supra lib. 2. c. 32.*

De potestate Episcoporum pro rebus ecclesiasticis, ac de convenientia Episcoporum cum laicis.

CLXXXII. Ut Episcopi (2) potestatem habeant res ecclesiasticas prævidere, regere, & gubernare, atque dispensare secundum canonicam auctoritatem. Volumus ut & laici in eorum ministerio obediant Episcopis ad regendas Ecclesias Dei, viduas & orphanos (3) defensandos, & ut obedientes sint eis ad eorum Christianitatem servandam. Et Episcopi consentientes (4) sint Comitibus & judicibus

---

(1) *Qualicunque modo.*) Balsamon ad canonem tertium Concilii Ancyrani: *Porro & Comnenam Dominam Theodoram, quæ dicta est Lapardæ illius Domini Andronici conjux, vi illius tyranni Andronici tonsam, Constantinopolitana synodus non sivit mutare habitum, nec eum Crate Hungariæ, qui hoc vehementissime petebat, conjungi, eo quod post ejus viri mortem processisset tonsura, etiamsi vi facta esset, & in cœnobiaco monasterio vitam egisset.* Vide capitula anni DCCLII. cap. 4. & Notas ad Agobardum.

(2) *Ut Episcopi.*) Caput istud descriptum est in Concilio Moguntino anni DCCCXLVII. cap. 7. Illud quoque Sanctus Stephanus Hungariæ Rex inseruit libro secundo decretorum suorum cap. 2.

(3) *Viduas & orphanos.*) Hæc & reliqua pars istius capitis desunt in codice Sancti Arnulphi Metensis, in quo ista substituuntur. *Et Nicolaus Papa ad locum, ita ut secundum sacrorum canonum sanctionem in potestate Episcopi res omnes Ecclesiæ consistant, & ille secundum timorem Dei quibus voluerit & quomodo voluerit illas dispenset. Et in suprascripto libro ex canonica auctoritate assumptum istud ita invenitur capitulum: Si quis oblata dederit &c.* ut supra cap. 24. hujus libri.

(4) *Et Episcopi consentientes.*) Ista in diversum mutata sunt in decretis Stephani Regis Hungariæ, hoc modo: *Consentientesque sint Comites & judices Præsulibus suis ad justitias faciendas, juxta præcepta legis divinæ.*

cibus ad justitias faciendas. Et ut nullatenus per aliquorum mendacium, vel falsum testimonium, neque perjurium, aut per præmium, lex justa in aliquo depravetur.

De eo qui caussam judicatam repetere præsumit.

CLXXXIII. Si quis caussam judicatam repetere præsumpserit in mallo, ibique testibus convictus fuerit, aut quindecim solidos componat, aut quindecim ictus ab Scabinis qui caussam prius judicaverunt accipiat. *Vide supra lib.* 3. *c.* 31.

De colonis & fiscalinis.

CLXXXIV. Ut nec colonus nec fiscalinus possint alicubi traditiones facere. *Ib. c.* 36.

De vita Canonicorum.

CLXXXV. In omnibus igitur, quantum humana permittit fragilitas, decrevimus ut Canonici Clerici canonice vivant, observantes divinæ scripturæ doctrinam & documenta sanctorum patrum, & nihil sine licentia Episcopi sui vel magistri eorum incomposite agere præsumant. In unoquoque episcopatu ut simul manducent & dormiant, ubi his facultas id faciendi suppetit. Vel qui de rebus ecclesiasticis stipendia accipiunt, in suo claustro maneant, & singulis diebus mane prima ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad mensam vero similiter lectionem audiant, & obedientiam secundum canones magistris suis faciant.

De Presbyteris occisis.

CLXXXVI. Presbyteri interfecti (1) Episcopo ad cujus parrochiam pertinent, solvantur secundum Capitulare gloriosi Karoli genitoris nostri, ita videlicet ut medietatem wirgildi ejus Episcopus utilitatibus Ecclesiæ cui is præfuit tribuat, & alteram medietatem in eleemosyna illius juste dispertiat: quia nullus nobis ejus heres proximior videtur quam ille qui ipsum Domino sociavit. *Vide supra lib.* 4. *cap.* 15.

De accusatione Episcopi.

CLXXXVII. Ut Episcopum nulli criminoso liceat accusare.

Quod non liceat monasteria Deo sacrata diversoria fieri secularia.

CLXXXVIII. Ut deinceps monasteria quæ Deo sacrata esse noscuntur, diversoria secularia secundum institutionem, in quantum cavere hoc possumus, non fiant, sed religiosis & Deum timentibus hominibusque sacratis tribuantur.

Ut conjurationes vel conspirationes non fiant.

CLXXXIX. Ut conjurationes vel conspirationes non fiant; quia hæc facientes sacri canones graviter damnant.

De illis qui res Ecclesiæ tenent.

CXC. Si quis ecclesiasticam rem tenet, & admonitus judicium declinaverit, quoadusque ad discussionem veniat, aut rem restituat ecclesiasticam, aut communione privetur. *Capit. II. a.* 814. *c.* 2.

De servo Ecclesiæ in furto comprehenso.

CXCI. Si servus Ecclesiæ in furto comprehensus fuerit, a judice publico sicut & reliqui distringatur. Et si judex publicus servum Ecclesiæ sine furto non præsumentem sine audientia Vicedomini (2) aut Archidiaconi aut detinere aut injuriare præsumpserit, anno integro ab Ecclesiæ liminibus arceatur.

De his qui Clericum injuraverint. Ex Concilio Autissiodorensi.

CXCII. Quicunque iudex aut secularis Presbytero aut Diacono aut cuilibet Clerico aut de junioribus absque audientia Episcopi vel Archidiaconi vel Archipresbyteri (3) injuriam inferre præsumpserit, anathema ab omnium Christianorum consortio habeatur. *Vide infra lib.* 7. *cap.* 443.

Ut homicidis vel ceteris reis qui legibus mori debent, si ad Ecclesiam confugerint, nullus eis victus detur.

CXCIII. Ut homicidis vel ceteris reis qui legibus mori debent, si ad Ecclesiam confugerint, nullus eis victus detur. *Capit. a.* 779. *c.* 8. *Addit. IV. c.* 126.

De decimis per jussionem Episcopi dispensandis.

CXCIV. Ut unusquisque suam decimam donet, atque per jussionem Episcopi dispenset. *Ibid. c.* 7. *& c.* 127.

Qualiter de latronibus faciendum sit.

CXCV. Ut latrones de infra emunitatem a ju-

---

(1) *Presbyteri interfecti.*) Vide canones Isaaci Episcopi Lingonensis tit. 2. cap. 1. ubi caput istud recte describitur ex lib. 5. cap. 186. ut in antiquis codicibus. Vide etiam quæ dicta sunt supra in Notis ad caput 15. libri quarti.

(2) *Vicedomini.*) Janus a Costa in titulum 31. libri primi Decretalium pag. 192. putat alicubi Vicedominos eosdem esse qui a Græcis Oeconomi dicuntur, alibi vero ab Oeconomis omnino separandos esse. In vita Sancti Meinwerci Episcopi Paderbornensis cap. 83. legitur ipsum moriturum, *ascito Vicedomino suo*, omnia quæ in pecunia vel diversarum eſ.arum copia habuit, Ecclesiis & pauperibus erogari præcepisse. Vir clarissimus Carolus le Cointe in annalibus ecclesiasticis Francorum ad annum 779. §. 21. putat Vicedominum in capitulari anni DCCLXXIX. cap. 19. eum esse qui alibi Vicecomes appellatur.

(3) *Archidiaconi vel Archipresbyteri.*) Hic Archidiaconus præponitur Archipresbytero. Vide omnino Notas ad Gratianum.

a judice ipsius emunitatis in Comitis placito præsententur. Et qui hoc non fecerit, beneficium & honorem perdat. Similiter Vassi nostri, si hoc non adimpleverint, beneficium & honorem perdant. Et qui beneficium non habent, bannum solvant. *Ib. c. 9. & c.* 128.

De perjuriis.

CXCVI. De eo qui perjurium fecerit, ut nullam redemptionem solvat, sed manum perdat. Quod si accusator contendere voluerit de ipso perjurio, stent ad crucem. Et si jurator vicerit, legem suam accusator emendet. Hoc vero de minoribus caussis observandum. De majoribus vero rebus, aut de statu ingenuitatis, secundum legem custodiant. *Ibid. c.* 10. *& c.* 129.

De latronibus juste peremptis, & de hominibus injuste punitis.

CXCVII. De vindicta & judicio justo in latrones facto testimonia Episcoporum absque peccato Comitis esse dicuntur, ita tamen ut absque invidia aut occasione mala hoc fiat, nihilque aliud ibi interponatur nisi vera justitia ad perficiendum. Ille vero qui per odium vel malum ingenium & nisi propter justitiam faciendam hominem punierit, honorem suum perdat, & legibus contra quem injuste fecit secundum pœnam quam intulerit emendet. *Ibid. c.* 11. *& c.* 130.

De nonis & decimis vel censu Ecclesiarum.

CXCVIII. De rebus vero Ecclesiarum, unde nunc census exeunt, decima & nona cum ipso censu solvantur. Ut unde antea non exierunt, similiter nonæ & decimæ dentur. De casatis vero quinquaginta solidus unus, de triginta dimidius solidus, de viginti transmissus unus. Et ut præcariæ modo renoventur. Et ubi non sunt scriptæ, fiat descriptio inter conventores de verbo nostro. *Ibid. c.* 13. *& c.* 132.

De tributariis Ecclesiarum.

CXCIX. De cerariis & tabulariis ac chartellariis ita fiat sicut a longo tempore decretum est. *Ibid. c.* 15. *& c.* 133.

Ut sacramentum pro gildoma non fiat.

CC. De sacramentis pro gildoma invicem conjurantibus, ut nemo præsumat facere. Alio vero modo, de eleemosynis illorum, aut de incendiis, aut de naufragiis, quamvis conhibentiam faciant, nemo in hoc jurare præsumat. *Ibid. c.* 16. *& c.* 134.

Ut iterantibus nullus impedimentum faciat.

CCI. De iterantibus qui ad palatium aut aliubi pergunt, ut eos per collectam nemo sit ausus adsallire. Et nemo herbam defensionis tempore præsumat tollere, nisi in hostem pergat, aut Missus noster sit. *Ib. c.* 17. *& c.* 135.

De teloneis forbannitis.

CCII. De teloneis, qualiter antea forbanniti fuerunt, observetur, ut nullus tollat nisi quod ab antiquo statutum fuerit. *Ibid. c.* 18. *& c.* 136.

Ut mancipia non sine testibus vendantur.

CCIII. De mancipiis, ut non vendantur nisi aut in præsentia Episcopi vel Comitis, aut in præsentia Archidiaconi aut Centenarii aut Vicedomini aut judicis Comitis, aut ante bene nota testimonia. Et ut foras marcham nemo mancipia vendat. Et qui fecerit, tantas vices bannum solvat quanta mancipia vendidit. Et si non habet pretium, in vuadium se ipsum tradat Comiti pro pretio usque dum ipsum bannum solvat. *Ib. c.* 19. *& c.* 137.

Qualiter de Comitibus vel de Vassis dominicis justitias non facientibus agendum sit.

CCIV. Si Comes in suo ministerio justitias non fecerit, Missis nostris de sua caussa vel de suis exeniis serviat usque dum justitiæ ibi factæ fuerint. Et si Vassus noster justitias non fecerit, tunc & Comes & Missus noster ad ipsius casam sedeant & de suo vivant quo usque justitias faciant. *Ibid. c.* 21. *& c.* 139.

De his qui pretium pro faida recipere & justitiam facere nolunt.

CCV. Si quis pro faida pretium recipere non vult & justitiam exinde facere, in talem locum eum mittere volumus, ut majus damnum non crescat. *Ibid, c.* 22. *& c.* 141.

De latronibus bis per membra & tertio per vitam puniendis.

CCVI. De latronibus ita præcipimus observandum, ut pro prima culpa non moriatur, sed unum oculum perdat; de alia vero culpa nasus ipsius latronis truncetur; de tertia culpa, si se non emendaverit, moriatur. *Ibid. c.* 23. *& c.* 142.

Decretale precum quorundam Episcoporum.

CCVII. Capitulare qualiter institutum est in hoc Episcoporum conventu; id est, ut unusquisque Episcopus tres Missas & tria psalteria, unum pro Domno Rege, & aliud pro exercitu Francorum, tertium pro præsenti tribulatione faciat. Presbyteri Missas tres. Monachi & monachæ & Canonici, unusquisque psalteria tria. Et biduanas (1) omnes fa-

(1) *Biduanas.*) Id est, jejunium duorum dierum. Rhabanus lib. 2. de institutione Clericorum cap. 25. *Leguntur aliqui sanctorum per biduanas, sive per triduanas, sive etiam per totam hebdomadam jejunium extendere.* Regino lib. 1. cap. 163. *Si quis lascivus in lingua fuerit, tri-*

faciant, tam Episcopi, monachi, & monachæ, atque Canonici, atque eorum infra casati homines, vel qui potentes sunt. Et unusquisque Episcopus, Abbas, & Abbatissa, qui facere potest, libram donet de argento aut eam valente in eleemosynam, mediocres vero dimidiam libram, minores vero solidos quinque. Et Episcopi, Abbates, & Abbatissæ pauperes famelicos quatuor pro ista stricitate nutrire debeant usque tempore messium. Et qui tantum non possunt, juxta quod possibilitas est, aut tres vel duos aut unum. Comites fortiores (1) libram de argento aut valente donent in eleemosynam, mediocres vero dimidiam libram; Vassus dominicus de casatis ducentis libram, de casatis centum solidos quinque, de quinquaginta unciam unam. Et faciant biduanas, & eorum homines, atque eorum casati, vel qui hoc facere possunt. Et qui redimere ipsam triduanam voluerit, fortiores Comites uncias tres, minores denarios triginta, minores solidum unum. Et de pauperibus famelicis sicut supra dictum est ipsi faciant. Hæc omnia, si Domino placuerit, pro Domno Rege & exercitu Francorum & præsenti tribulatione Missa sancti Johannis sint completa. *Ibid. c.* 143.

Quod res Ecclesiarum vota sint fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum; quibus non solum conlata conservanda, sed etiam alia augenda sunt.

CCVIII. Quia juxta sanctorum patrum traditionem novimus res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, cui non solum habita conservare, verum etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus, tamen ut ab ecclesiasticis de non dividendis rebus illius Ecclesiæ suspicionem dudum conceptam penitus amoveremus, statuimus ut neque nostris neque filiorum & Deo dispensante successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel progenitorum nostrorum voluntatem vel exemplum imitari voluerint, nullam penitus divisionem aut jacturam patiantur. *Vide supra lib. I. c.* 77. *Addit. III. c.* 1.

De conlatis Ecclesiæ dividendis.

CCIX. Statutum est ut quicquid tempore imperii nostri a fidelibus Ecclesiæ sponte conlatum fuerit, in ditioribus locis duas partes in usus pauperum, tertiam in stipendia cedere Clericorum aut monachorum, in minoribus vero locis æque inter clerum & pauperes fore dividendum; nisi forte a datoribus alicubi specialiter datæ fuerint. *Vide supra lib. I. c.* 80.

De ordinatione servorum.

CCX. De servorum ordinatione, qui passim ad gradus ecclesiasticos indiscrete promovebantur, placuit omnibus cum sacris canonibus concordare debere. Id enim statutum est, ut nullus Episcoporum deinceps eos ad sacros ordines promovere præsumat, nisi prius a dominis propriis libertatem consecuti fuerint. Et si quilibet servus dominum suum fugiens, aut latitans, aut adhibitis testibus munere conductis vel corruptis, aut qualibet calliditate vel fraude ad gradus ecclesiasticos pervenerit, decretum est ut deponatur & dominus ejus eum recipiat. Si vero pater ejus vel mater ab alia patria migrans in eadem provincia filium genuerit, & ipse filius ibidem educatus & ad gradus ecclesiasticos promotus fuerit, & utrum servus sit ignoraverit, & postea veniens dominus illius legibus eum adquisierit, sancitum est ut si dominus ejus illi libertatem dare voluerit, in gradu suo permaneat. Si vero eum catena servitutis a castris dominicis extrahere voluerit, gradum amittat: quia juxta sacros ordines vilis persona manens sacerdotii dignitate fungi non potest. De rebus vero illorum vel peculiare qui a propriis dominis libertate donantur, ut ad gradus ecclesiasticos jure promoveantur, statutum est ut in potestate dominorum consistat utrum illis concedere an sibi vindicare velint. Ceterum si post ordinationem aliquid adquisierint, illud observetur quod in canonibus de consecratis nihil habentibus constitutum est. De Ecclesiarum vero servis communi sententia decretum est ut Archiepiscopi per singulas provincias constituti nostram auctoritatem habeant, suffraganei vero illorum exemplar illius penes se habeant. Et quandocunque de familia Ecclesiæ utilis inventus aliquis ordinandus est, in ambone ipsa auctoritas coram populo lega-

---

triduana pœnitentia expietur. Obiter moneo caput septimum Capitularis Haytonis Episcopi Basileensis sic omnino legi in duobus antiquissimis codicibus Sancti Galli: *Septimo, ut sciant tempora legitima ad baptizandum in anno, id est, sabbato sancto Paschæ, ut illa triduana mersio in baptismate imitetur triduanam mortem Domini clarificata resurrectione*. Ubi vir clarissimus Lucas Dacherius edidit *trina mersio*. Recte sane. Nam sic legitur apud Sanctum Gregorium lib. 1. epist. 41. *Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus; ut dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur*. Item in capitulis quibus anonymus scriptor respondet ad interrogationes Caroli Magni: *Propterea infans ter mergitur insacro fonte ut sepulturam triduanam Christi trina demersio mystice designaret*. Sed ego tamen puto retinendam esse lectionem quam præferunt vetera Haytonis exemplaria, eumque fortassis ludere voluisse in antithesi triduanæ mersionis & triduanæ resurrectionis.

(1) *Comites fortiores.*) Id est, majores, ut recte explicat Hugo Menardus in Notis ad Concordiam regularum pag. 149. Erant enim tum in regno Francorum Comites majores, ut Comes Arvernorum, cum eodem tempore in pago Arvernico essent præterea Comites Brivatensis, Talamitensis, & Tollornensis. Plura exempla si quis habere desiderat, facile invenientur in veteribus libris & monumentis.

gatur, & coram sacerdotibus, vel coram fidelibus laicis, & ante cornu altaris, sicut in nostra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate, libertatem consequatur, & tunc demum ad gradus ecclesiasticos promoveatur. Similiter quoque de his agendum est quos laici de familia Ecclesiarum ad sacros ordines promovere voluerint. Sed & de his quos Præpositi Canonicorum aut monachorum ordinandos expetiverint eadem forma servanda est. *Ibid. c.* 82.

De personis a quibus non sunt res accipiendæ.

CCXI. Statutum est ut nullus quilibet ecclesiasticus ab his personis res deinceps accipere præsumat, quorum liberi aut propinqui hac inconsulta oblatione possint rerum propriarum exheredari. Quod si aliquis deinceps hoc facere tentaverit, synodali sententia districte feriatur, & res ad exheredatos redeant. *Ibid. c.* 83.

Ut nullus Presbyter aliqua cupiditate quemquam tonsurare suadeat.

CCXII. Statutum est ut nullus in canonica aut regulari professione constitutus aliquem tonsurare propter res adipiscendas deinceps persuadeat. Et qui hoc facere tentaverit, synodali vel imperiali sententia modis omnibus feriatur. *Capit. a.* 816. *c.* 8.

De Presbyteris constituendis.

CCXIII. Statutum est ut sine auctoritate vel consensu Episcoporum Presbyteri in quibuslibet Ecclesiis nec constituantur nec expellantur. Et si laici Clericos probabilis vitæ & doctrinæ Episcopis consecrandos suisque in Ecclesiis constituendos obtulerint, nulla qualibet occasione eos rejiciant. *Supra lib. I. c.* 84.

De mansis uniuscujusque Ecclesiæ.

CCXIV. Sancitum est ut unicuique Ecclesiæ unus mansus integer absque aliquo servitio attribuatur. Et ut Presbyteri in eis constituti non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis vel hortis juxta Ecclesiam positis, neque de præscripto manso, aliquod servitium præter ecclesiasticum faciant. Et si aliquid amplius habuerint, inde senioribus suis debitum servitium impendant. *Ibid. c.* 85.

De Presbyteris uniuscujusque Ecclesiæ.

CCXV. Statutum est, postquam hoc impletum fuerit, ut unaquæque Ecclesia suum Presbyterum habeat, ubi id fieri facultas providente Episcopo permiserit. *Ibid. c.* 86.

De sacris vasis Ecclesiæ ad pignus datis.

CCXVI. De sacris vasis Ecclesiæ, quæ in pignus a nonnullis in quibusdam locis dari comperimus, inhibitum est ne deinceps a quoquam fieri præsumatur, nisi solummodo necessitate redimendorum captivorum compellantur. *Ibid. c.* 88.

De Ecclesiis destructis, vel de nonis & decimis.

CCXVII. De ecclesiis sane destructis, vel de nonis & decimis, sive de claustris Canonicorum, qualiter constitui & ordinari nobis placuerit, aliis capitulis adnotavimus. *Supra lib. I. c.* 89. *& infra c.* 275. *istius libri.*

De Presbyteris qui feminas habent in domibus.

CCXVIII. Statutum est ab Episcopis de Presbyteris qui feminas secum indiscrete habitare permittunt, & propter hoc malæ opinionis suspicione denotantur, ut si deinceps admoniti non se correxerint, velut contemptores sacrorum canonum, canonica invectione feriantur. *Supra lib. I. c.* 92.

De Presbyteris qui pro chrismate in Cœna Domini veniebant.

CCXIX. De Presbyteris qui accipiendi chrismatis gratia ad civitates in Cœna Domini venire soliti erant, sancitum est ut de his qui longe positi sunt, de octo vel decem unus ab Episcopo eligatur qui acceptum chrisma sibi & sociis diligenter perferat. Hi vero qui non longius a civitate quam quatuor aut quinque millibus habitant, more solito ad accipiendum chrisma perveniant. Discendi ergo gratia alio non quadragesimali tempore ad civitates vocentur. *Ibid. c.* 93.

De prædicatione & confirmatione Episcoporum.

CCXX. Ne vero Episcopi occasione prædicandi aut confirmandi oneri essent populis, a nobis admoniti polliciti sunt se deinceps hoc cavere velle, & eo tempore suum ministerium, in quantum facultas datur, exequi quo eorum profectio, quantum in illis est, his quibus prodesse possunt & debent non sit importuna vel onerosa. *Ibid. c.* 94.

De pueris tondendis & puellis velandis.

CCXXI. Ne pueri sine voluntate parentum tonsurentur, vel puellæ velentur, modis omnibus inhibitum est. Et qui hoc facere tentaverit, multam quæ in capitulis legis mundanæ a nobis constituta continetur persolvere cogatur. *Ibid. c.* 95.

De feminis viros amittentibus.

CCXXII. De feminis quæ viros amittunt, placet ne se, sicut hactenus, indiscrete velent, sed ut triginta dies post discessum viri sui expectent, & post tricesimum diem per consilium Episcopi sui, vel si Episcopus absens fuerit, consilio aliorum religiosorum sacerdotum suorumque parentum atque amicorum, id quod eligere debent eligant. Et quia a sacro conventu rogati ut hi qui publicam gerunt pœnitentiam, & feminæ quæ

viros

viros amittunt, nostra auctoritate donec deliberent quid agant tueantur, specialiter pro his capitula fieri & legis mundanæ capitulis inserenda decrevimus. *Ibid. c. 96.*

De raptis & earum raptoribus.

CCXXIII. De raptis & de raptoribus, quanquam specialiter decrevissemus quid pati debeant qui hoc nefas deinceps facere tentaverint, quid tamen de his sacri canones præcipiant hic inferendum necessarium duximus; quatinus omnibus pateat quantum malum sit, & non solum humana sed & divina auctoritate constricti, abhinc hoc malum caveatur. *Ibid. c. 97.*

De puellis raptis necdum desponsatis.

CCXXIV. De puellis raptis necdum desponsatis in Concilio Chalcedonensi, ubi DCXXX. patres adfuerunt, capitulo XXXVIII. ita habetur: *Eos qui rapiunt puellas sub nomine simul habitandi, cooperantes & conbibentes raptoribus decrevit sancta synodus, si quidem Clerici sunt, decidant gradu proprio; si vero laici, anathematizentur.* Quibus verbis aperte datur intelligi qualiter hujus mali auctores damnandi sunt, quando participes & conhibentes tanto anathemate feriuntur, & quod juxta canonicam auctoritatem ad conjugia legitima raptas sibi jure vindicare nullatenus possint. *Ib. c. 98.*

De desponsatis & ab aliis raptis.

CCXXV. De desponsatis puellis & ab aliis raptis ita in Concilio Ancyrano capitulo decimo legitur: *Desponsatas puellas, & postea ab aliis raptas, placuit erui & eis reddi quibus ante fuerant desponsatæ, etiamsi eis a raptoribus vis inlata constiterit.* Proinde statutum est a sacro conventu ut raptor publica pœnitentia multetur. Raptæ vero, si sponsus eam recipere noluerit, & ipsa ejusdem criminis consentiens non fuit, licentia nubendi alii non negetur. Quod si & illa consensit, simili sententiæ subjaceat. Quod si post hæc jungere præsumpserint, utrique anathematizentur. *Ibid. c. 99.*

De his qui virginibus Deo dicatis se sociant.

CCXXVI. De his qui sacris virginibus se sociant ita in decretis Papæ Gelasii capitulo vigesimo continetur: *Virginibus sacris temere se quosdam sociare cognovimus, & post dicatum Deo propositum incesta fœdera sacrilegaque miscere: quos protinus æquum est a sacra communione detrudi, & nisi publicam probatamque egerint pœnitentiam, omnino non recipi. Aut his certe viaticum de seculo transeuntibus, si tamen pœnituerint, non negetur.* Si vero de copulatione sacrarum virginum tam severe feriuntur, quanto severius feriendi sunt qui eas rapiunt? Ideo, sicut præmissum est, necesse est ut ab omnibus in Christiana religione consistentibus rigore auctoritatis divinæ vel humanæ hoc malum radicitus amputetur. *Ibid. c. 100.*

De puellis, quo tempore velentur.

CCXXVII. Ne vero puellæ indiscrete velentur, placuit nobis etiam de sacris canonibus, qualiter observandum sit, hic inserere. De tempore velandarum puellarum in Africano Concilio capitulo XVI. continetur ut non ante viginti quinque annos consecrentur. Item in eodem Concilio capitulo XCIII. de virginibus velandis ita continetur: *Item placuit ut quicunque Episcoporum, necessitate virginali, cum & vel petitor potens vel raptor aliquis formidatur, vel si etiam aliquo mortis periculoso scrupulo compuncta fuerit ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus aut his ad quorum curam pertinet, velaverit virginem seu velavit ante viginti quinque annos ætatis, non ei obsit Concilium quod de isto annorum numero constitutum est.* Unde colligitur quia juxta priorem sanctionem virgines vicesimo quinto ætatis suæ anno rite consecrandæ sunt. Quod si præmissæ necessitates ante id fieri compulerint, non ullum possint Episcopo afferre præjudicium consecranti. *Ibid. c. 101.*

De examinatione sanctæ crucis non facienda.

CCXXVIII. Sancitum est ut nullus deinceps, quamlibet examinationem sanctæ crucis facere præsumat; ne Christi passio neque glorificatio cujuslibet temeritate contemptui habeatur. *Ibid. c. 102.*

De pabulo verbi divini nuntiando.

CCXXIX. Episcopus sive per se sive per vicarios pabulum verbi divini sedule populis adnuntiet: quia, ut ait beatus Gregorius, iram contra se occulti judicis excitat sacerdos, si sine prædicationis sonitu incedit. Et ut clerum sibi commissum in sobrietate & castitate nutriat, divinisque officiis imbuat, qui rite ad sacrosanctos ecclesiasticos ordines promoveri possint. Et ut operam dent quatinus Presbyteri Missalem & lectionarium sive ceteros libellos sibi necessarios bene correctos habeant, & qualiter Ecclesias destructas sibi pertinentes juxta vires emendent, qualiter etiam viduas diligenter instruant, quomodo etiam secundum apostolicam auctoritatem conversari debeant edoceant. Et ut superstitiones quas quibusdam in locis in exsequiis mortuorum nonnulli faciunt eradicent. Et ut exemplo suæ innocentiæ alios ad bene vivendum provocent; & cunctis ecclesiasticis negotiis, quantum Dominus juverit, totis viribus consulere satagant, diligenter admonuimus. Et ut liberius exsequi valeant, nos, in quantum Dominus posse dederit, opem ferre modis omnibus optamus. *Ib. c. 103.*

De homicidiis in Ecclesiis vel in atriis earum perpetratis.

CCXXX. Si quis aut ex levi caussa aut sine

sine caussa hominem interfecerit in Ecclesia, de vita componat. Si vero foris rixati fuerint; & unus alterum in Ecclesiam fugerit, & ibi se defendendo eum interfecerit, si hujus facti testes non habuerit, cum duodecim conjuratoribus legitimis jurare cogatur; is vero qui interfectus est, absque compositione jaceat; ac deinde interfector secundum judicium canonicum congruam facinori quod admisit pœnitentiam accipiat. Si servus proprius hoc admiserit, judicio aquæ ferventis examinetur utrum hoc sponte an se defendendo fecisset. Et si manus ejus exusta fuerit, interficiatur. Si autem non fuerit, dominus ejus juxta quod wirgildus illius est ad Ecclesiam persolvat, aut eum, si voluerit, eidem Ecclesiæ tradat. De ecclesiastico & fiscalino & beneficiario servo, volumus ut pro una vice wirgildus ejus pro eo componatur; altera vice ipse servus ad supplicium tradatur. Hereditas tamen liberi hominis, qui propter tale facinus ad mortem fuerit judicatus, ad legitimos heredes illius perveniat. Si in atrio Ecclesiæ cujus porta reliquiis sanctorum consecrata est hujusmodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur vel componatur. Si vero porta Ecclesiæ non est consecrata, eo modo componatur quod in atrio committitur sicut componi debet quod in emunitate violata committitur. *Supra lib. 4, cap. 13.*

De injuriis in Ecclesiis sacerdotum factis.

CCXXXI. Sanguinis effusio in Ecclesia facta cum fuste, si Presbyter fuerit, triplo componatur, duæ partes eidem Presbytero, tertiam pro fredo ad Ecclesiam, insuper & bannus noster. Similiter de Diacono, juxta suam compositionem triplo persolvatur, & insuper bannus noster. Similiter & de ictu sine sanguinis effusione, de uniuscujusque ordine Clericorum secundum suam compositionem triplo, & bannus noster. Et qui non habet unde ad Ecclesiam persolvat, tradat se in servitium eidem Ecclesiæ usque dum totum debitum persolvat. *Ibid. c. 14.*

De viduis & pupillis & pauperibus.

CCXXXII. Viduæ, pupilli, & pauperes quandocunque in mallum ante Comitem venerint, primo eorum caussa audiatur & definiatur. Et si testes per se ad caussas suas quærendas habere non potuerint, vel legem nescierint, Comes illos vel illas adjuvet, dando eis talem hominem qui rationem eorum teneat vel pro eis loquatur. *Ib. c. 16.*

De raptu viduarum.

CCXXXIII. Qui viduam intra primos triginta dies viduitatis suæ vel invitam vel volentem sibi copulaverit, bannum nostrum, id est, solidos sexaginta, in triplo componat. Et si invitam eam duxit, legem suam ei componat, illam vero ulterius non adtingat. *Ibid. c. 17.*

De homine publicam pœnitentiam agente interfecto.

CCXXXIV. Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum nostrum in triplo componat, & wirgildum proximis ejus persolvat. *Ibid. c. 18.*

Ut omnis homo liber potestatem habeat ubicunque voluerit res suas dare pro salute animæ suæ.

CCXXXV. Si quis res suas pro salute animæ suæ vel ad aliquem venerabilem locum vel propinquo suo vel cuilibet alteri tradere voluerit, & eo tempore intra ipsum comitatum fuerit in quo res illæ positæ sunt, legitimam traditionem facere studeat. Quod si eo tempore quo illas tradere vult extra eumdem comitatum fuerit, id est, sive in exercitu, sive in palatio, sive in alio quolibet loco, adhibeat sibi vel de suis pagensibus, vel de aliis qui eadem lege vivunt qua ipse vivit, testes idoneos. Vel si illos habere non potuerit, tunc de aliis quales ibi meliores inveniri possunt; & coram ipsis rerum suarum traditionem faciat; & fidejussores vestituræ donet ei qui illam traditionem accipit, qui vestituram faciant. Et postquam hæc traditio ita facta fuerit, heres illius nullam de prædictis rebus valeat facere repetitionem. Insuper & ipse per se fidejussorem faciat ejusdem vestituræ; ne heredi ulla occasio remaneat hanc traditionem immutandi, sed potius necessitas incumbat illam perficiendi. Et si nondum res suas cum coheredibus suis divisas habuit, non ei hoc sit impedimentum; sed coheres ejus, si sponte noluerit, aut per Comitem aut per Missum ejus distringatur ut divisionem cum illo faciat ad quem defunctus hereditatem suam voluit pervenire. Et si cuilibet Ecclesiæ eam tradere rogavit, coheres ejus eam legem cum illa Ecclesia de prædicta hereditate habeat quam cum illo coherede suo habere debet. Et hoc observetur erga patrem & filium & nepotem usque ad annos legitimos. Postea ipsæ res ad emunitatem ipsius Ecclesiæ redeant. *Ib. c. 19.*

De homicidiis prohibendis.

CCXXXVI. Quicunque hominem aut ex levi caussa aut sine caussa interfecerit, wirgildum ejus his ad quos ille pertinet componat. Ipse vero propter talem præsumptionem in exilium mittatur ad quantum tempus nobis placuerit. Res tamen suas non amittat. *Ibid. c. 20.*

Quid in compositionem wirgildi dari non debeat.

CCXXXVII. In compositionem wirgildi volumus ut ea dentur quæ in lege continentur; excepto accipitre & spata: quia propter illa duo aliquoties perjurium committitur, quando majoris pretii quam illa sint esse jurantur. *Ibid. c. 21.*

De raptu alienarum sponsarum.

CCXXXVIII. Si quis sponsam alienam rapuerit, aut patri ejus, aut ei qui legibus ejus defensor esse debet, cum sua lege eam reddat. Et quicquid cum ea tulerit, semotim unamquamque rem secundum legem reddat. Et si hoc defensor ejus perpetrari consensit, & ideo raptori nihil quærere voluerit, Comes singula de unaquaque re freda nostra ab eo exactare faciat. Sponso vero legem suam componat, & insuper bannum nostrum, id est, sexaginta solidos, solvat; vel in præsentiam nostram Comes eum advenire faciat; & quanto tempore nobis placuerit in exilio maneat, & illam feminam ei habere non liceat. *Ibid. c.* 22.

De falsis testibus convincendis.

CCXXXIX. Si quis cum altero de qualibet caussa contentionem habuerit, & testes contra eum per judicium producti fuerint, si falsos eos esse suspicatur, liceat ei alios testes, quos meliores potuerit, contra eos opponere, ut veracium testimonio falsorum testium perversitas superetur. Quod si ambæ partes testium ita inter se dissenserint ut nullatenus una pars alteri cedere velit, eligantur duo ex ipsis, id est, ex utraque parte unus, qui cum scutis & fustibus in campo decertent. *Ibid. c.* 23.

De concordia Episcoporum & Comitum.

CCXL. Ut Episcopi cum Comitibus stent, & Comites cum Episcopis, ut uterque pleniter suum ministerium peragere possit. *Capitul. IV. a.* 806. *Vide infra lib.* 6. *c.* 249.

De latronibus, homicidis, adulteris, incestuosis sub magna districtione coercendis.

CCXLI. Ut latrones, vel homicidæ, seu adulteri, vel incestuosi sub magna districtione & correctione sint correpti. *Cap. IV. a.* 806. *c.* 5. *Infr. VI. c.* 250.

De invasione aliorum rerum.

CCXLII. De rebus propriis, ut ante Missos & Comites & judices nostros veniant, & ibi accipiant finitivam sententiam; & antea nullus præsumat alterius res proprindere; sed magis suam caussam quærat ante judices nostros, ut diximus, & ibi recipiant quod justum est. *Capit. IV. a.* 806. *c.* 6. *Infra VI. c.* 251.

Pro qua re in præsentiam Regis venire quis debeat.

CCXLIII. Ut si aliquis voluerit dicere quod juste ei non judicetur, tunc in præsentiam nostram veniat. Aliter vero non præsumat in præsentiam nostram venire pro alterius justitia dilatanda. *Capit. IV. a.* 806. *c.* 7. *Infr. VI. c.* 253.

Ne noviter conversi cito ad aliqua mittantur exercenda negotia.

CCXLIV. De laicis noviter conversis, ne antequam suam legem pleniter vivendo discant, ad alia negotia mittantur. *Supra in Appendice I. c.* 8. *& infra lib.* 6. *c.* 257.

Quid de his agendum sit qui, gratia fugiendi debitum servitium, seculum relinquunt.

CCXLV. De his qui seculum relinquunt propter servitium impediendum, & tunc neutrum faciunt, ut unum e duobus eligant, aut pleniter secundum canonicam aut secundum regulæ institutionem vivant, aut servitium dominicum faciant. *Capit. I. a.* 805. *c.* 8.

Quid tempore famis ac cujuslibet tribulationis agendum sit.

CCXLVI. De hoc si evenerit fames, clades, aut inæqualitas aeris, vel alia qualiscunque tribulatio, ut non expectetur edictum dominicum, sed statim deprecetur Dei misericordia; ut in præsenti anno de famis inopia, ut suos quisque adjuvet prout potest, & nemo suam annonam nimis care vendat, & ne foras imperium nostrum vendatur aliquod alimonium. *Supra lib. I. c.* 112. *& infra lib.* 6. *c.* 270.

Ut infra patriam arma non portentur. Et qualiter discordantes ad pacem cogantur redire.

CCXLVII. De armis infra patriam (1) non portandis, id est, scutis & lanceis. Et si faidosus quis sit, discutiatur tunc quis e duobus contrarius sit, & ut pacati sint constringantur ad pacem, etiamsi noluerint. Et si aliter pacificari nolunt, adducantur in nostram præsentiam. Et si quis post pacificationem alterum occiderit, componat illum, & manum quam perjuravit absque ulla redemptione perdat, & insuper bannum dominicum solvat. Et ut servi lanceas non portent. Qui inventus fuerit post bannum, hasta frangatur in dorso ejus. *Supra lib.* 3. *c.* 4.

De armaturis & bruniis habendis.

CCXLVIII. De armaturis in exercitu, sicut antea in alio capitulare mandavimus, ita servetur. Et insuper omnis homo de duodecim mansis bruniam habeat. Qui vero bruniam habet, & eam secum non duxerit, omne beneficium cum brunia perdat. *Ibid. c.* 5.

De his qui judiciis Scabinorum adquiescere nolunt.

CCXLIX. De clamatoribus vel causidicis, qui nec judicium Scabiniorum adquiescere nec blasphemare volunt, antiqua consuetudo servetur, id est, ut in custodia recludantur donec

(1) ***De armis infra patriam.***) Vide supra lib. 3. cap. 4. & infra lib. 6. cap. 271.

nec unum e duobus faciant. Et si ad palatium pro hac re proclamaverint & litteras detulerint, non quidem eis credatur, nec tunc tamen in carcerem mittantur; sed cum custodia & cum ipsis litteris ad palatium nostrum remittantur, & ibi discutiantur sicut dignum est. *Ibid. c. 7.*

Quod Regi & Senioribus tantum fidelitas per sacramentum promitti debeat. Et ut cetera sacramenta legaliter fiant.

CCL. De juramento, ut nulli alteri per Sacramentum fidelitas promittatur nisi nobis & unicuique proprio seniori ad utilitatem nostram & sui senioris; excepto his sacramentis quæ juste secundum legem alteri ab altero debentur. Et infantes qui antea non potuerunt propter juvenilem ætatem jurare, modo fidelitatem promittant. *Ibid. c. 8.*

Ut si conspirationes factæ fuerint, triplici ratione judicentur.

CCLI. Quicunque conspirationes facere præsumpserint, & sacramento quamcunque conspirationem firmaverint, triplici ratione judicentur. Primo, ut ubicunque aliquod malum propter hoc perpetratum fuerit, auctores facti interficiantur. Adjutores vero eorum singuli alter ab altero flagellentur, & nares sibi invicem præcidant. Ubi vero nihil mali perpetratum est, similiter quidem inter se flagellentur, & capillos sibi invicem detundant. Si vero per dexteras aliqua conspiratio firmata fuerit, si liberi sunt, aut jurent cum idoneis juratoribus quod hoc pro malo non fecissent; aut si hoc facere non potuerint, secundum legem suam componant. Si vero servi sunt, flagellentur; ut de cetero in regno nostro nulla hujusmodi conspiratio neque per sacramentum neque sine sacramento fiat. *Ibid. c. 9.*

Qualiter de testibus agendum sit, qualesque ad testimonium adducantur.

CCLII. De perjuriis, ut caveantur; & non admittantur testes ad juramentum antequam discutiantur. Et si aliter discuti non possunt, separentur ab invicem, & singulariter inquirantur. Et non soli accusatori liceat testes eligere, absente suo caussatore. Et omnino nullus nisi jejunus ad juramentum vel ad testimonium admittatur. Et ille qui ad testimonium adducitur si refutatur, dicat ille qui eum refutat & probet quare illum recipere nolit. Et de ipso pago, non de altero, testes eligantur, nisi forte longius extra comitatum caussa sit inquirenda. Et si quis convictus fuerit perjurii, perdat manum aut redimat. *Ibid. c. 10. & lib. 6. c. 277.*

Quales personæ ad caussas discutiendas & terminandas eligi debeant.

CCLIII. De Advocatis, Vicedominis, Vicariis, Centenariis pravis, ut tollantur, & tales eligantur qui & sciant & velint juste caussam discernere & terminare. Et quisquis pravus inventus fuerit, nobis pro certo nuntietur. *Supra lib. 3. c. 11.*

De teloneis quæ de mercatis & navigiis vel aliis, aut quæcunque injuste exiguntur, quid fieri debeat.

CCLIV. De teloneis placet nobis ita, ut antiqua & justa telonea a negotiatoribus exigantur, tam de pontibus, quam de navigiis, seu mercatis. Nova vero sive injusta, ubi vel funes tenduntur, vel cum navibus sub pontibus transitur, seu his similia, in quibus nullum adjutorium iterantibus præstatur, non exigantur. Similiter etiam nec de his qui sine negotiandi caussa substantiam suam de una domo sua ad aliam aut ad palatium aut in exercitum ducunt. Si quid vero fuerit unde dubitetur, ad placitum nostrum, quod cum Missis nostris habituri sumus, interrogetur. *Ibid. c. 12.*

De his qui ex seculo ad monasteria converti volunt.

CCLV. Liberi homines qui ad servitium Dei se tradere volunt, prius hoc non faciant quam a nobis licentiam postulent. Hoc vero ideo præcipimus quia audivimus aliquos ex illis non tam caussa devotionis quam exercitum sive aliam functionem regalem fugiendo, quosdam vero cupiditatis caussa ab his qui res illorum concupiscunt circumventos audivimus. Et hoc ideo fieri prohibemus. *Supra lib. 1. c. 114.*

De hominibus pauperibus liberis, ut a potentioribus non opprimantur injuste.

CCLVI. De oppressione pauperum hominum liberorum, ut non fiant a potentioribus per aliquod malum ingenium contra justitiam oppressi, ita ut coacti res eorum vendant aut tradant. Ideo hæc ut supra & hic de liberis hominibus diximus ne forte parentes contra justitiam fiant exheredati, & regale obsequium minuatur, & ipsi heredes propter indigentiam mendici vel latrones seu malefactores efficiantur. Et ut sæpius non fiant manniti ad placitum, nisi sicut in alio capitulari præcepimus. *Ibid. c. 115.*

De Ecclesiis sive sanctis noviter inventis.

CCLVII. De Ecclesiis seu sanctis noviter sine auctoritate inventis, nisi Episcopo probante minime venerentur. Salva etiam de hoc & de omnibus Ecclesiis canonica auctoritate. *Appendix I. c. 10.*

Ut heribannus absque personarum acceptione fideliter ab omnibus exigatur.

CCLVIII. De heribanno volumus ut Missi nostri hoc fideliter exigant absque ullius personæ gratia, blanditia, seu terrore, secundum jussionem nostram. Id est, ut de homine habente libras sex in auro, in argento, bruniis, æramento, pannis integris, ca-

ballis, bovis, ovis, vaccis, vel alio peculio, ita ut uxores eorum vel infantes non fiant expoliati pro hac re de vestimentis eorum, accipiant legitimum heribannum, id est, libras tres. Qui vero non habuerit amplius in suprascripto pretio valente nisi libras tres, solidi triginta ab eo exigantur. Qui autem non habuerit amplius nisi duas libras, decem solidos solvat. Si vero nisi unam libram habuerit, solidos quinque, ita ut iterum se valeat præparare ad Dei servitium & ad nostram utilitatem. Et Missi nostri caveant & diligenter inquirant ne per aliquod malum ingenium nostram subtrahant justitiam, alteri tradendo aut commendando. *Supra lib.* 3. *cap.* 14.

De hominibus vel feminis liberis qui cum fiscalinis se conjungunt.

CCLIX. Liberi homines qui uxores de fiscis regalibus habent, & feminæ quæ liberæ sunt & homines fiscalinos regios aut habent aut accipiunt, vel de hereditate parentum vel de caussa sua quærenda nec de testimonio pro hac re abjiciantur; sed talis etiam nobis in hac caussa honor servetur qualis & antecessoribus nostris Regibus vel Imperatoribus servatus esse cognoscitur. *Ibid. c.* 16.

Ut oratio dominica & symbolum & lex seu capitula Regum diligenter intellegantur.

CCLX. Ut laici symbolum & orationem dominicam pleniter edifcant. Comites quoque & Centenarii & ceteri nobiles viri legem suam pleniter discant, sicut in alio loco decretum est. Præcipimus autem Missis nostris ut ea quæ a multis jam annis per Capitularia nostra in toto regno nostro mandavimus agere, discere, observare, vel in consuetudinem habere debeant, ut hæc omnia nunc diligenter inquirant, & omnino ad servitium Dei & ad utilitatem nostram vel ad omnium Christianorum hominum profectum innovare studeant, & quantum Domino donante prævalent, ad perfectum usque perducant. Et nobis omnino adnuntient quis inde certamen bonum hoc adimplere habuisset, ut a Deo & a nobis gratiam habeat. Qui autem neglegens inde fuerit, ut talem disciplinam percipiat qualem talis sit contemptor recipere dignus, ita ut ceteri metum habeant amplius.

De occisione Clericorum & sacerdotum atque monachorum.

CCLXI. Qui Subdiaconum occiderit, trecentos solidos componat. Qui Diaconum, quadringentos solidos. Qui Presbyterum, sexcentos. Qui Episcopum, nongentos. Qui monachum, quadringentis culpabilis judicetur. *Vide supra lib.* 3. *cap.* 25. & *lib.* 6. *c.* 291.

De damnis in immunitatibus factis.

CCLXII. Si quis in immunitate damnum aliquod fecerit, sexcentos solidos componat. *Vide supra lib.* 3. *c.* 26. & *lib.* 6. *c.* 291.

De furibus infra emunitatem retentis quid agendum sit.

CCLXIII. Si autem homo furtum aut homicidium fecerit, vel quodlibet crimen foris committens infra immunitatem fugerit, mandet Comes vel Episcopo vel Abbati vel Vicedomino, vel illi qui locum Episcopi vel Abbatis tenuerit, ut reddat ei reum. Si ille contradixerit, & eum reddere noluerit, pro prima contradictione quindecim solidos componat. Si ad secundam inquisitionem eum reddere noluerit, triginta solidos componat. Si nec ad tertiam consentire voluerit, quicquid reus damni fecerit, totum, ille qui eum infra emunitatem retinet, nec reddere vult, solvere cogatur. Et ipse Comes veniens licentiam habeat ipsum hominem infra immunitatem quærendi, ubicunque eum invenire potuerit. Si autem in prima inquisitione Comiti responsum fuerit quod reus infra immunitatem quidem fuisset, sed fuga lapsus fuerit, statim juret quod ipse eum ad justitiam cujuslibet disfaciendam fugere non fecisset; & sit ei in hoc satisfactum. Si autem intranti in ipsam immunitatem Comiti collecta manu quislibet resistere tentaverit, Comes hoc ad Regem vel ad Principem deferat, ut ibidem judicetur. Et sicut ille qui in immunitate damnum fecit, sexcentos solidos componere debet, ita qui Comiti collecta manu resistere præsumit, sexcentis solidis culpabilis judicetur. *Supra lib.* 3. *c.* 26. & *lib.* 6. *cap.* 291.

De locis ad claustra Canonicorum facienda.

CCLXIV. De locis dandis ad claustra Canonicorum facienda, si de ejusdem Ecclesiæ rebus fuerit, nostra liberalitate concedatur ibi. Si de alterius vel Ecclesiæ vel liberorum hominum, commutetur. Si autem de fisco nostro fuerit, nostra liberalitate concedatur. *Supra lib.* 4. *c.* 50.

De emptione, tempore messis, caussa cupiditatis & turpis lucri.

CCLXV. Quicunque tempore messis, vel tempore vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem, comparat annonam aut vinum, vel verbi gratia de duobus denariis comparat modium unum, & servet usque dum venundare possit contra denarios quatuor aut sex seu amplius, hoc turpe lucrum dicimus. Si vero hoc propter necessitatem comparat, ut sibi habeat & aliis tribuat, negotium dicimus. *Supra lib.* 1. *cap.* 125.

De stabilitate Episcoporum vel Clericorum.

CCLXVI. Ne de uno loco ad alterum transeat Episcopus sine decreto Episcoporum, vel Clericus sine jussione Episcopi sui. *Ibid. c.* 131.

De

De Ecclesiis vel altaribus ambiguis.

CCLXVII. Ut Ecclesiæ vel altaria quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur. *Ibid. c.* 145.

De ebrietate.

CCLXVIII. Ut ab ebrietate primo omnium seniores semetipsos caveant, & eorum junioribus exemplum bonum sobrietatis ostendant. *Ibid. c.* 161.

De admonitione ad Comites pro utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ.

CCLXIX. Vobis Comitibus dicimus, vosque commonemus, quia ad vestrum ministerium maxime pertinet, ut reverentiam & honorem sanctæ Dei Ecclesiæ exhibeatis, & cum Episcopis vestris concorditer vivatis, & eis adjutorium ad suum ministerium peragendum præbeatis, & ut vos ipsi in ministeriis vestris pacem & justitiam faciatis, & quæ nostra auctoritas publice fieri decernit, ut in vestris ministeriis studiose perficiatur. *Supra lib. 2. c. 6.*

De admonitione ad laicos pro bonore ecclesiastico conservando.

CCLXX. Omnes laicos monemus ut honorem ecclesiasticum conservent, & dignam venerationem Episcopis & Dei sacerdotibus exhibeant, & ad eorum prædicationem cum suis devote occurrant, & jejunia ab illis communiter indicta conservent & suos observare doceant & compellant. Omnes summopere studeant ut dies dominicus sicut decet honoretur & colatur. Et ut liberius fieri possit, mercata & placita a Comitibus, sicut sæpe admonitum fuit, illo die prohibeantur. *Ibid. c.* 7.

De admonitione ad Episcopos vel Comites pro concordia ad invicem & cum ceteris fidelibus.

CCLXXI. Episcopi vel Comites ad invicem & cum ceteris fidelibus concorditer vivant, & ad sua ministeria peragenda vicissim sibi adjutorium ferant. *Ibid. c.* 10.

De operibus in restaurationem Ecclesiarum adimplendis.

CCLXXII. De operibus in restaurationem Ecclesiarum, sive in faciendo, sive in redimendo, episcopalis potius sequatur voluntas. Nullatenus tamen remaneat quin sicut a nobis sæpe jussum est, hoc aut illud partibus Ecclesiarum persolvatur. Et hoc omnibus notum sit, quia quicunque neglegenter exinde egerit, & coram nobis exinde neglegens repertus fuerit, illud volumus omnino ut subeat quod in nostro Capitulari de hac re communi consultu fidelium nostrorum ordinavimus. *Ibid. c.* 22.

De Comitibus, ut ministris Ecclesiæ in suis ministeriis adjutores sint.

CCLXXIII. Comites ministris Ecclesiæ eorumque ministeriis, ut hoc plenius & de nostris & de se & de suis hominibus obtinere possint, adjutores in omnibus fiant. Et quicunque prima & secunda vice de his a Comite admonitus non se correxerit, volumus ut per eundem Comitem ejus neglegentia ad nostram notitiam perferatur, ut nostra auctoritate quod in nostro Capitulari continetur subire cogatur. *Ibid. c.* 23.

Ut de incestuosis & his qui decimas non dant, ab Episcopis & Presbyteris, & de neglegenter viventibus, vuadii non accipiantur.

CCLXXIV. Dictum est nobis quod in quibusdam locis Episcopi & Comites ab incestuosis & ab his qui decimas non dant vuadios accipiant, & a Presbyteris quibusdam pro neglegentiis inter se pecuniam dividant; quod penitus abolendum decrevimus, ne forte avaritiæ locus detur. Et constituimus ut incestuosi juxta canonicam sententiam pœnitentia multentur. Qui vero decimas post crebras admonitiones & prædicationes sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur. Juramento vero eos constringi nolumus, propter periculum perjurii. *Ibid. c.* 39.

De Ecclesiis destructis.

CCLXXV. De Ecclesiis destructis ut Episcopi & Missi inquisitionem faciant utrum per neglegentiam aut impossibilitatem destructæ sint. Et ubi neglegentia inventa fuerit, episcopali auctoritate emendare cogantur ab his qui eas restaurare debuerunt. Si vero per impossibilitatem contigit, ut aut pluriores sint quam necesse sit, aut majoris magnitudinis quam ut ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, Episcopus modum inveniat qualiter congrue emendari & consistere possint. *Capitul. a. 829. tit. 1. c. 3.*

De his qui nonas & decimas dare neglexerunt.

CCLXXVI. De his qui nonas (1) & decimas jam per multos annos aut ex parte aut ex toto dare neglexerunt, volumus ut per Missos nostros constringantur ut secundum Capitularem priorem solvant nonas & decimas cum sua lege, & insuper bannum nostrum. Et hoc eis denuntietur, quod quicunque hanc neglegentiam iteraverit, beneficium unde hæc nona & decima persolvi debuit, amissurum se sciat. Ita enim continetur in Capitulari bonæ

(1) *De his qui nonas.*) Caput istud mutilum est in antiquis exemplaribus libri quinti Capitularium. Extat autem integrum infra Addit. IV. cap. 99. Caput autem *Quicunque decimam* dividi debet ab isto.

bonæ memoriæ genitoris nostri in libro primo capitulo LVII. (1) *Quicunque decimam abstrahit de Ecclesia ad quam per justitiam dari debet, & eam præsumptiose vel propter munera aut amicitiam aut aliam quamlibet occasionem ad alteram Ecclesiam dederit, a Comite vel a Misso nostro distringatur ut ejusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat. Ibid. c. 5. 6. vid. infra Add. IV. cap. 39.*

De his qui restaurationes Ecclesiarum neglegunt.

CCLXXVII. Quicunque de rebus Ecclesiarum quas in beneficium habent, restaurationes earum facere neglexerint, juxta auctoritatis nostræ Capitularem, in quo de operibus ac nonis & decimis constitutum est, sic de his adimpleatur, sicut in libro quarto capitulo XXXVIII. continetur: *De opere & restauratione Ecclesiarum constitutum est ut de frugibus terræ & animalium nutrimine & cunctis censibus, exceptis hostilensibus (2), persolvantur. De opere vel restauratione Ecclesiarum Comes vel Episcopus sive Abba una cum Misso nostro, quem ipsi sibi ad hoc elegerint, considerationem faciant ut unusquisque eorum tantum inde accipiat ad operandum, & restaurandum quantum ipse de rebus Ecclesiarum habere cognoscitur. Similiter & Vassi nostri aut in commune tantum operis accipiant quantum rerum ecclesiasticarum habent, vel unusquisque per se juxta quantitatem quam ipse tenet. Aut si inter eos convenerit ut pro opere faciendo argentum donent, juxta æstimationem operis in argento persolvant. Cum quo pretio rector Ecclesiæ ad prædictam restaurationem operarios conducere & materiam emere possit. Et qui nonas & decimas dare neglexerit, primum quidem illas cum sua lege restituat, & insuper bannum nostrum persolvat; ut ita castigatus caveat, ne sæpius interando beneficium amittat. Capitul. a. 829. tit. 1. c. 9. IV. 40.*

De his qui agros dominicatos ideo neglegunt ut nonas exinde non persolvant.

CCLXXVIII. De his qui agros dominicatos propterea neglexerunt excolere ut nonas exinde non persolvant, & alienas terras ad excolendum propter hoc accipiunt, volumus ut de tribus annis ipsam nonam cum sua lege persolvant. Et si quis contemptor aut Comitum aut Vassallorum nostrorum propter hoc extiterit, per fidejussores ad palatium venire compellatur. *Capitul. a. 829. c. 10.*

Ut intellegatur in quo facto immunitas frangatur.

CCLXXIX. Pervenit ad nos (3) quod quædam Ecclesiæ aut monasteria nostras & prædecessorum nostrorum immunitates habentia multa præjudicia & infestationes a quibusdam patiantur, & nec per easdem immunitates ullam defensionis tuitionem habere valeant, propter hoc quod ab eisdem emunitatum temeratoribus dicatur non plus immunitatis nomine complecti quam claustra monasterii (4), cetera quoque, quamvis ad easdem Ecclesias vel monasteria pertineant, extra immunitatem esse. Propter hoc volumus atque decernimus ut omnes intellegant non solum claustra monasterii vel Ecclesiæ atque castitia Ecclesiarum sub immunitatis defensione consistere, verum etiam domus & villas, & septa villarum, & piscatoria manu facta, & quicquid fossis aut sepibus vel etiam alio clausarum genere (5) præcingitur, eodem immunitatis nomine contineri. Et quicquid intra hujusmodi munimenta ad jus earundem Ecclesiarum vel monasteriorum pertinentia a quolibet homine nocendi vel damnum inferendi caussa spontanea voluntate committitur, in hoc facto immunitas fracta judicatur. Quod vero in agros & campos ac silvas quæ sine laborantibus sunt, & nullo modo munitione cinguntur, casu, sicut fieri solet, a quibuslibet hominibus aliquod damnum factum fuerit, quamvis idem ager aut campus vel silva aut ad Ecclesiam vel monasterium præceptum immunitatis habentem pertineat, non tamen in hoc immunitas fracta judicanda est. Et ideo non sexcentorum solidorum compositione, sed secundum legem quæ in eodem loco tenetur is multandus est qui scandalum vel damnum in tali loco fecisse convictus fuerit.

De justitiis generalibus.

CCLXXX. De justitiis Ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum, & pupillorum, præcipimus ut in publicis judiciis non despiciantur clamantes, sed primo diligenter audiantur. *Supra lib. 3. c. 2.*

De

(1) *Capitulo* LVII.) Hæc est lectio omnium veterum librorum. Tilius, cum non animadverteret hoc caput esse mutilum, numeros hic mutavit, & pro LVII. reposuit CLXIII. Verum nec sic quoque restitui potest hic locus. Nam caput *Quicunque decimam* non extat in libro Capitularium, sed in Additione IV. cap. 100. & 166.

(2) *Et cunctis censibus, exceptis hostilensibus.*) Hæc non habentur in libro 4. neque in ipso Capitulari; ut verisimile sit addita fuisse a Benedicto Levita.

(3) *Pervenit ad nos.*) Sirmondus in Notis ad Capitula Caroli Calvi ait hanc constitutionem esse Ludovici Pii. Apud Ivonem refertur simpliciter *ex libro capitulorum.*

(4) *Claustra monasterii.*) Litteræ Sancti Bernardi Abbatis Clarevallensis de compositione Hugonis Episcopi Autissiodorensis & Willelmi Comitis Nivernensis: *Si aliquis laicus deprehensus fuerit in claustris in latrocinio, cum una quacunque veste sua pro justitia facienda Comiti reddetur. Extra claustra autem quicunque laici latrones deprehensi fuerint, & ipsi & res eorum Comitis sunt.*

(5) *Clausarum genere.*) Apud Ivonem editum est *clausarum nomine*. Sed in codice Victorino legitur ut in Capitularibus.

De animalibus vel aliis rebus, a quibus emantur.

CCLXXXI. Ut nullus comparet caballum, bovem, & jumentum, vel alia, nisi illum hominem cognoscat qui eum vendit, aut de quo pago est, vel ubi manet, aut quis est ejus senior. *Ibid. c.* 24.

De eo qui in testimonium assumitur, qualis esse debeat.

CCLXXXII. Optimus quisque in pago vel civitate in testimonium assumatur, & cui is contra quem testimoniare debet nullum crimen possit indicere. *Ibid. c.* 32.

De heribannatoris conjecto.

CCLXXXIII. Ut illi qui heribannum solvere debent, conjectum faciant ad heribannatorem. *Ibid. c.* 35.

De colonis & fiscalinis.

CCLXXXIV. Ut nec colonus nec fiscalinus alicubi traditiones facere audeat. *Ibid. c.* 36.

De falsis testibus.

CCLXXXV. Falsi testes præcipimus ut non recipiantur. *Ibid. c.* 41.

De hominibus ad mortem dijudicatis, & postea eis vita concessa, si justitias quæsierint.

CCLXXXVI. Illi homines qui propter eorum culpas ad mortem dijudicati fuerint, & postea eis vita fuerit concessa, si ipsi justitiam ab aliis requisierint, aut ab eis alii justitiam quærere voluerint, ita inter illos judicium terminetur. Primum omnium de illis caussis pro quibus judicatus fuerit ad mortem nullam potest facere repetitionem; quia omnes res suæ secundum judicium Francorum in publico fuerunt revocatæ. Et si aliquid inpostmodum, postquam ei vita concessa est, cum justitia adquirere potuerit, in sua libertate teneat & defendat secundum legem. In testimonium non suscipiatur, nec inter Scabinos ad legem judicandam teneatur. Et si ad sacramentum aliquid judicatum fuerit quod jurare debeat, si aliquis ipsum sacramentum falsum dicere voluerit, contendat. *Ibid. c.* 47.

De homine cui post judicium vita concessa est, si justitiam reddere noluerit.

CCLXXXVII. Si alicui post judicium Scabinorum fuerit vita concessa, & ipse inpostmodum aliqua mala perpetraverit, & justitiam reddere noluerit, dicendo quod mortuus sit & ideo justitiam reddere non debeat, statutum est ut superius judicium sustineat quod antea sustinere debuit. Et si aliquis adversus eum aliqua mala fecerit, secundum æquitatis ordinem licentiam habeat suam justitiam requirendi de caussis perpetratis postquam ad mortem dijudicatus est. De præteritis maneat sicut supra dijudicatum fuit. *Ibid. c.* 48.

De liberis hominibus qui ad mallum venire cogendi sunt.

CCLXXXVIII. Ut nullus alius de liberis hominibus ad placitum vel ad mallum venire cogatur, exceptis Scabinis vel Vassis Comitum, nisi qui caussam suam adquirere debent aut respondere. *Ibid. c.* 51.

De testibus, ad testimonium dicendum qualiter adhibeantur.

CCLXXXIX. Ut testes ad testimonium dicendum præmio non conducantur. Et ut nullus testimonium dicat aut sacramentum juret nisi jejunus. Et ut testes, priusquam jurent, separatim discutiantur quid dicere velint de illa re unde testimonium reddere debent. *Ibid. c.* 52.

De justitia cujuslibet a nullo quolibet dilatanda.

CCXC. Ut nullus quilibet Missus noster, neque Comes, neque judex, aut Scabinus cujuslibet justitiam dilatare præsumat, si statim adimpleta potuerit esse secundum rectitudinem, neque præmia pro hoc a quolibet homine per aliquod ingenium malum præsumat accipere. *Ibid. c.* 53.

De nimium blasphemis latronibus.

CCXCI. De latronibus qui magnam habent blasphemiam, quicunque aliquem ex his comprehenderit, nullum damnum exinde patiatur. *Ibid. c.* 61.

De testibus ad rem quamlibet discutiendam eligendis.

CCXCII. Ut quandocunque testes ad rem quamlibet discutiendam quærendi atque eligendi sunt, a Misso nostro & Comite in cujus ministerio de re qualicunque agendum est tales eligantur quales optimi in ipso pago inveniri possunt. Et non liceat litigatoribus per præmia falsos testes adducere, sicut hactenus fieri solebat. *Ibid. c.* 78.

De placito Centenarii.

CCXCIII. Ut nullus homo in placito Centenarii neque ad mortem neque ad libertatem suam amittendam aut ad res reddendas vel mancipia judicetur. Sed ista aut in præsentia Comitis vel Missorum nostrorum judicentur. *Ibid. c.* 79.

De placitis a Missis dominicis Comitibus notum faciendis.

CCXCIV. Ut unusquisque Missorum nostrorum in placito suo notum faciat Comitibus qui ad ejus missaticum pertinent, ut in illis mensibus quibus ille legationem suam non facit, conveniant inter se, & communia placita faciant, tam ad latrones distringen-

gendos, quam ad ceteras justitias faciendas. *Ibid. c.* 87.

De uxoribus defunctorum, quam partem conlaborationis post obitum maritorum accipere debeant.

CCXCV. Volumus ut uxores defunctorum post obitum maritorum tertiam partem conlaborationis quam simul in beneficio conlaboraverunt accipiant. Et de his rebus quas is qui illud beneficium habuit, aliunde adduxit, vel comparavit, vel ei ab amicis suis conlatæ sunt, has volumus tam ad orphanos defunctorum quam ad uxores eorum pervenire. *Supra lib.* 4. *cap.* 9.

De falsis testibus convincendis.

CCXCVI. Si quis cum altero de qualibet caussa contentionem habuerit, & testes contra eum per judicium producti fuerint, si ille falsos esse suspicatur, liceat ei alios testes, quos meliores potuerit, contra eos opponere, ut veracium testimonio falsorum testium perversitas superetur. Quod si ambæ testium partes ita inter se dissenserint ut nullatenus una pars alteri cedere velit, eligantur duo ex ipsis, id est, ex utraque parte unus, qui cum scutis & fustibus in campo decertent utra pars falsitatem aut veritatem suo testimonio sequatur. Et campioni qui victus fuerit, propter perjurium quod ante pugnam commisit, dextra manus amputetur. Ceteri vero ejusdem partis testes, qui falsi apparuerint, manus suas redimant. Cujus compositionis duæ partes ei contra quem testati sunt dentur, tertia pro fredo solvatur. Et in seculari quidem caussa hujuscemodi testium diversitas in campo comprobetur. In ecclesiasticis autem caussis, ubi de una parte seculare, de altera vero ecclesiasticum negotium est, idem modus observetur. Ubi vero ex utraque parte ecclesiasticum fuerit, rectores earundem Ecclesiarum si se familiariter pacificare velint, licentiam habeant. Si autem de hujuscemodi pacificatione inter eos convenire non possit, Advocati eorum in mallo publico ad præsentiam Comitis veniant; & ibi legitimus terminus eorum contentionibus imponatur. Testes vero de qualibet caussa non aliunde quærantur nisi de ipso comitatu in quo res unde caussa agitur positæ sint: quia non est credibile ut vel de statu hominis vel de possessione cujuslibet per alios melius rei veritas cognosci valeat quam per alios melius rei veritas cognosci valeat quam per illos qui viciniores sunt. Si tamen contentio quæ inter eos exorta est in confinio duorum comitatuum fuerit, liceat eis de vicina centena adjacentis comitatus ad caussam suam testes habere. *Ibid. c.* 23.

De terra tributaria.

CCXCVII. Quicunque terram tributariam, unde tributum ad partem nostram exire solebat, vel ad Ecclesiam vel cuilibet alteri tradiderit, is qui eam susceperit, tributum quod inde solvebatur omni modo ad partem nostram persolvat; nisi forte talem firmitatem de parte dominica habeat per quam ipsum tributum sibi perdonatum possit ostendere. *Ibid. c.* 37.

De terra censali.

CCXCVIII. Si quis terram censilem habuerit, quam antecessores sui vel ad aliquam Ecclesiam vel ad villam nostram dederunt, nullatenus eam secundum legem tenere potest, nisi ille voluerit ad cujus potestatem vel illa Ecclesia vel illa villa pertinet; nisi forte filius aut nepos ejus sit qui eam tradidit, aut ei eadem terra ad tenendum placitata sit. Sed in hac re considerandum est utrum ille qui hanc tenet, dives an pauper sit, & utrum aliud beneficium habeat, vel etiam proprium. Et qui horum neutrum habet, erga hunc misericorditer agendum est, ne ex toto expoliatus in egestatem incidat, ut aut talem censum inde solvat qualis ei fuerit constitutus, vel portionem aliquam inde in beneficium accipiat unde se sustentare valeat. *Ib. c.* 39.

De observatione præceptorum dominicorum.

CCXCIX. De observatione præceptorum nostrorum & immunitatum, ut ita observentur præcipimus sicut a nobis & ab antecessoribus nostris constitutum est. *Ib. c.* 51.

De eo qui propriam derelinquit uxorem, vel sine caussa interficit, & aliam ducit.

CCC. Quicunque propria (1) uxore derelicta (2), vel sine culpa interfecta (3), aliam duxerit, armis depositis (4) publicam agat pœnitentiam. Et si contumax fuerit, comprehendatur a Comite, & ferro vinciatur, & in custodiam mittatur, donec res ad no-

(1) *Quicunque propria.*) Burchardus caput istud valde interpolavit, & Pio Papæ tribuit, quamvis illius non sit. Est enim constitutio Ludovici Pii. Hinc ergo emenda Ivonem & Gratianum. Vide infra Addit. IV. cap. 118. 161.

(2) *Propria uxore derelicta.*) Vide infra libro 7. cap. 305. Hincmarus apud Flodoardum lib. 3. cap. 26. scribit *Fulcrico cuidam, qui uxorem legitimam illegitime dimiserat, alteramque insuper duxerat; vocans ad synodum, excommunicationis jam in eum datæ atque in comprovinciali synodo confirmandæ pandit modum.* De ejusdem excommunicatione agit supra in cap. 21. ejusdem libri.

(3) *Sine culpa interfecta.*) Extat apud Burchardum elegans Paulini Episcopi Aquilejensis epistola de hoc argumento, quæ perperam apud Ivonem & Gratianum Stephano V. Papæ tribuitur, uti dictum est in Notis ad Gratianum pag. 547.

(4) *Armis depositis.*) Jure enim pontificio, ut Juretus ait ad epistolam 135. Ivonis, miles pœnitens armis cingi vetabatur; citatque in eam rem caput *Admonere* 33. qu. 2. id est epistolam Paulini, de qua mox dicebamus.

nostram notitiam deducatur. *Capit. a. 829. tit. 3. c. 3.*

De liberis hominibus qui proprium non habent, sed in terra dominica resident, ad testimonium non recipiendis.

CCCI. De liberis hominibus qui proprium non habent, sed in terra dominica resident, ut propter res alterius ad testimonium non recipiantur. Conjuratores tamen aliorum hominum ideo esse possunt quia liberi sunt. Illi vero qui & proprium habent, & tamen in terra dominica resident, propterea non abjiciantur quia in terra dominica resident; sed propter hoc ad testimonium recipiantur quia proprium habent. *Ibid. c. 6.*

De Presbyteris, Diaconibus, & reliquis ex clero. Canones sancti Silvestri & aliorum LXXXIV. Episcoporum.

CCCII. Fecit hos gradus in gremio synodi, ut non Presbyter adversus Episcopum, non Diaconus adversus Presbyterum, non Subdiaconus adversus Diaconum, non Acolythus adversus Subdiaconum, non Exorcista adversus Acolythum, nec Lector adversus Exorcistam, non Ostiarius adversus Lectorem det accusationem aliquam. Et non damnabitur Præsul sine septuaginta duobus testibus, neque Præsul summus a quoquam judicabitur; quoniam scriptum est: *Non est discipulus super magistrum.* Presbyter autem nisi in quadraginta quatuor testibus non damnabitur. Diaconus autem cardine constitutus in urbe Roma nisi in triginta sex non condemnabitur. Subdiaconus, Acolythus, Exorcista, Lector, nisi, sicut scriptum est, in septem testimoniis filios habentes & uxores & omnino Christum prædicantes. Sic datur mystica veritas. *Supra lib. 1. c. 113.*

Ex Capitulis Domni Karoli, qualiter ex factis aut mansis vel quartis servitium agatur.

CCCIII. Pro nimia reclamatione quæ ad nos venit de hominibus ecclesiasticis seu fiscalinis, qui non erant adiumati quando in Cinomannico pago fuimus, visum est nobis una cum consultu fidelium nostrorum statuere ut quicunque de prædictis hominibus quartam facti tenet, cum suis animalibus seniori suo pleniter unum diem cum suo aratro in campo dominico aret, & postea nullum servitium ei manuale in ipsa hebdomada a seniore suo requiratur. Et qui tanta animalia non habet ut uno die hoc explere valeat, perficiat prædictum opus in duobus diebus. Et qui solummodo ita invalida ut per se non possit arare quatuor animalia habet, cum eis sociatis sibi aliis aret uno die in campo senioris, & uno die postmodum in ipsa hebdomada opera manuum faciat. Et qui nihil ex his facere potest, neque animalia habet, per tres dies seniori suo a mane usque ad vesperam operetur, & senior suus ei amplius non requirat. Diversis namque modis hæc agebantur. A quibusdam tota hebdomada operabatur, a quibusdam dimidia, & a quibusdam duos dies. Idcirco hæc statuimus, ut ne familia se a prædictis operibus subtrahere possit, neque a senioribus amplius eis requiratur. Et qui minus quartæ optimæ de terra habet, secundum æstimationem suæ telluris opera faciat. Hæc ab Adalardo Comite palatii (1) nostri ad eorum satisfactionem una cum aliis fidelibus nostris præcipi nostra vice & publice adnuntiari jussimus.

Ut Episcopi incestos emendent & corrigant.

CCCIV. Ut Episcopi incestuosos homines emendent, & magnam diligentiam habeant ex his. Seu & de viduis infra suam parrochiam potestatem habeant ad corrigendum. *Capit. a. 779. c. 4. Vide supra c. 165. hujus libri, & Addit. IV. c. 124.*

Ut ea conserventur quæ in placitis & synodis Pippinus Rex constituit.

CCCV. Ea vero quæ bonæ memoriæ genitor noster in suis placitis & synodis constituit, conservari præcipimus. *Eod. Capit. c. 13. Vide Addit. IV. c. 131.*

De eo qui a servo alieno aliquid comparaverit.

CCCVI. Si quis a servo (2) alieno aliquid comparaverit nesciente domino suo, si dominus firmam noluerit esse emptionem, reddat pretium emptori, ut emptio nihil habeat firmitatis. Si ipsum non habet, simile reddat.

Ut Ecclesiarum negotia a judice continuo audiantur.

CCCVII. Placuit ut Ecclesiarum negotia absque ulla dilatione continuo a judice audiantur & proficue incremententur.

Ut judex criminosum discutiens non ante sententiam proferat capitalem quam aut reus ipse confiteatur aut per innocentes testes convincatur.

CCCVIII. Placuit ut judex criminosum discutiens non ante sententiam proferat capita-

---

(1) *Adalardo Comite palatii.*) Hincmarus epistola 14. cap. 12. *Adalhardum senem & sapientem Domni Karoli Magni Imperatoris propinquum & monasterii Corbejæ Abbatem inter primos Consiliariis primum in adolescentia mea vidi, cujus libellum de ordine palatii legi & scripsi.* Marquardus Freherus in Originibus Palatinis par. 2. cap. 1. ait habuisse se fragmentum istius libri, & huic adscriptum fuisse hunc titulum: *Ordo palatii & reipublicæ dispositio qui sub Imperatoribus Pipino & Karolo Francorum gerebatur, per Adhalardum venerabilem Abbatem literis commendatus ad memoriam & institutionem futurorum.* Ejus vitam scripsit Paschasius Radbertus.

(2) *Si quis a servo.*) Vide Ivonem parte 16. capite 101.

talem quam aut reus ipse confiteatur aut per innocentes & veraces testes manifestius convincatur. Et de majoribus nostra aut successorum nostrorum expectetur sententia. *Vide infra lib. 6. c. 398. & lib. 7. cap. 170.*

Ut qui socii criminis sunt, non admittantur testes.

CCCIX. Placuit ut testes non admittantur qui sunt socii criminis, nec infames, nec calumniatores, vel ceteri quos canon & lex prohibet.

De nuptiis incestis prohibendis.

CCCX. Nuptias prohibemus incestas, id est, usque adfinitatis lineam, vel quandiu inter se hereditare potuerint, non conjungantur: quia hæc potius incestua quam conjugia sunt judicanda.

Ut de absentibus non judicetur.

CCCXI. Placuit ut adversus (1) absentes non judicetur. Quod si factum fuerit, prolata sententia non valebit.

Ut clementior severiori præferatur sententia.

CCCXII. Placuit ut inter pares sententias clementior semper severiori præferatur.

Ut qui de se confessus est, super alium non credatur.

CCCXIII. Placuit ut qui de se confessus est, super alium non credatur.

De testimonio unius hominis non accipiendo.

CCCXIV. Ut testimonium unius hominis non accipiatur. Nam si ex utraque parte plures sint, veraciores atque religiosiores & honestiores elegantur, qui sacramento suo confirment testimonium, nihilque se falsi esse dicturos.

Ut contra Episcopos nullus graviter aut leviter agat.

CCCXV. Præcipimus atque jubemus ne forte, quod absit, aliquis circa Episcopos leviter aut graviter agat; quod ad periculum totius imperii nostri pertinet. Et ut omnes cognoscant nomen, potestatem, vigorem, & dignitatem sacerdotalem. Quod ex verbis Domini facile intelligi potest, quibus beato Petro, cujus vicem Episcopi gerunt, ait: *Quodcunque ligaveris super terram erit, ligatum & in cœlo; & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlo.* Et alibi discipulis generaliter dicit: *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Illud etiam ad exemplum reducendum est quod in ecclesiastica historia Constantinus Imperator Episcopis ait: *Deus*, inquit, *constituit vos sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi. Et ideo nos a vobis recte judicamur. Vos autem non potestis ab hominibus judicari.* Propter *quod Dei solius inter vos expectate judicium. Vestra jurgia, quæcunque sint, ad illud divinum reserventur examen. Vos etenim nobis a Deo dati estis dii. Et conveniens non est ut homo judicet deos* (2), *sed ille solus de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga deorum. In medio Deus autem deos discernit.* Sed & hoc illis ad memoriam reducendum est, qualiter beatus Prosper (3) in libro quem de contemplativa & actuali vita scripsit, laudem sacerdotum comprehenderit. *Ipsis enim*, inquit, id est, Sacerdotibus, *propria animarum curandarum sollicitudo commissa est; qui pondus populi sibi commissi viriliter sustinentes, pro peccatis hominum, velut pro suis, infatigabiliter supplicant Deo; ac velut quidam Aaron incensum contriti cordis & humiliati spiritus offerentes, quo placatur Deus, avertunt iram futuræ animadversionis a populo; qui per Dei gratiam fiunt divinæ voluntatis judices, Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores, fideles populi duces, veritatis adsertores, pravæ doctrinæ hostes, omnibus bonis amabiles, & male sibi conscii etiam ipso visu terribiles, vindices oppressorum, patres in fide catholica regeneratorum, prædicatores cœlestium præmiorum, exempla bonorum, documenta virtutum, & forma fidelium. Ipsi sunt decus Ecclesiæ, in quibus fulget Ecclesia. Ipsi columnæ firmissimæ, quibus in Christo fundatis innititur omnis multitudo credentium. Ipsi januæ civitatis æternæ, per quos omnes qui credunt, ingrediuntur ad Christum. Ipsi janitores, quibus claves datæ sunt regni cœlorum. Ipsi etiam dispensatores regiæ domus, quorum arbitrio in aula Regis æterni dividuntur gradus & officia singulorum.*

Quod per Spiritum sanctum remissio fit peccatorum.

CCCXVI. Sciendum est omnibus atque credendum quod per Spiritum sanctum remissio peccatorum in baptismate conferatur, & quod

(1) *Placuit ut adversus.*) Vide infra lib. 6. cap. 363. & libro 7. cap. 204.

(2) *Homo judicet deos.*) Ad caput istud respexisse videtur Carolus Simplex in præcepto pro Arnusto Archiepiscopo & reliquo clero provinciæ Narbonensis, quod editum est a Catello in libro quinto Memoriarum historiæ Occitanicæ pag. 772. cujus vero nos authenticum vidimus in archivo Archiepiscopi Narbonensis: *Si aliquæ vero querimoniæ adversus illos exortæ fuerint, in præsentiam suorum Episcoporum veniant, & ibi de his canonice atque legaliter judicentur: quia juxta sanctiones legum indignum est ut homines judicent deos.*

(3) *Beatus Prosper.*) Sive Julianus Pomerius, quem auctorem esse librorum de vita contemplativa & activa Sirmondus ostendit, & cui tribuuntur etiam in vetustissima collectione canonum Andegavensi & in antiquissimo codice Ms. bibliothecæ Thuanæ.

quod fidelibus in Ecclesia Christi, ejusdem sancti Spiritus dono, per ministerium sacerdotale & per pœnitentiam & absolutionem manusque impositionem remissio peccatorum indubitanter adtribuatur.

De quatuor vitiis quæ fidem catholicam commaculant.

CCCXVII. Placuit sciri omnibus quod quatuor sunt vitia quæ nostram fidem inter cetera mala commaculant; quæ quanto sunt occultiora, tanto perniciosa; id est, superbia, per quam angelus diabolus effectus, de cœlo est ejectus; invidia, per quam idem diabolus hominem de paradiso ejecit; odium & discordia, quæ caritatem inter proximos extinguunt, & dilectionem evacuant, & omnia bona pervertunt, & non sinunt proximos in mutua dilectione consistere, nec quietam tranquillamque, ut decuerat, Christianos vitam ducere, & reliqua.

Quod universalis sancta Dei Ecclesia unum corpus, ejusque caput Christus sit.

CCCXVIII. Primum igitur, quod universalis sancta Dei Ecclesia unum corpus (1) manifeste esse credatur, ejusque caput Christus, apostolicis oraculis approbatur. Unde Paulus: *Vos autem estis*, inquit, *Corpus Christi & membra de membro*. Itemque: *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo*. Item: *Cujus caput est Christus, ex quo totum corpus per nexum & conjunctiones administratum crescit in templum sanctum in Domino*. Sunt & alia hujusce rei innumera exempla, quæ hic, ob prolixitatem vitandam, prætermittuntur. Quisquis ergo per aliqua inlicita ex membro Christi se fecit membrum diaboli, noverit se in corpore Christi non esse, sed in corpore diaboli (2). Proinde necesse est ut corpori Christi, a quo astutia diabolica separatus est, se incunctanter, dum tempus pœnitentiæ in promptu habetur, restituere non neglegat.

Quod ejusdem Ecclesiæ corpus in duabus principaliter dividatur eximiis personis.

CCCXIX. Principaliter itaque totius sanctæ Dei Ecclesiæ corpus in duas eximias personas, in sacerdotalem videlicet & regalem, sicut a sanctis patribus traditum accepimus, divisum esse novimus. De qua re Gelasius Romanæ sedis venerabilis Episcopus ad Anastasium Imperatorem ità scribit: *Duæ sunt quippe* (3), inquit, *Imperatrices augustæ quibus principaliter mundus hic regitur, aucto-*

---

(1) *Ecclesia unum corpus.*) Infra lib. 6. cap. 404. *Quod in capite præcessit, in corpore ejus, quod est Ecclesia, videtur impletum.* Epistola Episcoporum catholicorum ad Marcellinum Notarium in collatione prima Carthaginensi cap. 18. *Non est itaque difficile quoniam caput est Christus & corpus Ecclesia, simul in evangelio commendatum videre & caput contra calumnias Judæorum & corpus contra criminationes hæreticorum.* Et Augustinus in cognitione tertia cap. 237. & 242. *Habeo caput, sed Christus est.* Vide formulas exorcismorum & excommunicationum a nobis editas.

(2) *In corpore diaboli.*) Formula duodecima excommunicationum: *Inter adoptivos filios Dei adnumeratus, quamvis modo filius diaboli sit imitando diabolum.*

(3) *Duæ sunt quippe.*) In epistola ipsa Gelasii legitur: *Duo quippe sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter &c.* Recte. Scripta enim est ad Anastasium Imperatorem. Confirmant autem hanc lectionem, præter ceteros, Hincmarus Remensis Archiepiscopus in epist. 29. & opusculo 61. & Patres Concilii apud Sanctam Macram habiti. Immo in Concilio Parisiensi habito anno DCCCXXIX. (ex quo sumptum est hoc caput) ita vulgo legitur lib. 1. cap. 3. *Duo quippe sunt, Imperator Auguste &c.* Sed antiquissimum exemplar manuscriptum illius Concilii, quod extat in bibliotheca Thuana, tum etiam omnes veteres libri Capitularium & antiquæ editiones diserte scriptum habent: *Duæ sunt quippe, inquit, Imperatrices Augustæ quibus &c.* Veteris vestigia fraudis, ut Virgilii verbis utamur, visuntur etiam in excerptis e libris Capitularium in antiquissimo codice Ms. Sancti Arnulphi Metensis, ubi sic legitur: *Duæ sunt quippe, inquit, Imperator Auguste quibus &c.* Ego, si quid hic video, puto eum qui pravam istam lectionem intulit in codicem, ex quo eam hausere Patres Concilii Parisiensis, dolo malo id fecisse, ut pro sua virili fulciret regnum ecclesiasticum, quod tum caput extulerat post Caroli M. victorias de Longobardis & triumphos quos Isidorus Mercator egit de devicta vetere disciplina. Itaque falsarius ille universum orbem Christianum, hoc est, Ecclesiam Christi, divisit in duo summa imperia, in auctoritatem videlicet sacratam Pontificum & regalem potestatem, quas vocat Imperatrices augustas. Atque ea opinio facile pervasit per animos hominum illius seculi, jam imbutos ea doctrina quam in Ecclesiam Christi invexerant spuriæ veterum Pontificum epistolæ. Itaque non multo post editam a Benedicto Levita collectionem Capitularium, in qua caput istud retulit prout reperiebatur in Concilio Parisiensi, Episcopi provinciarum Remensis & Rotomagensis e Carisiaco palatio ad Ludovicum Germaniæ Regem scripserunt anno DCCCLVIII. Christum, qui solus Rex fieri potuit & Sacerdos, in cælum ascendentem, suum regnum, id est, Ecclesiam, inter pontificalem auctoritatem & regiam potestatem gubernandum disposuisse. Hæc sunt enim ipsa eorum verba in Capitulis Caroli Calvi titulo XXVII. cap. 15. extremo. Ea persuasio cum deinde, ut fit, in occidentali Ecclesia invaluisset, jamque opinio de monarchia temporali Romani Pontificis valde propagata esset, rudi seculo creditum est concertationem quæ inter Gelasium Papam & Anastasium Imperatorem fuit, de regno fuisse, illum vero auctoritatem suam fortiter ac strenue vindicasse adversum conatus Imperatoris. Ne quis vero existimare possit me ista sine auctore dicere, adferam verba Bartholomæi Brixiensis, qui in cap. *Duo sunt* dist. 96. ita loquitur: *Gelasius Papa & Anastasius Imperator contendebant de præeminentia unius ad alterum & de præeminentia dignitatum. Sed Gelasius ostendit hic quod auctoritas pontificalis longe major est quam culmen imperiale.* Demum Leo-

ctoritas sacrata Pontificum, *& regalis potestas; in quibus tanto gravius pondus est sacerdotum quanto etiam pro ipsis Regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem*. Fulgentius quoque in libro de veritate prædestinationis & gratiæ ita scribit: *Quantum pertinet*, inquit, *ad hujus temporis vitam, in Ecclesia nemo Pontifice potior, & in seculo Christiano Imperatore nemo celsior invenitur*.

Ut Chorepiscopi modum mensuræ quæ in sacris canonibus præfixus est non excedant.

CCCXX. Emersisse reprehensibilem & valde inolitum usum comperimus, eo quod quidam Chorepiscopi, ultra modum suum progredientes, & donum sancti Spiritus per impositionem manuum tradant, & alia quæque quæ solis Pontificibus debentur contra fas peragant; præsertim cum nullus ex septuaginta discipulis, quorum speciem in Ecclesia gerunt, legatur donum sancti Spiritus per manus impositionem tradidisse. Quod autem solis Apostolis eorumque successoribus proprii sit officii tradere Spiritum sanctum liber actuum Apostolorum docet. In Concilio vero Cæsariensi ita de Chorepiscopis habetur scriptum: *Chorepiscopi quoque ad exemplum quidem & formam septuaginta videntur esse. Ut comministri autem, propter studium quod erga pauperes exhibent, honorentur.*

De Chorepiscopis qui in vicis commorantur.

CCCXXI. Qui in vicis vel in possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint & ut Episcopi consecrati sint, tamen sanctæ synodo placuit ut modum proprium recognoscant, & gubernent subjectas sibi Ecclesias, earumque moderamine curaque contenti sint.

De honore & obedientia Episcoporum & reliquorum sacerdotum.

CCCXXII. Igitur quia constat religionem Christianam per successores Apostolorum salubriter administrari, populisque ad vitam æternam ducatum exhiberi debere, primo necessarium judicavimus omnibus præcipere ut honorem debitum venerabiliter Episcopis absque ulla simulatione aut detractione impendant, eisque in omnibus ut patribus obediant & quicquid pro salute animarum monuerint, prout melius potuerint, adimplere satagant; sicut Dei & nostram gratiam habere voluerint. Nam Dominus ait: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Et iterum: *Si te non audierit, dic Ecclesiæ: Et si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. Et alibi: *Si quis scandalizaverit unum de pusillis istis*, id est, meis discipulis vel Apostolis, quorum locum Episcopi nunc in Ecclesia tenent, *melius est illi ut suspendatur mola asinaria in*

Leonellus de Chieregatis Episcopus Concordiensis in sermone quem habuit Romæ coram Alexandro VI. anno MCCCCLXXXV. in publicatione confœderationis initæ inter eundem Alexandrum ac Romanorum & Hispaniæ Reges Venetorumque ac Mediolanensium Duces, hæc ait: *In universali siquidem Ecclesia duæ constitutæ sunt dignitates, quibus principaliter hic mundus administratur, prout ad Anastasium Imperatorem scribit Gelasius Romanus antistes, auctoritas sacri Pontificum, & Imperatorum excelsa potestas*. Stabilita igitur ea opinione in mentibus hominum qui circa cathedram D. Petri habitabant, dubium illis non erat quin regnum in ea Ecclesia esset. Itaque Conservatores populi Romani, ut Franciscus Albertinus docet in libro de mirabilibus urbis Romæ ad Julium II. Papam, inscriptionem hanc in palatio suo posuerunt ad æneum Herculis simulacrum in foro boario repertum: *SIXTO IIII. PONT. MAX. REGNANTE. Æneum Herculis simulachrum aurea mala secundum vivente trepeum sinistra gerentis in ruinis Herculis Vict. fori boar. effossum Conservatores in monumentum gloriæ Romanæ hic locandum curarunt*. In veteri editione Romana epistolarum S. Hieronymi hæc leguntur in fine tomi secundi: *Eusebii Hieronymi doctoris eximii secundum epistolarum explicit volumen anno Christi MCCCCLXVIII. Indictione prima die vero XIII. mensis Decembris, Pontifice maximo Paulo regnante secundo, anno ejus quinto, Romæ in domo magnifici viri Petri de Maximo*. Philippus Labbeus in Specimine novæ bibliothecæ pag. 230 testatur fuisse in bibliotheca Naudæana disputationem de potentia Dei, auctore Francisco Cardinale Saonensi, qui postea fuit Sixtus Papa quartus, in cujus calce ista scripta erant: *Finis parvuli opusculi intitulati de potentia Dei editi per Reverendissimum D. D. Franciscum Saonensem Cardinalem tituli S. Petri in Vincula die prima mensis Octobris 1470. regnante Paulo Papa II. pontificatus sui anno septimo*. Habemus nos æneum numisma Julii III. Romani Pontificis, quod editum reperies apud Joannem Jacobum Luckium, in cujus recta parte visitur vultus Julii cum hac inscriptione: D. IVLIVS. III. REIPVB. CHRISTIANÆ. REX. AC. PATER. Sed ut ad rem nostram redeamus, attendus est insignis locus ex præcepto Caroli III. Francorum Regis pro Ecclesia Noviomensi, in quo Princeps ille præclarum documentum dat, quomodo intelligendus sit hic locus Gelasii de duabus summis potestatibus. *Duabus siquidem*, inquit, *personis universalis roboratur Ecclesia, sacerdotali videlicet & regali, ut si una insolens seu minus existeret provida pigritando, non dormitet altera*. Bartholomæus Brixiensis addit auctoritatem pontificalem culmine imperiali longe majorem esse, cum tamen Gelasius in eadem epistola fateatur ipsos quoque religionis antistites esse subditos Imperatori legibusque ejus parere quantum ad ordinem pertinet publicæ disciplinæ. Quæ sententia confirmatur auctoritate S. Fulgentii, cujus verba referuntur in hoc nostro capite. In canone septimo Concilii Trullani scriptum est spiritales dignitates præstantiores esse secularibus seu mundanis. Quæ verba sic interpretatur Balsamon: *Nota autem & canonem qui dicit spirituales dignitates esse præstantiores secularibus seu mundanis dignitatibus. Sed ne hoc eo traxeris, ut nonnulli dicebant, ut ecclesiasticæ dignitates præferantur imperatoriis. Eis enim subjicientur. Interpretare autem hoc adversus Subdiaconos, qui fortasse superbe & insolenter se gerunt adversus Diaconos, vel Diaconos qui adversus Presbyteros.*

in collo ejus, & demergatur in profundum maris, quam scandalizet unum de istis minimis. Hæc omnia fidelibus admonenda & perpendenda sunt, ne in hoc, quod absit, incidant scandalum; sed magis eis obediendo, non filii perditionis, sed filii Dei efficiantur; & non cum stultis pœnam, sed cum justis præmia percipiant sempiterna. Nam Episcopos & sacerdotes, quibus omnis terra caput inclinat, per quos & nostrum pollet imperium, admodum honorari & venerari omnes monemus, nec eos lacerari aut blasphemari vel detrahi a quoquam volumus: quia detractio sacerdotum ad Christum pertinet, cujus vice legatione funguntur in Ecclesia. Nam qui detrahit alium hominem, sicut homicida reputabitur. Quid erit de illis qui sacerdotes detrahunt: quoniam & ipsi semetipsos occidunt, & audientes interimunt. Dupla enim pœna digni sunt qui duplant scelera sua. Qui his sanctis monitis rebelles vel inobedientes extiterint, sciant se a liminibus sanctæ Ecclesiæ fore alienos.

De quatuor neglegentiis sacerdotum.

CCCXXIII. De Presbyteris & eorum Ecclesiis, unde multa negleguntur & scandala generantur, in nostra discussione quatuor pericula apparuerunt. Primo, quia nonnulli ex nostris sacerdotibus, quadam securitate accepta, nec ea quæ ad cultum divinum pertinent faciunt, neque in restauratione & luminaribus Ecclesiæ studium habent, nec etiam senioribus suis debitam reverentiam exhibent, & insuper Ecclesias suas expoliant, & in prædiola sua propria transferunt. Quæ omnia ad neglegentiam Episcoporum pertinere deprehendimus. Ob id vero quadam occasione accepta seniores eorum permoti in tantam audaciam prorumpunt ut eos etiam inlicite & inhoneste atque inreverenter tractare præsumant. Unde summopere omnibus nobis abhinc providendum judicavimus ut ea quæ a Domno Imperatore consensu Episcoporum ob honorem & amorem Dei Ecclesiis concessa sunt, non in avaritiam Presbyterorum aut in rapacitatem episcopalium ministrorum cedant, sed in utilitatem Ecclesiæ & in usus Clericorum & pauperum deveniant.

De Presbyteris qui in suis domibus feminas habent.

CCCXXIV. Illud non minus periculosum esse didicimus, quod in quorundam Episcoporum parrochiis quosdam Presbyteros contra interdicta sanctorum canonum feminas in domibus suis non solum habitare sed etiam ministrare faciunt; quas & laqueum sacerdotibus persæpe extitisse, & multos occasione in scandalum & in detractionem corruisse cognovimus. Quæ transgressio & tempore genitoris nostri & nostro in conventibus Episcoporum secundum auctoritatem canonicam prohibita, sed necdum ad correctionem plene est perducta. Unde in commune censuimus ut hi qui tantæ transgressionis incorrectores hactenus extiterunt, si abhinc hujus rei correptores esse neglexerint, juxta Apostoli sententiam quasi consentientes malorum coerceantur.

De Presbyteris qui contra statuta canonum vilici fiunt.

CCCXXV. Similiter de illis Presbyteris qui contra statuta canonum vilici fiunt, tabernas ingrediuntur, turpia lucra sectantur, & diversissimis modis usuris inserviunt, & aliorum domos inhoneste & impudice frequentant, & comessationibus & ebrietatibus deservire non erubescunt, & per diversos mercatos indiscrete discurrunt, observandum judicavimus ut ab hinc districte severiterque coerceantur; ne per eorum inlicitam & indecentem actionem & ministerium sacerdotale vituperetur, & quibus debuerant esse in exemplum, deveniant in scandalum.

Quod conversatio sacerdotalis testes vitæ probabiles habeat.

CCCXXVI. Pari ergo consensu nobis visum est ut Pontifices, sanctorum præcedentium patrum exempla sequentes, religiosos conversationis suæ testes (1) habeant, quatenus detrahere volentibus locum minime præbeant. Ut ergo sacerdos discipulis suis de semetipso exemplum bonum debeat præbere Apostolus scribens ad Titum docet dicens: *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in caritate, in doctrina, in castitate*, & reliqua. Beatus quoque Gregorius in decretis suis ita ait: *Verecundus mos inolevit ut hujus sedis Pontificibus ad secreta cubili sui servitia laici pueri eis seculares obsequantur; & cum pastoris vita esse discipulis semper debeat in exemplum, plerunque Clerici qualis in secreto sit vita sui Pontificis nesciunt, &, ut dictum est, seculares pueri sciunt. De qua re sequenti decreto constituo ut quidam ex Clericis vel etiam ex monachis electi ministerio cubili pontificalis obsequantur; ut is qui in loco est regiminis habeat testes, tales qui ejus in secreto conversationem videant, & ex visione sedula exemplum profectus sumant.* Hæc igitur beatus Gregorius scripsit. Ceterum qui de hac

(1) *Conversationis suæ testes.*) Supra cap. 2. hujus libri Karlomannus Princeps statuit in synodo ut Presbyter Episcopo testis adsistat castitatis & vitæ & fidei & doctrinæ illius. Renovatum istud in Concilio Londinensi sub Anselmo Archiepiscopo anno MCII. habito, in quo statutum est ut Episcopi semper & ubique honestas personas habeant conversationis suæ testes.

hac re copiosiora exempla quærere voluerint, vitas beati Augustini (1) & Ambrosii & ceterorum aliorum sanctorum virorum legant; & perspicue invenient quod vita & conversatio Pontificis semper testes vitæ probabiles habere debeat.

Ut Episcopi in rebus Ecclesiæ circa propinquos suos exponendis reprehensionem caveant, & ut discretionis modum teneant.

CCCXXVII. Quoniam multi Episcoporum, amore propinquorum suorum, de rebus sibi commendatis suo aut quolibet amicorum nomine prædia & mancipia emunt, & ut in propinquorum suorum jus cedant statuunt, & ob hoc & jura ecclesiastica convelluntur, & ministerium sacerdotale fuscatur, immo a subditis detrahitur & contemnitur, placuit omnibus ut deinceps hoc avaritiæ genus caveatur; fixumque abhinc & perpetuo mansurum esse decrevimus ut Episcopus res sui juris, quas aut ante episcopatum aut certe in episcopatu hereditaria successione adquisivit, secundum auctoritatem canonicam quicquid vult faciat, & cui vult conferat. Postquam autem Episcopus factus est, quascunque res de facultatibus Ecclesiæ aut suo aut alterius nomine qualibet conditione comparaverit, decrevimus ut non in propinquorum suorum sed in Ecclesiæ cui præest jura deveniant. Similiter & de Presbyteris qui de Ecclesiarum rebus quibus præsunt prædia eo modo emunt faciendum statuimus: quoniam multos Presbyterorum occasione taliter emptarum rerum Ecclesias quibus præsunt expoliasse, & a suo ministerio multis modis exorbitasse, & se diabolo mancipasse, & hac occasione multos laicorum in scandalum damnationis & perditionis proruisse comperimus.

Quod nonnulli Episcopi sibi subjectos Canonicos, monachos, & sanctimoniales neglegant.

CCCXXVIII. Didicimus sane nonnullos Episcopos in gubernandis congregationibus sibi subjectis, Canonicis videlicet, monachis, & sanctimonialibus, hactenus valde neglegentes extitisse, & ob id multos in sui detractionem & contemptum provocasse, ita ut nonnulli alii prælati in eorum parrochiis constituti, eorum prava exempla secuti, suas similiter congregationes neglexerint: quos & fraterno & synodali conventu admonendos esse necessarium duximus, ut ab hac neglegentia deinceps se cohibeant, & ceteris se imitabiles præbeant; ne forte propter illorum incuriam & divinæ servitutis contemptus & pericula proveniant animarum, & auribus excellentiæ nostræ molestia ingeratur, & sacerdotali mediocritati in sacris conventibus tædium & opprobrium inferatur.

De Presbyteris, Abbatibus, & sacerdotibus qui propria loca relinquunt.

CCCXXIX. Comperimus quosdam Episcopos & Abbates atque sacerdotes, non caussa necessitatis aut utilitatis, sed potius avaritiæ & propriæ delectationis, sæpissime propria civitatis suæ sede, vel monasterii septa, aut Ecclesiæ propriæ derelicta, cleroque neglecto, remotiora loca frequentare. Pro qua re & destitutio divini cultus & prædicatio in plebibus & cura subjectorum postponitur, & hospitalitas neglegitur. Quod ne ulterius a quoquam sine inevitabili necessitate aut aliqua utilitate fiat pari consensu inhibemus.

De laicorum Clericis.

CCCXXX. De Clericis laicorum (2), unde nonnulli eorum conqueri videntur, eo quod quidam Episcopi ad eorum preces nolunt in Ecclesiis suis eos, cum utiles sint, ordinare, visum nobis fuit ut in utrisque partibus pax & concordia servetur, & cum caritate & ratione utiles & idonei eligantur. Et si laicus idoneum utilemque Clericum obtulerit, nulla qualibet occasione ab Episcopo sine certa ratione repellatur. Et si rejiciendus est, propter scandalum vitandum evidenti ratione manifestetur. *Vide supra lib. 1. cap. 84.*

De monachis & Presbyteris sive Clericis qui passim palatium adeunt.

CCCXXXI. Placuit ut monachi & Presbyteri necnon Clerici, qui, postposita canonica auctoritate, passim palatium adeunt, & nostris sacris auribus importunissimam molestiam inferunt, ut non hoc facere præsumant: quoniam in hujuscemodi facto & vigor ecclesiasticus contemnitur, & religio sacerdotalis & professio monastica vilior efficitur.

Ut

(1) *Vitas beati Augustini.*) Possidius Episcopus Calamensis in vita Sancti Augustini cap. 26. *Et si forte ab aliquibus feminis ut videretur vel salutaretur rogabatur, nunquam sine Clericis testibus ad eum intrabant, vel solus cum solis unquam est locutus.* Sanctus Gregorius libro 7. Indict. 2. epist. 39. *Legitur quod beatus Augustinus nec cum sorore habitare consenserit dicens:* Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt. *Docti ergo viri cautela magna nobis debet esse instructio.* Citant hunc Gregorii locum Hincmarus epist. 48. cap. 10. Concilium Troslejanum cap. 9. Regino lib. 1. cap 98. & Gratianus dist. 81. cap. 25.

(2) *De Clericis laicorum.*) Hincmarus apud Flodoardum lib. 3. cap. 26. scribit Theodulfo Comiti de Presbytero ordinando in Ecclesia vacante: *Si autem vis ibi habere Presbyterum, adduc mihi talem Clericum qui aptus sit sacro ministerio, & ego illum inquiram, & illi Ecclesiam dabo.* Item Bertranno Comiti Tardunensis pagi *pro loco vacante sine Presbytero, ubi sancta Patricia requiescit, monens ut quantocius ministris ecclesiasticis Clericum sacro ministerio aptum ostendat qui valeat ibi ordinari.* Vide Notas ad Agobardum pag. 63.

Ut non sit sanguinis Christianorum temeraria effusio.

CCCXXXII. Volumus atque præcipimus nostra auctoritate adnuntiari omnibus, immo & a sacerdotibus prædicari, ne tam temeraria Christianorum sanguinis effusio in regno nostro fieri sinatur, semper illud adtendentes quod Dominus post diluvium dixit famulo suo Noe. *De manu hominis & de manu viri & fratris ejus requiram animam ejus. Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Et in lege: *Qui occiderit hominem, morte moriatur.* Et Apostolus: *Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bono. Si autem malefeceris, time. Non enim sine caussa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.* De illo enim specialiter divina auctoritas dicit, *Gladium Dei portat ad vindictam malorum*, non de quolibet alio. E contra vero nescimus qua pernoxia inventione a nonnullis usurpatum est ut hi qui nullo ministerio publico fulciuntur, propter sua odia & diversissimas voluntates pessimas indebitum sibi usurpent in vindicandis proximis & in interficiendis hominibus vindictæ ministerium, & quod Rex saltem in uno exercere debuerat propter terrorem multorum, ipsi impudenter in multis perpetrare non metuunt propter odium, & putant sibi licere ob inimicitiarum vindictas quod nolunt ut Rex faciat propter Dei vindictam.

De Abbatibus canonicis & regularibus, vel Abbatissis.

CCCXXXIII. Abbatibus canonicis & regularibus, & Abbatissis quæ sanctimonialibus præesse videntur, sive laicis qui monasteria habent, omnino præcipimus ut de ipsis magnam curam habeant, & ceteris bonum exemplum præbeant, & religiose, sicut decet, conversentur, & quod uniuscujusque professioni inconveniens est, & in sacris canonibus prohibetur, omnino caveant, & loca sibi a nobis propter aliquam necessitatem concessa deperire & destrui propter neglegentiam non dimittant, & congregationes sibi commissas sive spiritaliter sive temporaliter paterno affectu gubernare eisque necessaria stipendia administrare non neglegant, ne forte propter aliquam inopiam & divina officia neglegantur, & ipsæ congregationes inreligiosius vivere compellantur. Et qui hæc agere neglexerint, sciant se ea illis auferre & religiosioribus dare.

Ut capellæ absque jussu sive permissu proprii Episcopi non fiant.

CCCXXXIV. Placuit nobis ut, sicut ab Episcopis & reliquis sacerdotibus ac Dei servis admoniti fuimus, nec capellæ in palatio nostro vel aliubi absque illa nostra sine permissu vel jussu Episcopi in cujus est parrochia fiant. Et ut omnes per dies dominicos vel festivitates præclaras sacra eucharistia communicent, nisi quibus abstinere præceptum est. Et ut observatio omnium dierum dominicorum a mane usque ad vesperam secundum canonicam auctoritatem ab omnibus fiat. *Vide supra lib.* 1. *c.* 15.

Ut omnes qui in fide catholica suspecti sunt, in testimonio humano dubii habeantur.

CCCXXXV. Omnes qui in fide Christi vel catholica suspecti sunt, in testimonio humano dubii habeantur. Infirmari ergo oportet eorum testimonium qui in fide falsi docentur. Nec eis esse credendum qui veritatis fidem ignorant.

Ut si quis ministros Ecclesiæ injuriaverit, hoc tripliciter componat.

CCCXXXVI. Si quis ministros Ecclesiæ, id est, Subdiaconum, Lectorem, Exorcistam, Acolythum, Ostiarium, injuriaverit aut percusserit vel plagaverit, componat hoc tripliciter sicut solent componere parentes ejus. Diaconi vero, Presbyteri, atque Episcopi injuria in quadruplum componatur. Reliquorum autem Clericorum injuria componatur sicut parentum eorum. Monachorum quoque, qui secundum regulam in monasterio vivunt, injuria componatur secundum genealogiam suam; ut reverentia sit Deo & Ecclesiæ, & pax eis qui illi deserviunt.

Ut si quis contumax reverentiam Ecclesiarum non habet, quingentos componat solidos.

CCCXXXVII. Si quis homo contumax vel superbus timorem Dei vel reverentiam Ecclesiarum non habuerit, & fugientem servum suum vel quemlibet persecutus fuerit, vel de Ecclesia vel de porticu ejus per vim abstraxerit, & Deo honorem non dederit, componat ad ipsam Ecclesiam pro neglecto suo solidos quingentos, & pro fredo ad fiscum solidos ducentos. Ipse vero publica pœnitentia juxta judicium Episcopi multetur, ut sit honor Dei & reverentia sanctorum, & ut Ecclesia Dei semper invicta permaneat (1).

(1) *Invicta permaneat.*) Post caput istud, additum est a manu antiqua in codice Colbertino: *Homicidium laici si in Ecclesia perpetratum fuerit, altare destruatur donec proprii Episcopi arbitrio restituatur. Sin autem Presbyter illic aut ante altare peremptus fuerit, altare simul cum Ecclesia destruatur, donec consensu Apostolici reconcilietur.* Sed hæc non pertinent ad Capitularia, & a studioso quodam adjecta postea sunt.

Ut cuncta quæ circa Ecclesias earumque ministros antiquitas sancta statuit, inviolata serventur.

CCCXXXVIII. Cuncta quæ circa sanctarum loca Ecclesiarum ejusque ministros vel olim ordinavit antiquitas, vel antecessorum nostrorum auctoritas religiosa constituit, vel nostra roboravit serenitas, inlibata custodiri nunc & in futurum præcipimus.

De prædiis Deo dicatis.

CCCXXXIX. Placuit ne prædia (1) cœlestium secretorum dicata Deoque tradita a quibusdam aliqua occasione vexentur aut invadantur, sed sub immunitatis tuitione perpetua firmitate perdurent. Similiter & homines earum, & omnia quæ eis subjecta esse noscuntur. Si quis contra hæc venerit, componat sicut de emunitate constituimus, & pœnitentia publica a sacerdotibus usque ad satisfactionem multetur. *Capit. II. a.* 814. *c.* 4.

De eo qui die dominico opera servilia fecerit.

CCCXL. Si quis die dominico opera servilia fecerit, liber homo si bovem junxerit, & cum carro ambulaverit, dextrum bovem perdat. Et si alia quæ canonica auctoritate prohibita sunt servilia opera fecerit, sacerdotibus illa emendet sicut de reliquis neglegentiis judicibus emendari solet, & ab ipsis sacerdotibus pœnitentiam juxta modum culpæ accipiat. Similiter & de præcipuis festivitatibus observari placuit. Quod si sacerdotes eos nequiverint corripere, tunc a judicibus ad sacerdotes adducantur, eisque obedire in omnibus faciant.

De his qui infra regnum per vim aliquid rapuerint.

CCCXLI. Si quis in exercitu infra regnum sine jussione dominica per vim hostilem aliquid prædari voluerit, aut fœnum tollere aut granum, sive pecora majora vel minora, domosque infringere vel incendere, hæc ne fiant omnino prohibemus. Quod si ab aliquo præsumptioso factum fuerit, sexaginta solidis, si liber est, sit culpabilis, & omnia similia restituat, aut cum duodecim testibus se purget. Si vero servus hoc fecerit, capitali crimini subjaceat, & dominus omnia similia restituat, quia servum suum non correxit, nec custodivit ut talia non perpetraret. Quoniam si nos ipsos comedimus (2), cito deficiemus. Unusquisque tamen custodiat exercitum suum, ne aliqua deprædatio infra regnum fiat.

De eo qui alienum servum ad furtum suaserit.

CCCXLII. Si quis alienum (3) servum ad furtum suaserit aut ad aliquid damnosum in fraudem domini sui, ut posset accusare eum, & fraus ipsa fuerit detecta per investigationem indicis, dominus nec servum perdat, nec pro hoc aliquam faciat compositionem; sed ille cujus consusione vel exhortatione admissum est, tamquam fur damnetur; & servus quod tulit reddat, & insuper centum viginti ictus accipiat.

De fure nocturno tempore capto.

CCCXLIII. Fur nocturno tempore (4) captus in furto, dum res furtivas secum portat, si fuerit occisus, nulla ex hoc homicidio querela nascatur.

De eo qui de fure nesciens aliquid comparaverit.

CCCXLIV. Si quis de fure nesciens aliquid comparaverit, quærat accepto spatio venditorem. Quem si non potuerit invenire, probet se cum sacramento & testibus innocentem, & quod apud eum cognoscitur restituat, & furem quærere non desistat. Quod si furem celare voluerit, & perjurans postea detectus fuerit, tamquam ille fur, ita iste in crimine damnetur.

De eo qui occulte in nocte vel in die alterius animal occiderit.

CCCXLV. Si quis occulte in nocte vel in die alterius caballum aut bovem aut aliquod animal occiderit, & negaverit, & postea exinde probatus fuerit, tamquam furtivum componat.

De eo qui occiderit alienum animal, & non negaverit.

CCCXLVI. Si quis caussa faciente occiderit alienum animal, & non negaverit, simile dare non tardet, & cadaver mortui accipiat.

De eo qui furtivam rem emerit.

CCCXLVII. Si quis furtivam rem scienter emere præsumpserit, & exinde probatus fuerit, similem rem reddat illi cujus pecuniam (5) comparavit. Salva videlicet ejus justitia in altero.

De

(1) *Placuit ne prædia.*) Vide Concilium Moguntinum anni DCCCLXXXVIII. cap. XI. & Gratianum 17. qu. 4. cap. 13. *Attendendum.*

(2) *Si nos ipsos comedimus.*) Ivo epist. 85. *Ne forte si pertinaciter vos invicem mordetis & comeditis, ab invicem consumamini.*

(3) *Si quis alienum.*) Istius capitis sensus reperitur in lib. 7. legis Wisigothorum tit. 2. cap. 6.

(4) *Fur nocturno tempore.*) Et hoc quoque caput extat in eodem titulo legis Wisigothorum capite 16.

(5) *Cujus pecuniam.*) Id est, rem propriam, ut dictum est supra ad caput 3. hujus libri.

De eo qui de latrone furtivam rem ſcienter ad cuſtodiendum acceperit.

CCCXLVIII. Si quis de latrone furtivam rem ſcienter ad cuſtodiendum acceperit, quaſi fur componat.

De ſacramentis leviter non jurandis.

CCCXLIX. Volumus ut ſacramenta cito non fiant. Sed unuſquiſque judex prius cauſſam veraciter cognoſcat, ut eum veritas latere non poſſit. Nec facile ad ſacramenta veniant.

De eo qui contra caput alterius falſa ſuggeſſerit.

CCCL. Si quis contra caput alterius falſa ſuggeſſerit, vel pro quacunque invidia aut injuſta accuſatione aliquem commoverit, ipſe pœnam vel damnum quod alteri intulerit excipiat. Neminem damnes antequam inquiras veritatem. Quia ſcriptum eſt: *Omnia autem probate; quod bonum eſt tenete.*

De eo qui per invidiam vel dolum liberi vel ſervi domum incenderit.

CCCLI. Si quis per aliquam invidiam vel dolum in nocte vel in die ignem impoſuerit, & incenderit liberi vel ſervi domum, omnia ædificia reſtituat, & quicquid ibi arſerit componat, & inſuper ſexaginta ſolidis ſit culpabilis, & publica pœnitentia ſecundum judicium ſacerdotum multetur. Et quanti homines de ipſo incendio evaſerint, unicuique ſecundum legem componat, & omnia quæ ibi perdiderint reſtituat.

Ut ſi quis ſervum injuſte accuſaverit alienum, domino ſimile mancipium pro hoc facto reddat.

CCCLII. Si quis ſervum injuſte accuſaverit alienum, & innocenter tormenta pertulerit, domino ſimile mancipium pro hoc facto reddat. Si vero innocens in tormento mortuus fuerit, duos ſervos ejuſdem meriti ſine dilatione domino reſtituat.

De via publica.

CCCLIII. Si quis viam publicam aut litoſtratum (1) vel viam communem alicui clauſerit contra legem, cum ſua lege componat, & clauſuram quam ibi fecit tollat. Quod ſi negare voluerit, cum duodecim ſacramentalibus juret.

De via convicinali.

CCCLIV. Si quis viam convicinalem vel paſtoralem clauſerit, cum ſua lege componat, & ipſam viam aperiat. Similiter & de ſemita faciendum eſt.

De eo qui fontem coinquinaverit.

CCCLV. Si quis fontem quacunque invidia coinquinaverit vel maculaverit, emendet eum primo, ut nulla ſit coinquinationis in eo ſuſpicio, & cum lege ſua vicinis hoc emendet. Si autem plurimorum in vicinio puteus fuerit, compoſitionem inter ſe multentur.

De eo cui aurum vel argentum aut ornamentum commendata fuerint.

CCCLVI. Si cui aurum (2) vel argentum aut ornamenta vel quæcunque ſpecies fuerint commendatæ, ſive ad cuſtodiendum traditæ ſint, ſive vendendæ, & in domo ipſius cum rebus ſuis forſitan fuerint incendio crematæ, una cum teſtibus qui commendata ſuſceperat præbeat ſacramenta nihil exinde ſuis profuiſſe compendiis, & nihil cogatur exſolvere; excepto aurum (3) & argentum, quod ardere non poterat. Si vero quæ commendata fuerant furto probantur ablata, ei qui commendata perdiderat ſpatium tribuatur donec furem ſua inveſtigatione perquirat. Et ſi eum invenerit, commendatori res proprias tantummodo reformare procuret (4). Compoſitio vero furti ad eum qui habuit commendata pertineat. Quod ſi fur non fuerit intra ſtatutum tempus inventus, medietas rerum commendatarum domino ſuſcipiente reddatur, damnum vero medium utrique ſuſtineant. Et ſi dominus poſtmodum apud eum qui commendaverit quæcunque fuerint ſuppreſſa repererit, ſicut furtiva ab eo exigantur.

Ut rem in contentione poſitam non liceat vendere.

CCCLVII. Rem in contentione poſitam (5) non liceat donare nec vendere.

De eo qui ſervum ſuum vendiderit.

CCCLVIII. Si quis ſervum (6) ſuum vendiderit, forſitan ejus neſciens facultates, habeat dominus ejus poteſtatem, qui eum vendidit, requirendi res ejus ubicunque invenire potuerit.

(1) *Litoſtratum.*) Ita veteres. Editiones habent *lithoſtrotum*. Litoſtratam fortaſſis dixere viam ex lito ſive litio ſtratam. Vide gloſſarium Franciſci Pithœi & Notas ad Reginonem pag. 562.

(2) *Si cui aurum.*) Hoc caput habetur in libro 5. legis Wiſigothorum tit. 5. cap. 3.

(3) *Excepto aurum.*) Ita vetera exemplaria Capitularium. At in lege Bajuvariorum & in lege Wiſigothorum legitur: *excepto auro & argento*. Sic etiam legitur in vulgatis Capitularium editionibus. Nos prætulimus lectionem quæ multorum librorum auctoritate confirmatur, ut diximus ad Reginonem pag. 91. Atque id ſane probare infinitis, ut ita dixerim, ſimilibus exemplis foret facillimum.

(4) *Procuret.*) In lege Wiſigothorum legitur *cogatur*.

(5) *Rem in contentione poſitam.*) *Id eſt, quam alter aut petere cœpit aut recipere rationabiliter poterat*, ut legitur in eodem libro 5. legis Wiſigothorum tit. 4. cap. 9.

(6) *Si quis ſervum.*) Habetur in eodem titulo legis Wiſigothorum cap. 15.

De eo servo qui de peculio suo fuerit redemptus.

CCCLIX. Si quis servus (1) de peculio suo fuerit redemptus, & hoc dominus ejus forte nescierit, de domini potestate non exeat; quia non pretium, sed res servi sui, dum ignorat, accepit.

De eo qui caussam alterius tulerit de loco suo.

CCCLX. Si quis caussam alterius tulerit de loco suo, ipsam inlæsam reddat aut similem. Si vero foras aliqua traxerit & absconderit, atque negaverit interrogatus, quasi furtivam componat.

De eo qui alicujus mortuum reperit.

CCCLXI. Si quis alicujus mortuum reperit, & eum humanitatis caussa humaverit, ut neque a porcis inquinetur, neque a bestiis seu canibus laceretur, seu liber sit seu servus, nullam ex hoc calumniam sustineat, sed magis a parentibus ejus remunerationem condignam accipiat. Et si a parentibus mercedem noluerit recipere, recipiet a Domino, qui præcepit mortuos sepelire.

De venditionibus vili pretio detractis vel vitiosis.

CCCLXII. Placuit in venditione (2) hanc formam servari, ut seu res seu mancipia vel quodlibet genus animalium venundetur, nemo propter hoc venditionis firmitatem inrumpat quod dicit se vili pretio vendidisse; sed postquam factum est negotium, non sit mutatum, nisi forte vitium sibi a venditore celatum invenerit. Si autem venditor dixerit vitium, stet emptio, & non sit immutata. Si autem non dixerit, mutari potest in illa die & in alia sive in tertia die. Et si amplius de tribus noctibus illud habuerit, postea non potest mutare; nisi forte eum invenire infra tres dies non poterit. Tunc quando invenerit, recipiat, quia vitium vendidit. Et si noluerit recipere, juret cum suis sacramentalibus quod vitium ibi nullum sciebat in illa die quando negotium fecit; & stet factum.

Ut qui arras dederit pro quacunque re, pretium reddere compellatur.

CCCLXIII. Qui arras dederit (3) pro quacunque re, pretium cogatur implere quod placuit emptori.

Ut peregrinos transeuntes nemo inquietet.

CCCLXIV. Placuit ne peregrinos transeuntes quisquam inquietare præsumat, eisque nocere audeat: quia alii propter Deum, alii propter suas discurrunt necessitates. Quod si aliquis præsumptiosus fuerit qui peregrino nocuerit, vel eum assallierit, aut dispoliaverit, læserit, plagaverit, ligaverit, vendiderit, vel occiderit, ipsi peregrino singillatim dupliciter sicut de alio homine solet componi, aut suo seniori vel socio, cum sua lege componat. Quod si mortuus fuerit, & seniorem ibi vel socium non habuerit, tunc Episcopus aut sacerdotes ejusdem pagi ipsam compositionem in duplo sicut de indigena distringente judice accipiant, & in suam eleemosynam illa tribuant; & insuper sexaginta solidos fisco cogatur persolvere. Et si peregrinum viventem reliquerit, omnem injuriam ei factam & quicquid illi tulit dupliciter, ut prædictum est, per singula illi componat, sicut solet de infra provincia aliquem componere. Si autem eum occiderit, ut liberum hominem de ipsa provincia in duplo componat; & ipsa pecunia a memoratis sacerdotibus in sua detur eleemosyna. Quoniam Dominus ait: *Peregrinum & advenam non contristabis.*

De eo qui res alienas vendiderit.

CCCLXV. Si quis vendiderit res alienas sine voluntate domini sui, aut servum, aut ancillam, aut quamcunque rem, ipsam legibus reddat, & similem aliam addat. Et si ipsum non potest invenire, duos consimiles & æqualis meriti reddat.

De eo qui alicujus quadrupedi unum oculum excusserit.

CCCLXVI. Si quis alicujus caballo vel bovi vel cujuslibet quadrupedi unum oculum excusserit, adpretietur illud pecus quod valet, & partem tertiam componat.

De eo qui jussu Regis vel Ducis aliquem occiderit.

CCCLXVII. Si quis jussione Regis, vel Ducis illius qui ipsam provinciam regit, hominem occiderit, non requiratur ei, nec propterea faidosus sit: quia lex & jussio dominica occidit eum, & ipse non potuit contradicere. Princeps vero & successores ejus defendant eum & totam progeniem ejus, ne ob hoc pereat aut malum patiatur. Quod si propterea ipse aut ejus progenies aliquid mali passi fuerint aut occisi, dupliciter componantur.

De eo qui scripturam protulerit, ut veritatem ejus testibus probet.

CCCLXVIII. Si quis scripturam profert, veritatem ejus testibus probare debet: quia in

(1) *Si quis servus.*) Extat in eodem titulo legis Wisigothorum cap. 16. Vide Bignonii Notas ad appendicem Marculfi.

(2) *Placuit in venditione.*) Prior pars istius capitis extat in eodem titulo legis Wisigothorum capite 7.

(3) *Qui arras dederit.*) Caput istud mutilum est in collectione Benedicti Levitæ. Integrius habetur in lege Bajuvariorum. Plenum autem est in eodem titulo legis Wisigothorum cap. 4.

in omnibus cauſſis conſtitutum eſt ut ſcripturam prolator adfirmet.

Ut quicquid provincialibus fuerit relaxatum beneficio Principis, ab exactore non requiratur.

CCCLXIX. Quicquid provincialibus per beneficium Principis tributorum fuerit relaxatum, ab exactore non requiratur.

Ut Presbyteri criminoſi ad ſynodum venientes in medio collocentur.

CCCLXX. Presbyteros criminoſos canonice ad ſynodum venientes jubemus juxta decreta Papæ Innocentii capitulo XXXIII. in medio collocari; diſcuſſiſque objectionibus quæ ipſis Presbyteris impinguntur, ſi convinci potuerint, a ſacerdotali removeantur officio, (quia qui ſancti non ſunt, ſancta tractare non poſſunt) atque alieni efficiantur a miniſterio quod vivendo inlicite polluerunt. Et ſi convinci non potuerint, ſecundum anterius capitulum conſultu Leonis Papæ, & multorum Epiſcoporum ſtatutum, cum aliis Presbyteris & fidelibus juſtiſque hominibus ſatisfaciant Epiſcopo ſuo & populo. *Capitul. a.* 803. *Supra p.* 655.

Ut unuſquiſque Presbyter Miſſam cum ſandaliis celebret.

CCCLXXI. Unuſquiſque Presbyter (1) Miſſam ordine Romano cum ſandaliis celebret. Et hoc populo nuntietur, quod per omnes dies dominicos oblationes Deo offerant; & ut ipſa oblatio foris ſepta altaris recipiatur.

Ut Presbyter die dominico cum benedicta aqua procedat.

CCCLXXII. Ut omnis Presbyter die dominico cum pſallentio circumeat Eccleſiam ſuam una cum populo, & aquam benedictam ſecum ferat. Et ut ſcrutinium more Romano (2) tempore ſuo ordinate agatur.

De locis monaſteriorum vel ædificiis providendis.

CCCLXXIII. Dignum ac neceſſarium eſt ut Miſſi per quæque loca directi ſimul cum Epiſcopis uniuſcujuſque dioceſis perſpiciant loca monaſteriorum Canonicorum pariter & monachorum, ſimiliterque puellarum, ſi in apto & congruo loco ſint poſita, ubi commodum neceſſarium poſſit adquiri, quod ad utilitatem pertinet monaſterii, ſicut in ſancta regula dicit: *Monaſterium autem ita debet conſtitui ut omnia neceſſaria infra monaſterium exerceantur, ut non ſit neceſſitas monachis vel Clericis vagandi foras; quia omnino non expedit animabus eorum. Supra c.* 143.

De hoſpitalitate & cura pauperum.

CCCLXXIV. Ut de hoſpitalitate & cura pauperum memores ſitis, & propter quod res eccleſiaſticæ a fidelibus oblatæ & ab Eccleſia receptæ ſint. Et eo modo illas diſtribuatis ut ab illo cui de his rationem redditurі eſtis, non damnationem, ſed æterni gaudii mercedem accipere mereamini.

Ut adjutorium a Rege impendatur his qui miniſterium eccleſiaſticum adimplent.

CCCLXXV. Volumus vos ſcire voluntatem noſtram, quod nos parati ſumus vos adjuvare, ubicunque neceſſe eſt, ut miniſterium veſtrum adimplere valeatis. Similque vos admonemus ut propter humilitatem noſtram & obedientiam quam monitis veſtris propter Dei timorem exhibemus, honorem nobis a Deo conceſſum conſervetis, ſicut anteceſſores veſtri noſtris anteceſſoribus fecerunt.

Ut nullus Epiſcopus vel Abbas per præmia ſuis hominibus beneficia dent vel auferant.

CCCLXXVI. Admonemus etiam Epiſcopos & Abbates ut per præmia beneficia hominibus ſuis nec auferant nec donent: quia multæ reclamationes & querelæ de hac cauſſa ad noſtras aures ſolent pervenire.

Ut Conſiliarii Regis munus non accipiant ob beneficium aliis impetrandum.

CCCLXXVII. Ut nullus de Conſiliariis noſtris propter beneficium cuilibet a nobis impetrandum munera accipiat: quia nos volumus illi beneficium dare qui nobis bene ſervierit.

Ut Clericus vel monachus vel ſanctimonialis non accuſetur ad judicium civile.

CCCLXXVIII. Nemo audeat Clericum aut monachum vel ſanctimonialem feminam ad civile judicium accuſare, ſed ad Epiſcopum. Et ipſe ex lege vel canonibus conſentaneam & juſtam ſententiam proferat. Hæc omnes Epiſcopi cuſtodiant, & omnes fideles ſanctæ Dei Eccleſiæ. Et noſtri provincia-

(1) *Unuſquiſque Presbyter.*) Vide capitula Herardi Archiepiſcopi Turonenſis cap. 105.

(2) *Scrutinium more Romano.*) Amalarius Archiepiſcopus Trevirenſis in epiſtola ad Carolum M. capite 12. *Scrutinium finitur ſabbato ſancto ante Paſcha. Ipſo die facimus ſcrutinium ſeptimum, ſicut in Romano Ordine invenimus ſcriptum.* Theodulfus in libro de ordine baptiſmi cap. 8. *Hunc enim morem Eccleſia ſervare conſuevit ut per aliquot dierum ſpatium hi qui in ſolemnitate paſchali baptizandi ſunt ſcrutentur, ut inſtructis & doctis & ſimplici corde ad fidem veram venientibus vitæ ſacramenta impertiantur.* Auctor anonymus de ordine baptiſmi cap. 4. *Scrutinium a ſcrutando dicitur, quia tunc ſcrutandi ſunt catechumeni, ſi rectam jam noviter fidem ſymboli eis traditam firmiter teneant.* Scrutinii ordo habetur ſupra ex vetuſtiſſimo codice Ms. bibliothecæ regiæ. Vide porro Notas Hugonis Menardi ad librum ſacramentorum pag. 139. & Joſephum Vicecomitem lib. 3. de antiquis baptiſmi ritibus cap. 21. & ſeqq.

siarum Præsides procurent quorumcunque Clericorum vel monachorum & sanctimonialium lites dirimere. Si quis hanc constitutionem violaverit in magistratu positus, decem librarum auri pœna multabitur. Si exsecutor est, in catenis (1) Ecclesiarum recludatur pœnas luiturus, & officium perdat.

De monacho qui monasterium suum dimiserit.

CCCLXXIX. Si monachus monasterium (2) suum dimiserit, omnia bona ipsius, & quæ in monasterium introduxit & quæ non introduxit, dominio monasterii (3) sint, & ipse officio Præsidis servire cogatur. Si vero monachus ad aliud monasterium migraverit, substantiam ejus prius monasterium possideat, & in alio monasterio ipse non recipiatur (4).

De servo in monasterio recepto.

CCCLXXX. Si aliquis incognitus (5) in monasterium ingredi voluerit, ante triennium monachi habitus ei non præstetur. Et si intra tres annos aut servus vel libertus vel colonus quæratur, domino suo reddatur cum omnibus quæ adtulit, fide tamen accepta de impunitate. Si autem intra triennium requisitus non fuerit, postea quæri non potest; sed tantum ea quæ in monasterium adduxit dominus servi recipiat.

De monachis laicis factis.

CCCLXXXI. Si autem monachus (6) laicus factus fuerit, honore & cingulo spolietur, & res ejus monasterio adjiciantur. Quod si monasticam vitam reliquerit, Præses provinciæ eum teneat & curiæ suæ connumeret.

De Ecclesia ædificanda.

CCCLXXXII. Nemo Ecclesiam (7) ædificet antequam civitatis Episcopus veniat & ibidem crucem figat publice. Et ante præfiniat qui ædificare vult quid ad luminaria & ad custodiam & stipendia custodum sufficiat. Et facta donatione, sic domum ædificet.

De eo qui in domo sua oratorium fecerit.

CCCLXXXIII. Qui in domo sua oratorium (8) habuerit, orare ibi potest. Tamen non audeat in eo sacras facere Missas sine permissu Episcopi loci illius. Quod si fecerit, domus illius fisci viribus (9) addicatur. Comes & Missi ejus qui hoc cognovit, & non prohibuit, libra auri multabitur, & ab Episcopo loci illius canonicam suscipiat excommunicationem vel exclusionem. *Vide infra lib. 6. c. 12.*

De electione Abbatissæ.

CCCLXXXIV. Abbatissa eligatur (10) a cuncta congregatione, non secundum ordinem, sed quam melioris opinionis esse constiterit, & quam meliores elegerint. Et qui eam eligunt, proponant sanctis evangeliis, dicentes quod non propter amicitias vel gratiam humanam, sed scientes eam fide rectam, & vita castam, & administratione dignam, ad omnemque statum monasterii utilem. Et tunc confirmetur ab Episcopo (11) cui monasterium subjectum est.

De

---

(1) *Catenis.*) Hæc est lectio omnium veterum exemplarium & editionis Tilianæ ac prioris Pithœanæ. Postea Franciscus Pithœus reposuit *decanicis*, quia Julianum Antecessorem, ex quo caput istud sumptum est, voce illa usum esse constabat in epitome Novellarum Justiniani, ubi Antonius Augustinus adnotat decanicam esse carcerem Ecclesiæ. Vide Carolum Dufresnium in Notis ad Paulum Silentiarium pag. 594.

(2) *Si monachus monasterium.*) Vide novam collectionem formularum cap. 36.

(3) *Dominio monasterii.*) In aliis editionibus male legebatur *domino*. Abbo in sua canonum collectione cap. 22. *Omnes enim res cum ejus domino monasterii sunt*. Sed apud Julianum Antecessorem, ex quo Abbo sumpsit, legitur: *Omnes enim res ejus dominii monasterii sint*.

(4) *Non recipiatur.*) Infra lib. 6. cap. 108. additur, *sine Abbatis sui & Episcopi proprii licentia*. Sed hæc non habentur in Novella, ut illic adnotamus.

(5) *Si aliquis incognitus.*) Ista sumpta sunt ex Novella quinta Imperatoris Justiniani cap. 2. Vide Notas Hugonis Menardi ad Concordiam regularum pag. 957. & quæ nos adnotavimus ad Capitulare anni DCCCXXII. de causis Sanctæ Radegundis Pictaviensis

(6) *Si autem monachus.*) Vide infra Addit. III. cap. 66.

(7) *Nemo Ecclesiam.*) Vide Notas ad Reginonem pag. 544. & ad Gratianum pag. 558. Vide etiam infra Addit. III. cap. 72. & Concilium Londinense anni MCII. cap. 15. 16.

(8) *Oratorium.*) Solebant tum viri nobiles habere oratoria in domibus suis. De Rorigone Comite testatur Odo Abbas in libro de miraculis S. Mauri cap. 2. eum in domo sua quæ Boscus vocabatur oratoriolum compendiose constructum, ut nobilioribus mos est, habuisse, in quo & matutini hymni decantabantur & psalmi ac preces Christianæ. De oratoriis monasteriorum vide Notas Hugonis Menardi ad Concordiam regularum pag. 858.

(9) *Fisci viribus.*) Ita omnia vetera exemplaria, regio & meo exceptis, quæ habent *juribus*. Hanc ultimam lectionem exhibent vulgatæ Capitularium editiones. Isaacus Lingonensis legit *viribus*. Atque hæc est sincera lectio, quæ frequenter reperitur in Codice Theodosiano; ubi Jacobus Gothefredus ad l. 1. *Si certum petatur de suffrag.* adnotat male facere eos qui vocem *viribus* mutant in *juribus*. Probat hanc lectionem esse veram constitutio Chindasuindi Regis in libro 5. legis Wisigothorum tit. 7 cap. 15. ubi ita legitur: *Fiscalium sæpe subreptione servorum, fisci vires attenuantur.* Vide Cujacium lib. 28. Observat. cap. 1.

(10) *Abbatissa eligatur.*) Vide supra lib. 2. cap. 42.

(11) *Confirmetur ab Episcopo.*) Jam monuimus ad caput 81. libri primi privilegia eligendi Abbates monasteriis concessa fuisse ea ratione ut salva esset canonica Episcoporum auctoritas. Nunc vero idipsum ostendendum est in causa Abbatissarum. Carolus Calvus in diplomate

De Diaconiſſa vel Deo devota.

CCCLXXXV. Si quis rapuerit vel ſollicitaverit vel corruperit religioſam feminam, bona amborum Eccleſia vindicet in qua talis mulier habitavit. Ipſi tamen capitali periculo ſubjiciantur. Quod ſi hæc mulier non conſenſit, cum ſuis rebus monaſterii cautioni tradatur. Si vero liberos habet, pars legitima eis reſervetur. Quod ſi intra annum poſt cognitum tale ſcelus a religioſis locis non vindicetur, Comes loci illius hæc noſtro fiſco addicat. Si vero Comes provinciæ vindictam tali crimini imponere neglexerit, honore careat, & duas libras auri fiſci viribus dare compellatur.

De reſtituendo monaſterio.

CCCLXXXVI. Nemini Regum aut cuiquam hominum in proprium liceat monaſterium tradere vel commutare vel quocunque commento vendere. Hoc etiam divina & apoſtolica atque canonica ſub anathematis pœna ſanxit auctoritas. Quod ſi factum fuerit, non valebit. Sed is qui accepit, pretium amittat. Et qui diſtraxit, pretium quod accepit in ipſo monaſterio amittat, & una cum pretio monaſterium perdat, & ipſum monaſterium in priſtinum reformetur ſtatum.

De litigatoribus.

CCCLXXXVII. In civitatibus (1) in quibus Præſides præſunt, ipſi audiant cauſſas, ſeu & Defenſores. Qui autem Epiſcopum vel ſacerdotes aut Clericos judicare ſibi maluerint, hoc quoque fieri non permittimus.

De ſcenicis.

CCCLXXXVIII. Si quis ex ſcenicis (2) veſtem ſacerdotalem, aut monaſticam, vel mulieris religioſæ, vel qualicunque eccleſiaſtico ſtatu ſimilem indutus fuerit, corporali pœnæ ſubſiſtat, & exilio tradatur.

De præſcriptione quadraginta annorum.

CCCLXXXIX. Ne decem anni (3), neque viceni, vel triginta annorum præſcriptio religioſis domibus opponatur; ſed ſola quadraginta annorum curricula. Et non ſolum in ceteris rebus, ſed etiam in legatis & hereditatibus.

Ut nemo audeat Epiſcopum aut Sacerdotem vel Clericum apud publicos judices accuſare.

CCCXC. Sancitum eſt, ut nullus Epiſcopum aut Sacerdotem vel Clericum apud judices publicos (4) accuſare præſumat, ſed apud Epiſcopos.

De abſentibus non judicandis.

CCCXCI. Decretum eſt ut adverſus abſentes non judicetur. Quod ſi factum fuerit, prolata ſententia non valebit.

Ne ullus ſacerdos judicetur niſi præſentes ſint ipſius accuſatores, idemque legitimi.

CCCXCII. A ſancta Romana & apoſtolica Eccleſia olim ſtatutum eſt, & a nobis ſynodali ſententia confirmatum, ut nullus ex ſacerdotali catalogo judicetur aut damnetur, niſi accuſatus accuſatores legitimos præſentes habeat, locumque defendendi ad abluenda crimina accipiat.

Ut vita accuſantium primo diſcutiatur.

CCCXCIII. Item a prædicta ſancta Romana & apoſtolica Eccleſia ſancitum eſt, & ab omnibus ſynodali auctoritate decretum eſt, ut ſemper primo perſona, fides, vita, converſatio accuſantium enucleatim perſcrutetur, & poſtea quæ objiciuntur fideliter pertractentur; quia non aliter fieri quicquam debet niſi prius impetitorum vita diſcutiatur.

De

mate pro monaſterio S. Mariæ Sueſſionenſis præcipit ut poſt deceſſum Immæ Abbatiſſę, *de ipſa congregatione, quandiu ibi talis inveniri potuerit quæ ipſi ſancto gregi regulariter præeſſe & prodeſſe poſſit, per ſucceſſionum curricula eligatur & Abbatiſſa ſecundum jura eccleſiaſtica conſtituatur.* Carolus III. Imperator cognomento Craſſus in præcepto pro monaſterio Heriſienſi quod reperitur in ſecunda editione Monumentorum Paderbornenſium pag. 264. *Poſt ſuum vero deceſſum licentiam ipſæ ſorores habeant inter ſe eligendi Abbatiſſam una cum conſenſu illius Padrabrunnenſis Eccleſiæ Præſulis.* Otto III. Imper. in præcepto de privilegiis monaſterii Eltenenſis prope Embricam: *Ceterum pro animæ noſtræ expiaculo eidem largiti ſumus monaſterio ut poſt hæc perpetualiter, cum ejuſdem monaſterii Abbatiſſa morbo conſumpta morietur, ſanctimoniales inter ſe unam, qualemcunque velint, ſimul cum conſenſu Trajectenſis Epiſcopi, in cujus poſitæ ſunt diœceſi, abſque mortalium omnium contradictione licenter eligant.* Editum eſt hoc præceptum ab Ægidio Gelenio in hiſtoria S. Engelberti Archiepiſcopi Colonienſis pag. 359. & ab Hermanno Stangefol in libro 2. annalium Circuli Weſtphalici pag. 203.

(1) *In civitatibus.*) Apud Julianum Anteceſſorem novella 85. in editione Antonii Auguſtini & 69. in Pithœana ſic legitur cap. 7. *In civitatibus in quibus Præſides præſto non ſunt, adeant litigatores Defenſorem civitatis, & ille audiat cauſas. Si autem Epiſcopum judicare ſibi maluerint, hoc quoque fieri jubemus.* Argumento iſta ſunt tollendam eſſe negationem quæ in fine iſtius noſtri capituli reperitur. Nam Carolus M. præterea confirmavit conſtitutionem Conſtantini quæ extat in calce Codicis Theodoſiani, ut patet ex libro ſexto Capitularium cap. 366. Janus tamen a Coſta in Decretales pag. 282. exiſtimat non eſſe delendam, & abrogatam in hoc regno fuiſſe conſtitutionem Conſtantini Magni, quamvis a Carolo M. confirmata fuiſſet.

(2) *Si quis ex ſcenicis.*) Iſta ſumpta ſunt ex novella 123 Juliani Anteceſſoris cap. 65. non quidem verba ipſa, ſed ſenſus. Vide Notas ad Salvianum pag. 439.

(3) *Ne decem anni.*) Vide Cujacium lib. 5. Obſervat. cap. 5.

(4) *Apud judices publicos.*) Vide Bignonium in Notis ad Marculfum, & Janum a Coſta in Decretales pag. 299.

De testibus requirendis in accusatione Clericorum.

CCCXCIV. Placuit ut si quis aliquem Clericorum in accusatione fornicationis impetierit, secundum præceptum Pauli Apostoli legitima testimonia requirantur ab illo. Quod si non potuerit datis testimoniis adprobare quod dixit, excommunicationem accusati accusator accipiat.

De culpabili persona non recipienda.

CCCXCV. Si accusatoris persona (1) in judicio Episcoporum culpabilis apparuerit, ad arguendum non admittatur nisi de propriis caussis.

De non judicando quemquam ante examinatam caussam.

CCCXCVI. Non est justum (2) judicare aut condemnare virum cujus caussa ad liquidum non est examinata.

De non judicando majore a minore.

CCCXCVII. Major a minore (3) non potest judicari.

De non judicando quemquam absque legitimo accusatore.

CCCXCVIII. Judicis non est (4) quemlibet judicare vel condemnare absque legitimo accusatore. Quoniam & Dominus Judam furem esse sciebat. Sed quia non est accusatus, ideo non est ejectus.

De eo qui frequenter litigat, ut non suscipiatur absque examine.

CCCXCIX. Ejus qui frequenter litigat, & ad accusandum est facilis, accusationem absque grandi examine nemo recipiat.

De rimanda enucleatim caussa in judicio & sæpe ventilanda.

CCCC. Judicantem oportet cuncta rimari & ordinem rerum plena inquisitione discutere, interrogandi ac proponendi adjiciendique patientia præbita ab eo, ut ibi actio partium limitata sit pleniter. Nec prius litigantibus sua velit sententia obviare, nisi quando ipsi, peractis omnibus, jam nihil amplius habuerint in quæstione quod proponant. Et tamdiu actio ventiletur quousque rei veritas perveniatur. Frequenter interrogari oportet, ne aliquid prætermissum forte remaneat quod adnecti conveniat.

De his qui se putant per testes redemptos ad sacerdotum accusationem admitti, ut non admittantur nisi omni suspicione caruerint.

CCCCI. Sunt quidam qui contra ecclesiasticam regulam pugnare videntur, & per testes redemptos putant se ad accusationem admitti debere. Hi omnino non admittantur nisi actis publicis docuerint omni se suspicione carere.

Ut nullus contra religionem faciat.

CCCCII. Non liceat Imperatori vel cuiquam pietatem custodienti aliquid contra mandata divina præsumere.

Quod laicis non sit de religione præsumendum.

CCCCIII. Laicis, quamvis religiosis, nulli tamen de ecclesiasticis facultatibus vel Deo dicatis hominibus aliquid disponendum adtribuatur facultas.

Ut liceat majores judices appellare quotiens necessitas ingruerit.

CCCCIV. Quandocunque a quibuslibet judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, non eis denegetur qui provocaverint.

De injusto judicio, Principis metu vel jussu terminato, cassando.

CCCCV. Injustum judicium, & definitio injusta, regio metu vel jussu a judicibus ordinata, non valeat.

EXPLICIT LIBER QUINTUS.

---

(1) *Si accusatoris persona.*) Caput istud sumptum est ex capite septimo Concilii tertii Carthaginensis.

(2) *Non est justum.* } Vide infra lib. 6. cap. 381.
(3) *Major a minore.* }

(4) *Judicis non est.*) Apud S. Ambrosium, sive quis alius est auctor commentarii ad caput 5. prioris epistolæ ad Corinthios, ex quo caput istud sumptum est, legitur: *Judicis non est sine accusatore damnare, quia & Dominus Judam, cum fur esset, quia non est accusatus, minime abjecit.* Vide Gratianum 2. qu. 1. cap. 17. *De manifesta.*

LIBER SEXTUS.

SEXTUS INCIPIT LIBELLUS.

Incipiunt nonnulla Capitula Legis Divinæ.

De effusione sanguinis.

I. Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.

Quod hi qui nomen Domini in vanum adsumpserint, graviter feriantur.

II. Non adsumes nomen Domini Dei tui in vanum; nec habebit insontem Dominus eum qui adsumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

De honorando patre & matre.

III. Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram.

Ut qui vendiderit filiam suam in famulam, non egrediatur sicut ancilla.

IV. Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancillæ exire consueverunt. Si placuerit domino suo, cui vendita est, dimittat eam liberam; & ad alium populum non licet ipsam vendere.

Ut qui hominem percusserit, morte moriatur.

V. Qui percusserit hominem, volens occidere, morte moriatur.

De eo qui per industriam proximum voluerit occidere.

VI. Si quis de industria occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur.

De eo qui percusserit patrem aut matrem.

VII. Qui percusserit patrem aut matrem, morte moriatur.

Non maledicendum patri & matri.

VIII. Qui maledixerit patri suo & matri, morte moriatur.

De eo qui hominem furatus fuerit & vendiderit.

IX. Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur.

De his qui rixati inter se fuerint, & percusserit alter alterum.

X. Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, & jacuerit in lectulo; si surrexerit & ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit; ita tamen ut operas & impensas ejus in medicos restituat.

De eo qui percusserit servum suum vel ancillam lapide vel virga, & mortui fuerint.

XI. Qui percusserit servum suum vel ancillam lapide vel virga, & mortuus fuerit in manibus ejus, reus erit. Si autem uno die supervixerit vel duobus, non subjacebit pœnæ: quia pecunia ejus est.

Ut si aliqui inter se fuerint rixati, & percusserit ex eis aliquis mulierem prægnantem.

XII. Si rixati fuerint homines & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum fecerit, si ipsa vixerit, subjacebit damno quantum expetierit maritus mulieris & arbitres judicarint.

Quod si mulier mortua fuerit, reddet percussor animam pro anima.

XIII. Si autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.

Ut quicunque servo vel ancillæ oculum eruerit, liberos eos dimittat.

XIV. Si percusserit quispiam oculum servi sui aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittat eos liberos pro oculo quem eruit. Dentem vero si excusserit servo vel ancillæ suæ, simili sententiæ subjacebit.

De bove cornupeta quæ virum vulneraverit vel mulierem, & de domino illius.

XV. Si bos cornupeta virum aut mulierem occiderit, lapidibus obruatur, & non comedetur, Dominus cujus bos est, innocens erit. Quod si bos cornupeta fuerit ab heri & nudius tertius, & contestati sunt domino illius, nec reclusit eum, occideritque virum aut mulierem, & bos lapidibus obruatur, & dominum illius occidant. Quod si pretium ei fuerit impositum, dabit pro anima sua quicquid fuerit postulatus.

De eo qui cisternam aperuerit & foderit.

XVI. Si quis aperuerit cisternam, & foderit,

derit, & non operuerit eam, cecideritque bos vel asinus in eam, dominus cisternæ reddet pretium jumentorum. Quod autem mortuum est, ipsius erit.

De bove alieno, si alterius bovem vulneraverit.

XVII. Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, & ille mortuus fuerit, vendent bovem vivum, & divident pretium & cadaver. Si autem sciebat dominus ejus quod bos vitiosus erat, & noluit eum custodire, reddat bovem pro bove, & cadaver integrum accipiat.

De eo qui bovem aut ovem furatus fuerit.

XVIII. Qui furatus fuerit bovem aut ovem, quinque boves pro uno bove restituat, & quatuor oves pro una ove.

De fure qui domum suffodiens repertus fuerit.

XIX. Si effregerit fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur. Si inventum fuerit apud eum quod furatus est vivens, sive bos, sive asinus, restituatur.

De eo qui læserit agrum vel vineam.

XX. Si læserit quispiam agrum vel vineam, & dimiserit jumentum suum ut depascatur aliena, quicquid optimum habuerit in agro vel vinea, pro damni æstimatione restituat.

De eo qui ignem succenderit in agris, ut damnum restituat.

XXI. Si egressus ignis invenerit spicas, & comprehenderit acervos frugum sive stantes segetes in agris, reddet damnum qui ignem succenderit.

De eo qui commendaverit amico pecuniam.

XXII. Si quis commendaverit amico pecuniam aut vas in custodiam, & ab eo qui susceperit furto ablatum fuerit, si invenitur fur, duplum reddat. Si latet, dominus domus applicabitur ad deos, & jurabit quod non extenderit manum in rem proximi sui ad perpetrandam fraudem in bovem vel asinum & ovem ac vestimentum. Et quicquid damnum inferre potest, ab eo utriusque caussa perveniat. Et si illi arbitres judicaverint, duplum restituat proximo suo.

De asino, bove, omnique jumento ad custodiendum tradito.

XXIII. Si quis commendaverit amico asinum, bovem, ovem, & omne jumentum ad custodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit, jusjurandum erit in medium quod non extenderit manum in rem proximi sui; suscipiatque dominus juramentum, & ille reddere non cogetur. Si furto sublatum fuerit, restituat damnum domino suo. Si comestum a bestia, deferat ad eum quod occisum est, & non restauretur. Qui a proximo suo quicquam horum mutuo postularit, & debilitatum aut mortuum fuerit domino non præsente, reddere compellatur. Quod si in præsentiarum dominus fuerit, non restituatur; maxime si conductus venerit pro mercede operis sui.

De eo qui seduxerit virginem desponsatam, vel dormierit cum ea.

XXIV. Si seduxerit quis virginem desponsatam, & dormierit cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem.

De patre puellæ, si eam dare noluerit, ut reddat pecuniam juxta morem dotis.

XXV. Si pater noluerit virginem dare, reddat pecuniam juxta morem dotis quam virgines accipere consueverunt.

De maleficis.

XXVI. Maleficos non patiaris vivere.

De his qui cum jumento coierint.

XXVII. Qui coierit cum jumento, morte moriatur.

De his qui diis immolant vel advenas affligunt.

XXVIII. Qui immolat diis, occidatur. Advenam non contristabis, neque affliges eum.

De decimis & primitiis Domino offerendis.

XXIX. Decimas tuas & primitias non tardabis offerre Domino de filiis tuis primogenitis. De bubus quoque & ovibus similiter facias. Septem diebus sit cum matre sua. Die octavo redde filium Domino.

De deposito vel pignore dato.

XXX. Depositum est pignore datum aut si aliquis sibi commendata celaverit, aut si rem perditam invenerit, & juraverit non invenisse, convictus delicti, reddet omnia quæ per fraudem voluit obtinere, tertiam & quintam insuper partem domino cui fraudem intulerat.

De turpitudine proximi non revelanda.

XXXI. Omnis homo ad sanguinem proximi sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus. Nec nullam discoperies turpitudinem mulieris, quia vestra turpitudo est.

De homine qui dormierit cum muliere ancilla.

XXXII. Homo si dormierit cum muliere coitu seminis quæ fuerit ancilla, etiam nobilis, & tamen pretio non redempta, nec libertate donata, vapulabunt ambo, & non moriantur.

De

Non debere auguriari nec observare magos & ariolos.

XXXIII. Non auguriemini; nec observetis ad magos nec ariolos, nec aliquid sciatis per eos. Ego Deus vester.

De honorando sene.

XXXIV. Coram cano capite consurgite, & honorate personam senis, & timete Deum.

Nihil agendum contra æquitatem.

XXXV. Nolite iniquum aliquid facere in judicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera justa & æqua sint pondera, justus modius, æquusque sextarius.

De eo qui mœchatur cum uxore proximi sui.

XXXVI. Qui mœchatus fuerit cum uxore alterius, & adulterium fecerit cum conjuge proximi sui, morte moriatur & mœchus & adultera.

De eo qui dormierit cum noverca sua.

XXXVII. Qui dormierit cum noverca sua, & revelaverit ignominiam patris sui, moriantur ambo. Sanguis eorum sit super eos.

De eo qui propter Deum furtum confessus fuerit.

XXXVIII. Si propter Deum confessus fuerit homo furtum quod fecit, reddat capitalem & quintam partem desuper ei in quem peccavit.

De eo qui ferro percusserit hominem.

XXXIX. Si quis ferro percusserit hominem, & mortuus fuerit, qui percusserit, reus erit judicii, & ipse morietur.

Ut propter unius testimonium nullus condemnetur.

XL. Ad unius testimonium nullus condemnetur.

De decimis separandis.

XLI. Separabis decimas ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore, & repones inter januas tuas. Fœnerabis ea sacerdotibus & Levitis, advenis & peregrinis, pupillis & viduis. Et benedicat te Dominus Deus tuus cunctis diebus vitæ tuæ.

De eo qui ambulans per viam, nidum avis invenerit.

XLII. Si ambulas per viam, & nidum avis inveneris in arbore vel in terra, & matrem pullis desuper incubantem, non tenebis eam cum filiis, sed abire patieris, captos tenens pullos suos, ut benedicat te Dominus.

Ut cum ædificatur domus nova, fiat murus per circuitum domus.

XLIII. Cum ædificaveris domum novam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domum tuam, & sis reus labente alio & in præceps ruente.

De vinea altero semine non serenda.

XLIV. Non seres vineam tuam altero semine, ne ea quæ sevisti & quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificentur.

Ut non aretur in bove simul & asina.

XLV. Non arabis in bove simul & asina.

Non induendum vestimentum quod ex lana & lino contexitur.

XLVI. Non indues vestimentum quod ex lana & lino contextum est.

De puella virgine desponsata.

XLVII. Si quis puellam virginem desponsaverit, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum ea, adducas utrosque ad portam civitatis illius, & lapidibus obruentur; puella, quia non clamavit, cum esset in civitate; & vir, quia humiliavit eam.

De desponsata virgine in agro reperta.

XLVIII. Si autem in agro repererit vir puellam quæ desponsata est, & dormierit cum illa, ipse morietur solus. Puella nihil patiatur.

Ut eunuchus attritis testiculis Ecclesiam Dei non intret.

XLIX. Non intrabit eunuchus (1) attritis vel amputatis testiculis & absciso veretro Ecclesiam Domini; nec ingrediatur eam manzer, hoc est, de scorta natus.

De pecunia ad usuram non fœneranda.

L. Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem.

De voto non differendo.

LI. Cum voveris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere. Quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, donec facias quod ore proprio Domino promisisti.

Ut homo qui uxorem acceperit non accedat ad bellum.

LII. Cum acceperit homo uxorem, non accedat ad bellum, nec ei ullæ injungantur necessitates publicæ; sed vacabit absque culpa domui suæ; & ut uno anno lætetur cum uxore sua.

(1) *Non intrabit eunuchus.*) Vide Filesacum lib. 1. selectorum cap. XI. pag. 169.

Ut non occidantur patres pro filiis, nec filii pro patribus.

LIII. Quod non occidantur patres pro filiis, nec filii pro patribus; sed unusquisque pro peccato suo morietur.

De eo qui vim a persecutoribus patitur, ut suscipiatur.

LIV. Si quis vim a persecutoribus passus fuerit, suscipiatur, & requiem inveniat, ad quamcunque Ecclesiam venerit.

De muliere quæ cum viro suo non potest nubere.

LV. Si vir & mulier (1) conjunxerint se in matrimonium, & postea dixerit mulier de viro non posse illum nubere cum ea (2); si ea poterit probare quod verum sit (3), accipiat alium (4). *Vide infra c. 91. hujus libri.*

Ut absque consensu Episcopi oblationes non accipiantur.

LVI. Ut præter conscientiam Episcopi oblationes fructuum Ecclesiæ debitas nullus vel dare vel accipere audeat.

Ut Presbyteri civitatis sine jussu sui Episcopi nihil jubeant.

LVII. Ut Presbyteri civitatis sine jussu sui Episcopi nihil jubeant, nec in unaquaque parrochia aliquid agant.

Ne Presbyteri rem Ecclesiæ absque licentia sui Episcopi vendant.

LVIII. Ut Presbyteri rem Ecclesiæ sine licentia vel scientia sui Episcopi non vendant nec cuiquam tribuant. *Vid. infra lib. 7. cap. 214.*

Si Presbyter vel Diaconus deseruerit Ecclesiam suam, deponatur.

LIX. Ut Presbyter vel Diaconus qui deserit Ecclesiam suam, & ad aliam transierit, deponatur.

De Presbyteris vel Diaconibus aut Subdiaconibus a propriis Episcopis exauctoratis.

LX. Ut Presbyter vel Diaconus aut Subdiaconus, si a proprio Episcopo exauctoratus sancti ministerii officium incipiat præripere, spem restitutionis non habeat.

Si quis Episcopus, Presbyter, Diaconus, vel Subdiaconus ad bellum processerit, deponatur.

LXI. Si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel Subdiaconus ad bellum processerit, & arma bellica indutus fuerit ad belligerandum, ab omni officio deponatur, in tantum ut nec laicam communionem habeat.

Ut Presbyteri alterius regionis non sacrificent præsentibus Presbyteris ipsius regionis.

LXII. Ut Presbyteri alterius regionis præsentibus ipsius regionis Presbyteris non sacrificent.

De uxoribus & viris se dimittentibus.

LXIII. Ut hi vel hæ (5) qui uxores aut viros dimittunt, non nubant; sed aut continentes maneant, aut sibimet reconcilientur.

De Episcopis litigantibus vel judicatis.

LXIV. Si litem habuerit Episcopus cum alio Episcopo, non alterius sed suæ provinciæ judices quærat. Et ut judicato in aliqua caussa Episcopo liceat iterare judicium (6) &, si necesse fuerit, libere Episcopum adire Romanum.

Ab hæretico nullus benedictionem accipiat.

LXV. Ut ab hæretico benedictionem nullus accipiat.

De orationibus ad Patrem dirigendis.

LXVI. Ut nullus in precibus nisi ad Patrem dirigat orationem; ut prius eas cum instructioribus vel eruditioribus tractet. *Capitul. a. 744. c. 9.*

De Presbytero ab alio Episcopo ordinato.

LXVII. Ordinatus Clericus ab alio Episcopo, non deprecante vel consentiente suo, in clero non maneat.

De illis Presbyteris qui nesciunt juxta præceptum Salvatoris baptizare.

LXVIII. Illos omnes (7) quos illi Presbyte-

(1) *Si vir & mulier.* Constitutionem istam in synodo Liptinensi editam fuisse docet Hincmarus, ut diximus.

(2) *Nubere cum ea.*) Rhabanus in epistola ad Heribaldum legit, *quod non possit ei nubere*. Regino, *quod non possit coire cum eo*. Burchardus, *quod non possit coire cum ea*. Ita etiam Ivo parte 8. cap. 178. & Gratianus.

(3) *Probare quod verum sit.*) Rhabanus, Regino, Burchardus, Ivo & Gratianus habent *probare per justum judicium quod verum sit*.

(4) *Accipiat alium.*) Hic est finis istius capitis in vetustis Capitularium exemplaribus, apud Rhabanum item, Reginonem, & Burchardum 27. qu. 2. cap. 29. *Quod autem*. Quæ sane lectio confirmatur etiam auctoritate Hincmari. Burchardus tamen addit: *Si autem ille aliam acceperit, separentur*. Eamdem clausulam habent Ivo in loco paulo ante laudato & Gratianus 33. qu. 1. cap. 1. *Quod autem*.

(5) *Ut hi vel hæ.*) Sententia hujus capitis habetur in cap. 102. collectionis Africanæ. Vide supra quæ adnotata sunt ad caput vigesimum primum libri quinti. Vide etiam infra cap. 87. istius libri.

(6) *Iterare judicium.*) Vide glossarium Francisci Pithœi ad libros Capitularium.

(7) *Omnes.*) Hæc est lectio codicis Bellovacensis, Sangallensis, & Normannici. In Colbertino & Tiliano legitur *homines*. Facile antiqui librarii permutabant hæc vocabula, uti diximus in Notis ad Capitulare Pippini Regis Italiæ.

byteri baptizaverunt qui nescierunt juxta præceptum Domini Salvatoris nostri Jesu Christi baptizare, neque sanctæ Trinitatis mystica verba invocare, propterea jubemus eos baptizari, quia sine fide sanctæ Trinitatis sunt baptizati.

De Missis nostris, qualiter cum Episcopis singularum regionum circa Ecclesias Dei ejusque sacerdotes agere debeant.

LXIX. Ut Missi nostri una cum Episcopis propriis magnam curam habeant quatinus dirutæ Ecclesiæ pleniter restaurentur atque ornentur, & quæ dotatæ non sunt, vel quæ dotem suam perditam vel subtractam habent, pleniter & canonice dotentur; ut quod injuste perdiderunt, juste recipiant.

De his qui Ecclesias suas nec dotare nec dotem restitui volunt. Et si eas dotare noluerint quorum sunt, aut subtracta reddere noluerint, Episcopus proprius ad dominium suæ sedis Ecclesias revocet futuris temporibus possidendas. Quod si aliquis liberorum his resultaverit, ab Episcopo ejusdem loci reliquiæ ex his auferantur & in meliori loco ponantur; & ipsæ destruantur vel crementur.

De eo qui semetipsum occidit, aut laqueo se suspendit.

LXX. De eo qui semetipsum occidit, aut laqueo se suspendit, consideratum est ut si quis compatiens velit eleemosynam dare, tribuat, & orationes in psalmodiis faciat. Oblationibus tamen & Missis ipsi careant. Quia incomprehensibilia sunt judicia Dei, & profunditatem consilii ejus nemo potest investigare.

Ut incesti & parricidæ canonice coerceantur.

LXXI. De incestuosis & parricidis, ut canonice coerceantur; sicut de illo judicatum est qui materteræ suæ filiam stupravit, ut conjugium ultra non repetat, & militiæ cingulum derelinquat, & aut monasterium petat, aut si foris remanere voluerit, tempora pœnitentiæ secundum canones pleniter exsolvat.

Ut nec a Clerico phylacteria nec ab ullo fiant Christiano.

LXXII. Ut Clerici vel laici phylacteria vel falsas scriptiones aut ligaturas, quæ imprudentes pro febribus aut aliis pestibus adjuvare putant, nullo modo ab illis vel a quoquam Christiano fiant, quia magicæ artis insignia sunt; sed pro infirmitate illud quod Apostoli & canones sanxerunt, id est, orationes & sacri olei unctio fiat.

Ut nullus Presbyter amplius quam unam Ecclesiam sibi vindicet.

LXXIII. Placuit omni synodali conventui ut nullus Presbyterorum amplius quam unam Ecclesiam (1) sibi vindicare præsumat. *Vide infra c. 75.*

De letania majore, ut more Romano celebretur.

LXXIV. Ut letania major (2) more Romano ab omnibus in septimo Kal. Maji celebretur.

Ut nullus vitam sine communione finiat nec unctione benedicti olei careat.

LXXV. Si infirmitate depressus quis fuerit, vitam sine communione non finiat; nec unctione sacrati olei careat. Et si finem perspiciat, sacrosancto corpore Deo anima ejus a sacerdote precibus commendetur.

Quapropter omnibus placuit (3) ut nullus Presbyter amplius quam unam Ecclesiam sibi vindicet. Quia sicut quisque secularis non amplius quam unam habere debet uxorem, ita & unusquisque Presbyter non amplius quam unam habere debet Ecclesiam.

De Presbyteris degradatis & post degradationem multis sceleribus implicatis.

LXXVI. Presbyteri degradati, & post degradationem multis sceleribus implicati, ad pœnitentiam publicam secundum canones redigantur.

Si qui velint aquam consecratam accipere.

LXXVII. Quod in sabbato sancto Paschæ, vel in sabbato Pentecostes, si qui velint aquam consecratam ad aspersionem in domos suas recipere, ante chrismatis infusionem accipiant.

De Clericis & Presbyteris, si Episcopis suis obedire nolint, ut excommunicentur.

LXXVIII. Clerici & populi, si Episcopis suis canonice obedire noluerint, excommunicentur.

(1) *Unam Ecclesiam.*) De hoc argumento pluribus olim dictum est in Notis ad epistolam 29. Lupi Abbatis Ferrariensis. Has consule, si lubet.

(2) *Letania major.*) Vetustissimum Calendarium Ms. in biliotheca Colbertina: *VII. Kal. Maji. Nat. S. Marci Evangelistæ. Letania major.* Concilium Cloveshoviæ cap. 16. *Sextodecimo condixerunt capitulo ut lætaniæ, id est, rogationes, a clero omnique populo his diebus cum magna reverentia agantur, id est, die septimo Kalendarum Majarum, juxta ritum Romanæ Ecclesiæ; quæ & lætania major apud eam vocatur.* Vide Baronium in Notis ad diem 25. Aprilis.

(3) *Quapropter omnibus placuit.*) Tota hæc clausula quæ sequitur, usque ad verbum *vindicet*, deest in vulgatis editionibus Capitularium. Reliqua vero conjunguntur cum capite 73. post verbum *præsumat*. Nos secuti sumus auctoritatem veterum exemplarium. Mutationem porro quam nos hoc loco fecimus confirmat etiam Isaac Lingonensis, qui utramque partem istius capitis consequenter descripsit in suis excerptis.

De Episcopo metropolitano.

LXXIX. Dignum est (1) ut Metropolitanus, qui est Pallio sublimatus (2), honoretur (3), & ceteros admoneat.

Ut unusquisque progeniem suam usque ad septimam generationem observet.

LXXX. Progeniem suam (4) unumquemque usque ad septimam observare decernimus generationem, & quandiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad hujus copulæ non accedant societatem.

De Presbyteris ab ignotis Episcopis ordinatis.

LXXXI. Presbyteros (5) quos unusquisque Episcopus in sua parrochia reperit, si incogniti fuerint viri illi a quibus sunt ordinati, & dubium est eos Episcopos fuisse annon qui eos ordinaverunt, si bonæ actionis & catholici viri sunt ipsi Presbyteri, & in ministerio Christi omnique lege sancta educati & apti, ab Episcopo suo benedictionem presbyteratus suscipiant & consecrentur, & sic ministerio sacro fungantur.

Ut si quis homini aliquo iteranti mansionem vetaverit, sexaginta solidos componat.

LXXXII. Si quis homini aliquo pergenti in itinere mansionem vetaverit, sexaginta solidos componat in publico.

Ut omnibus maxima cura sit ne sine confirmatione Episcopi vitam finiat aliquis.

LXXXIII. Ut omnes maximam curam habeant ne sine confirmatione Episcopi quis vitam finiat, animaque periclitetur.

De his qui fidelium oblationes auferunt vel vastant, aut sine proprii Episcopi jussione dant vel accipiunt.

LXXXIV. Qui fidelium oblationes ab Ecclesiis vel a jure sacerdotum auferunt, vel ablatas accipiunt, non solum aliena vota disrumpunt, sed & sacrilegium operantur, nec non & Ecclesiæ Dei fraudatores existunt: quia Ecclesiæ aliquid fraudari vel auferre sacrilegium esse a majoribus adprobatur. *Capitul. II. a.* 814. *c.* 5.

Ut Presbyteri vel Diaconi non migrent de loco ad locum sine Episcopi proprii jussione.

LXXXV. Presbyteri qui sine jussione proprii Episcopi de Ecclesiis ad alias Ecclesias migraverint, tamdiu a communione habeantur alieni quandiu ad easdem redierint Ecclesias in quibus primitus sunt instituti.

De Episcopis & Clericis peregrinis, ut contenti sint hospitalitatis munere.

LXXXVI. Ut Episcopi atque Clerici peregrini contenti sint hospitalitatis munere oblato, nullique eorum liceat ullum officium sacerdotale absque permissu Episcopi (6) in cujus parrochia esse cognoscitur agere. *Vide infra cap.* 168.

Ut nullus habeat nisi legitimum connubium.

LXXXVII. Ut nulli liceat nisi legitimum habere connubium. Nullus incestum faciat. Nullus conjugem propriam, nisi, ut sanctum evangelium docet, fornicationis caussa, relinquat. Quod si quisque propriam expulerit conjugem legitimo sibi matrimonio conjunctam, si Christianus esse recte voluerit, nulli alteri copuletur (7); sed aut ita permaneat, aut propriæ reconcilietur conjugi.

De his qui Episcoporum vocationem vel correctionem contempserint.

LXXXVIII. Si quis secularium (8) tam majoris ordinis quam & inferioris peccatum egerit, & vocatus sui Episcopi auctoritate, ad emendationem ac pœnitentiam venire distulerit, tamdiu sit ab Ecclesia extorris & a catholicorum consortio sequestratus quousque quod commisit emendet, ac reatum suum usque ad satisfactionem canonice diluat, atque reconciliatione proprii Episcopi divinis precibus indulgentiam consequatur & veniam, Ecclesiæque gremio, a cujus utero deviaverat, peracta satisfactione, ab eodem immeilioratus Episcopo, canonice reddatur.

Ut nullus laicorum ex prædiis Episcoporum quicquam accipiat.

LXXXIX. Præcipimus ut nullus laicorum vel Clericorum ex prædiis vel rebus quæ ad sedes pertinent Episcoporum, sive de illis Ecclesiarum rebus quæ in eorum parrochiis sitæ

---

(1) *Dignum est.*) Caput istud sumptum est ex epist. 105. S. Bonifacii, in qua referens decreta synodi paulo ante celebratæ ait: *Decrevimus Metropolitanus, qui sit Pallio sublimatus, hortetur ceteros & admoneat & investiget quis sit inter eos curiosus de salute populi, quisve negligens servus Dei.*

(2) *Pallio sublimatus.*) Egilwardus in vita S. Burchardi Episcopi Herbipolensis cap. 3. de S. Bonifacio narrat quod *Moguntiæ metropolitanam susceperit cathedram, ipsamque postea archiepiscopatus pallio sublimaverit.*

(3) *Honoretur.*) In epistola S. Bonifacii legitur; *hortetur ceteros & admoneat.*

(4) *Progeniem suam.*) Vide infra Additione quarta cap. 75.

(5) *Presbyteros.*) Vide Ivonem parte 6. cap. 117. & Gratianum dist. 68. cap. 2. *Presbyteri.* Vide etiam Notas ad Gratianum pag. 478.

(6) *Absque permissu Episcopi.*) Insignis est in hoc argumento formula prima novæ collectionis. Hanc consule.

(7) *Nulli alteri copuletur.*) Vide supra cap. 63. istius libri.

(8) *Si quis secularium.*) Vide infra Additione quarta cap. 38.

sitæ esse noscuntur, sine illorum jussione aut consensu Episcoporum, ad quorum pertinent curam, quicquam ambiant, concupiscant, atque accipiant; ne cupidus sanctarum rerum ignis qui in eis est illos favillosius exurat. Similiter omnes monemus ut a cuncta Ecclesiarum omnium vastatione coercere se suosque ac compescere totis viribus studeant. Nam devastantes Ecclesias quid aliud intelligimus quam contra illum æterni imperii Deum & majestatis homines movere certamen, cum illæ ædes illi die noctuque famulentur, & illi sint consecratæ. Videant vastantes, pronuntiamus, ne ab illo, si se commoveat, vastentur, cujus percussionem montium dorsa ferre non possunt.

De eo qui occiderit monachum aut Clericum, ut arma relinquat.

XC. Qui occiderit monachum aut Clericum, arma relinquat, & Deo in monasterio serviat cunctis diebus vitæ suæ, nunquam ad seculum reversurus, & septem annos publicam pœnitentiam gerat.

De viro & muliere matrimonio copulatis, & postea dicente ea non posse eum nubere sibi.

XCI. Si vir & mulier (1) conjunxerint se in matrimonio, & postea dixerit mulier de viro non posse nubere cum ea, si poterit probare quod verum sit, accipiat alium, eo quod juxta Apostolum non potuit illi reddere vir suus debitum. *Vide supra cap.* 55.

Ut puella desponsata non detur alteri viro.

XCII. Puellam desponsatam non licet parentibus dare alteri viro. Tamen ad monasterium licet ire, si voluerit.

Ut baptizati cum catechumenis non manducent.

XCIII. Non licet baptizatis cum catechumenis manducare, nec osculum eis dare, vel Ave eis dicere. Quanto magis cum excommunicatis ab Episcopo, aut cum gentilibus?

De Presbytero ordinato qui se deprehenderit non esse baptizatum.

XCIV. Si quis Presbyter (2) ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur (3), & ordinetur iterum, & omnes quos prius baptizavit (4).

Si liber ancillam in matrimonium accepit.

XCV. Si quis liber ancillam in matrimonium acceperit, non habet licentiam dimittere eam, si prius consensu amborum conjuncti sunt.

De raptoribus & raptis virginibus vel viduis.

XCVI. Si quis alterius sponsam virginem aut viduam nedum desponsatam rapuerit vel furatus fuerit, placuit ut sive eam postea sponsaverit, sive doraverit, seu non, sive cum parentum ejus voluntate quocunque commento ipsam accipere vel tenere potuerit, nunquam illam uxorem habeat; sed raptori aut furi auferatur, & proximis suis alio viro tempore congruo, si ipsa hoc malum non consenserit, nuptura legibusque acceptura reddatur. Raptor vero sive fur, omnesque eis consentientes, publica pœnitentia juxta canonicam auctoritatem multentur, & proximis illius quicquid injuste in tam nefando scelere egerunt in triplo componant, & unamquamque rem semotim legibus in triplo restituant. Ipsa namque quæ rapitur, si aut primo aut postmodum tam nefario sceleri libens consenserit nunquam postea nubat; sed publica pœnitentia multetur, & sub tali custodia ponatur ut ei nullatenus luxuriari cum quoquam liceat. Taliter enim memorata flagitia puniantur ut omnes cognoscant quoniam nec seculi leges tam nefandis conjunctionibus consentiant, nec sacri canones consilium ullum præbeant; sed tales seculi leges cooperatoresque eorum capite feriri præcipiunt. Et sacri canones spiritu Dei conditi non solum raptores, sed etiam omnes eorum cooperatores, eisque consentientes, anathemate feriunt; sicut in Chalcedonense Concilio, in quo DCXXX. patres adfuerunt, capitulo XXVIII. (5) cunctis legentibus patet.

De his qui rapinas infra regnum faciunt.

XCVII. Si quis infra regnum (6) rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli ejusque homini aliquid vi abstulerit, in triplo cui aliquid abstulerit legibus componat; & insuper bannum nostrum, id est, sexaginta soli-

(1) *Si vir & mulier.*) Fulbertus epistola 64. *De causa unde simplicitatem nostram consulere voluistis, in sexto libro Capitularium æra xci. ita scriptum invenimus. Si vir & mulier conjunxerint se in matrimonio, & postea dixerit mulier de viro suo non posse nubere cum ea, si potuerit probare quod verum sit, accipiat alium, eo quod juxta Apostolum non potuit illi reddere vir suum debitum.* Vide Ivonem par. 8. cap. 80.

(2) *Si quis Presbyter.*) Burchardus ac post eum alii referunt ex Concilio apud Compendium, ubi non extat.

(3) *Baptizetur.*) Vox ista deest in superioribus editionibus & in aliquot vetustis codicibus. Addita est ex Palatino & Bellovacensi. Eam quoque habent Burchardus, Ivo, Gratianus, & Raymundus in cap. *Si quis* & in cap. *Veniens*. titulo *De Presbytero non baptizato*.

(4) *Et omnes quos prius baptizavit.*) Hanc clausulam habent veteres libri, Burchardus, & Ivo. Gratianus & collectores decretalium, quia Gratianum describebant, illam omiserunt. Ipse quoque Pontifex Innocentius III. caput istud in cap. *Veniens* retulit absque illa clausula. Attamen Antonius Augustinus in Notis ad primam collectionem decretalium pronuntiat illam recte omissam esse a Bernardo Papiensi & a Raimundo.

(5) *Capitulo* XXVIII.) Vide supra in Notis ad caput 98. libri 1.

(6) *Si quis infra regnum.*) Vide infra cap. 383. hujus libri.

ſolidos nobis perſolvat. Poſtmodum vero ante nos a Comite adducatur; ut in baſtonico retruſus, uſque dum nobis placuerit, pœnas luat. Nam ſi publice actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta ſanctorum canonum ſanctionem. Si vero occulte, ſacerdotum conſilio ex hoc agat pœnitentiam: quoniam raptores, ut ait Apoſtolus, niſi veram egerint pœnitentiam, regnum Dei non poſſidebunt. Qui vero de rebus Eccleſiarum aliquid abſtulerit, gravius inde judicetur: quia ſacrarum rerum ablatio ſacrilegium eſt, & ſacrilegus vocatur qui ex eis aliquid aut abſtulerit aut rapuerit. Infames quoque tales perſonæ uſque ad ſatisfactionem Eccleſiæ, quam læſerunt, ſunt habendæ.

De ſacerdotibus & Levitis atque monachis interfectis vel debilitatis.

XCVIII. Si quis ſacerdotem (1) vel Levitam aut monachum interfecerit vel debilitaverit, juxta ſtatuta priorum capitulorum quæ legi Salicæ ſunt addita (2) componat, & inſuper bannum noſtrum, id eſt, ſexaginta ſolidos, nobis perſolvat, & arma relinquat, atque in monaſterio diebus vitæ ſuæ ſub ardua pœnitentia Deo ſerviat, nuſquam poſtmodum ſeculo vel ſecularibus militaturus, neque uxori copulaturus.

De his qui Epiſcopo aliquam injuriam vel dehonorationem fecerint.

XCIX. Si quis Epiſcopo aliquam injuriam aut injuſtam dehonorationem fecerit, de vita componat, & omnia quæ habere viſus fuerit Eccleſiæ cui præeſſe dinoſcitur integerrime ſocientur, & nobis in triplo bannus noſter, id eſt, ſexaginta ſolidi perſolvantur, aut ipſe in ſervitio fiſco noſtro ſerviturus ſemper ſocietur uſque ſe redimere in triplo juxta vuirigildum ſuum potuerit. Sancta vero Eccleſia in ſacerdotibus conſtat (3). Idcirco magna pœna plectendi ſunt qui Epiſcopis vel reliquis ſacerdotibus injuriam vel contumeliam fecerint. Nam detractio ſacerdotum (4) ad Chriſtum pertinet, cujus vice legatione in Eccleſia funguntur.

De religioſa muliere decepta, id eſt, veſte mutata, vel religionem profeſſa.

C. Si quis rapuerit aut ſollicitaverit vel corruperit religioſam feminam, bona amborum Eccleſia vindicet in qua talis mulier habitavit. Ipſi tamen capitali periculo ſubjiciantur. Quod ſi hoc mulier non conſenſit, cum ſuis rebus monaſterii ditionibus tradatur. Si vero Comes ipſius pagi, una cum conſilio ſui Epiſcopi in cujus parrochia tale ſcelus commiſſum eſt, hoc vindicare neglexerit, honore careat, & cingulum amittat, atque publica pœnitentia multetur, & inſuper vuirgildum ſuum fiſci viribus dare compellatur.

De blaſphemia in Deum.

CI. Si quis quolibet modo (5) blaſphemiam in Deum jactaverit, ab Epiſcopo vel Comite pagi ipſius carceri uſque ad ſatisfactionem tradatur & publica pœnitentia multetur, donec precibus proprii Epiſcopi publice reconcilietur, Eccleſiæque gremio canonice reddatur.

De his qui in domo ſua oratorium fecerint.

CII. Qui in domo ſua oratorium habuerit, orare ibidem poteſt. Miſſas tamen in eo celebrare non audeat, nec agere cuiquam permittat, ſine permiſſu vel dedicatione Epiſcopi loci illius. Quod ſi fecerit, domus illius fiſci viribus addicatur. Comes vero qui hoc cognovit, & non prohibuit, publica pœnitentia multetur, vel honore privetur. *Vide ſupra lib. 5. c. 383.*

De privilegiis Eccleſiarum & Clericorum non corrumpendis.

CIII. Ut privilegia quæ Eccleſiis & Clericis ab anteceſſoribus noſtris vel nobis conceſſa ſunt ſemper maneant incorrupta. *Capitul. II. a. 814. c. 6.*

Ne Epiſcoporum vel reliquorum Clericorum vita turbetur.

CIV. Nullis vita Præſulum (6) turbetur ex-

---

(1) *Si quis ſacerdotem.*) Conſultus a Widone Epiſcopo, ut reor, Silvanectenſi Droco Bellovacenſis quid agendum foret de quibuſdam hominibus qui ſacerdotem acriter verberaverant, reſpondit inter alia ex Capitularibus, & hoc caput ad ſententiæ ſuæ probationem adduxit. Epiſtolam ejus damus in appendice actorum veterum. Vivebat autem Droco ſub imperio Roberti Regis Francorum.

(2) *Legi Salicæ ſunt addita.*) Vide Capitulare primum anni DCCCIII. cap. 1. De illo enim hic agitur.

(3) *Eccleſia in ſacerdotibus conſtat.*) Conſtitutio Theodoſii & Valentiniani in appendice Codicis Theodoſiani tit. 20. *De obnoxiis vero, ſi qui ambulaverint cum Epiſcopo vel cum Presbytero aut etiam Diacono, ſive in platea, ſive in agro, ſive in quolibet loco, nullo pacto eos retineri vel adduci jubemus, quoniam in ſacerdotibus Eccleſia conſtat.* Gregorius IV. in epiſtola de Aldrico Epiſcopo Cenomanenſi: *Ceterum inſectatores fratrum eccleſiaſtica diſciplina comprimere & erudire debetis, qui ſtatum majorum non tenentes, Dei ſacerdotes atque ſanctam Eccleſiam, quæ in ſacerdotibus maxime conſtat, ſua violare perſæpe nituntur præſumptione.* Cyprianus epiſt. 69. *Unde ſcire debes Epiſcopum in Eccleſia eſſe & Eccleſiam in Epiſcopo, & ſi quis cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe.* Vide C. V. Petri Franciſci Chiffletii Notas ad Ferrandum pag. 272.

(4) *Nam detractio ſacerdotum.*) Tota iſta clauſula ſumpta eſt ex ſuppoſititia epiſtola S. Gregorii ad Felicem Epiſcopum Meſſanenſem.

(5) *Si quis quolibet modo.*) Imitatum eſt iſtud ex novella 7. Juliani Anteceſſoris, cujus verba referuntur in Additione III cap. 84.

(6) *Nullis vita Præſulum.*) Hæc ſumpta ſunt ex canone quinto Concilii Toletani undecimi. Vide epiſtolam ad Felicem Epiſcopum Meſſanenſem paulo ante laudatam.

excessibus : quia valde indignum est ut qui throni Dei (1) vocantur , aliqua motione turbentur aut inique tractentur. Unde est illud : *Qui vos tangit , tangit pupillam oculi mei*. Et illud : *Qui vos audit , me audit ; & qui vos spernit , me spernit*. Et rursus : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis , melius est illi ut suspendatur mola asinaria in collo ejus , & demergatur in profundum maris* , & reliqua.

De Clericis vel sacerdotibus qui accipiunt Ecclesias sine licentia Episcopi sui , vel de una ad aliam transeunt.

CV. Ut nemo accipiat Ecclesiam infra parrochiam sine consensu Episcopi sui , nec de una ad aliam transeat.

De incestis & criminosis , ac de infirmis & pœnitentibus , atque de jejunio quatuor temporum.

CVI. Ut de incestis & criminosis magnam curam habeant sacerdotes , ne in suis pereant sceleribus , & animæ eorum a districto judice Christo eis requirantur . Similiter de infirmis ac pœnitentibus , ut morientes sine reconciliatione (2) & viatico non deficiant. Et ut quatuor temporum jejunia a fidelibus diligenter custodiantur. *Capitul. a. 769. c.* 10.

Ut Episcopi judices publicos moneant ut rei carceribus reclusi Nativitate Domini , Pascha , & Pentecosten absolvantur , & Missas illis audiant diebus , ac refecti fiant.

CVII. Ut Episcopi judices publicos commoneant ut in dies celeberrimos , hoc est , Nativitatem Domini nostri Jesu Christi , & sanctam resurrectionem , ac Pentecosten , quicunque miserrimi vinculis detinentur , relaxari debeant , & propter ipsam reverentiam Domini nostri Jesu Christi ipsi debeant absolutionem promereri. Et judex , si pastorem commonentem despexerit , quandiu loci illius Episcopo visum fuerit ab Ecclesiæ liminibus arceatur.

De monacho qui monasterium suum dimiserit.

CVIII. Si monachus monasterium (3) suum dimiserit , omnia bona ipsius , & quæ in monasterio introduxit , & quæ non introduxit , dominii monasterii sint , & ipse officio fisci servire cogatur (4). Si vero monachus (5) ad aliud monasterium migraverit , substantiam ejus prius monasterium possideat ; & in alio monasterio ipse non recipiatur sine Abbatis (6) sui & Episcopi proprii licentia. *Vid. supra lib.* 5. *c.* 379.

De possessionibus ad religiosa loca pertinentibus.

CIX. Possessiones ad religiosa loca pertinentes nullam descriptionem agnoscant , nisi ad constitutionem viarum vel pontium ; si tamen intra eadem loca habuerint possessiones. In aliis vero omnibus habeant integram emunitatem.

De monacho vel monacha.

CX. Quicunque monachus (7) vel monacha in monasterium sunt ingressi , nihil de rebus suis habeant potestatem faciendi , quamvis liberos habeant ; sed omnia eorum sint monasterii quæ eadem die juste possidebant quando ingressi sunt monasterium.

De his quæ a singulis Principibus Ecclesiis sunt concessa , & quæ singuli antistites impetraverunt , quod sacrilegium sit hæc auferentibus. Et de Clericis , ut non accusentur ad judices seculares , sed ad Episcopos proprios.

CXI. Quæcunque a singulis (8) Regibus circa sacrosanctas Ecclesias sunt constituta , vel

---

(1) *Throni Dei.*) Vide infra cap. 357. & libro septimo cap. 156.

(2) *Sine reconciliatione.*) Ita habent hoc loco omnia vetera exemplaria. Sed in vulgatis editionibus legitur , *sine sacrati olei unctione & reconciliatione*. Additum vero istud ex capite 132. libri 7. quod Pithœus omisit tanquam superfluum , quia jam editum fuerat in sexto.

(3) *Si monachus monasterium.*) Sumptum est istud ex novella 5. cap. 4. apud Julianum Antecessorem in editione Antonii Augustini , quam nos secuti sumus in edendis Capitularibus. Alius est ordo in Pithœana , in qua , præter Novellarum numeros , descripti sunt etiam numeri DLXXXVIII. qui in vetustis codicibus adscripti inveniuntur breviationi Novellarum quam Julianus Antecessor composuit. Hunc ordinen secutus est Abbo in collectione canonum quæ nuper edita est in tomo secundo analectorum eruditissimi viri ac meliore valetudine digni Joannis Mabillonii. Illic caput istud citatur ex legibus cap. XVI. ut est apud Julianum in editione Pithœana.

(4) *Et ipse officio fisci servire cogatur.*) Hæc non habentur in hoc loco apud Julianum. Extant tamen paulo post in eadem Novella cap. 6. ubi legitur , *officio Præsidis provinciæ servire cogatur.*

(5) *Si vero monachus.*) Pars ista sumpta est ex eadem Novella cap. 6.

(6) *Sine Abbatis.*) Hæc clausula non extat in cap. 379. libri 5. Capitularium , & omissa est in vulgatis editionibus. In Novella sane præcipitur ne omnino recipiatur in alio monasterio. Hæc sunt verba Juliani ; *Aliorum autem monasteriorum primates probibeant eum transire ut in alio monasterio non recipiatur. Et de boc curare debent non solum religiosissimi Episcopi , sed etiam reverendissimi Archimandritæ*. Ex his itaque verbis male intellectis conflata est clausula adjecta huic nostro capiti.

(7) *Quicunque monachus.*) Apud Julianum Antecessorem Novella 123. cap. 55. & sequenti.

(8) *Quæcunque a singulis.*) Licet caput istud sit in codice legis Romanæ , secundum quam causæ ecclesiasticæ judicabantur , in causa tamen quæ anno MXXIV. erat inter Ermengaudum Episcopum Urgellensem & Durandum Abbatem Sanctæ Ceciliæ , hæc constitutio laudata non est ex Codice Theodosiano , sed ex Capitularibus , caputque istud descriptum est integrum in sententia quæ pro Episcopo adversus Abbatem lata est. Eam damus in appendice actorum veterum .

vel finguli quique antiftites pro cauffis ecclefiafticis impetraverunt, fub pœna facrilegii jugi folidata æternitate (1) ferventur. Clerici etiam, non fecularibus judicibus, fed epifcopali audientiæ referventur. Fas enim non eft ut divini muneris miniftri temporalium poteftatum fubdantur arbitrio. *Capitul. III. a.* 814. *c.* 8. *Vide infra c.* 390.

De privilegiis Ecclefiarum.

CXII. Ut privilegia quæ Ecclefiis & Clericis a fingulis Regibus vel Epifcopis ceterifque rectoribus funt conceffa, femper maneant incorrupta. *Capitul. II. a.* 814. *c.* 7.

Ut ea, quæ ad religionem pertinent, locis fuis & a fuæ diocefeos fynodis audiantur.

CXIII. Quæcunque funt (2) ad religionis obfervantiam pertinentia, locis fuis & a fuæ diocefeos fynodis audiantur.

Ut privilegia Ecclefiarum femper maneant incorrupta.

CXIV. Quæcunque circa facrofanctas Ecclefias a Principibus diverfis funt ftatuta, manere inviolata præcipimus. *Capitul. III. a.* 814. *c.* 12.

Quod facrilegium fit Ecclefiæ aliquid auferre, aut facerdotibus vel miniftris aut ipfi fancto cultui locoque injuriam inferre.

CXV. Si quis in hoc genus facrilegii proruperit ut in Ecclefias earumque res inruens, facerdotibus & miniftris vel ipfo cultui locoque aliquid quod non oportet injuriæ inferat, divini cultus injuriam in convictos five confeffos reos capitali fententia noverit vindicandum. Nec exfpectetur ut Epifcopus injuriæ propriæ ultionem depofcat, cui fanctitos ignofcendi foli (3) gloriam derelinquit. Sitque cunctis non folum liberum, fed etiam laudabile, factas atroces facerdotibus aut miniftris injurias veluti publicum crimen perfequi, ac de talibus reis ultionem mereri. *Capitul. II. a.* 814. *c.* 8.

De his qui ecclefiaftica privilegia violant vel diffimulant.

CXVI. Si Ecclefiæ venerabilis privilegia cujufquam fuerint temeritate violata vel diffimulatione neglecta, commiffum hoc in triplo, juxta legum fanctionem, Ecclefiæ cui factum eft componatur; nobifque bannus nofter in triplo, hoc eft, ter folidi fexaginta perfolvantur. *Vide infra cap.* 389.

Quod hi qui prædia ecclefiaftica diripiunt vel vaftant facrilegi fint exilioque damnandi.

CXVII. Ab omnibus illius ufurpationis contumelia depellenda eft, ne prædia fibi cœleftium fecretorum dicata quibufdam inruentibus vexentur. Quod fi quis præfumpferit, poft debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga facrilegos jure promenda eft, exilio perpetuæ deportationis damnetur. *Capitul. II. a.* 814. *c.* 9. *Vide infra cap.* 385.

Ut Epifcopi & reliqui facerdotes ab omnibus nexibus fint liberi.

CXVIII. Confecratio Epifcopos & reliquos Domini facerdotes tam a fervilibus quam & a ceteris adfcriptis conditionibus femper liberos facit. Idcirco præcipimus ut nullus ab eis alia nifi divina requirat fervitia.

Ne Judæis adhæreant vel deferviant Chriftiani.

CXIX. Placuit ne Judæis (4) mancipia deferviant vel adhæreant Chriftiana.

De facrificiis per fingulas Miffas a facrificantibus fumendis.

CXX. Placuit ut quotienfcunque facrificans (5) corpus & fanguinem Chrifti Jefu Domini noftri in altario immolat, totiens perceptionis corporis & fanguinis Chrifti fe participem præbeat. *Vide fupra lib.* 1. *c.* 6.

De Chorepifcopis, ne deinceps fiant.

CXXI. Placuit ne Chorepifcopi a quibufquam deinceps fiant; quoniam hactenus a nefcientibus fanctorum patrum & maxime Apo-

---

(1) *Jugi folidata æternitate.*) Lib. 5. legis Wifigothorum tit. 1. cap. 1. *impenfa legum foliditate fervare.*

(2) *Quæcunque funt.*) Vide infra libro fexto capite 381.

(3) *Ignofcendi foli.*) Certum eft legi debere *folam*. Sed omnia vetera exemplaria habent *foli*, non folum in libris Capitularium, fed etiam in Codice Theodofiano, & apud Ifaacum Lingonenfem, & in Concilio Trosleiano. Sirmondus tamen in appendice Codicis Theodofiani titulo 14. & in epiftola 29. Hincmari pag. 319. edidit *folam*. Vide infra cap. 406. hujus libri.

(4) *Placuit ne Judæis.*) Vide lib. 12. legis Wifigothorum titulo 13. cap. 12. & Notas ad Agobardum pag. 18.

(5) *Sacrificans.*) Simon Goulartius in additionibus ad catalogum teftium veritatis pag. 1023. nomine facrificantis eum intelligit qui oblationes dono adferebat, nempe panem & vinum ad ufum facræ communionis. Falfam prorfus effe hanc interpretationem manifeftum eft vel ex contextu capitis, ubi vox *facrificans* refertur ad eum qui corpus & fanguinem Chrifti in altario immolat, id eft, ad Presbyterum. Populus enim non immolat neque facrificat, fed facrificio intereft, oblationem facit ad facrificium. Confirmatur hæc interpretatio ex verbis fequentibus, in quibus præcipitur ut facrificans toties perceptionis corporis & fanguinis Chrifti fe participem præbeat quoties idem corpus & fanguinem immolat. Quod adverfus Presbyteros Miffam cantantes & non communicantes dictum effe patet ex his quæ fupra dicta funt ad caput fextum libri primi.

Apostolicorum decreta, suisque quietibus ac delectationibus inhærentibus (1), facti sunt. Idcirco & olim persæpe & nostro a sancta apostolica sede tempore sunt prohibiti; & ne deinceps a quoquam tam ordinante quam ordinari cupiente talis præsumptio assumatur, a cunctis nostri regni Episcopis est in synodo (2) canonice prohibitum. *Capitulare a. 799. cap. 1.*

Ne Judæi super Christianos magistri vel ministri ponantur.

CXXII. Ne Judæi administratorio usu sub ordine vilicorum atque actorum Christianam familiam regere audeant, nec eis hoc a quoquam fieri præcipiatur. Si quis vero contra hæc agere præsumpserit, si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus fuerit, proprio submoveatur gradu. Si vero monachus aut laicus fuerit, communione privetur. Et si perseveraverint inobedientes, anathematizentur.

De Clericis falsariis.

CXXIII. Si Presbyter (3) vel Diaconus in caussa pecuniaria falsum testimonium dixerint, per tres annos separentur a sacro ministerio. Si in criminali caussa falsum dixerint, deponantur, & legitimis pœnis subjiciantur. Ceteri vero Clerici in quacunque falsitate convicti fuerint, degradentur, & legitimis subjiciantur disciplinis.

Ut Clerici non habeant actiones seculares.

CXXIV. Clericus vel monachus (4) neque exactor publicarum, neque conductor, aut vectigalium magister, vel curator domus, vel procurator litis, vel fidejussor in talibus caussis fiat. Si quis contra hæc statuta fecerit, si Episcopus est, omnes istorum res ex quacunque caussa vel persona, sive ante Episcopatum sive postea ad eum pervenerint, Ecclesiæ suæ eas vindicare sancimus. Si vero alii Clerici hoc fecerint, pœnam pecuniarum, quam Episcopus existimaverit exigere, Ecclesiæ vindicandam. Hi vero qui actiones suas eis commiserunt, vel fidejussores eos pro supradictis caussis acceperunt, nullam contra Ecclesiam vel administratores ejus, vel adversus ipsas personas quos crediderunt, habeant actionem. Si vero quis eos pro publico debito vel actione crediderit, vel fidejussores receperit, de sua substantia fisci debitum compellatur exsolvere.

De Clericis qui de Ecclesia desistunt.

CXXV. Clericis de Ecclesia (5) desistentibus, & aliis in loco revocatis, si redierint discessi, nihil eis præstetur. Hoc vero quod discedentes reliquerunt, non in usu rectorum, sed succedentibus cedat.

Quales sint Clerici.

CXXVI. Nemo fiat Clericus nisi qui bonum testimonium habeat & literatus est.

De multitudine Clericorum.

CXXVII. Ne passim Episcopus multitudinem Clericorum faciat, sed secundum meritum vel reditum Ecclesiarum numerus moderetur.

De ordinationibus sacris.

CXXVIII. Lector, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, si clericatus honorem contempserint, curiali conditioni cum suis facultatibus subjiciantur.

De injuria Episcopi & letania subversa.

CXXIX. Si quis Episcopo (6) vel aliis ministris intra Ecclesiam injuriam fecerit, jubemus eum tormentis subjectum in exilio mori. Sed & si ipsa sancta oratoria vel divina ministeria conturbaverit, vel letaniam everterit (7), capitali periculo subjaceat. Sin autem contumeliam tantum fecerit, tormentis & exilio tradatur.

Ne fideles ex propria consanguinitate uxores ducant; nec illi qui dudum minime nupserunt, sine benedictione sacerdotis nubere præsumant.

CXXX. Christiani ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum connubia non ducant; neque sine benedictione sacerdotis, qui ante innupti erant, nubere audeant. *Vide infra cap.* 327. *&* 408.

De non recipiendis alienis pœnitentibus.

CXXXI. Qui pro delicto suo a communione separantur, placuit ut in quibuscunque locis fuerant exclusi, in eisdem locis communionem consequantur.

Ut non liceat Clericum vel monachum sine epistola Episcopi sui proficisci.

CXXXII. Clericis vel monachis sine commen-

---

(1) *Delectationibus inhærentibus.*) Vide præfationem nostram ad librum Rhabani de Chorepiscopis & Notas ad Reginonem pag. 542.

(2) *In synodo.*) Infra lib. 7. cap. 4. scriptum est Chorepiscopos ante apostolicam atque synodalem prohibitionem non fuisse ex numero Apostolorum, sed ex numero discipulorum. Intelligenda autem sunt hæc loca de synodo Ratisbonensi habita circa annum DCCXCIX. post reditum Legatorum Caroli M. a sede apostolica, ut patet ex eodem lib. 7. cap. 260.

(3) *Si Presbyter.*) Sumptum est hoc caput ex Novella 123. Juliani Antecessoris cap. 31.

(4) *Clericus vel monachus.*) Et hoc quoque caput extat in eadem Novella cap. 8. Vide infra Addit. III. cap. 46. 47.

(5) *Clericis de Ecclesia.*) Habetur in eadem Additione cap. 44.

(6) *Si quis Episcopo.*] Vide eandem Additionem cap. 28.

(7) *Letaniam everterit.*) Apud Julianum Antecessorem, ex quo ista sumpta sunt, legitur: *Sin autem litanias conturbaverit*. Quid tum per litanias intelligerent, docere videtur sequens caput Novellæ. Vide miracula Sancti Mauri cap. 7. de litania imposita.

mendatitiis epiſtolis Epiſcopi ſui licentia (1) non pateat evagandi.

De dotibus & publicis nuptiis.

CXXXIII. Nullum ſine dote fiat conjugium; nec ſine publicis nuptiis quiſquam nubere præſumat.

De rebus Eccleſiæ ablatis aut fraudatis vel retentis.

CXXXIV. Si quis cujuſcunque munuſcula Eccleſiæ, ſanctis ſcripturarum titulis conlata, nefaria calliditate abſtulerit, fraudaverit, invaſerit, retentaverit, atque ſubpreſſerit, & non ſtatim a ſacerdote commonitus Deo conlata reddiderit, ab Eccleſiæ catholicæ communione pellatur. *Capitul. III. a.* 814. *c.* 5. *Vide infra lib.* 7. *cap.* 267. 411.

Ut nemo res Eccleſiæ, niſi cui jure debentur, in quibuslibet regionibus conjacentes competere audeat vel tenere.

CXXXV. Ut nullus Epiſcoporum, aut cujuslibet ordinis Clericus, vel alia quæcunque perſona, quibuslibet conditionibus, ſeu in uno regno ſeu in alio poſitas alterius cujuſcunque Eccleſiæ res aut petat aut præſumat accipere. Quod ſi fecerit, tamdiu habeatur a communione Eccleſiæ vel ab omnium fratrum ac filiorum caritate ſuſpenſus, donec ipſe Eccleſiæ cujus directo ordine juris eſt ablata legibus reſtituat. *Capitul. III. a.* 814. *c.* 7. *Vide infra lib.* 7. *c.* 420.

De his qui facultates Eccleſiæ delegatas auferunt vel retentant.

CXXXVI. Ne cui liceat res vel facultates Eccleſiis aut monaſteriis vel xenodochiis pro quacunque eleemoſyna cum juſtitia delegatas retentare, alienare, atque ſubtrahere. Quod ſi quis fecerit, tanquam necator pauperum, antiquorum canonum ſententiis conſtrictus, ab Eccleſiæ liminibus excludatur quandiu ab ipſo ea quæ ſunt ablata aut retenta reddantur. *Eod. Capitul. cap.* 9. *infra VII. c.* 419.

Ut ſocios ſuos nominent apud quem pars rapinæ fuerit inventa.

CXXXVII. Apud quem ſcelus (2) agnoſcitur & pars rapinæ fuerit inventa, ſtatim ſocios ſuos nominare cogatur. Quod ſi nominare noluerit, teneatur ad vindictam.

De his qui diripienda indicare reperiuntur.

CXXXVIII. Quicunque ingenuus (3) vel ſervus aliquid diripiendum indicaverit, ut cujuſcunque res evertatur, aut pecora vel jumenta diripiantur, & ex hoc certis probationibus publice convictus inveniatur, pro eo quod indicaverit, centum viginti flagella publice extenſus accipiat.

Ut Abbates in ejus Epiſcopi in cujus parrochia ſunt poteſtate perſiſtant.

CXXXIX. Abbates pro humilitate religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant. Et ſi quid extra regulam fecerint, ab Epiſcopis corrigantur. Qui ſemel in anno, in loco ubi Epiſcopus elegerit, accepta vocatione conveniant.

Ut nullus monachus relinquat ſuum monaſterium & cellas conſtruat ſine Epiſcopi vel Abbatis ſui licentia.

CXL. Ut nullus monachus, congregatione monaſterii derelicta, ambitionis aut vanitatis impulſu cellam conſtruere ſine Epiſcopi permiſſione vel Abbatis ſui voluntate præſumat.

De apoſtatis.

CXLI. Quicunque poſt ſanctæ religionis profeſſionem apoſtatant & ad ſeculum redeunt, & poſtmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, communionem penitus non accipiant. quos etiam jubemus ad clericatus officium non admitti.

De excommunicatis.

CXLII. Si quis a communione ſacerdotali fuerit auctoritate ſuſpenſus, hunc non ſolum a Clericorum, ſed etiam a totius populi conloquio atque convivio placuit excludi, donec reſipiſcens ad ſanitatem redire feſtinet.

Ne judices perfidorum exceſſus abſque propriorum ſacerdotum conſilio judicent.

CXLIII. Ne judices quicquam (4) de perfidorum exceſſibus extra ſacerdotum conhibentiam judicare præſumant.

De expoſitis infantibus ac collectione eorum.

CXLIV. Si expoſitus (5) ante Eccleſiam cu-

---

(1) *Epiſcopi ſui licentia.*) Olim, ut dictum eſt ad epiſtolam 102. Lupi Ferrarienſis, monachis non licebat proficiſci in regionem longinquam, ne Romam quidem, abſque permiſſu proprii Epiſcopi, Apud Frotharium Epiſcopum Tullenſem in epiſtola tertia legimus ipſum monachis Mediolacenſibus licentiam dediſſe adeundi Imperatorem pro neceſſariis monaſterii cauſis. Idem in epiſtola decima ad Drogonem Epiſcopum Metenſem queritur de quibuſdam monachis monaſterii, ut reor, Senonienſis, qui abſque ejus permiſſu & licentia, quaſi ob quaſdam reclamationes, egrediebantur e diœceſi Tullenſi contra jus canonicum & reverentiam proprio Epiſcopo debitam. Vide infra lib. 7. cap. 269.

(2) *Apud quem ſcelus.*) Vide infra cap. 355. hujus libri.

(3) *Quicunque ingenuus.*) Vide infra cap. 356. iſtius libri.

(4) *Ne judices quicquam.*) Hæc lex ita intelligenda eſt ut tamen ſi Sacerdotes defuerint, ſola poteſtate judicum rei diſtringendi ſint, ut legitur in libro duodecimo legis Wiſigothorum tit. 3. cap. 25. ex cujus lemmate factum eſt hoc noſtrum capitulum.

(5) *Si expoſitus.*) Sanctus Auguſtinus epiſt. 23. ad Bonifacium Epiſcopum: *Aliquando etiam quos*

cujuscunque fuerit miseratione collectus, contestationis ponat epistolam. Et si is qui collectus est, intra decem dies quæsitus agnitusque non fuerit, securus habeat qui collegit. Sane qui post prædictum tempus ejus calumniator extiterit, ut homicida ecclesiastica districtione damnabitur, sicut patrum sanxit auctoritas. *Vide Reginonem lib. 2. c. 69. & seqq.*

De Clericis relinquentibus officium suum & ad seculares confugientibus.

CXLV. Placuit ut Clericus, si relicto officio suo (1) propter districtionem (2) ad secularem (3) fortasse confugerit, & solatium (4) ei defensionis impenderit, cum eodem ab Ecclesiæ communione pellatur.

Ut servo non credatur si super dominum suum vel super alium liberum crimen injecerit.

CXLVI. Servo penitus non credatur si super aliquem crimen objecerit, aut si etiam dominum suum in crimine impetierit. Nam etiamsi in tormentis positus exponat quod objicit, credi tamen illi nullo modo oportebit.

Ut testes ea tantum testificentur quæ in conspectu eorum acta esse noscuntur.

CXLVII. Testes non absentes neque per epistolam testimonium dicant; sed præsentes, quam noverunt & viderunt non taceant veritatem. Nec de aliis caussis testimonium dicant nisi de his tantummodo quæ sub præsentia eorum acta esse noscuntur. *Vide infra cap.* 345.

Quales debeant scripturæ valere.

CXLVIII. Scripturæ quæ diem (5) & annum habuerint evidenter expressum, atque secundum legis ordinem conscriptæ esse noscuntur, seu conditoris vel testium fuerint signis aut subscriptionibus roboratæ, omni habeantur stabiles firmitate.

De pactis & placitis conservandis.

CXLIX. Pacta vel placita (6) quæ per scripturam legitime ac justissime facta sunt, dummodo in his dies vel annus sit evidenter expressus, nullatenus immutari permittimus.

Contra priorum definitionem filio vel heredi non licere venire.

CL. Filio vel heredi (7) contra priorum justam aut legitimam definitionem venire non liceat: quia juste repellitur præsumptio illius qui facta seniorum injuste conatur inrumpere.

Ne quisquam accusetur vel puniatur, nisi manifestis indiciis scelus patuerit.

CLI. Non passim damus (8) accusandi vel puniendi licentiam, nisi aut manifestis indiciis paruerit scelus, aut legitime fuerit id ipsum malum accusatum atque convictum; quatinus nulla videantur intentione vel ordine patrum transgredi præcepta sanctorum, aut obviare sacris regulis antiquorum.

Ut valeat commutatio sicut & emptio.

CLII. Commutatio, si non fuerit per vim & metum extorta, talem qualem & emptio habeat firmitatem.

Si timore compulsus quisquam se servum esse dicat.

CLIII. Qui timore compulsus (9) servum se esse extra judicium dixerit, nullum præjudicium libertatis incurrat, donec judicio præsentetur, vel libertatem suam, si eam probavit præsente judice, obtineat. Aut si servus convincitur, statim domino reformetur.

De

quos crudeliter parentes exposuerunt, nutriendi a quibuslibet, nonnunquam a sacris virginibus colliguntur, & ab eis offeruntur ad baptismum. Sic enim recte scriptum est in prima editione epistolarum S. Augustini, cum in posterioribus male legatur *nutriendos*. Epistolam collectionis infantis expositi habes inter formulas Sirmondicas. Vide Reginonem lib. 2. cap. 70. & seqq. & Cujacium lib. 16. Observat. cap. 36.

(1) *Relicto officio suo.*) Id est, ecclesiastico judicio, ut legitur in canone nono Concilii Carthaginensis tertii. Hincmarus apud Flodoardum lib 3. cap. 26. scribit *Folconi Comiti palatii Regis pro quodam Presbytero parochiæ Suessonicæ, qui relicto ecclesiastico ad civile judicium proclamaverat super accusatore suo.*

(2) *Propter districtionem.*) Id est, si ab Episcopo suo, a quo damnatus est, provocaverit ad judices seculares; quod est contra ordinem in canone 17. Sardicensi constitutum. Vide Photium in Nomocanone tit. 9. cap. 6. & commentarium Balsamonis.

(3) *Ad secularem.*) Apud Gratianum additur *judicem*; ubi Correctores Romani recte adnotant hanc vocem abesse a vetustioribus editionibus synodi Agathensis, a codicibus Vaticanis, & a Capitulari. Vide infra cap. 157. & lib. 7. cap. 210.

(4) *Et solatium.*) Infra Addit. IV. cap. 65. *& is ad quem recurrit solatium ei.* Ita etiam apud Gratianum. Hinc ergo voces illas additas Sirmondus transtulit in canonem hunc Agathensem.

(5) *Scripturæ quæ diem.*) Constitutio est Chindasuinti Gothorum Regis, relata in libro secundo legis Wisigothorum tit. 5. cap. 1. Vide infra cap. 416. istius libri. Istius constitutionis verba usurpavit Gaufredus Comes Ruscinonensis in notitia judicii pro monasterio Rodensi lati adversus hominem quendam nomine Adalbertum, quam damus in appendice actorum veterum.

(6) *Pacta vel placita.*) Extat hoc caput in eodem titulo legis Wisigothorum cap. 2. & infra cap. 346. hujus libri.

(7) *Filio vel heredi.*) Habetur in eodem titulo legis Wisigothorum cap. 4. & infra cap. 349. hujus libri.

(8) *Non passim damus.*) Vide infra cap. 350. istius libri.

(9) *Qui timore compulsus.*) Extat in libro 5. legis Wisigothorum tit. 7. cap. 7.

De Presbyteris vel Diaconibus sine Episcopi sui epistolis ambulantibus.

CLIV. Presbytero vel Diacono sine antistitis sui epistolis ambulanti communionem nullus impendat. *Vide infra lib.* 7. *c.* 210.

Ut unus Abba duobus monasteriis minime præsideat.

CLV. Unum Abbatem duobus monasteriis interdicimus præsidere.

De Presbyteris vel reliquis Clericis non distringendis a secularibus judicibus, sed a suis Episcopis.

CLVI. Ut nullus judicum neque Presbyteros neque Diaconos neque reliquos Clericos vel juniores Ecclesiæ sine licentia proprii Episcopi distringat aut condemnare præsumat. Quod si fecerit, tamdiu communione privetur quandiu reatum suum agnoscat, & per satisfactionem emendet Ecclesiæ quod commisit. *Capitul. a.* 769. *c.* 17. *Vide infra lib.* 7. *cap.* 139. *&* *Addit. IV. cap.* 85.

Ut Clerici judices seculares non adeant.

CLVII. Nullus ex ordine (1) Clericorum, inconsulto proprio Episcopo, ad judicem secularem pergat, neque apud eum, suo Episcopo non permittente, quemquam pulsare, aut cuiquam ante eum respondere, aut quicquam proponere præsumat, neque criminale negotium in judicio seculari proponere audeat.

De secularibus qui per calumniam Ecclesiam vel Clericos fatigare præsumunt.

CLVIII. Si quis secularium per calumniam Ecclesiam vel res ejus aut Clericos cujuslibet ordinis fatigare tentaverit, & ex hoc convictus fuerit, ab Ecclesiæ liminibus & catholica communione, nisi digne pœnituerit & per satisfactionem Ecclesiæ emendaverit, repellatur. *Vide infra lib.* 7. *c.* 210.

Ne testificentur manumissi.

CLIX. Libertus vel liberta (2) in nullis negotiis contra quemquam testimonium dicere admittantur; excepto in aliquibus caussis, ubi ingenuitas deesse dinoscitur, sicut permissum (3) est & de servis. Quia indignum nostra pensat clementia ut libertorum testimonio ingenuis damna concitentur. Qui vero de eisdem fuerint progeniti, ad testimonium admittantur (4). *Capitul. a.* 744. *c.* 15. *Vide infra cap.* 352.

De his qui cum furibus conscii fuerint.

CLX. Non solum ille (5) qui furtum fecerit, sed etiam & quicunque conscius fuerit, vel furto ablata sciens susceperit, in numero furantium habeatur, & simili vindictæ subjaceat.

Si possessor per violentiam expellatur.

CLXI. Quicunque violenter (6) expulerit possidentem, priusquam pro ipso judicis sententia præcedat, si caussam meliorem habuerit, ipsam caussam de qua agitur perdat; ille vero qui violentiam pertulit, universa in statu quo fuerant recipiat, & quæ possedit securus teneat. Si vero illud invadit quod per judicium obtinere potuit, & caussam amittat, & aliud tantum quantum invasit reddat expulso.

Ut fideles fidem sanctæ Trinitatis discant.

CLXII. Ut fideles fidem sanctæ Trinitatis discant; in qua, inter cetera, credere oportet quod per Spiritum sanctum remissio peccatorum in baptismate, confirmatione, pœnitentia, & in ceteris canonicis decretis, sicut scriptum est, conferatur, & quod fidelibus in Ecclesia per Christum, ejusdem sancti Spiritus dono, per ministerium sacerdotale & per pœnitentiam remissio peccatorum indubitanter attribuatur, & quod gentium omnium in vera carne in adventu Christi resurrectio futura sit. & cetera. Quam fidem memoriter teneant, & suis sacerdotibus eam reddant, & exponant per singula verba. Et ipsi sacerdotes eam fideliter & pleniter atque veraciter populum doceant: quoniam primum fundamentum Christianæ religionis fides catholica est. Et hæc fides tunc est vera & fructuosa, si bonis operibus exornetur, id est, spe, caritate, humilitate, castitate, continentia, sobrietate, unanimitate, concordia, justitia, pietate, misericordia, innocentia, simplicitate, & ceteris his similibus. Quæ omnia in dilectione Dei & proximi consistunt. Sine his enim nemo potest Deo placere, nec salvus esse.

De contumacibus Presbyteris vel Clericis.

CLXIII. Si quis Presbyterorum, Diaconorum-

(1) *Nullus ex ordine.*) Vide infra libro 7. capite 210.

[2] *Libertus vel liberta.*] Hæc constitutio habetur in eodem titulo legis Wisigothorum cap. 12.

(3) *Permissum.*) Ita legitur in vetustis Capitularium exemplaribus & in editionibus, tum etiam in codice legis Wisigothorum Moyssiacensi. Pithœus illic edidit *præmissum*.

(4) *Ad testimonium admittantur.*) In superioribus Capitularium editionibus legitur, *ad testimonium e tertia generatione admittantur.* Certum est illam clausulam reperiri infra cap. 352. hujus libri. Sed non extat in hoc loco in vetustis codicibus neque in codice legis Wisigothorum. Tanti momenti erat Capitularia edere prout in veteribus libris reperiuntur.

(5) *Non solum ille.*) Ista constitutio habetur in lib. 7. legis Wisigothorum titulo 2. cap. 7. Vide infra lib. 7. cap. 429.

(6) *Quicunque violenter.*) Extat in libro 8. legis Wisigothorum tit. 1. cap. 2. Vide infra cap. 353. hujus libri.

norum, vel reliquorum Clericorum contumax aut ſuperbus vel inobediens aut rebellis Epiſcopo ſuo extiterit, gradum habentes, proprio gradu careant. Reliqui vero Clerici vel monachi aut laici uſque ad ſatisfactionem communione priventur.

De judicibus Clericis calumniam vel injuriam inferentibus.

CLXIV. Si judex cujuslibet ordinis Clericum publicis actionibus inclinare aut diſtringere aut calumniare vel injuriare abſque Epiſcopi ſui permiſſu præſumpſerit, uſque ad Eccleſiæ ſatisfactionem, cum omnibus tantis ſceleribus auxiliantibus aut facientibus, communione privetur. Epiſcopus tamen non dimittat ut injuriam patientibus plenam de præfatis Clericis juſtitiam canonice non faciat.

Ut orationem dominicam omnes diſcant fideles.

CLXV. Ut fideles orationem dominicam diſcant & intelligant, & ſuis ſacerdotibus eam verbo ex verbo reddant, & alios fideles, qui eam neſciunt, doceant.

Ut nullus Epiſcopus alterius Epiſcopi vel Presbyter alterius Presbyteri parrochiam invadat.

CLXVI. Ut nullus Epiſcoporum vel Presbyterorum parrochiam alterius invadat; ſed contentus ſit gubernatione creditæ ſibi plebis.

Ut monaſteriis vel reliquis Eccleſiis res non auferantur, vel ipſæ a quoquam inquietentur.

CLXVII. Ut monaſteria quæ Deo conſecrata ſunt nulli liceat in aliquo inquietare nec quemquam de eorum rebus violenter abſtrahere.

Ut Clerici peregrini contenti ſint hoſpitalitatis munere, & nulli eorum liceat officium ſacerdotale in alterius parrochia agere abſque licentia Epiſcopi in cujus parrochia eſſe noſcuntur.

CLXVIII. Ut Epiſcopi atque Clerici peregrini contenti ſint hoſpitalitatis munere oblato; nullique eorum liceat ullum officium ſacerdotale abſque permiſſu Epiſcopi in cujus parrochia eſſe cognoſcitur agere. *Vide ſupra cap. 86.*

Ut nullus Epiſcopus ſine conſenſu aliorum ſe præferat anteriori.

CLXIX. Ut nullus Epiſcoporum (1) ſe præferat alteri per ambitionem; ſed omnes agnoſcant tempus & ordinem ſuæ ordinationis.

Ut populi oblationes ſacerdotibus in Eccleſia offerant. Et ut omni die dominica communicent.

CLXX. Placuit ut fideles oblationes ſacerdotibus cotidie, ſi fieri poteſt, in Eccleſia offerant. Et ſi cotidie non poteſt, ſaltim dominica die abſque ulla excuſatione fiat. Et ut prædicationem audiant. Et ſi fieri poteſt, omni dominica die communicent, niſi criminalia peccata & manifeſta impediantur; quia aliter ſalvi eſſe non poſſunt: quoniam Dominus dixit: *Qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Et qui manducat me, vivit propter me.* & cetera exempla quæ prolixa ſunt hic ſcribere.

Ut ſacerdotes ſigna tangant horis canonicis.

CLXXI. Ut ſacerdotes ſigna (2) tangant horis canonicis, & illorum officium agant, ſive diurnale, ſive nocturnale; quia ſcriptum eſt: *Sine intermiſſione orate.* Et idcirco non dimittant horas canonicas.

De ſtolis geſtandis.

CLXXII. Ut ſacerdotes ſtolas (3) portent propter ſignum caſtitatis, ſicut decretum eſt.

Ut ſecreta non incipiatur niſi poſt hymnum finitum.

CLXXIII. *Te igitur* non inchoent (4) ſacerdotes niſi poſt angelicum hymnum finitum.

(1) *Ut nullus Epiſcoporum.*) Vide Concilium Africanum cap. 56.

(2) *Signa.*) Campanas. Capitulare 5. anni DCCCXIV. cap. 5. *ſignum in tempore ſuo pulſent.* Rudolfus in vita Sanctæ Liobæ Abbatiſſæ cap. 6. *ſignum Eccleſiæ quod vulgo klockum vocant.* Concilium Anglicanum apud Celichyth cap. 10. *Pulſato ſigno, omnis famulorum Dei cœtus ad baſilicam conveniat.* Geſta Aldrici Epiſcopi Cenomanenſis: *In dicta Eccleſia ſeniore duodecim ſigna ex metallo optimo fundere & firmare ſtuduit, quæ in clocariis collocavit, & ad ſingulos curſus mirabiliter roboare & ſonare diſpoſuit.* Odo Abbas in libro de miraculis Sancti Mauri cap. 7. *ſignis ſonantibus, ſumptis ſanctorum reliquiis.* Ibidem cap. 11. *Chriſti clementiam ac beati Mauri auxilium inſtantiſſima prece ſignis ſonantibus inclamare cœperunt.* Flodoardus lib. 3. cap. 20. *Item de metallo quod ei tranſmiſit ad faciendum ſignum.* Annales Fuldenſes ad annum DCCCLXIX. *ſignis etiam cunctarum in Reganesburg Eccleſiarum concrepantibus.* Bercharius in hiſtoria Epiſcoporum Virdunenſium tomo XII. Spicilegii Dacheriani pag. 261. *Signa grandia & honorabilia & minora valde bona in illa baſilica ſuo opere ibidem eſſe conſtituit.* Concilium Londinenſe anni MLXX. *nec ſigna pro eo pulſentur.* Polypticus Sancti Remigii Remenſis: *ſignum de metallo unum, de ferro unum; ſignum ferreum unum, ſchillam de metallo unam.*

(3) *Ut ſacerdotes ſtolas.*) Vide Reginonem lib. 1. cap. 333. Burchardum lib. cap. 10. Ivonem parte 10. cap. 139. & Gratianum 17. qu. 4. cap. 25. *Ut Presbyteri.*

(4) Te igitur *non inchoent.*) Capitula Herardi cap. 16. *Ut ſecreta Presbyteri non inchoent ante-*

Ut adnuntietur Symbolum fidelibus a sacerdotibus.

CLXXIV. Ut adnuntient (1) Presbyteri omnibus fidelibus sibi subjectis Symbolum & orationem dominicam, ut sancto Spiritu inlustrante salventur.

Ut Presbyteri adnuntient viris & feminis, nisi memoriter symbolum & orationem dominicam tenuerint, de sacro fonte filiolos vel filiolas non suscipiant.

CLXXV. Adnuntient Presbyteri ut neque viri neque feminæ de sacro fonte filiolos vel filiolas suscipiant, nisi memoriter symbolum & orationem dominicam tenuerint.

Ut silentium in Ecclesia teneatur, & devote verbum Dei audiatur.

CLXXVI. Placuit ut fideles silentium in Ecclesia teneant, & devote verbum Dei audiant, & confessi veraciter de omnibus sceleribus suis sacerdotibus fiant, & mundent corpora & corda eorum, in quibus Deus condigne habitare dignetur, quomodo illis dictum est: *Templum Dei estis, in quibus habitare desidero*. Et ut eorum sacerdoti in omnibus obediant, & instruantur pro quid Missa vel sacerdotes constituti sint; & intellegant vim & mysterium dominici corporis & sanguinis & Missæ, sive precum quæ in ea a sacerdote fiunt. Dicitur enim in ipsa oratione: *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est & nota devotio, qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis & incolumitatis suæ, tibi reddunt vota sua æterno Deo vivo & vero*. & reliqua. Instruantur etiam ut cognoscant potestatem Pontificum in ligando & solvendo, & cetera quæ ad illos pertinent, atque reliquorum sacerdotum. Et ut timeant & venerentur, secundum Domini præceptum, eorum sacerdotes, & qualiter in his offendere solent eis adnuntietur.

Ut Episcopo infantuli ad confirmandum præsententur.

CLXXVII. Adnuntient Presbyteri populis ut quam citius potuerint, suos infantulos ad confirmandum Episcopo præsentare faciant.

Ut Presbyteri sine sacro chrismate oleoque benedicto non proficiscantur.

CLXXVIII. Ut Presbyteri sine sacro chrismate oleoque benedicto & salubri Christi eucharistia alicubi non proficiscantur; sed ubicunque vel fortuitu requisiti fuerint ad officium suum, inveniantur parati in reddendo debito.

Ut Presbyteri oleum infirmorum ab Episcopo expetant.

CLXXIX. Ut omnes Presbyteri oleum infirmorum ab Episcopo expetant, secumque habeant, & moneant fideles infirmos illud exquirere, ut eodem oleo peruncti gratia Dei sanentur, quia a Presbyteris fusa oratio fidei salvabit infirmos.

Ut nullus Presbyter parrochianus aliubi præsumat chrisma accipere nisi ab Episcopo suo in Cœna Domini.

CLXXX. Ut nullus Presbyter parrochianus aliubi præsumat chrisma accipere nisi ab Episcopo suo in Cœna Domini.

Ut baptizari non præsumatur nisi in vigilia Paschæ & Pentecosten.

CLXXXI. Ut baptizare nullus præsumat nisi per duo tempora, id est, vigilia Paschæ, & vigilia Pentecostes, præter mortis periculum.

Ut instruantur fideles qui parvulos de sacro fonte suscipere cupiunt.

CLXXXII. Placuit ut instruantur (2) fideles qui parvulos de sacro fonte suscipere cupiunt, ut intellegant & vim ejusdem sacramenti, & quid pro aliis spoponderunt, vel pro quo fidejussores extiterunt; & sciant se nullo modo ante aliorum patres efficere quam supradicta discant & intellegant seu reddant. Et si fidejussores pro terreno lucro damnari solent, quanto magis pro divino jure, ne damnentur, cavere oportet. Illi tamen ab his officiis removendi sunt, ne alios de sacro fonte in baptismate suscipiant, nec etiam ad percipiendum Spiritus sancti donum aliorum patrini existant, qui & communione canonica privati & publicæ pœnitentiæ sunt subacti, donec per pœnitentiam satisfactionis reconciliationem mereantur, vel etiam illi qui tale peccatum commissum habent pro quo publicæ pœnitentiæ plectendi & ligandi sunt.

Ut nulla pretia de baptizandis consignandisque fidelibus exigantur.

CLXXXIII. Ut nulla pretia de baptizandis consignandisque fidelibus exigantur. Quod si qui perpetraverint, honoris sui sint periculum subituri.

De

---

antequam Sanctus finiatur, sed cum populo Sanctus cantent. Micrologus cap. XI. *Angelicus hymnus, id est, sanctus, sanctus, sanctus, subsequitur, quem beatus Sixtus Papa in ordine octavus constituit ut ante sacrificium diceretur. Hunc autem hymnum & ipse sacerdos cum aliis necessario debet dicere, ne se ipsum sua prece videatur privasse, qui & suas voces & aliorum angelicis laudibus admitti deprecatus est in præfatione.*

(1) *Ut adnuntient.*) Caput istud & pleraque ex sequentibus reperiuntur inter capitula quæ S. Bonifacio tribuuntur in tomo 9. Spicilègii Dacheriani.

(2) *Placuit ut instruantur.*) Hæc sumpta sunt ex Concilio Parisiensi sexto libro primo cap. 7. & 54. Vide Addit. II. cap. 1. & Concilium Calchutense cap. 2.

De quorum baptiſmate abſque diſſimulatione dubitatur, ut baptizentur præceptum eſt.

CLXXXIV. De quibus dubium eſt (1) utrum ſint baptizati annon, omnimodis abſque ullo ſcrupulo baptizentur, his tamen verbis præmiſſis: *Non te rebaptizo. Sed ſi nondum baptizatus es, baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.*

Ut Presbyteri in Eccleſia fidem ſanctæ Trinitatis doceant.

CLXXXV. Notum eſt omnibus impoſſibile eſſe ſine fide placere Deo. Et ideo nullus ſit Presbyter qui in Eccleſia publice non doceat, lingua quam auditores intellegant, fidem omnipotentis Dei in unitate & trinitate ſimpliciter credere, & ea quæ omnibus generaliter dicenda ſunt, de malis evitandis, ſive bonis faciendis, et judicio in reſurrectione futuro. Si vero ipſe verbis manifeſte explicare non poterit, petat ſibi ea a doctiore tranſcribi, qualiter aperte legat, quod qui audiunt intellegant. Et qui amplius non potuerit, vel his verbis admoneat: *Pœnitentiam agite; Adpropinquavit enim regnum cœlorum.*

Ut Presbyteri adnuntient populo quatuor legitima temporum jejunia.

CLXXXVI. Doceant Presbyteri populum quatuor legitima temporum jejunia (2) obſervare, hoc eſt, menſe Martio, Julio, Septembrio, et Decembrio, quando ſacri ordines juxta ſtatuta canonum diſtribuuntur.

Ut jejunia tria legitima in anno agantur.

CLXXXVII. Iterum admoneant ſacerdotes ut jejunia tria legitima in anno agantur, id eſt, quadraginta dies ante Nativitatem Domini, & quadraginta dies ante Paſcha, ubi decimas anni ſolvimus, & poſt Pentecoſten quadraginta dies. Quamquam enim nonnulla ex his canonica priventur auctoritate, nobis tamen omnibus ſimul propter conſuetudinem plebis & parentum noſtrorum morem hæc obſervare, ut ſuperius comprehenſum eſt, convenit. Et licet omnibus diebus orare & abſtinere conveniat, his tamen temporibus amplius jejuniis & pœnitentiæ ſervire oportet. Præter hæc autem legitima tempora jejuniorum, omnis ſexta feria propter paſſionem Domini jejunetur. Sed & ſabbati dies a pleriſque, propter quod in eo Chriſtus jacuit in ſepulchro, jejunio conſecratus habetur.

Ut populus niſi duobus temporibus infantes ſuos ad baptiſmum non offerat.

CLXXXVIII. Placuit ut populus ad baptiſmum eorum infantes non offerat niſi duobus temporibus, ſi infirmitas non occupaverit, & quomodo in hoc offendunt inſtruantur.

Ut dies dominicus reverenter colatur.

CLXXXIX. Diem dominicum ſecundum reverentiam colite. Opus ſervile, id eſt, agrum, pratum, vineam, vel ſi qua graviora ſunt, in eo non faciatis, nec cauſſas nec calumnias inter vos dicatis; ſed tantum divinis cultibus ſerviatis, & a veſpera uſque ad veſperam dies dominicus ſervetur. Has quidem præcipuas feſtivitates adnuntient Presbyteri ut diebus dominicis ſabbatizare (3), id eſt, natale Domini dies quatuor, VIII. Kalendarum Januariarum, in circumciſione Domini Kalendis Januarii diem unum, in epiphania VIII. Idus Januarii diem unum, in purificatione ſanctæ Mariæ IV. Nonas Februarii diem unum, in Paſcha Domini uſque in octabas Paſchæ poſt Dominicam dies tres, in Aſcenſione Domini diem unum (4), in

(1) *De quibus dubium eſt.*) Hugo Nicolai Canonicus Metenſis in Manuali Curatorum diœceſis Metenſis folio 21. *Si vero dubium ſit utrum bene fuerit baptizatus, tunc Presbyter debet eum baptizare ſub hac verborum forma:* Si tu non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Si autem es baptizatus, non te baptizo. *Et ut audiant aſſiſtentes, hoc dicat alta voce & materna lingua, ne laici credant quod aliquis poſſit bis baptizari.*

(2) *Quatuor temporum jejunia.*) Homilia incerti auctoris in vetuſtiſſimo codice Sancti Galli: *Jejunia debetis cuſtodire quatuor tempora in anno, id eſt, menſe Martio in prima ſeptimana, quando intrat Martius, debetis jejunare die Mercoris & die Veneris & die ſabbati. In menſe Junio in ſecunda ſeptimana poſtquam Junius intrat, debetis jejunare die Mercoris & Veneris & die ſabbati. In menſe Septembr. in tertia ſeptimana poſtquam September intrat, jejunate die Mercoris & Veneris & ſabbati. In menſe Decembri in quarta ſeptimana jejunate die Mercoris & Veneris & ſabbati.*

(3) *Sabbatizare.*) Id eſt, colere, obſervare, ceſſando ab omni opere ſervili. Hinc feriari pro ſabbatizare dixit Hayto Epiſcopus Baſileenſis cap. 8. *Octavo pronuntiandum eſt ut ſciant tempora feriandi per annum, id eſt, omnem dominicam a mane uſque ad veſperam ob venerationem dominicæ reſurrectionis; ſabbatum vero operandum a mane uſque ad veſperam, ne in Judaiſmo capiantur. Feriandi vero per annum iſti ſunt dies, ut ſupra orſi ſumus. Natalis Domini &c.* Sic emendandus & ſupplendus eſt hic locus, qui mutilus eſt in editione Dacheriana, apud Burchardum lib. 2. cap. 77. Ivonem par. 4. cap. 14. & Gratianum diſtinct. 3. de conſecrat. cap. 1. *Pronuntiandum.* Vide Concilium Laodicenum cap. 29. & Joanem Diaconum in vita Sancti Gregorii lib. 4. cap. 9. Apud Tertullianum quoque in libro adverſus Judæos cap. 4. ſabbatizare ſignificat ceſſare ab omni opere ſervili, & non tantum ſeptimo quoque die, ſed per omne tempus; quod intelligit de ſabbato æterno ſive divino, id eſt, de altera vita.

(4) *In Aſcenſione ... diem unum.*) Mirum eſt feſtum Pentecoſtes hic omiſſum eſſe, quod in libro 1. Capitularium cap. 158. & in ſecundo cap. 35. tum etiam in citato capite Haytonis ponitur poſt Aſcenſionem Domini. Sane nulla alia hujus omiſſionis cauſa eſſe poteſt quam quia in capite ſequenti ſeorſim præcipitur de feſto Pentecoſtes.

in natali ſancti Johannis Baptiſtæ VIII. Kal. Jul. diem unum, in paſſione ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli III. Kal. Jul. diem unum, in adſumptione ſanctæ Mariæ XVIII. Kal. Septembr. diem unum, in tranſitu ſancti Martini (1) III. Idus Novembr. diem unum, in Paſſione ſancti Andreæ Apoſtoli II. Kal. Decembr. diem unum. *Vide ſupra lib. 1. cap. 158. & lib. 2. c. 35.*

Ut adnuntient Presbyteri eodem modo ſicut ſabbatum Paſchæ cum ſuo Paſcha, ſabbatum Pentecoſten cum ſuo die dominico obſervare.

CXC. Adnuntient Presbyteri (2) eodem modo ſicut veſperaſcente ſabbato ſanctum Paſcha celebratur, & ipſum diem Pentecoſtes ſimiliter celeberrimum habeant ut ſanctum Paſcha, & jejunium, & Miſſam, & baptiſmum.

Ut adnuntient Presbyteri populo ſe ab inlicitis abſtinere connubiis.

CXCI. Adnuntiet unuſquiſque Presbyterorum publice plebi ab inlicitis connubiis abſtinere, & ſecundum Domini mandatum legitimum conjugium nequaquam poſſe ulla occaſione ſeparari, excepta cauſſa fornicationis, niſi conſenſu amborum, & hoc propter ſervitium Dei.

Ut publice Presbyteri adnuntient plebi decimas & primitias omnium frugum ad benedicendum offerre.

CXCII. Adnuntient Presbyteri plebi publice ut primitias omnium frugum terræ ad benedicendum afferant ad domos illorum, & ſic poſtea inde manducent, & decimas ex omnibus fructibus & pecoribus terræ annis ſingulis ad Eccleſias reddant, & de novem partibus quæ remanſerint eleemoſynas faciant, & ex ipſis peccata illorum redimant, ſicut ſcriptum eſt: *Eleemoſyna a morte liberat.* Et ipſa purgat peccata, ſicut in Sapientia legitur: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum.*

Ut fideles intellegant pactum quod cum Deo in baptiſmate fecerunt.

CXCIII. Placuit ut fideles (3) intellegant pactum quod cum Deo in baptiſmate fecerunt. A multis ergo ex toto & a multis ex parte tranſgreditur. Quid ſit abrenuntiare diaboli operibus & pompis ejus & omnibus operibus ejus inſtruantur fideles. Si vero jura humanæ pactionis firma conſervantur, quanto magis ferventius jura tanti pacti, quæ cum Deo facta ſunt, inrevocabiliter ſunt obſervanda.

Ut ſacerdotes admoneant viros & mulieres ut luminaria ad baſilicas deportent.

CXCIV. Ut ſacerdotes admoneant viros & mulieres ut ad baſilicas luminaria & incenſum & buccellas & primitias afferant, ſicut ſcriptum eſt: *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis frugum tuarum da pauperibus.*

Ut admoneant Presbyteri plebem ne in Eccleſia contentionibus & verboſitatibus deſerviant.

CXCV. Admoneant Presbyteri plebem ut in Eccleſiis verboſare non præſumant, ſed cum fletu & compunctione cordis Dei implorent auxilium tam pro ſe quam & proximis ſuis. Et quando Presbyter celebrat Miſſam, corda illorum ſemper ad cœleſtia tendant. Et quando ſanctæ lectiones vel evangelia recitata fuerint, cum ſilentio & devota mente pariter audiant, ſicut Deus dixit per Moyſen: *Audi Iſrael, & tace.* Et oblationes offerant, & communicare faciant.

Ut Presbyteri ſollicite curent ne inhoneſta & turpia quælibet fiant in Eccleſiis.

CXCVI. Quando populus ad Eccleſias venerit, tam per dies dominicos quam & per ſollemnitates ſanctorum, aliud non ibi agat niſi quod ad Dei pertinet ſervitium. Illas vero balationes (4) & ſaltationes (5) canticaque turpia ac luxurioſa et illa luſa diabolica (6) non faciat nec in plateis nec in domibus neque in ullo loco; quia hæc de pa-

(1) *In tranſitu ſancti Martini.*) In excerptis Sancto Bonifacio tributis omiſſum hoc loco eſt nomen Sancti Martini, cujus loco iſta ſubſtituta ſunt: *In nativitate ſanctæ Mariæ VI. Idus Septembris diem unum.* Sed nos jam oſtendimus ſupra ad caput 158. libri primi feſtum iſtud nondum ea ætate cognitum fuiſſe in Eccleſia.

(2) *Adnuntient Presbyteri.*) Caput iſtud miſere interpolatum & mutilatum eſt in excerptis quæ edita ſunt ſub nomine S. Bonifacii.

(3) *Placuit ut fideles.*) Caput iſtud ſumptum eſt ex canonibus Concilii ſexti Pariſienſis, ut adnotatur infra Addit. II. cap. 3. & 4. Vide Burchardum libro 4. cap. 27.

(4) *Balationes.*) In titulo canonis 23. Concilii Toletani tertii, ex quo caput iſtud videtur eſſe ſumptum, legitur in antiquis codicibus manuſcriptis: *Ut ballematiæ & turpia cantica probibeantur a ſanctorum ſollemnitatibus.* Burchardus lib. 10. cap. 39. hæc verba tribuit Concilio Bracharenſi: *Si quis balationes ante Eccleſias ſanctorum fecerit.* Baligeram ſtultam interpretatur vetus gloſſarium manuſcriptum bibliothecæ regiæ. Vide Voſſium in libro quarto de vitiis ſermonis pag. 657.

(5) *Saltationes.*) Burchardus lib. 10. cap. 36. *Saltationes ſceleratiſſimas per vicos atque plateas exercent*; quod ſumptum eſt ex can. 27. Concilii Africani. In chronica Sclavica incerti auctoris a Lindenbrogio edita extat memorabilis hiſtoria de pœna quindecim virorum & trium mulierum choreas agentium in nocte nativitatis Domini. Legat illam qui noſse cupierit ordinem rei geſtæ.

(6) *Luſa diabolica.*) Homilia Sancti Eligii Epiſcopi Noviomenſis in tomo 5. Spicilegii Dacheriani pag. 217. *Ludos etiam diabolicos & vallationes vel cantica gentilium fieri vetate.* Vide Notas ad Reginonem pag. 537.

paganorum consuetudine remanserunt. Et qui ipsa fecerit, canonicam sententiam accipiat.

Ne in mortuorum funeribus juxta paganorum ritum agatur.

CXCVII. Admoneantur fideles ut ad suos mortuos non agant ea quæ de paganorum ritu (1) remanserunt. Sed unusquisque devota mente, et cum compunctione cordis, pro ejus anima Dei misericordiam imploret. Et quando eos ad sepulturam portaverint, illum ululatum excelsum non faciant; sed sicut superius diximus, devota mente et cum compunctione cordis, in quantum sensum habuerint, pro ejus anima implorare Dei misericordiam faciant. Et illi qui psalmos non tenent, excelsa voce *Kyrie eleyson*, *Christe eleyson*, viris inchoantibus, mulieribusque respondentibus, alta voce canere studeant pro ejus anima. Et super eorum tumulos nec manducare nec bibere præsumant. Quod si fecerint, canonicam sententiam accipiant.

Ut pro defunctis amicorum parentes eorum triginta dies adimplere faciant.

CXCVIII. Fideles pro defunctis amicorum et parentibus eorum jejunia et oblationes triginta dies adimplere faciant, et mortuum super mortuum non ponant, nec ossa defunctorum super terram dimittant. Quod si fecerint, canonicæ sententiæ subjaceant.

De his quos Episcopus aut sacerdos excommunicaverit, ne eos fideles recipiant.

CXCIX. Placuit ut fideles eos quos Episcopus aut sacerdos propter eorum peccata excommunicaverit, non recipiant antequam pœnitentiam accipiant et ad confessionem veniant.

Ut nullus Presbyter suam Ecclesiam sine consensu Episcopi sui derelinquat.

CC. Compellimur statuta canonum et in hoc servare, ut nullus Presbyter creditam sibi Ecclesiam sine consensu sui Episcopi derelinquat, et laicorum suasione ad aliam transeat.

Ut sacra mysteria nullus Presbyter nisi in loco consecrato agat.

CCI. Ut nullus Presbyter sacra mysteria nisi in locis ab Episcopo consecratis agere præsumat.

Ne aliud altare in Ecclesia consecrata, nisi quod ab Episcopo consecratum est, aliquis Presbyter erigat.

CCII. Ut nullus Presbyter in Ecclesia consecrata aliud altare erigat nisi quod ab Episcopo sanctificatum est, ut sit discretio inter sacratum et non sacratum.

Ut Episcopus, Presbyter, & Diaconus non sint aleatores & ebriosi.

CCIII. Quod Episcopus, Presbyter, et Diaconus aleator et ebrius esse non debeat. Similiter Clerici et laici, si permanserint in alea, communione priventur.

Ut nemo Clericorum usuras accipiat.

CCIV. Quoniam venerandi canones et divina prohibet auctoritas usuras accipere, ideo nullus hoc Clericorum facere præsumat, et, in quantum poterint, laicis vetare studeant.

Ut diem dominicum, in quo Dominus surrexit, cuncti venerabiliter colant.

CCV. Placuit ut fideles (2) diem dominicum, in quo Dominus resurrexit, omnes venerabiliter colant. Nam si pagani ob memoriam et reverentiam deorum suorum quosdam dies colunt, et Judæi more carnali sabbatum carnaliter observant, quanto magis Christianis iste dies honorifice colendus est, ne in illo sancto die vanis fabulis aut locutionibus sive cantationibus vel saltationibus, stando in biviis & plateis, ut solet, inserviant. Sed ad sacerdotem aut ad aliquem sapientem & bonum veniant, & eorum prædicationibus & bonis locutionibus quæ ad animam pertinent utantur. Et illo die seu sabbato ad vesperas & ad matutinas sive ad Missam cum eorum oblationibus, si fieri potest, omnes canendo *Kyrie eleyson* veniant, & eundo & redeundo *Kyrie eleyson* decantent. Similiter et pastores pecorum eundo & redeundo in campum & ad domum faciant, ut omnes eos veraciter Christianos & devotos esse cognoscant.

De reconciliandis pœnitentibus.

CCVI. Quia varia necessitate præpedimur canonum statuta de reconciliandis pœnitentibus pleniter observare, propterea omnino non dimittatur ut unusquisque Presbyter jussione Episcopi de occultis tantum, quia de manifestis Episcopos semper convenit judicare, statim post acceptam confessionis pœnitentiam singulos data oratione reconciliari. Morientibus vero sine cunctamine communio & reconciliatio præbeatur.

Quot sint dies purificationis mulieris.

CCVII. Cum enixa (3) fuerit mulier, post quot dies debeat Ecclesiam intrare testamenti veteris præceptione didicimus, ut pro masculo diebus XXXIII. pro femina au-

(1) *De paganorum ritu.*) Vide Reginonem lib. 1. cap. 381. & Burchardum lib. 10. cap. 34. Vide etiam Concilium Toletanum tertium c. 22.

(2) *Placuit ut fideles.*) Caput istud sumptum est ex Concilio Parisiensi sexto, ut adnotatur infra Addit. II. cap. XI.

(3) *Cum enixa.*) Vide Capitulare anni DCCXLIV. cap. 3. Isaacum Lingonensem tit. XI. cap. 18. & Gratianum dist. 5. cap. 1. *Cum enixa*, & cap. 2. *Si mulier*.

tem LXVI. debeat abstinere. *Quod tamen*, ut ait sanctus Gregorius, *sciendum est quia in mysterio accipitur*. *Nam si hora eadem qua genuerit, actura gratias, intret Ecclesiam, nullo peccati pondere gravatur*. *Voluptas enim carnis, non dolor, in culpa est*. *In carnis autem commixtione voluptas est, in prolis vero prolatione gemitus*. *Unde & ipsi primo matrimonio dicitur:* In doloribus paries. *Si itaque enixam mulierem prohibemus Ecclesiam intrare, ipsam ei pœnam suam culpam deputamus*. *Capit. a. 744. c. 3.*

Ut Missarum celebrationes in locis incongruentibus non fiant.

CCVIII. Placuit ut fideles (1) Missarum celebrationes in locis non consecratis & incongruentibus facere omnino non debeant, nisi caussa hostilitatis vel longinqui itineris. Et id in altaribus ab Episcopo consecratis fieri, si necessitas compellat. Sacerdotes tamen qui in locis inlicitis et non consecratis Missas cantare præsumunt, gradum se sciant amissuros. Melius est enim Missam non audiri quam eam ubi non licet nec oportet celebrare aut audiri. Et de usura, ut non fiat, omnes admoneantur.

De propinquitate.

CCIX. In quarta propinquitate carnis, quinta, sextaque non licet nubere, sicut in lege scriptum est: *Omnis homo ad propinquam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus*, id est, usque septimum gradum. Legitimum conjugium non licet separari sine consensu amborum, ita tamen ut ambo Deo serviant innupti. Potest autem alteri licentiam dare accedere ad servitium Dei, si ipse tamen innuptus vel innupta permanserit. In veteri testamento taliter legitur de coitu cum pecoribus: *Mulier quæ subcubuerit cuilibet jumento, simul interficiatur cum eo*. In novo, illa sicut ille qui cum pecoribus coierit, quindecim annis, alii undecim pœniteat. Animalia coitu hominum polluta occidantur, carnesque canibus projiciantur; sed coria eorum adsumantur. Ubi autem dubium est, non occidantur.

De servo qui damnum cuilibet intulerit, quid agendum sit.

CCX. Nemini liceat servum suum propter damnum ab illo cuilibet inlatum dimittere, sed juxta qualitatem damni dominus pro ipso respondeat, vel eum in compositionem aut ad pœnam petitori offerat. Si autem servus perpetrato scelere fugerit, ita ut a domino penitus inveniri non possit, sacramento se dominus excusare studeat quod nec suæ voluntatis nec conscientiæ fuisset quod servus ejus tale facinus commisit. Sicut petierunt, ita Domnus Imperator consensit. *Vide supra lib. 3. c. 44.*

De eo qui ad mallum legibus mannitus fuerit, & non venerit.

CCXI. Si quis ad mallum legibus mannitus fuerit, & non venerit, si eum sonnis non detinuerit, quindecim solidis culpabilis judicetur. Similiter ad secundam & tertiam. Si autem ad quartam venire contempserit, possessio ejus in bannum mittatur donec veniat et de re qua interpellatus fuerit justitiam faciat. Si infra annum non venerit, de rebus ejus quæ in bannum missæ sunt Rex interrogetur, et quicquid inde judicaverit fiat. Prima mannitio super noctes VII. secunda super XIV. tertia super XXI. quarta super XLII. Similiter et de beneficio hominis, si forte res proprias non habuerit, mittatur in bannum usque dum Rex interrogetur. *Ibid. c. 45.*

De eo qui filios non habuerit, & in eorum loco alium sibi heredem facere voluerit.

CCXII. Qui filios non habuerit, et alium quemlibet heredem sibi facere voluerit, coram Rege vel coram Comite et Scabinis vel Missis dominicis, qui ab eo ad justitias faciendas (2) in provincia fuerint ordinati, traditionem faciat. *Capit. IV. a. 803. c. 48.*

De denarialibus, qualiter possint hereditare.

CCXIII. Homo (3) denarialis (4) non antea hereditare in suam agnationem poterit quam usque ad tertiam generationem (5) perveniat. Homo chartularius (6) similiter faciat. *Ibid. c. 57. 64.*

Ut

---

(1) *Placuit ut fideles.*) Vide infra Addit. II. cap. 12.

(2) *Ad justitias faciendas.*) Præceptum Ludovici Pii pro Ecclesia Placentina: *Quam rem jussimus Missis nostris Adallabo venerabili Episcopo & Artmano Comiti, quos ad justitias faciendas in Italiam misimus, diligenti inquisitione investigare.*

(3) *Homo denarialis.*) *Id est, denariis intercedentibus manumissus*, ut ait glossa interlinearis in uno codice regio legis Longobardorum, in quo reperitur quoque hæc vetus nota marginalis: *Denarialis dicitur qui cum denario manumittebatur. Nam, ut dicunt quidam, qui liber efficiebatur, ante Regem habebat in manu denarium, quem Rex percutiebat, & in vultum denarium projiciebat.* De præcepto denariali vide Marculfum lib. 1. cap. 22. & de charta denariali in appendice ejusdem Marculfi cap. 24.

(4) *Homo denarialis.*) *Id est*, ut ait alia glossa vetus, *servus qui manumittitur ante Imperatorem tenentem denarium in manu sua supra caput servi, & ita manu percussa projectum facit, & ita servus manumissus impan. & denarialis dicitur. Huic liberi sui succedere possunt. Ipse vero suis parentibus non potest, nisi existentibus in tertio gradu.*

(5) *Tertiam generationem.*) *Usque ad nepotem vel neptem*, ut ait glossa interlinearis in uno codice regio.

(6) *Homo chartularius.*) Id est, per chartam manumissus, sive per chartam ingenuitatis, cujus formula extat apud Marculfum,

Ut omne sacramentum in Ecclesia juretur.

CCXIV. Omne sacramentum in Ecclesia et super reliquias juretur. Et quod in Ecclesia jurandum est, vel cum sex electis, vel si duodecim esse debent, quales potuerit invenire. *Si illum Deus adjuvet, & illi sancti quorum istæ reliquiæ sunt, ut veritatem dicat.* Si res (1) intertiata (2) furto ablata fuerit, liceat ei super quem res intertiata fuerit sacramento se excusare de furto, quod nec suæ voluntatis aut conscientiæ fuisset quod ablatum est, et aliud tantum sine damno restituatur (3). *Ibid. cap.* 57. 72.

Ut vitia quæ remanserunt ex ritu gentilium fideles caveant.

CCXV. Placuit ut fideles caveant vitia quæ ex ritu gentilium remanserunt, id est, magi, arioli, sortilegi, venefici, divini, incantatores, somniatorum conjectores, quos divina lex inretractabiliter puniri jubet. Et ne eos inter se sinant esse, providendum illis est.

De Ecclesiis restaurandis.

CCXVI. De Ecclesiis emendandis, et ubi in uno loco plures sunt quam opus sit, ut destruantur quæ necessariæ non sunt, et aliæ construantur. *Capit. III. a.* 803. *c.* 1.

Ne Presbyteri priusquam examinentur ordinentur.

CCXVII. Ut Presbyteri non ordinentur priusquam examinentur. Et ut excommunicatio subito et sine caussa non fiat. *Vide supra lib.* 1. *c.* 136.

Ut dominici Missi Scabinos, Advocatos, & Notarios eligant.

CCXVIII. Ut Missi nostri Scabinos, Advocatos, et Notarios per singula loca eligant, et eorum nomina, quando reversi fuerint, secum scripta deferant. *Vide supra lib.* 3. *c.* 33.

De his qui legem servare contemnunt.

CCXIX. De his qui legem servare contemnunt, ut per fidejussores in præsentiam Regis deducantur. *Ibid. c.* 34.

Ut fideles se a vitiis abstineant quæ quasi naturaliter in usu habentur.

CCXX. Placuit ut fideles a vitiis detestandis, quæ habentur quasi naturaliter in usu, se abstineant, quæ Apostolus aperte enumerat, id est, ebrietates, comessationes, contentiones, iræ, rixæ, dissensiones, detractiones, invidiæ, inimicitiæ; de quibus Apostolus ait: *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et alibi: *Non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus.* Et de illis dici potest: *Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis.*

De his qui heribannum solvere debent.

CCXXI. Ut illi qui heribannum solvere debent, conjectum faciant heribannatoribus, et nullum aliud obsequium Comitibus vel Vicariis faciant. *Ibid. c.* 35. *& lib.* 5. *c.* 283.

De fugitivis & peregrinis, ut distringantur.

CCXXII. De fugitivis ac peregrinis ut distringantur, ut scire possimus qui sint aut unde venerint. *App. II. c.* 4.

De armillis & bruniis negotiatoribus non dandis.

CCXXIII. Ut armillæ et bruniæ non dentur negotiatoribus. *Ibid. c.* 5.

Ut mensuræ æquales fiant.

CCXXIV. De mensuris, ut secundum jussionem nostram æquales fiant. *Ibid. c.* 6.

Ut Christiani ab otioso sermone se caveant vel ceteris vitiis.

CCXXV. Placuit ut fideles de otioso sermone, pro quo in die judicii secundum Domini sententiam rationes omnes reddituri sumus, et de scurrilitate et stultiloquio et maledictionibus, quoniam, juxta Apostolum, maledicentes regnum Dei non possidebunt, et de mendacio noxio, sive de periculoso assiduoque juramento, et obscœnis turpibusque canticis, ab his omnibus cuncti Christiani se fortiter cavere debent; ne his studentes per neglegentiam detrimentum suarum patiantur animarum.

Ut

(1) *Si res intertiata.*) Vetus nota marginalis in uno codice legis Longobardorum: *Hac in lege notantur duæ sententiæ, id est, si res intertiata postea fuerit furto ablata, poterit vel jurare vel absolvi, vel si non juret, extimationem rei præstare. Vel aliter. Si res furata fuerit intertiata, jurejurando se excuset de furto, & rem restitui, & sine damno.* Alia glossa sic habet: *Hic duæ possunt dici sententiæ. Veluti si res intertiata post fuerit ablata furto, poterit vel jurare & absolvi, vel restituere æstimationem rei sine sacramento. Vel alias, si res furata postea fuerit intertiata, juret ut sine damno restituat.*

(2) *Intertiata.*) Idem codex regius: *Intertiata dicit propter sollempnitatem Salicorum, qui tribus testibus adhibitis pergebant ad eum qui res possidebat quas dicebat furto ablatas, & interdicebat ei ut non alienaret, sed ad judicium veniret. Sed idem esset & sine testibus.*

(3) *Restituatur.*) Sequitur postea in lege Longobardorum: *Si actor venerit, & rem intertiatam &c.* ut supra lib. 3. cap. 46. In hoc loco vero sic annotatum est in uno codice regio: *Si actor datus fuerit ab illo super quem res intertiata fuerit, & ipse auctor rem intertiatam recipere noluerit in auctoritate sua & dixerit se illi rem illam non tradidisse vel vendidisse cui intertiata fuerit & nullo modo se auctorem illius rei esse, tunc debet contendere cum ille causæ auctorem negat campo vel cruce. Sed cruce non, propter capitulum Lotharii sancitum est.*

Ut super vestituram Pippini Regis testimonia non mittantur.

CCXXVI. Ut non mittantur testimonia super vestituram Domni Pippini Regis. *Ib. cap.* 7.

Ut nec colonus nec fiscalinus traditiones faciat.

CCXXVII. Ut nec colonus nec fiscalinus possit alicubi traditiones facere. *Vide supra lib.* 3. *c.* 36.

Ne præsumat hominem aliquis sine caussa ad judicium mittere.

CCXXVIII. Ut nullus præsumat hominem ad judicium mittere sine caussa, nisi judicatum fiat. *Ibid. c.* 37.

Si liber homo in monasterio regulari comam deposuerit.

CCXXIX. Si liber homo in monasterio regulari comam deposuerit, & res suas ibidem delegaverit, promissionem factam secundum regulam firmiter teneat. *Vide supra lib.* 1. *c.* 137.

De conjugio, quod a Deo sit constitutum, & quod non caussa luxuriæ, sed caussa potius appetendum sit filiorum.

CCXXX. Placuit ut fideles sciant conjugium a Deo esse constitutum, & quod non sit caussa luxuriæ sed caussa potius filiorum adpetendum. Et ut virginitas usque ad nuptias fideliter servetur. Et uxores habentes neque pellicem neque concubinam habere debeant. Quomodo etiam in castitate uxores suas diligere, eisque, utpote vasi infirmiori, honorem debitum impendere. Et quod commixtio carnalis cum uxoribus gratia fieri debeat prolis, non voluptatis. *Vide infra cap.* 240.

Ut omnia quæ vuadiari debent, secundum legem reuvadientur.

CCXXXI. Ut omnia quæ vuadiari debent, juxta quod in lege continetur, pleniter secundum ipsam legem reuvadiata fiant. Et inpostmodum vel Domnus Rex, vel ille cujus caussa est, juxta quod ei placet, misericordiam faciat. *App. II. c.* 8.

Ut nullus ebrius caussam suam possit in mallo conquirere.

CCXXXII. Ut nullus ebrius suam caussam in mallo possit conquirere, nec testimonium dicere. Nec placitum Comes habeat nisi jejunus. *Vide supra lib.* 3. *c.* 38.

De nullo ad bibendum cogendo.

CCXXXIII. Ut neminem liceat alium cogere ad bibendum. *Vide supra lib.* 1. *c.* 138.

De Missis dominicis discurrentibus.

CCXXXIV. De Missis nostris discurrentibus vel ceteris hominibus in utilitate nostra iter agentibus præcipimus ut nullus mansionem contradicere præsumat nec herbam, excepto suo prato. *Supra lib.* 3. *c.* 39.

Ut a coitu prægnantium fideles se abstineant.

CCXXXV. Placuit ut fideles (1) se abstineant a coitu prægnantium uxorum, nec non menstruo tempore. Et ut caussa fornicationis (2) non sit uxor secundum Domini sententiam dimittenda, sed potius sustinenda. Et quod hi qui caussa fornicationis dimissis uxoribus suis, alias ducunt, Domini sententia adulteri esse notantur.

De canibus qui in dextro armo tonsi sunt.

CCXXXVI. De canibus qui in dextro armo tonsi sunt, ut homo qui eum habuerit, cum ipso cane in præsentiam Regis veniat. *Capit. III. a.* 803. *c.* 18.

De capitulis quæ in lege noviter addita sunt.

CCXXXVII. Ut populus interrogetur de capitulis quæ in legem noviter addita sunt. Et postquam omnes consenserint, scriptiones & manufirmationes (3) suas in ipsis capitulis faciant. *Ibid. c.* 19.

Ut nullus ad placitum banniatur præter Scabinos septem & qui caussam quærere debent.

CCXXXVIII. Ut nullus ad placitum banniatur nisi qui caussam quærere vult, aut se ab alio quæri scit; exceptis Scabinis septem, qui ad omnia placita esse debent. *Vide supra lib.* 3. *c.* 40.

De falsis testibus non recipiendis.

CCXXXIX. Ut falsi testes minime recipiantur. *Ibid. c.* 41.

Qualiter fidelibus Christianis incesta cavenda sint.

CCXL. Placuit ut fideles agnoscant qualiter incesta Christianis cavenda sint, & quod loca

(1) *Placuit ut fideles.*] Caput istud sumptum est ex Concilio VI. Parisiensi lib. 3. cap. 2. cujus verba referuntur in Addit. II. cap. 23.

(2) *Et ut caussa fornicationis.*) In Concilio ipso legitur; *Et quod nisi causa fornicationis, ut Dominus ait, non sit uxor dimittenda.* Quo etiam modo habetur in capite Additionis II. mox laudato. Recte itaque monuit vir doctissimus Joannes Baptista Cotelerius in Notis ad Pastorem pag. 55. restituendam huic loco esse voculam *nisi*.

(3) *Manufirmationes.*) Adnotatio vetus in calce secundi Capitularis anni DCCCIII *Etiam omnes Scabinei, Episcopi, Abbates, Comites, manu propria subterfignaverunt.* In Concilio Carthaginensi I. cap. 12. Antigonus Episcopus Madurensis dixit: *Manuscriptiones nostræ tenentur.*

loca Deo dicata frequentius devotiusque ad Deum exorandum sibique propitium faciendum sæpius quam hactenus fecissent frequententent, & quod in basilicis Deo dicatis non sit fabulis otiosis turpibusque & obscœnis sermocinationibus vacandum, & negotia secularia publicaque placita habenda, & quod hi qui hæc in Ecclesiis faciunt, majora sibi peccata accumulent. *Supra c.* 230. *huj. libri & infra Add. II. c.* 23.

De non jurando per vitam Regis.

CCXLI. Ut nullus præsumat per vitam Regis & filiorum ejus jurare. *Vide supra lib.* 3. *cap.* 42.

Ut Missi non solum de adnuntiatione sed etiam de opere breves afferant.

CCXLII. Ut Missi nostri, qui jam breves detulerant de adnuntiatione, adhuc adducant & de opere. *App. II. c.* 9.

Ut nullus præsumat teloneum, rodaticum, & pulveraticum recipere.

CCXLIII. Ut nullus homo præsumat teloneum per vias, nec per villas rodaticum, nec pulveraticum recipere.

Ut fideles justa judicia judicent.

CCXLIV. Placuit ut fideles justa judicia judicent, & munera pro hoc non accipiant, & ut falsum testimonium vitent, & a detractione se abstineant, nec non a ceteris malis quæ longum est dinumerare.

Ut Ecclesiæ earum justitiam obtineant.

CCXLV. In primis omnium jubendum est ut habeant Ecclesiæ earum justitias & in vita illorum qui habitant in ipsis Ecclesiis & post, tam in pecuniis quam & in substantiis earum. *Capit. IV. a.* 806. *c.* 1.

Ut potestatem Episcopi omnes intelligant, & instruantur qualiter sive secundum canonicam sive secundum monasticam regulam eis vivendum sit.

CCXLVI. Ut omnes Episcopi potestatem intellegant, & instruantur ut vel secundum canonicam vel secundum monasticam regulam regantur eorum ministerio, tam in monasteriis virorum quam & in puellarum, & in forensibus Presbyteris (1), seu reliquo populo Dei. *Ibid. c.* 2.

De viduis & orphanis & minus potentibus.

CCXLVII. Ut viduæ, orphani, & minus potentes sub Dei defensione & nostro mundeburde pacem habeant & eorum justitias adquirant. *Ibid. c.* 3.

De non parvipendenda excommunicatione sacerdotum.

CCXLVIII. Placuit ut fideles non parvipendant excommunicationem sacerdotum illorum: quoniam si hoc fecerint, juste segregabuntur a cœtu Christianorum.

De Episcopis & Comitibus, ut sibi consensum invicem præbeant.

CCXLIX. Ut Episcopi cum Comitibus stent, & Comites cum Episcopis, ut uterque pleniter suum ministerium peragere possit. *Ibid. c.* 4.

Ut latrones vel homicidæ sive adulteri sub magna correctione constringantur.

CCL. Ut latrones, vel homicidæ, seu adulteri, vel incestuosi sub magna districtione & correctione sint correpti secundum evvam Bavuariorum vel legem. *Ibid. c.* 5. *& supra lib.* 5. *c.* 241.

De rebus invasis.

CCLI. De rebus proprisis, ut ante Missos & Comites & judices nostros veniant ii qui hoc egerunt, & ibi accipiant finitivam sententiam, ita ut inantea nullus præsumat alterius res proprindere; sed magis suam caussam quærant ante judices nostros, ut diximus, & ibi recipiant quod justum est. *Capit. IV. a.* 806. *c.* 6. *& supra lib.* 5. *c.* 242.

De superbia, propter quam diabolus corruit.

CCLII. Placuit ut fideles de superbia instruantur, per quam angelus, factus diabolus, de cœlo ejectus est. *Vide supra lib.* 5, *cap.* 317.

De eo cui non recte judicatur.

CCLIII. Ut si aliquis voluerit dicere quod juste ei non judicetur, tunc in præsentiam nostram veniat. Aliter vero non præsumat in præsentiam nostram venire pro alterius justitia dilatanda. *Capit. IV. a.* 806. *c.* 7.

De invidia, per quam diabolus hominem ejecit de paradiso.

CCLIV. Placuit ut fideles admoneantur de invidia, per quam diabolus hominem de paradiso ejecit. *Supra lib.* 5. *c.* 317.

De odio & discordia.

CCLV. Placuit ut fideles admoneantur de odio & discordia, quæ caritatem inter proximos extinguunt, et dilectionem evacuant, & omnia bona pervertunt, et non sinunt proximos in mutua dilectione consistere. *Ib.*

Ca-

(1) *Forensibus Presbyteris.*) Vide illustrissimi viri Francisci Bosqueti Monspeliensis Episcopi Notas ad Innocentium III. pag. 139.

Capitularium dominicum datum anno incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCVI. ad Teodonis villam, & anno imperii Domni Karoli VI.

CCLVI. I. Ut lectiones in Ecclesia distincte legantur. II. De cantu, ut secundum ordinem et morem Romanæ Ecclesiæ fiat cantatus. III. De Notariis, ut unusquisque Episcopus et Abba et singuli Comites suum Notarium habeant. IV. De ceteris disciplinis Ecclesiæ, ut secundum canones vel regulam fiant. V. De medicinali arte, ut infantes hanc discere mittantur. VI. De Ecclesiis sine honore manentibus absque officiis & luminaribus, et de his qui decimas sumunt et de Ecclesiis non curant, ut hoc omnimodis emendetur; et de altaribus, ut non superflua sint in Ecclesiis. *Capitul. I. a.* 805. *cap.* 1. *& seqq.*

De laicis qui noviter sunt conversi.

CCLVII. De laicis noviter conversis, ne antequam suam legem pleniter vivendo discant, ad alia negotia mittantur. *Ibid. c.* 10. *& supra lib.* 5. *cap.* 244.

Ut scribæ falso non scribant.

CCLVIII. De scribis ut non vitiose scribant. *Idem Capitul. c.* 3. *& supra lib.* 1. *c.* 105.

Ut compotum discatur.

CCLIX. De compoto, veraciter discant omnes. *Idem Capitul. c.* 5.

De derelinquentibus seculum propter servitium Dei.

CCLX. De his qui seculum relinquunt propter servitium impediendum, et tunc neutrum faciunt, ut unum e duobus eligant, aut pleniter secundum canonicam aut secundum regulæ institutionem vivant, aut servitium dominicum faciant. *Supra lib.* 5. *c.* 245.

Ut servi proprii non tondantur vel ancillæ non velentur nisi ad mensuram.

CCLXI. De servis propriis vel ancillis, ut non amplius tondantur vel velentur nisi secundum mensuram. Et ut ibi satisfiat. Et villæ non sint desolatæ. *Supra lib.* 1. *c.* 106.

Ut superfluæ congregationes nullatenus fiant.

CCLXII. De congregationibus superfluis, ut nullatenus fiant; sed tantos congreget unusquisque quantis consilium dare potest. *Ibid. c.* 107.

De his qui secundum regulam non pulsantur.

CCLXIII. De his qui non fiunt secundum regulam pulsati, ut deinceps emendetur. *Ib. c.* 108.

Ut infantulæ non velentur.

CCLXIV. Ut infantulæ parvæ ætatis puellæ non velentur antequam illæ eligere sciant quid velint, salva canonica auctoritate. *Ib. c.* 109.

De laicis ut non sint præpositi monachorum.

CCLXV. Ut laici non sint præpositi monachorum infra monasterium, nec Archidiaconi sint laici. *Ibid. c.* 110.

Ut incestuosi canonice examinentur.

CCLXVI. De incestuosis, ut canonice examinentur, nec propter alicujus amicitiam quidam relaxentur, quidam constringantur. *Ib. c.* 111.

De his qui per aliquod scelus rebelles fiunt.

CCLXVII. Ut paci omnes studeant; et qui pro aliquo scelere sibi rebelles sunt, constringantur. *Supra lib.* 3. *c.* 1.

De justitiis Ecclesiarum Dei, orphanorum, pupillorum, ac viduarum.

CCLXVIII. Justitiæ Ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum, et pupillorum, et in publicis judiciis non despiciantur clamantes, sed diligenter audiantur. *Ibid. c.* 2.

De justitiis regalibus.

CCLXIX. Ut justitiæ regales pleniter inquisitæ fiant. *Ibid. c.* 3.

De fame vel ceteris tribulationibus.

CCLXX. Si venerit fames, clades, aut inæqualitas aeris, vel qualiscunque tribulatio, non expectetur edictum dominicum, sed statim deprecetur Dei misericordia. Et in præsenti anno de famis inopia, ut unusquisque adjuvet prout potest, et nemo suam annonam nimis care vendat; et ne foris imperium nostrum vendatur aliquod alimonium. *Supra lib. I. c.* 112. *& lib.* 5. *c.* 246.

Ut arma infra patriam non portentur.

CCLXXI. De armis infra patriam non portandis, id est, scutis, et lanceis, vel loricis. Si faidosus quis sit, discutiatur tunc quis e duobus contrarius sit; et ut pacati sint, constringantur ad pacem, etiamsi noluerint. Et si aliter pacificare nolunt, adducantur in nostram præsentiam. Et si aliquis post pacificationem alterum occiderit, componat illum, et manum quam perjuraverit absque ulla redemptione perdat, et insuper bannum dominicum solvat. Et ut servi lanceas (1) non portent. Qui inventus fuerit post bannum, hasta frangatur in dorso ejus. Su-

(1) *Et ut servi lanceas.*) Tota hæc clausula deest in libro 3. Illam omiserunt Tilius & Pithœus, brevitati consulentes, id est, magnam partem capitulorum a Benedicto Levita collectorum supprimentes, quia edita jam erant suis locis in præcedentibus libris.

Supra lib. 3. c. 4. & lib. 5. c. 247.

Ut omnis homo de duodecim mansis bruniam habeat.

CCLXXII. De armatura in exercitu, sicut antea in alio capitulari mandavimus, ita servetur. Et insuper omnis homo de duodecim mansis bruniam habeat. Qui vero bruniam habens, eam secum non duxerit, omne beneficium cum brunia perdat. *Supra lib. 5. c. 248.*

De negotiatoribus qui partes Sclavorum vel aliarum gentium petierint.

CCLXXIII. De negotiatoribus qui partes Sclavorum et Avarorum pergunt, quousque procedere debeant, id est, partibus Saxoniæ usque ad Bardenuwic, ubi prævideat Herti, et ad Ceslic, ubi Madelgaudus prævideat, et ad Magadeburc prævideat Atto, ad Hersesfur prævideat Madalgaudus, et ad Alagastat, similiter ad Forachem et ad Brehembret. et ad Ragenesburc prævideat Otulfus, ad Lauariocam Warnarius, ut arma et brunias non ducant ad vendendum. Quod si inventi fuerint portantes, omnem substantiam eorum auferant ab eis; dimidia quidem pars partibus palatii; alia vero medietas inter jamdictos Missos et inventores dividatur. *Supra lib. 3. c. 6.*

Ut causedici qui adquiescere noluerint recludantur.

CCLXXIV. De clamatoribus vel causedicis qui nec judicium Scabinorum adquiescere nec blasphemare volunt, antiqua consuetudo servetur, id est, ut in custodiam recludantur donec unum e duobus faciant. Et si ad palatium pro hac re reclamaverint, et litteras detulerint, non quidem eis credatur, nec tunc tamen in carcerem mittantur, sed cum custodia et cum ipsis litteris eos ad palatium nostrum remittant, et ibi discutiantur sicut dignum est. *Ibid. c. 7. & lib. 5. c. 249.*

De juramento, ut nulli alteri nisi propria seniori juramenti fidelitas promittatur.

CCLXXV. De juramento, ut nulli alteri per sacramentum fidelitas promittatur nisi nobis et unicuique proprio seniori ad utilitatem nostram et sui senioris; excepto his sacramentis quæ juste secundum legem alteri ab altero debentur. Et infantes, qui antea non potuerunt propter juvenilem ætatem jurare, modo fidelitatem promittant. *Supra III. 8. & V. 250.*

De his qui conspirationem fecerint, ut tripliciter judicentur.

CCLXXVI. Conspirationes quicunque facere præsumpserint, et sacramento quocunque conspirationem firmaverint, triplici ratione judicentur. Primo, ut ubicunque aliquod malum propter hoc perpetratum fuerit, auctores facti interficiantur; adjutores vero eorum, singuli alter ab altero flagellentur, et nares sibi invicem præcidant. Ubi vero nihil mali perpetratum est, similiter quidem inter se flagellentur, et capillos sibi invicem detundant. Si vero per dexteras aliqua conspiratio firmata fuerit, si liberi sunt, aut jurent cum idoneis juratoribus quod hoc pro malo non fecissent; aut si hoc facere non potuerint, secundum legem suam componant. Si vero servi sunt, flagellentur; ut de cetero in regno nostro nulla hujuscemodi conspiratio per sacramentum neque sine sacramento fiat. *Supra III. 9. & V. 251.*

De perjuriis, ut caveantur.

CCLXXVII. Præcipimus ut perjuria caveantur, nec admittantur testes ad juramentum antequam discutiantur. Et si aliter discuti non possunt, separantur ab invicem, et singulariter inquirantur. Et non licet accusatores testes eligere, absente suo caussatore. Et omnino nullus nisi jejunus ad juramentum vel ad testimonium admittatur. Et ille qui ad testimonium adducitur si refutatur, dicat ille qui eum refutat et probet quare illum recipere nolit. Et de ipso pago, non de altero, testes eligantur; nisi forte longius extra comitatum caussa sit inquirenda. Et si quis convictus fuerit perjurii, perdat manum aut redimat. *III. 10. V. 252.*

Ut Vicedomini, Advocati & Centenarii pravi auferantur.

CCLXXVIII. De Advocatis, Vicedominis, Vicariis, Centenariis pravis, ut tollantur, et tales eligantur qui et sciant et velint juste caussam discernere et terminare. Et quisquis pravus inventus fuerit, nobis pro certo nuntietur. *III. 11. V. 253.*

Ut antiqua telonea & justa exigantur a negotiatoribus, nova vero & injusta repellantur.

CCLXXIX. Placet nobis ita, ut antiqua et justa telonea a negotiatoribus exigantur, tam de pontibus, quam et de navigiis, seu mercatis. Nova vero sive injusta, ubi vel funes tenduntur, vel cum navibus sub pontibus transitur, seu his similia in quibus nullum adjutorium iterantibus præstatur, ut non exigantur. Similiter etiam nec de his qui sine negotiandi caussa (1) substantiam suam de una domo sua ad aliam, aut ad palatium, aut in exercitum ducunt. Si quid vero fuerit (2) unde dubitetur, ad placitum no-

(1) *Sine negotiandi caussa.*) Interdum etiam his immunitatem a solutione telonei & tributorum concedebant Principes, qui negotiandi gratia cum curribus, equis, vel navibus huc illucque discurrebant. Extat enim præceptum Caroli Calvi pro monasterio Fossatensi, in quo hæc immunitas continetur.

(2) *Si quid vero fuerit.*) Tota hæc clausula deest in libro tertio; & omissa quoque est a Tilio & Pithœo, nisi quod eam inter uncos reposuerunt post finem capituli duodecimi.

nostrum, quod cum Missis nostris habituri sumus, interrogetur. *III.* 12. *V.* 254.

De fugitivis Clericis & laicis illud servandum est quod in capitulari dominico continetur.

CCLXXX. De fugitivis clericis sive laicis vel etiam feminis, sicut jam in alio Capitulari nostro præcepimus, ita servetur. *Supra lib. I. c.* 113.

De his qui ad Dei servitium volunt accedere, ut absque licentia regali id agant qui liberi existunt.

CCLXXXI. Liberi homines qui ad servitium Dei se tradere volunt præcipimus ut prius hoc non faciant quam a nobis licentiam postulent. Nam quia audivimus aliquos ex illis non tam caussa devotionis quam exercitum sive aliam functionem regalem fugiendo, quosdam vero cupiditatis caussa ab his qui res illorum concupiscunt circumventos audivimus, & hoc ideo fieri prohibemus. *I.* 114. *V.* 255.

Ut potentiores pauperes non opprimant.

CCLXXXII. De oppressione pauperum liberorum hominum, ut non fiant a potentioribus per aliquod malum ingenium contra justitiam oppressi, ita ut coacti res eorum vendant aut tradant. Ideo hæc de liberis hominibus dicimus, ne forte parentes contra justitiam fiant exhereditati, & regale obsequium minuatur, & ipsi heredes propter indigentiam mendici vel latrones seu malefactores efficiantur. Et ut sæpius non fiant manniti ad placitum, nisi sicut in alio capitulari præcepimus. *I.* 115. *V.* 256.

Ut Ecclesiæ noviter inventæ sine Episcopi probatione non venerentur.

CCLXXXIII. De Ecclesiis seu sanctis noviter sine auctoritate inventis, nisi Episcopo probante minime venerentur. Salva etiam de hoc & de omnibus Ecclesiis canonica auctoritate. *App. I.* 10. *Supra V.* 257.

De falsis monetis quæ contra justitiam fiunt.

CCLXXXIV. De falsis monetis, quia in multis locis contra justitiam & contra edictum fiunt, volumus ut in nullo alio loco moneta sit nisi in palatio nostro; nisi forte iterum aliter a nobis fuerit ordinatum. Illi tamen denarii qui modo monedati sunt, si pensantes & meri fuerint, habeantur. *Supra III.* 13.

Ut heribannus dominicus fideliter exigatur.

CCLXXXV. De heribanno volumus ut Missi nostri hoc fideliter exigant absque ullius personæ gratia blanditiæ seu terrore secundum jussionem nostram, id est, de homine habente libras sex in auro, in argento, bruniis, æramento, pannis integris, caballis, ovibus, vaccis, vel alio peculio, ita ut uxores eorum vel infantes non fiant dispoliati pro hac re, de vestimentis eorum accipiant legitimum heribannum, id est, libras tres. Qui vero non habuerit amplius in suprascripto pretio valente nisi libras tres, solidi triginta ab eo exigantur. Qui autem non habuerit amplius nisi duas libras, decem solidos exsolvat. Si vero nisi unam libram habuerit, solidos quinque, ita ut iterum se valeat reparare ad Dei servitium & nostram utilitatem. Et Missi nostri caveant ut diligenter inquirant ne per aliquod malum ingenium nostram subtrahant justitiam, alteri tradendo aut commendando. *Supra III.* 14. *V.* 258.

Ut census regalis inde solvatur unde olim exigebatur legitime.

CCLXXXVI. Census regalis undecunque olim legitime exigebatur, volumus ut inde solvatur, sive de propria persona hominis, sive de rebus. *Supra III.* 15.

Quid de latronibus agendum sit.

CCLXXXVII. De latronibus sicut jam ante in alio capitulari commendavimus, ita maneat. *App. II.* 1.

Quid de illis qui uxores habent fiscalinas sit agendum.

CCLXXXVIII. De liberis hominibus qui uxores de fiscis regalibus habent, & de feminis quæ liberæ sunt, & homines similiter fiscalinos regios habent aut accipiunt, ut nec de hereditate parentum, vel de caussa sua quærenda, nec de testimonio pro hac re abjiciantur; sed talis nobis in hac caussa honor servetur qualis & antecessoribus nostris Regibus vel Imperatoribus servatus esse cognoscitur. *Supra III.* 16. *V.* 259.

De libris canonicis, ut veraciter habeantur.

CCLXXXIX. Volumus, & ita Missis nostris mandare præcipimus, ut in Ecclesiis libri canonici veraces (1) habeantur, sicut jam in alio Capitulari sæpius mandavimus.

De laicis, ut orationem dominicam memoriter discant.

CCXC. Ut laici symbolum & orationem dominicam pleniter discant. Comites quoque & Centenarii, nobiles viri, legem suam pleniter discant, sicut in alio loco decretum est. Præcipimus autem Missis nostris ut ea quæ multis jam annis per capitula nostra in toto regno nostro mandavimus agere, discere, observare, vel in consuetudinem habere, ut hæc omnia nunc diligenter inquirant, & omnino ad servitium Dei & ad utilitatem no-

(1) *Libri canonici veraces.*) Vide supra lib. 1. cap. 20. 68. 73.

nostram vel ad omnium Christianorum hominum profectum innovare studeant, & quantum Domino donante prævalent ad perfectum usque perducant, & nobis omnino renuntient quis inde certamen bonum hoc adimplere habuisset, ut a Deo & a nobis gratiam habeat. Qui autem neglegens inde fuerit, ut talem disciplinam percipiat qualem talis sit contemptor recipere dignus, ita ut ceteri metum habeant amplius. *Supra V. 260.*

Capitula quæ ad legem Salicam mittenda sunt. De occisione Diaconorum vel aliis caussis.

CCXCI. Qui Subdiaconum occiderit, trecentos solidos componat; qui Diaconum, quadringentos solidos componat; qui Presbyterum, sexcentos; qui Episcopum, nongentos; qui monachum, quadringentis solidis culpabilis judicetur. Si quis in immunitate damnum aliquod fecerit, sexcentos solidos componat. Si autem homo furtum aut homicidium fecerit, aut quodlibet crimen foris committens infra immunitatem fugerit, mandet Comes vel Episcopo vel Abbati vel Vicedomino vel illi qui locum Episcopi vel Abbatis tenuerit ut reddat ei reum. Si ille contradixerit, & eum reddere noluerit, in prima contradictione quindecim solidos componat. Si ad secundam inquisitionem eum reddere noluerit, triginta solidos componat. Si nec ad tertiam consentire voluerit, quicquid reus damni fecerit, totum ille qui eum infra immunitatem retinet, nec reddere vult, solvere cogatur. Et ipse Comes veniens licentiam habeat ipsum hominem infra immunitatem quærendi, ubicunque eum invenire potuerit. Si autem in prima inquisitione Comiti responsum fuerit, quod reus infra immunitatem quidem fuisset, sed fuga lapsus fuerit, statim juret quod ipse ad justitiam cujuslibet disfaciendam fugere eum non fecisset, & sit ei in hoc satisfactum. Si autem intranti in ipsam immunitatem Comiti collecta manu quislibet resistere tentaverit, Comes hoc ad Regem vel ad Principem deferat, ut ibidem judicetur. Et sicut ille qui in immunitate damnum fecit sexcentos solidos componere debet, ita qui Comiti collecta manu resistere præsumit sexcentis solidis culpabilis judicetur. *III. 25. sq. V. 261.*

Capitula quæ Domnus Karolus Imperator constituit.

CCXCII. Ut nullus ad placitum arma infra patriam portet. *Supra III. 22.*

De latronibus.

CCXCIII. Quicunque post illam Missam sancti Johannis præteriti anni cuidam latroni mansionem dederit, si Francus est, cum duodecim similibus Francis juret quod latronem eum fuisse non scisset, licet pater ejus sit aut frater vel aliquis propinquus. Si hoc jurare non potuerit, & ab alio convictus fuerit quod latronem in hospitio suscepisset, quasi latro sit, quia infidelis est nostri & Francorum; & qui illum suscepit, similis est illi. Si autem audivit quod latro fuisset, & tamen non scit firmiter, juret solus quod nunquam eum audisset nec per veritatem nec per mendacium latronem; aut sit paratus, si ille postea de latrocinio convincitur, ut similiter damnetur. *III. 23. V. 206.*

Ne aliquis de ignoto homine equum, bovem vel aliud animal emat.

CCXCIV. Ut nullus comparet (1) caballum, bovem, aut jumentum, vel aliud animal, nisi illum hominem cognoscat qui eum vendidit, & de quo pago est, & ubi manet, & quis est ejus senior. *Supra III. 24.*

De illis hominibus qui propter eorum culpas ad mortem dijudicati fuerint, & postea eis fuerit vita concessa, quod si justitiam ab aliis requisierint, aut ab eis justitiam quis quærere voluerit, qualiter inter illos judicium terminetur.

CCXCV. Primo omnium de illis caussis pro quibus judicatus fuerit ad mortem nullam potest facere repetitionem, quia omnes res suæ secundum judicium Francorum in publico fuerunt revocatæ. Et si aliquid in postmodum, postquam ei vita concessa est, cum justitia adquirere potuerit, in sua libertate teneat & defendat secundum legem. In testimonium vero non suscipiatur, nec inter Scabinos legem judicando locum teneat. Et si ad sacramentum aliquid ei judicatum fuerit quod jurare debeat, si aliquis ipsum sacramentum falsum dicere voluerit, cum armis contendat. *Supra III. 47.*

De homine judicio Scabinorum judicato.

CCXCVI. Si alicui post judicium Scabinorum fuerit vita concessa, & ipse postmodum aliqua mala perpetraverit, & justitiam reddere noluerit, dicendo quod mortuus sit & ideo justitiam reddere non debeat, statutum est ut superius judicium sustineat quod antea sustinere debuit. Et si aliquis adversus eum aliquid mali fecerit, secundum æquitatis ordinem licentiam habeat suam justitiam requirendi de caussa perpetrata postquam ad mortem judicatus est. De præteritis vero maneat sicut supra judicatum fuit. *III. 48. V. 287.*

De eo qui latronem forbannitum recipit, sive servus sive liber sit.

CCXCVII. De latrone forbannito, liber homo qui eum susceperit, quindecim solidos per-

(1) *Ut nullus comparet.*) Savaro in Notis ad Sidonium pag. 389. tribuit hanc constitutionem Pippino Regi.

persolvat, servus centum viginti ictus accipiat. *III. 49.*

De Comite qui latronem in forbannum miserit, ut aliis vicinis Comes notum faciat.

CCXCVIII. Ut Comes qui latronem in forbannum miserit, vicinis suis Comitibus notum faciat eundem latronem a se esse forbannitum, ut illi eum non recipiant. *III. 50.*

De his qui terrenis mercimoniis insistunt, ut magis ob supernæ vitæ desiderium quam pro humana ambitione faciant.

CCXCIX. Placuit ut admoneantur (1) omnes fideles qui negotiis ac mercationibus rerum invigilant, ut non plus terrena lucra quam vitam cupiant sempiternam. Nam qui plus de rebus terrenis quam de animæ suæ salute cogitat, valde a via veritatis aberrat, & juxta quendam sapientem in vita sua perdit intima sua. Sequendus est enim in hac parte, sicut & in ceteris, apostolicus sermo, qui ait: *Et ne quis supragrediatur neque circumveniat in negotio fratrem suum. Vindex est enim Deus de his omnibus.* Sicut ab his qui labori agrorum & ceteris laboribus victum atque vestitum & necessaria usibus humanis adquirere inhiantes instant, decimæ & eleemosynæ dandæ sunt, ita his quoque qui pro necessitatibus negotiis insistunt faciendum est. Unicuique homini Deus dedit artem qua pascitur; & unusquisque de arte sua, de qua corporis necessaria vel subsidia habet, animæ quoque, quod magis necessarium est, subsidium administrare debet.

Ut ecclesiasticis audientia minime denegetur provocantibus.

CCC. Placuit ut a quibuscunque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, non eis denegetur qui provocaverint. *Vide infra lib. 7. cap. 121.*

Ut Episcopus quilibet alterius plebem Episcopi vel fines non usurpet.

CCCI. Ut Episcopus alterius Episcopi plebes vel fines non usurpet. *Vide infra c. 400.*

De Cleritis superbis, ut coerceantur.

CCCII. Ut Clerici qui superbi vel contumaces sunt coerceantur; ut minores, qui majoribus inrogaverunt injuriam, metum habeant: quia manifestum est illos non esse Dei qui humilitatem contemnunt, sed diaboli, qui superbiæ inventor et princeps est. Unde si quis tumidus vel contumeliosus extiterit in majorem natu, contemptus debet contumaciæ et superbiæ in omnibus frangi. *Infra VII. 154.*

De his qui statuta patrum violant, si laicus fuerit, communione privetur, si Clericus, honore.

CCCIII. Si quis statuta (2) supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, si laicus est, communione, si Clericus, honore privetur.

De his qui contra suam professionem vel subscriptionem venerint quid agendum sit.

CCCIV. Qui contra professionem vel subscriptionem suam venerit, in Concilio deponatur. *Vide lib. 7. c. 158.*

De Presbytero qui se ab Episcopo suo diviserit.

CCCV. Si quis Presbyter contra Episcopum suum inflatus schisma fecerit, anathema sit. Quod si superbia, quod absit, inflatus secernendum se ab Episcopi sui communione duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens sacrificium Deo obtulerit, loco amisso, anathema habeatur. Nihilominus & de civitate & congregatione in qua fuerit longius repellatur; ne vel ignorantes vel simpliciter viventes serpentina fraude decipiat. *Infra VII. 161.*

De Presbyteris qui absque Episcopi sui conscientia agendam celebraverint.

CCCVI. Si quis Presbyter (3) inconsulto Episcopo agendam in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius extitit. *Vide lib. 7. c. 165.*

Ut Episcopus lapsum incurrens, si plures congregare nequiverit, a duodecim audiatur.

CCCVII. Si quis Episcopus, quod non optamus, in reatum aliquem incurrerit, & fuerit nimia necessitas non posse plurimos congre-

(1) *Placuit ut admoneantur.*) Caput istud sumptum est ex Capitulari Theodulfi Episcopi Aurelianensis, cujus nos duo antiquissima exemplaria habuimus ex bibliotheca Sangallensi. In eorum uno tribuitur Theotolfo Episcopo, in alio nullum titulum habet. Sane eo libro utebantur nonnulli Episcopi quasi suo, ut colligi potest ex statutis Hildegarii Episcopi Meldensis; quæ cum descripta sint ad verbum ex illis Theodulfi, tamen in veteri codice Gemblacensi, ut testatur Mabillonius, hunc habent titulum: *Anno dominicæ incarnationis octingentesimo sexagesimo octavo, regni vero gloriosi Regis Karoli vicesimo octavo. Indictione secunda, sub die quintodecimo Kalendarum Novembrium, convocavit Hildegarius Episcopus Concilium sacerdotum suæ diocesis apud Ecclesiam sanctæ Celiniæ in suburbio civitatis sitam, quibus, post multa salutiferæ admonitionis exhortamenta, etiam hæc capitula contulit observanda.* In codice Cantabrigiensi cum nullum titulum haberent, Spelmannus illis istum apposuit: *Capitula incerti auctoris, loci, & temporis, ad Ecclesiæ regimen congesta.* Hinc deceptus vir Clarissimus Gabriel Cossartius, cum non animadverteret hæc capitula non esse diversa a Capitulari Theodulfi quod editum est in tomo septimo Conciliorum, illa rursum edidit in tomo nono pag. 1008. & seqq. ex tomo primo Conciliorum Angliæ.

(2) *Si quis statuta.*) Vide infra Additione quarta cap. 60.

(3) *Si quis Presbyter.*) Vide infra Additione quarta cap. 70. ubi locus Concilii Carthaginensis refertur integer.

gregare, ne in crimine maneat, a duodecim Episcopis audiatur.

Ut Episcopi plebes alienas non usurpent, & ut nemo ex eis collegam suum in diocesi vel alibi supergrediatur.

CCCVIII. Placuit ut a nullo Episcopo usurpentur plebes alienæ, nec aliquis Episcoporum supergrediatur in diocesi collegam suum.

De Episcopo qui ab aliquo impetitur, vel si ipse quæstionem aliquam retulerit, ut per Episcopos judices caussa terminetur.

CCCIX. Si quis Episcopus a quoquam impetitur, vel ille aliquam quæstionem retulerit, per Episcopos judices caussa finiatur, sive quos eis Primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex consensu delegerint. *Infra VII.* 171. 178.

Ut nullus Episcopus alium Episcopum conculcet aut impediat.

CCCX. Ut nullus Episcopus alium conculcet Episcopum, vel supragrediatur, aut aliquod ei incommodum faciat. *Infra VII.* 224.

Ne Presbyteri vel Diaconi sine conscientia Episcoporum suorum aliquid agant.

CCCXI. Ut Presbyteri vel Diaconi sine conscientia Episcoporum suorum nihil agant.

De loco dando peregrino Episcopo in quo sacrificet.

CCCXII. Ut peregrino Episcopo (1) locus sacrificandi detur, atque benigne suscipiatur.

De non condemnando illo cujus caussa diligenter non est examinata.

CCCXIII. Non est justum condemnare eum cujus caussa ad liquidum non est examinata.

De his qui falsa fratribus capitalia objiciunt.

CCCXIV. Eos qui falsa fratribus capitalia objecisse convicti fuerint, placuit eos usque ad exitum non communicare.

De deponendo Sacerdote vel Levita, si crimen aliquod de se confessi fuerint.

CCCXV. Ut Sacerdos vel Levita, si de se crimen aliquod confitetur, deponatur.

De his qui libellos famosos inventi fuerint in Ecclesia posuisse, ut anathematizentur.

CCCXVI. Si qui inventi fuerint libellos famosos in Ecclesia ponere, anathematizentur.

Ut delator communionem nec in fine accipiat, si inventus fuerit quilibet per delationem ejus præscriptus vel interfectus.

CCCXVII. Delator si quis extiterit fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit præscriptus vel interfectus, placuit eum nec in fine accipere communionem. *Vide Addit. IV. c.* 35.

Ne aliquis Episcopus vel inferior gradus dominico die quemquam judicare præsumat.

CCCXVIII. Ut nullus Episcopus vel quis infra positus die dominico caussas judicare præsumat. Ceteris vero diebus, conhibentibus personis, illa quæ justa sunt habeant licentiam judicandi; excepto criminali negotio (2).

De potente, si pauperem expoliaverit, & non reddiderit admonente Episcopo, ut excommunicetur.

CCCXIX. Si quis potentum quemlibet expoliaverit, & admonente Episcopo non reddiderit, excommunicetur. *Vide infra Add. IV. c.* 55.

Ut nullus Clericus ab Episcopo suo recedere præsumat & ad alium transire.

CCCXX. Ut nullus Clericus ab Episcopo suo recedat & ad alium se transferat.

Ut Clerici, qui arma præsumpserint, in monasterium ad agendam pœnitentiam tradantur.

CCCXXI. Ut Clerici qui (3) in quacunque

(1) *Ut peregrino Episcopo.*) Vide infra lib. 7. cap. 189.

(2) *Excepto criminali negotio.*) In Concilio ipso legitur, *exceptis criminalibus causis*. Sed in vetustissimo codice Ecclesiæ Lugdunensis scriptum est, *excepto criminalia negotia*, uti monuimus in Notis ad Gratianum pag. 514. Antiqui dicebant *excepto* per omnes casus. Lib. 5. Capitular. cap. 250. *excepto his sacramentis*; & alibi pluries in Capitularibus. Lib. 3. legis Wisigothorum tit. 5. cap. 1. *exceptis illis personis*; pro quo vetustissimi codices monasterii Moyssiacensis & Ecclesiæ Albiensis habent *excepto illas personas*. In charta monasterii Casauriensis qualiter Hildericus Abbas superavit Johannem Episcopum Pinnensem causantem monasterii libertatem anno MCCCCLXVII. *excepto ipsam cartam de Breliano*. Item in charta sanctæ Trinitatis de lapidaria: *excepto ipsum castellum & ipsa mea donnecalia*. Concilium primum Hispalense cap. 1. *excepto filiis & nepotibus*. Concilium Toletanum quartum cap. 33. in titulo in eodem codice Ecclesiæ Lugdunensis: *excepto tertiam oblationum*. Beda de remediis peccatorum cap. XI. in codice Sancti Galli: *excepto Ecclesia*. Charta Wilelmi de Campo felici in chartulario prioratus de Paredo fol. 59. *excepto unam sextariam quam dedit Sancto Martino*. Statuta antiqua Sancti Petri Corbejensis cap. 2. *excepto provenda sua*. Et infra: *excepto illud ad victum præparandum pertinet*. Charta Roberti Advocati Atrebatensis apud Davidem Lindanum libro 3. de Teneræmonda cap. 3. *excepto servis & hominibus advocatiæ*. Vide Notas ad Reginonem pag. 591.

(3) *Ut Clerici qui.*) Caput istud sumptum est ex Concilio Toletano IV. cap. 45. ut adnotatur infra libro 7. cap. 217. Vide Addit. III. cap. 17.

que seditione arma volentes præsumpserint, reperti, amisso ordinis sui gradu, in monasterio pœnitentiæ contradantur.

Ut nullus Regum hujus canonis censuram in aliquo violari permittat.

CCCXXII. Hujus constitutionis forma servetur, ut exsecrandum anathema fiat, & velut prævaricator catholicæ fidei semper a Domino reus existat, quicunque Regum deinceps canonis hujus censuram in quocunque crediderit aut permiserit violandam.

Ut unusquisque alterius ruinis succurrat, & iram Dei per suam compassionem a se removeat.

CCCXXIII. Occurrere certe miserorum ruinis debet subsidio unusquisque quo valet, & ex revelatione alienæ vindictæ a se Dei removere vindictam. Libat enim Domino prospera qui ab afflictis pellit adversa.

Quod lex quam Rex qui prior fuit instituit, ab illo qui ei successerit pari sententia roborata sit.

CCCXXIV. Legem quam noster edidit Princeps stabili robore firmamus, atque ut futuris temporibus observetur pari sententia definimus.

Ut in metropolitana sede ad synodum agendam omnes Pontifices conferantur.

CCCXXV. Placuit definire ut paternis institutionibus obsequentes, in metropolitana sede, tempore quo omnes provinciales elegerint Pontifices, ad synodum faciendam devotis studiis conferamus. *Infra VII.* 223.

Ut dignitatem amittant omnes qui ad expeditionem exercitus non pergunt, aut de exercitu fugiunt.

CCCXXVI. Placuit ut omnis qui in expeditionem exercitus absque gravi necessitate non progreditur, aut de exercitu fugit, testimonio dignitatis suæ sit inrevocabiliter carens; ita ut in quibusdam villulis vel territoriis sive vicis pestus (1), hujus infamationis habitatores ipsorum locorum sint degeneres, & testificandi vel accusandi nullam habeant licentiam.

Ut Christiani ex propinquitate sui sanguinis connubia non ducant.

CCCXXVII. Ut Christiani ex propinquitate sui sanguinis connubia non ducant, nec sine benedictione sacerdotis nubere audeant. *Supra c.* 130.

Ut non varientur quæ propter utilitatem sunt instituta.

CCCXXVIII. Quæ ad perpetuam utilitatem sunt instituta nulla commutatione varientur, nec ad privatum trahantur commodum quæ ad bonum sunt commune præfixa. Et manentibus terminis quos statuerunt patres, nemo damnet alienum; sed intra fines proprios atque legitimos, prout quis voluerit, in latitudine se caritatis exerceat. *Vide infra lib. 7. c.* 227.

De fide Nicæna servanda. Et ut privilegia Ecclesiarum integra maneant.

CCCXXIX. Ut fides Nicæna servetur, & privilegia Ecclesiarum inlibata permaneant.

Quod contra caput non sit agendum.

CCCXXX. Contra caput etiamsi faciendum est, non libenter admittimus.

De Presbyteris qui contra canones ad comitatum ire voluerint susceptis, qui dominico decreto communione alieni decernuntur.

CCCXXXI. Ex relatione quorundam didicimus qualiter Presbyteri qui contra canones adversum nos ad comitatum, nescio qua audaci temeritate, ire voluerunt, suscepti sunt. Unde has ad vos litteras destinamus; in quibus decreto nostro sancimus memoratos perturbatores a communione esse alienos debere. Et illos qui effrenato huic facto consilio assensum commodare voluerunt, vestræ caritatis est æstimare qualiter habeantur. Quibus objicere debetis quod juxta canones fortiter incurrere, & qualiter Presbyteros non decebat, rebelles existere tentaverunt. Vos autem monemus in speculis esse debere, neque in eorum proruptam audaciam devenire quos anathematizatos scit sancta & apostolica Ecclesia.

De sacerdotum Domini caussis non terminandis priusquam ex utraque parte fideliter audiantur & pariter ac diligenter perscrutentur.

CCCXXXII. Nos, qui sacerdotum Domini matura volumus esse jura, nihil possumus in incognitis rebus in cujusquam partis judicio definire priusquam universa quæ gesta sunt veraciter audiamus. *Vide infra lib.* 7. 233.

Quod Dominus, qui animas hominum salvat, imitatores nos velit suæ esse pietatis.

CCCXXXIII. Dominus, qui venit animas hominum salvare, non perdere, imitatores nos vult esse suæ pietatis, ut peccantes quidem justitia coerceat, conversos autem a misericordia non repellat.

De religionis periculo ab uniuscujusque pietatis conscientia removendo.

CCCXXXIV. Removere, quæsumus, a ve-

(1) *Pestus*.) Hæc est lectio libri Bellovacensis. In Tiliano legitur *pestis*, ut in editionibus. Hoc caput deest in aliis exemplaribus. Cum dubitarem autem utra lectio præferenda esset, prætuli eam quæ Bellovacensis codicis auctoritate juvabatur. Nam vox *pestis* nullum bonum sensum hic facere potest. Videtur autem hic locus esse mutilus.

vestræ pietatis conscientia periculum religionis & fidei. Et quod in secularibus negotiis vestræ æquitati conceditur, in rerum divinarum pertractatione præstate, ut Christi evangelio vim non inferat humana præsumptio.

Ut suarum rerum & omnium Ecclesiarum sint communione contenti quorum caussa adhuc terminanda est.

CCCXXXV. Illud quod ab antecessoribus nostris constitutum est, & nos approbamus, ut suarum rerum omniumque Ecclesiarum communione sint interim contenti quousque a nobis caussa terminetur.

Ut non sinantur incurri quorum caussa incerta est.

CCCXXXVI. Ne cujusquam procaci impudentique versutia, quasi incertum quid sequendum sit, sinatis incurri, cum ab evangelica apostolicaque doctrina nec in uno quidem verbo liceat discedere aut aliter de scripturis divinis habere quam beati Apostoli & patres nostri didicerunt atque docuerunt.

De his qui a sedibus suis fuerunt pulsi, & alii in illorum locum substituti sunt.

CCCXXXVII. Plurimos fratres sedibus suis pulsos & in exilia audivimus deportatos, atque in loco superstitum alios substitutos. His primitus vulneribus adhibeatur medicina justitiæ, ne quisquam ita careat propriis ut alter utatur alienis. Quem errorem omnes relinquant. Nemini quidem perire honor debeat. Sed illis qui pro fide laboraverunt prius cum omni privilegio suo oportet jus proprium reformari.

De his qui non debent redire ad militiam secularem.

CCCXXXVIII. Quod ad militiam secularem post pœnitentiam redire nemo debeat. Nec eis justam superesse quærimoniam qui se ab inchoatis disceptationibus sponte subtraxerint.

De his quos oportet majori auctoritate curare.

CCCXXXIX. Si extiterint aliqui fratres desides vel neglegentes, quos oporteat majori auctoritate curari, sic tamen est adhibenda correctio ut semper sit salva dilectio. Unde Apostolus Timotheum imbuens dicit: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Quæ moderatio si quibuscunque inferioribus membris ex apostolica institutione debetur, quanto magis fratribus & coepiscopis nostris reddenda est? *Infra VII. 236.*

Ut non imponat aliquis alicui pondus quod ipse ferre non valeat.

CCCXL. Sicut non vult aliquis gravis oneris sarcinam ferre, ita non audeat alii grave pondus imponere.

Ut nullus apostolicas sanctiones temerare præsumat.

CCCXLI. Ita unanimes divinis apostolicis constitutionibus serviatis ut in nullo patiamini pia canonum decreta violari. Ut nulli fas sit sine status sui periculo vel divinas constitutiones vel apostolicæ sedis decreta temerare.

De amicitia & familiaritate servanda; quam, qui non contendunt, facile servant.

CCCXLII. Omnes, ut non contendant (1), protegat amicitia. Nam & Apostolus ad Corinthios scribit: *Cum sint inter vos æmulationes & contentiones, nonne carnales estis, secundum hominem ambulatis. Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate mentis, invicem æstimantes semetipsos, non sua singuli respiciant, sed aliorum.*

Ut alienæ gentis homines ad exercitium imbuantur legibus.

CCCXLIII. Alienæ gentis (2) homines (3) legibus ad exercitium imbui (4) & permittimus & optamus. Ad negotiorum vero discussionem resultamus & prohibemus. Quamvis enim eloquiis polleant, tamen difficultatibus hærent.

De servo non credendo si super aliquem crimen objecerit.

CCCXLIV. Servo penitus non credatur (5) si super aliquem crimen objecerit, aut si etiam dominum suum in crimine impetierit. Nam si in tormentis positus exponat quod objicit, credi tamen illi nullo modo oportebit. *Vide supra c. 146.*

Ut testes testimonium nisi præsentes non dicant.

CCCXLV. Testes non absentes neque per epistolam testimonium dicant, sed præsentes quam

(1) *Omnes, ut non contendant.*] Caput istud descriptum est ex Decretis Anastasii Papæ cap. 4. & repetitur infra lib. VII. cap. 247.

(2) *Alienæ gentis.*) Caput istud sumptum ex libro 2. legis Wisigothorum tit. 1. cap. 9. Aliis autem verbis refertur a Gironio lib. 5. observationum juris canonici cap. 4. hoc modo: *Prohibemus ad negotiorum discussionem usum legum Romanarum, quæ quamvis eloquiis polleant, tamen difficultatibus hærent.* Sed hæc non reperiuntur in Capitularibus, & abbreviata sunt ex libro legis Gothicæ.

(3) *Homines.*) Hæc vox non extat in lege Wisigothorum, & videtur superflua.

(4) *Ad exercitium imbui.*) Deest hic vox *utilitatis*; quæ sic restituenda est ex eodem libro legis Gothicæ, *ad exercitium utilitatis imbui*. Quæri autem hoc loco potest quid per vocem *utilitatis* intelligi debeat in hoc loco.

(5) *Servo penitus non credatur.*) Vide infra lib. 7. cap. 177.

quam noverunt & viderunt non taceant veritatem. Nec de aliis negotiis testimonium dicant nisi de his tantummodo quæ sub præsentia eorum acta esse noscuntur. Super qua re sacra scriptura testatur dicens; *Damus*, inquiunt Pharisæi ad milites, *vobis pecuniam, & dicite quia vobis dormientibus venerunt discipuli Jesu, & abstulerunt eum*. Unde ait Augustinus; *Dormientes testes adhibes? Vere tu ipse obdormisti, qui scrutando talia defecisti. Si dormiebant, quid videre potuerunt. Si nihil viderunt, quomodo testes sunt. Sed defecerunt scrutantes scrutationes. Supra c.* 147.

De pactis & placitis conservandis.

CCCXLVI. Pacta vel placita quæ per scripturam legitime ac justissime facta sunt, dummodo in his dies vel annus sit evidenter expressus, nullatenus immutari permittimus. *Supra c.* 148.

Quod hæc sit vera caritas qua Deus proximusque diligitur. Et idcirco admonendi sunt omnes fideles ut hanc observare curent.

CCCXLVII. Placuit ut admoneantur omnes fideles quod hæc sit vera caritas quia Deum diligit homo plusquam se & proximum tanquam se, & quia nihil vult alii facere, nisi quod sibi vult fieri, & plura quæ recenseri longum est. Nam quicunque in potu & cibo & dandis atque accipiendis rebus caritatem putant, non mediocriter errant, dicente Apostolo: *Regnum Dei non est cibus & potus*. Nam & ipsa, quando cum caritate fiunt, bona sunt, & inter virtutes computanda.

Ut contra extraneos parentela aut propinquitas testimonium minime dicat.

CCCXLVIII. Fratres, sorores, uterini, patrui, avunculi, materteræ, sive eorum filii, item nepos, neptis, consobrini, vel amitini, seu etiam quidam ex propria consanguinitate, in judicio adversus extraneos testimonium dicere non permittimus; nisi forsitan parentes ejusdem cognationis inter se litem habuerint, aut in caussa de qua agitur aliam omnino ingenuitatem deesse constiterit.

Contra priorum definitionem filio vel heredi non licere venire.

CCCXLIX. Filio vel heredi contra priorum justam aut legitimam definitionem venire non liceat: quia juste repellitur præsumptio illius qui facta seniorum injuste conatur inrumpere.

Non est danda passim accusandi vel puniendi licentia.

CCCL. Non passim damus (1) accusandi vel puniendi licentiam, nisi aut manifestis indiciis patuerit scelus, aut legitime fuerit idipsum malum accusatum atque convictum: quatinus nulla videantur intentione vel ordine patrum transgredi præcepta sanctorum, aut obviari sacris regulis antiquorum.

Si de fure quis nesciens aliquid comparaverit.

CCCLI. Universam rem nulli ingenuo liceat de incognito homine comparare, nisi certe fidejussorem adhibeat cui credi possit, ut excusatio ignorantiæ auferatur. Quod si aliter fecerit qui comparaverit, a judice districtus, aut repræsentet infra tempus sufficienter a judice constitutum. Quam si non potuerit invenire, adprobet se aut sacramento aut testibus innocentem quod eum furem nescierit; & quod apud eum agnoscitur, accepta pretii medietate, restituat; atque ambo datis invicem sacramentis promittant quod furem fideliter quærant. Quod si omnino furem invenire nequiverint, rem, quantum empta est, domino rei emptor ex integritate reformet. Si vero dominus rei furem noverit, & eum publicare noluerit, rem ex toto amittat, quam emptor quiete possidebat. Hæc & de servis forma servabitur.

Ne testificentur manumissi.

CCCLII. Libertus vel liberta in nullis negotiis contra quemquam testimonium dicere admittantur, excepto in aliquibus caussis, ubi ingenuitas deesse dinoscitur, sicut præmissum est & de servis: quia indignum nostra pensat clementia ut libertorum testimonia ingenuis damna concutiant. Qui vero de eisdem fuerint progeniti, ad testimonium in tertia generatione admittantur. *Vide supra c.* 159.

Si possessor per violentiam expellatur.

CCCLIII. Quicunque violenter expulerit possidentem priusquam pro ipso judicis sententia procedat, si caussam meliorem habuerit, ipsam caussam de qua agitur perdat; ille vero qui violentiam pertulit, universa in statu quo fuerant recipiat, & quæ possedit securus teneat. Si vero illud invadit quod per judicium obtinere potuerit, & caussam amittat, & aliud tantum quantum invasit reddat expulso. *Ibid. c.* 161.

Si ad diripiendum quisque alios invitasse reperiatur.

CCCLIV. Si quis ad diripiendum (2) alios invi-

(1) *Non passim damus.*) Vide supra capite 151. istius libri.

(2) *Si quis ad diripiendum.*) Hæc constitutio habetur in libro octavo legis Wisigothorum titulo primo cap. 6.

invitaverit, ut cujuscunque rem evertant, aut pecora vel animalia quæcunque diripiant, illi cujus res direpta est in septuplum (1) quæ sublata sunt restituat. Hi vero qui cum ipso fuerint, si ingenui sint, quinos solidos componere compellantur. Aut si non habuerint unde componant, centum (2) quinquaginta flagella suscipiant. Si vero servi hoc sine domini voluntate commiserint, centenis quinquagenis flagellis verberentur, & ab eis res omnes integro in statu reddantur.

Ut socios suos nominet apud quem pars rapinæ fuerit inventa.

CCCLV. Apud quem scelus (3) agnoscitur & pars rapinæ fuerit inventa, statim socios suos nominare cogatur. Quod si nominare noluerit, teneatur ad vindictam. Quod si honestior persona est, & pro scelere rationem reddat, & quæ ablata vel eversa fuerant quadrupliciter (4) restituat. Quod si certe apud servum rapinæ pars reperiatur, centum quinquaginta (5) flagella publice extensus accipiat & socios suos nominare non differat. *Vide supra cap.* 137.

De his qui diripienda indicare reperiuntur.

CCCLVI. Quicunque ingenuus (6) vel servus aliquid diripiendum judicaverit, ut cujuscunque res evertatur, aut pecora vel jumenta diripiantur, & ex hoc certis probationibus publice convictus inveniatur, pro eo quod indicavit, si ingenuus est (7), quæ eversa vel ablata sunt legibus in duplo restituat, & nobis bannum nostrum, id est, sexaginta solidos componat. Si vero servus vel colonus fuerit, centum quinquaginta flagella publice extensus bene impressa accipiat, & insuper ea quæ ablata sunt secundum suam legem restituat. *Ibid. c.* 138.

De non suscipienda criminatione adversus doctorem, neque accusatorem adversus eum audiendum.

CCCLVII. Criminationes adversus doctorem nemo suscipiat, nemo audiat; quia indignum est ut hi qui throni Dei vocantur aliqua motione turbentur. *Vide supra cap.* 104. *&* *infra VII.* 156.

Ne unus Episcopus cognitionem sibi vindicet.

CCCLVIII. Placuit ut unus Episcopus (8) non vindicet sibi cognitionem.

Ut hi quorum libertas nescitur nequaquam accusent sacerdotem.

CCCLIX. Quorum fides, vita, & libertas nescitur, non possint accusare sacerdotes. *Vide infra lib.* 7. *c.* 112. *Addit. III. c.* 11. *Addit. IV. c.* 18.

Ut absentes non judicentur.

CCCLX. Adversus absentes non judicetur. Quod si factum fuerit, prolata sententia non valebit. *Vide infra c.* 363. *&* 399.

De his qui falsa aliis inrogant.

CCCLXI. Omnis qui falsa aliis intulerit puniatur, & pro falsitate ferat infamiam.

Ne viles personæ ad accusandum sacerdotes admittantur.

CCCLXII. Viles personæ nullatenus admittantur ad accusationem sacerdotum. *Vide supra lib.* 1. *c.* 44.

Ne judices caussam personæ absentis sua sententia præsumant.

CCCLXIII. Caveant judices Ecclesiæ ne, absente eo cujus caussa ventilatur, sententiam ferant: quia irrita erit, immo & caussam in synodo pro hoc facto dabunt. *Infra VII.* 219.

Ne aliquis criminosus Episcopum accuset.

CCCLXIV. Nulli criminoso liceat Episcopum accusare. *Infra VII.* 85.

Quod qui Episcopum accusat, Dei ordinationem accusat.

CCCLXV. Dei ordinationem accusat, in qua constituuntur, si quis Episcopum accusat vel condemnat, dum minus spiritalia quam terrena sectatur. *Vide infra lib.* 7. *cap.* 167.

Ut litem habentes, sive petitor, seu possessor, si antistitum judicium elegerint, ad eos dirigantur.

CCCLXVI. Volumus atque præcipimus (9) ut omnes ditioni nostræ Deo auxiliante sub-

---

(1) *Septuplum.*) Ita etiam Ivo, quia descripsit ex Capitularibus. At in codice legis Wisigothorum legitur *undecuplum*, non solum in libris editis, sed etiam in manuscriptis.

(2) *Centum.*) Hæc vox deest in lege Wisigothorum.

(3) *Apud quem scelus.*) Ista quoque constitutio sumpta est ex eodem titulo legis Wisigothorum capite decimo.

(4) *Quadrupliciter.*) In codice legis Wisigothorum legitur *undecupli restitutione*, ut in superiori capite.

(5) *Centum quinquaginta.*) In eodem codice legitur CC.

(6) *Quicunque ingenuus.*) Extat in eodem titulo legis Wisigothorum cap. 11.

(7) *Si ingenuus est.*) Hæc clausula deest in codice legis Wisigothorum, quæ nullum hoc loco discrimen ponit inter ingenuum & servum. Unde suspicari cogor mutilum esse hoc caput in eodem codice, & restitui ac suppleri debere ex hoc nostro.

(8) *Placuit ut unus Episcopus.*) Caput istud sumptum est ex cap. 74. Concilii Africani, ut adnotatur infra lib. 7. cap. 114.

(9) *Volumus atque præcipimus.*) Plura ad explicationem hujus capitis diximus in Notis ad Gratianum pag. 506. quæ hic necessario repe-

ſubjecti, tam Romani, quam Franci, Alamanni, Bajuvarii, Saxones, Turingii, Freſones, Galli, Burgundiones (1), Britones, Langobardi, Waſcones, Beneventani, Gothi, & Hiſpani, ceterique nobis ſubjecti omnes, licet quocunque videantur legis vinculo conſtricti vel conſuetudinario more connexi, hanc ſententiam (2), quam ex ſexto decimo Theodoſii Imperatoris (3) libro capitulo videlicet XI. ad interrogata Ablavii Ducis illi & omnibus reſcriptam ſumpſimus, & inter noſtra capitula pro lege tenenda conſultu omnium fidelium noſtrorum tam Clericorum quam & laicorum poſuimus, lege cunctis perpetua tenenda, id eſt. *Quicunque* (4) *litem habens, ſive poſſeſſor ſive petitor fuerit, vel in initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſive cum negotium peroratur, ſive cum jam cœperit promi ſententia, ſi judicium elegerit ſacroſanctæ legis antiſtitis, ilico ſine aliqua dubitatione, etiamſi alia pars refragatur, ad Epiſcoporum judicium cum ſermone litigantium dirigatur. Multa enim quæ in judicio captioſæ præſcriptionis vincula promi non patiuntur, inveſtigat & promit ſacroſanctæ religionis auctoritas. Omnes itaque cauſſæ quæ vel prætorio jure vel civili tractantur, Epiſcoporum ſententiis terminatæ, perpetuo ſtabilitatis jure firmentur; nec liceat ulterius retractari judicium quod Epiſcoporum ſententiis deciderit. Teſtimonium etiam ab uno licet Epiſcopo perhibitum omnes judices indubitanter accipiant; nec alius audiatur cum teſtimonium Epiſcopi a qualibet parte fuerit repromiſſum. Illud eſt enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod a ſacroſancto homine conſcientia mentis inlibatæ protulerit. Hoc nos edicto ſalubri aliquando cenſuimus, hoc perpetua lege firmamus, malitioſa litium ſemina comprimentes; ut miſeri homines longis ac pene perpetuis actionum laqueis implicati, ab improbis petitionibus vel a cupiditate perpera maturo fine diſcedant. Quicquid itaque de ſententiis Epiſcoporum clementia noſtra cenſuerat, etiam & hac ſumus lege complexi, gravitatem tuam & ceteros pro utilitate omnium in perpetuum obſervare conveniat.*

Ut ea inlibata ſerventur quæ patrum auctoritas catholicorum lege inſtituit.

CCCLXVII. Ea quæ circa catholicam legem vel olim ordinavit antiquitas, vel parentum noſtrorum auctoritas religioſa conſtituit, vel noſtra ſerenitas roboravit, novella ſuperſtitione ſubmota, integra & inviolata cuſtodiri præcipimus. *Capitul. III. a.* 814. *cap. 6.*

Ut

---

petenda ſunt. Habere enim videntur aliquam difficultatem. Ea verſatur circa interpretationem populorum imperii Francici qui hic enumerantur. Romani, Franci, Alamanni, Bajoarii, Burgundiones, Saxones, Thuringi, & Friſones nullam, ut arbitror, difficultatem habent, neque Britones, Longobardi, Waſcones, aut Beneventani. Quærendum igitur quid hic intelligi debeat per Gallos, Gothos, & Hiſpanos. Ac primo quidem dubium eſſe non poteſt quin per Gallos intelligi debeant homines originis Gallicæ, Franci quidem & Francico imperio ſubjecti, ſed qui genus repetebant a vetuſtis Galliæ incolis ante Francorum adventum. Gothi & Hiſpani Francico imperio ſubjecti eandem regionem incolebant, id eſt, eam Hiſpaniæ partem quæ nunc Catalonia dicitur uſque ad fluvium Rubricatum, ubi fuit limes regni Francici. Gothi igitur in ea Hiſpaniæ parte habitantes ii erant qui ſupererant ex regno Gothorum; Hiſpani vero ii erant qui ex ea Hiſpaniæ parte orti erant quam Sarraceni tenebant, & ſe in regnum Francorum contulerant ut ſe Sarracenorum jugo ſubtraherent. Hæc paulo fuſius dicta ſunt in Notis ad Gratianum.

(1) *Burgundiones.*) Quos Eduos vocat monachus Sangallenſis in libro primo de vita Caroli M. cap. XI. *In illo tempore, propter excellentiam glorioſiſſimi Caroli, Galli & Aquitani, Edui & Hiſpani, Alamanni & Bajoarii, non parum inſignitos ſe gloriabantur ſi vel nomine ſervorum Francorum cenſeri mererentur.* Petrus a Sancto Juliano in libro de origine Burgundionum pag. 194. ait olim Heduorum vocabulo comprehenſos fuiſſe populos qui nunc ducatum Burgundiæ incolunt, Nivernenſem pagum, Burbonenſem, Cadrellenſem ſive Caroleſium, Matiſconenſem, Autiſſiodorenſem, Tornodorenſem, & Barrenſem ſuper Sequanam. Fruſtra ergo Philippus Labbeus in diſſertatione hiſtorica de ſcriptoribus eccleſiaſticis caſtigat Alfonſum Fernandes, quod Hugonem Magiſtrum generalem Ordinis Prædicatorum, e Romanenſi oppido ortum in diœceſi Viennenſi, vocaverit Heduum; *quaſi Burgundi atque Hedui*, inquit Labbeus, *eadem ſit ſignificatio, cum una dictio altera longius latiuſque extendatur, præſertim apud auctores medii ævi.*

(2) *Hanc ſententiam.*) Id eſt, conſtitutionem Conſtantini quæ hic refertur. Eam nonnulli viri docti putarunt eſſe ſuppoſititiam. Alii bonam eſſe crediderunt, ut Janus a Coſta in Decretales pag. 281. & Seldenus in libro primo de ſynedriis pag. 328. Et tamen Jacobus Gothofredus in commentario ad hanc conſtitutionem omnino falſam eſſe contendit adverſus Seldenum.

(3) *Theodoſii Imperatoris.*) Hinc decepti Gregorius IX. & Innocentius IV. putarunt legem iſtam a Theodoſio latam fuiſſe. Gregorius enim ſcribens ad Sanctum Ludovicum Regem Francorum apud Odoricum Raynaldum ad annum 1236. §. 32. ait: *Propter quod ipſe Carolus Eccleſiam, a qua omnem honorem ſuſceperat, cupiens honorare, perpetua lege decrevit ut omnes ipſius juriſdictioni ſubjectos* (ſubjecti) *ſtatutum a Theodoſio Imperatore pro Eccleſiæ libertate editum inviolabiliter obſervarent, videlicet ut quicunque litem habens &c.* Innocentius vero in epiſtola ad Epiſcopum Tuſculanenſem apud Andream Ducheſnium in tomo quinto ſcriptorum hiſtoriæ Francorum pag. 715. *Si dicti Barones diligenter adtenderent quod Carolus Magnus Eccleſiam, a qua omnem honorem ſuſceperat, cupiens honorare, perpetua lege decrevit ut omnes ipſius juriſdictioni ſubjecti ſtatutum a Theodoſio Imperatore pro Eccleſiæ libertate editum inviolabiliter obſervarent, videlicet ut quicunque, litem habens &c.* Illi tamen Pontifices non acceperunt ex Capitularibus, ſed ex Gratiano.

(4) *Quicunque.*) *L. I. Cod. Theod. de epiſcopali judic.*

Ut privilegia quæ propter religionem instituta sunt, nulla interminatione nova mutilentur.

CCCLXVIII. Non novum aliquid præsenti sanctione præcipimus, sed illa quæ olim videntur indulta firmamus. Privilegia igitur quæ olim reverentia religionis obtinuit mutilari sub pœnæ etiam interminatione prohibemus, ita quoque ut qui Ecclesiæ obtemperant, Ecclesiæ beneficiis perfruantur. *Infra VII.* 285.

Ut si Chorepiscopi aliquam consecrationem aut confirmationem fecerint, ab Episcopis canonice reformentur.

CCCLXIX. Hominum confirmatio, Ecclesiarum, altarium, virginum, chrismatum, Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum consecrationes a Chorepiscopis factæ, ab Episcopis qui canonice ordinati sunt reformandæ canoniceque sunt peragendæ; quia Chorepiscopi hæc contingere non debuerunt. Nequaquam enim talis ordinatio vel consecratio reiteratio esse a prudentibus & recte sapientibus videtur, sed irrita (nec agere potuerunt. Non enim ea tribuere valuerunt quæ non habuerunt) indubitanter fore agnoscitur. Si quis autem Chorepiscoporum aliquid ex prædictis agere tentaverit, non acta sed imperfecta atque irrita erunt, & ipse omni Ecclesiastico inrevocabiliter careat gradu. *Capitul. a.* 799. *c.* 2.

De generali totius populi supplicatione apud Principem pro sacerdotum caussa, ne in hostem aut pugnam pergerent, & quale eis omnibus ex hoc immineat periculum. Ex Capitulis Domni Karoli Imperatoris Wormatia generaliter decretis, atque ab omnibus firmatis, & cunctis pro lege tenendis contraditis. (Capitul. VIII. a. 803.)

CCCLXX. Flexis omnes precamur poplitibus majestatem vestram ut Episcopi deinceps, sicut hactenus, non vexentur hostibus. Sed quando vos nosque in hostem pergimus, ipsi propriis resideant in parrochiis, Deoque fideliter famulari studeant, & eorum sacrosancta ministeria canonice & Deo placide peragere satagant, atque pro vobis & cuncto exercitu vestro una cum omnibus sibi commissis orare viriliter, Missasque decantare, & letanias atque eleemosynas agere decertent. Quosdam enim ex eis in hostibus & præliis vulneratos vidimus, & quosdam periisse cognovimus. Hæc vero valde periculosa & oppido sunt cavenda. Quæ idcirco suggerimus ne pro talibus vos & nos simul pereamus. Novit Dominus, quando eos in talibus videmus, terror adprehendit nos, & quidam ex nostris timore perterriti propter hoc fugere & inimicis terga vertere solent. Plures enim potestis habere præliatores, si illi propriis resident in parrochiis, quam si vobiscum pergunt. Quoniam illi qui eos prævident, omnes tunc pugnabunt; quod modo nequaquam faciunt, sed eos tantummodo custodiunt. Nam sine dubio potius vobis nobisque proficere possunt si remanserint quam si in hostem vel ad pugnam perrexerint: quia tunc eorum precibus adjuvamur, & modo eorum pressuris gravamur. Quando vero Moyses expansis ad cœlum manibus orabat, vincebat Israel. Et quando a precibus cessabat, & manus ejus gravabantur, priusquam sustentatæ fierent, & ipse precibus insisteret, vincebatur & terga vertebat. Talibus ergo & multis aliis exemplis fulti, quorum prolixitate victi modo non dicimus, quia sapienti semel dicta sufficiunt prædicta, obnixe omnes precamur, & ut concedantur rogamus; quia nullatenus volumus ut nobiscum ad talia pergant, nisi duo aut tres bene docti, electione videlicet ceterorum, ad benedictionem dandam, & ad periclitantium reconciliationem faciendam, ne vos & nos simul cum pluribus pereamus, sed eorum precibus, ut jam memoratum est, fulciamur. Quam formam & de sacerdotibus tenere optamus, id est, ut nec illi in hostem nisi bene docti, & ipsi electione atque permissione propriorum Episcoporum; qui tamen tales sint de quorum scientia & vita ac conversatione omnes securi esse possimus. Illud tamen vobis & omnibus scire cupimus quod non propterea hæc petimus ut eorum res aut aliquid ex eorum pecuniis, nisi ipsis aliquid sponte nobis dare placuerit, aut eorum Ecclesias viduare cupiamus, sed magis eis, si Dominus posse dederit, augere desideramus; ut & ipsi & vos & nos salviores simus, & Deo potius ipso adminiculante placere mereamur. Quapropter si quis eas ab Ecclesiis quibus a fidelibus collatæ Deoque sacratæ sunt aufert, proculdubio sacrilegium committit. Cœcus enim est qui ista non videt. Quisquis ergo nostrum suas res Ecclesiæ tradit, Domino Deo illas offert atque dedicat suisque sanctis, & non alteri, dicendo talia, & agendo ita. Facit enim scripturam de ipsis rebus quas Deo dare desiderat, & ipsam scripturam coram altari aut supra tenet in manu, dicens ejusdem loci sacerdotibus atque custodibus: *Offero Deo atque dedico omnes res quæ hac in chartula tenentur insertæ, pro remissione peccatorum meorum ac parentum & filiorum* (aut pro quocunque illas Deo liberare voluerit) *ad serviendum ex his Deo in sacrificiis Missarumque sollemniis, orationibus, luminariis, pauperum Clericorum alimoniis, & ceteris divinis cultibus, atque illius Ecclesiæ utilitatibus. Si quis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pœna sacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero atque dedico, districtissimas reddat rationes.* Ponit etiam in ea alias conjurationes, quas enumerare longum est. Nam qui eas inde po-

postea aufert, quid agit nisi sacrilegium? (1) Si ergo amico quippiam rapere furtum est, Ecclesiæ vero fraudare vel auferre indubitanter sacrilegium est. Unde & in sacris canonibus spiritu Dei conditis habetur ita: (2) *Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit præter Episcopi conscientiam vel ejus cui hujuscemodi sunt officia commissa, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit.* Absit enim ut rerum ecclesiasticarum cupiditate vel ablatione sacrilegi aut anathema efficiamur, aut talibus laqueis unquam devinciamur: quoniam scimus anathematos homines, vel sacrilegos, non solum infames, & a consortio fidelium, priusquam hæc per publicam satisfactionem Ecclesiæ & Episcoporum reconciliationem manusque impositionem emendent, alienos esse, sed etiam a regno Dei extorres fieri, si in talibus defecerint, non dubitamus. Ut ergo omnis suspicio a nobis cunctis sacerdotibus & omnibus Christi & sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus funditus auferatur, profitemur omnes, stipulas dextris in manibus tenentes, easque propriis e manibus ejicientes, coram Deo & angelis ejus, ac vobis cunctisque sacerdotibus & populis circumstantibus, nec talia facere, nec facere volentibus consentire, sed magis, Deo auxiliante, resistere. Et hoc vobis omnibusque fidelibus sanctæ Ecclesiæ & nostris notum esse cupimus, quod cum his qui absque voluntate aut consensu vel datione rectoris illius Ecclesiæ cujus res juste esse debentur, & maxime proprii Episcopi, res Ecclesiæ a Regibus petere aut retentare vel auferre aut invadere vel vastare præsumpserint, nec in hostem nec ad pugnam ire, nec cibum sumere, nec ad ecclesiam vel ad palatium aut in itinere pergere, nec etiam nostros homines cum eorum hominibus aut caballos vel reliqua pecora cum eorum pecoribus aut ad pastum ire aut simul habitare vel manere, nec ullam participationem cum eis, nisi pro emendatione, ante publicam emendationem & Ecclesiæ satisfactionem unquam scienter aut libenter habere debeamus, ne pro eorum iniquitatibus atque flagitiis una cum eis nos & nostri, quod absit, pereamus. Scimus enim quia perit justus pro impio. Tales vero a nobis, si nos fideles habere vultis, segregate & in ergastulum sub publica pœnitentia redigite, & postulata concedite. Ut ergo hæc omnia a vobis & a nobis, sive a successoribus vestris & nostris, futuris temporibus absque ulla dissimulatione conserventur, scriptis ecclesiasticis inserere jubete, & inter vestra capitula interpolare præcipite. *Quod ita factum esse omnibus liquet.*

Ne Episcopi ad bella pergant, concessio Domni Karoli Imperatoris.
(Capitul. VIII. a. 803.)

CCCLXXI. Omnibus notum esse volumus quia non solum ea quæ super Episcoporum & Presbyterorum hostium vexationibus & precibus pro nobis & vobis fieri rogitastis concedere optamus sed quicquid pro sanctæ Dei Ecclesiæ & sacerdotum sive totius populi & vestra utilitate inveneritis concedere paratissimi sumus. Et modo ista, sicut petistis concedimus. Et quando, vita comite, Deo auxiliante, ad generale placitum venerimus, consultu omnium fidelium nostrorum scriptis firmare, nostris nostrorumque atque futuris temporibus inrefragabiliter manenda firmissime Domino adminiculante cupimus. Modo ea quæ generalia sunt, & omnibus conveniunt ordinibus, statuere, ac cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque fidelibus ob Dei omnipotentis amorem & recordationem tradere parati sumus, & ad proximum synodalem nostrum conventum ac generale placitum, ubi plures Episcopi & Comites convenerint, ista sicut postulastis firmabimus.

Ex quibus supra.
SACERDOTIBUS OMNIBUS.

CCCLXXII. Primo omnium monemus ut fides catholica a Presbyteris & Episcopis diligenter legatur & omni populo prædicetur; quia hoc primum præceptum Domini omnipotentis in lege est dicentis: *Audi Israel. Dominus Deus tuus Deus unus est*; & ut diligatur ex toto corde & ex tota mente & ex tota virtute. *I.* 58. *V.* 4.

Ex quibus supra.
GENERALITER OMNIBUS.

CCCLXXIII. Ut pax sit & concordia & unanimitas cum omni populo Christiano inter Episcopos, Abbates, Comites, judices, & omnes ubique majores seu minores personæ pacem habeant; quia nihil Deo sine pace placet, nec munus sanctæ oblationis ad altare, sicut in evangelio ipso Domino præcipiente legitur; quia & illud secundum mandatum est: *Diliges proximum tuum sicut temetipsum.* Item in evangelio: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Et iterum: *In hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* In hoc enim præcepto discernuntur filii Dei & filii diaboli: quia filii diaboli semper dissensiones & discordias movere satagunt, filii autem Dei semper paci & dilectioni student. *I.* 59. *V.* 5.

Ex quibus supra.
GENERALITER OMNIBUS.

CCCLXXIV. Item habemus in lege Domini mandatum: *Non auguriemini.* Et in Deuteronomio: *Nemo sit qui ariolos sciscitetur, vel somnia observet, vel auguria intendat.* Item: *Nemo sit maleficus, nec incantator, nec Phitonis consultor.* Ideo præcipimus ut cauculatores & incantatores vel tempestarii vel

(1) VI. 394. (2) VII. 7.

vel obligatores non fiant, & ubicunque sunt, emendentur vel damnentur. Item de arboribus vel petris vel fontibus, ubi aliqui stulti luminaria vel alias observationes faciunt, omnino mandamus ut iste pessimus usus & Deo exsecrabilis, ubicunque invenitur, tollatur & destruatur *I. 63.*

Ex quibus supra.
GENERALITER OMNIBUS.

CCCLXXV. Item ut homicidia infra patriam, sicut lege Domini interdictum est, nec caussa ultionis nec avaritiæ nec latrocinando fiant. Et ubicunque inventa fuerint, a judicibus nostris secundum legem ex nostro mandato vindicentur. Et non occidatur homo nisi lege jubente, *III. 89.*

Ex quibus supra.
SACERDOTIBUS OMNIBUS.

CCCLXXVI. Ut Episcopi diligenter discutiant per suas parrochias Presbyteros, ut eorum fidem, baptisma, & Missarum celebrationes bene sciant, & ut fidem rectam teneant, & baptisma catholicum observent, & Missarum preces bene intelligant, & ut psalmi digne secundum divisiones versuum modulentur, & dominicam orationem ipsi intelligant & omnibus prædicent intelligendam, ut quisque sciat quid petit a Deo. Et ut Gloria Patri ejusque Filio & Spiritui sancto cum omni honore apud omnes canatur, & ipse sacerdos cum sanctis angelis & populis Dei cum una voce *sanctus sanctus* cantet. Et omnimodis dicendum est Presbyteris & Diaconibus ut arma non portent, sed magis confidant in oratione Dei quam in armis. *I. 66.*

Ex quibus supra.
ALIQUID SACERDOTIBUS, ALIQUID POPULO.

CCCLXXVII. Item placuit nobis admonere reverentiam vestram ut unusquisque vestrum prævideat per suam parrochiam ut Ecclesia Dei suum habeat honorem, simul & altaria secundum suam magnitudinem venerentur, & non sit domus Dei & altaria sacrata pervia canibus, & ut vasa sacrata Deo cum magna veneratione habeantur, & ut sacrificia sanctificata cum magna diligentia ab eis colligantur qui digni sunt, vel cum honore serventur, & ut secularia negotia vel vana gloria in Ecclesiis non agantur: quia domus Dei, domus orationis debet esse, non spelunca latronum. Et ut intentos habeant animos ad Deum, quando veniunt ad Missarum sollemnia; & non exeant ante completionem benedictionis sacerdotalis, *I. 67.*

Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus, oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.

Qui secundum Deum sapiens est, secundum Deum beatus est. Melius est videre quod cupias quam desiderare quod nescias. Ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia. Ubi autem humilitas, ibi & sapientia. Ubi non est gubernator, populus corruet in malum. Melius autem est ubi multa consilia. Deus enim in cœlo, & tu super terram, Idcirco sint tibi pauci sermones. Multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus invenitur stultitia.

Obsecramus omnes ut bonam & probabilem habeant conversationem, sicut ipse Dominus in evangelio præcepit: ***Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est;*** ut eorum bona conversatione multi pertrahantur ad servitium Dei. Et non solum servilis conditionis infantes, sed etiam ingenuorum filios congregent, sibique socient. Et ut scholæ gentilium puerorum fiant. Psalmos, notas, cantum, compotum, grammaticam per singula monasteria vel episcopia, & libros catholicos bene habeant emendatos: quia sæpe dum bene aliquid Deum rogare cupiunt, per mendosos libros male rogant. Et pueros vestros non sinatis vel legendo vel scribendo corrumpere. Et si opus est evangelium, psalterium, Missalem scribere, perfectæ ætatis homines scribant cum omni diligentia. *Ibid. 68.*

Ex quibus supra.
GENERALITER OMNIBUS.

CCCLXXVIII. Ut æquales mensuras & rectas & pondera justa & æqualia omnes habeant, sive in civitatibus, sive in monasteriis, sive ad dandum, sive ad accipiendum, sicut in lege Domini præceptum habemus. Item in Salomone, Domino dicente: ***Pondus & pondus, mensuram & mensuram odit anima mea.*** *III. 90.*

Et hoc nobis competens & venerabile videtur, ut hospites peregrinique & pauperes susceptiones regulares & canonicas per loca diversa habeant, quia ipse Dominus dicturus erit in remuneratione magni diei: ***Hospes eram, & suscepistis me.*** Et Apostolus hospitalitatem laudans dixit: ***Per hanc quidam placuerunt Deo, angelis hospitio susceptis,*** *I. 70.*

Ex quibus supra.
ALIQUID SACERDOTIBUS, ALIQUID POPULO.

CCCLXXIX. Item ut isti mangones & isti cociones, qui sine omni lege vagabundi vadunt per istam terram, non sinantur vagare & deceptiones in hominibus agere; qui nudi cum ferro dicunt alicubi datam sibi pœnitentiam vagantes discurrunt. Melius enim videtur ut si aliquid inconsuetum & capitale crimen commiserint, in uno loco permaneant

neant laborantes & servientes & pœnitentiam agentes, secundum quod sibi canonice impositum sit. *App. I.* 34.

Ex quibus supra.
GENERALITER OMNIBUS.

CCCLXXX. Statuimus, secundum quod in lege Dominus præcepit, ut opera servilia diebus dominicis non agantur, sicut & bonæ memoriæ genitor noster in suis synodalibus edictis mandavit, ut viri talia opera non exerceant, hoc est, nec in vinea colligendo, nec in campis arando, metendo, vel fœnum secando, vel sepem ponendo, nec concides stirpare, vel arbores cædere, vel in petris laborare, nec domos construere, nec in horto laborent, nec ad placitum conveniant, nec venationes exerceant. Sed tria tantummodo opera, si necessitas ingruerit summa, agant, & non alia, id est, carra hostilia vel victualia, vel si forte necesse fuerit corpus cujuslibet ducere ad sepulchrum. Item similiter opera textrilia non faciant, nec capulent, nec consuant, nec opera pectilia faciant, nec lanam carpere, nec linum battere, nec in publico vestimenta lavare, nec vervices tondere habeant licitum; ut omnimodis honoretur dies dominicus, requiesque servetur: quatinus ad Missarum sollemnia & ad Ecclesiam undique libere conveniant, & laudem Deo pro omnibus bonis quæ nobis in illa die fecit dicant. Legimus enim Apostolo dicente: *Manifesta autem sunt opera carnis; quæ sunt, fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia; quæ prædico vobis, sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Ideo hæc eadem quæ magnus prædicator in Ecclesia Dei singillatim nominavit cum studio prohibete, intellegentes quam sit terribile illud quod dixit: *Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et omni instantia prædicate fidem tenendam Domino. De humilitate vero & patientia, de castitate & continentia, de benignitate & misericordia, de eleemosynis & confessione peccatorum suorum, & debitoribus suis, ut secundum dominicam orationem omnibus sua debita dimittant, cunctos monete. *I.* 75.

Ex quibus supra.
SACERDOTIBUS OMNIBUS.

CCCLXXXI. Studendum est Episcopis ut diffidentes fratres magis ad pacem quam ad judicium cohortentur.

Auctoritas ecclesiastica atque canonica docet non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrare.

Episcopi intercessionem præstent his qui iniqua vi opprimuntur.

Nullus Episcopus nisi in legitima synodo & suo tempore apostolica atque canonica vocatione congregata super quibusdam criminibus pulsatus audiatur.

Nemo Episcopum (1) apud judices seculares accusare præsumat, sed apud Primates suos.

Accusatores & accusationes quas leges seculi non adsciscunt canonica funditus repellit auctoritas.

Variis detractionibus & accusationibus non decet labefactari Primatem, sed magis patrum regulis roborari. Nam & Liberius Papa pro Athanasio duobus annis in exilio trusus est; & multi alii Episcopi, qui eum damnare voluerunt, exilio sunt damnati, quorum exemplum omnes convenit sequi sacerdotes.

Multum derogatio prævalet, quando derogator creditur fide dignus. Ideo non omnes admittendi sunt, sed viri probatissimi. Primo semper persona, fides, vita, & conversatio accusantium inquiratur. Et postea quæ objiciuntur, fideliter pertractentur. Quia nihil aliter fieri debet nisi impetitorum prius vita discutiatur.

Non est auctoritas quemquam Clericorum judicare vel damnare antequam accusatores præsentes habeat, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.

Omnis accusatio intra provinciam audiatur, & a comprovincialibus terminetur. Ultra provinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur.

Episcopus, nec provocatus, pro rebus transitoriis litiget.

Non est justum judicare aut condemnare virum cujus caussa ad liquidum non est examinata.

Major a minore non potest judicari.

Judicis non est quemlibet judicare vel condemnare absque legitimo accusatore; quia & & Dominus Judam furem esse sciebat; sed quia non est accusatus, ideo non est ejectus. (*V.* 398.)

Episcopos ejectos (2), atque suis rebus expoliatos, sedes proprias recipi & sua omnia legaliter primo eis reddi sancti canones decreverunt; & postea si quis eos accusare vellet, æquo periculo facere sanciverunt, judices esse decernentes Episcopos recte sapientes in Ecclesia convenientes, ubi testes essent singulorum qui oppressi videbantur.

Placuit ut si quæcunque (3) persona contra Episcopum vel actores Ecclesiæ se proprium

(1) *Nemo Episcopum.*) Vide infra Additione quarta cap. 10.

(2) *Episcopos ejectos.*) Vide eandem Additionem quartam cap. 3.

(3) *Placuit ut si quæcunque.*) Vide eandem Additionem cap. 9. ex qua patet istud capitulum esse descriptum ex historia tripartita.

prium crediderit habere negotium, prius ad eum recurrat caritatis studio; ut familiari colloquio commonitus et sanare debeat quæ in querimoniam deducuntur; quam rem si differre voluerit, sententiam suscipiat excommunicationis.

Si quæ caussæ vel contentiones inter Clericos & laicos tam majoris ordinis quam etiam inferioris fuerint exortæ, placuit ut secundum synodum Nicænam congregatis omnibus ejusdem provinciæ Episcopis jurgium terminetur; nec cui liceat, (sine præjudicio tamen Ecclesiæ Romanæ, cui in omnibus caussis debetur reverentia custodiri) relictis his sacerdotibus qui in eadem provincia Dei Ecclesias motu divino gubernant, ad alias convolare provincias vel aliarum provinciarum Episcoporum judicium expeti vel pati, nisi fuerit provocatum, Quod si quis præsumpserit, & ab officio cleri depositus & injuriarum reus ab omnibus judicetur.

Si autem majores caussæ in medio fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, ut sancta synodus statuit & beata consuetudo exigit, per judicium episcopale referatur.

Prudentissime justissimeque decreta Nicæni Concilii sive Africani decreverunt quæcunque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda; maxime quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ provinciæ vel etiam universale provocare. (*VII.* 102.)

Servata quæ scripta est de gubernationibus regula, manifestum est quod illa quæ sunt per unamquamque provinciam ipsius provinciæ synodus dispensat, sicut Nicæno constat decretum esse Concilio, (*VII.* 82.)

Si quis Episcopus super certis accusatur criminibus, ab omnibus audiatur vel judicetur qui sunt in provincia Episcopis. (*Ib.* 104.)

Quæcunque sunt ad religionis observantiam pertinentia, locis suis & a suæ dioceseos synodis audiantur. (*VI.* 113.)

Unaquæque provincia suo Metropolitano & suis comprovincialibus Episcopis sit contenta. (*VII.* 94.)

Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui. Et dicet omnis populus: *Amen*, & reliqua.

Qui sunt supra diocesim Episcopi, nequaquam ab Ecclesias quæ sunt extra præfixos sibi terminos accedant, nec eas aliqua præsumptione confundat.

Non oportet transferri terminos a patribus constitutos, ut alter alterius parrochiam invadat, atque illic celebrare divina mysteria inconsulto Episcopo cui commissa est præsumat. *VII.* 37.

Ex Capitulis Domni Karoli Regis anno regni ejus XI. actis. *De his qui infra regnum sine jussione dominica per vim aliquid rapuerint.*

CCCLXXXII. Si quis in exercitu infra regnum sine jussione dominica per vim hostilem aliquid prædari voluerit, aut fœnum tollere, aut granum, sive pecora majora vel minora, domusque infrangere vel incendere, hæc ne fiant omnino prohibemus. Quod si ab aliquo præsumptioso factum fuerit, sexaginta solidis, si liber est, sit culpabilis, & omnia similia restituat, aut cum duodecim testibus se purget. Si vero servus hoc fecerit, capitali sententiæ subjaceat, & dominus omnia similia restituat, quia servum suum non correxit nec custodivit ut talia non perpetraret. Quoniam si nos ipsos comedimus, cito deficiemus. Unusquisque tamen custodiat exercitum suum, ne aliqua deprædatio infra regnum fiat, qui non vult legibus (1) emendare quæ sibi commissi injuste fecerint. Dignum est enim ut magistri vel seniores pro sibi commissis reddant rationes, si aliquid prædæ egerint aut injuste fecerint, eo quod eos ita correctos non habent ut talia non audeant perpetrare. *V.* 341.

Ex Capitulis Domni Hludouvici Ingbilenaim apostolica auctoritate & synodali sanctione, omnium videlicet Clericorum ac laicorum generaliter consensu atque hortatu decretis.

CCCLXXXIII. Si quis infra regnum (2) rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli ejusque homini aliquid vi abstulerit, in triplo cui aliquid abstulit legibus componat, & insuper bannum nostrum, id est, sexaginta solidos, nobis persolvat, Postmodum vero ante nos a Comite adducatur; ut in bastonico retrusus, usque dum nobis placuerit, pœnas luat. Nam si publice actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta sanctorum canonum sanctionem. Si vero occulte, sacerdotum consilio ex hoc agat pœnitentiam: quoniam raptores, ut ait Apostolus, nisi veram egerint pœnitentiam, regnum Dei non possidebunt. Qui vero de rebus Ecclesiarum aliquid abstulerit, gravius inde judicetur: quia sacrarum rerum ablatio sacrilegium est, & sacrilegus vocatur qui ex eis aliquid abstulerit aut rapuerit. Extorres namque a liminibus sanctæ matris Ecclesiæ tales personæ usque ad satisfactionem Ecclesiæ, quam læserunt, sunt habendæ, atque infamia sunt notandæ. *Supra c.* 97.

(1) *Qui non vult legibus.*) Hæc & quæ sequuntur non extant supra lib. 5. cap. 341. neque in lege Bajuvariorum. Omissa quoque sunt a Tilio & Pithœo, quia noluerunt bis repetere idem capitulum in libris Capitularium, & non animadverterunt hic nonnulla haberi quæ non extant in lib. 5.

(2) *Si quis infra regnum.*) Caput istud editum est anno DCCCXXVI. ut adnotatum est in ipsis Capitularibus. Vide supra cap. 97. hujus libri.

De eo qui facultatem deprædationis dederit malitiosa factione, ut vivus comburatur.

CCCLXXXIV. Si quis scelerata factione facultatem deprædationis dederit, vel si quis factam diviserit, vivus comburatur.

Ut contumacia temere præsumpta ab universis depellatur.

CCCLXXXV. Ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia sibi cœlestium sacrorum dicata a quibusdam inruentibus vexentur. Quod si quis præsumpserit, post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos jure promenda est, exilio publicæ deportationis uretur. *Supra c.* 117.

Ut capitale supplicium excipiat qui violentiam commisisse dinoscitur.

CCCLXXXVI. Qui manifestam detegitur commisisse violentiam, non jam relegatione aut deportatione insulæ plectatur, sed supplicium capitale excipiat, nec interposita provocationis sententia quæ in eum fuerint dicta suspendantur: quoniam multa facinora sub uno violentiæ nomine continentur, cum aliis vim inferre tentantibus, aliis cum indignatione resistentibus, verbera cædesque crebro deteguntur admissæ. Unde placuit ut si forte quis vel ex possidentis parte, vel ex ejus qui possessionem temerare tentaverit, interemptus sit, in eum supplicium exeri qui vim facere tentaverit, & alterutri parti caussam malorum præbuit.

De eo qui sibi indebitum locum usurpaverit.

CCCLXXXVII. Si quis indebitum sibi locum usurpaverit, nulla se ignoratione defendat; sitque plene sacrilegii reus qui hoc agere tentaverit.

Ut inviolata permaneant quæ diversi Principes statuerunt.

CCCLXXXVIII. Quæcunque circa sacrosanctas Ecclesias a Principibus diversis sunt statuta, manere inviolata præcipimus.

Ut si Ecclesiæ privilegia alicujus temeritate fuerint corrupta, piaculum quinque librarum auri pœna multetur.

CCCLXXXIX. Si Ecclesiæ venerabilis privilegia cujusquam fuerint temeritate violata, vel dissimulatione neglecta, commissum quinque librarum auri condemnatione plectatur. *Supra c.* 116.

Ut quæ diversi Principes statuerunt, vel antistites singuli pro caussis ecclesiasticis obtinuerunt, inconvulsa perpetuo serventur.

CCCXC. Quæcunque a divis Principibus constituta sunt, vel singuli quique antistites pro caussis ecclesiasticis impetrarunt, sub pœna sacrilegii jugi & solida æternitate serventur. Clerici, non secularibus judicibus, sed episcopali audientiæ reserventur. Fas enim non est ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio. *Vide supra c. CXI.*

De privilegiis Ecclesiarum, quatinus incorrupta persistant.

CCCXCI. Præcipimus ut privilegia quæ Ecclesiis & Clericis lege concessa sunt, maneant incorrupta.

Quod servari debeat potius quam auferri quod sanctæ Dei Ecclesiæ fuerit collatum.

CCCXCII. Iniquum est & sacrilegii instar ut quæ pro salute vel requie animarum suarum unusquisque venerabili Ecclesiæ contulerit aut certe reliquerit, ab his quibus maxime servari convenerat auferri & in aliud transferri. *Infra VII.* 142.

Ut laicis, quamvis religiosis, nulla sit disponendi de rebus Ecclesiæ data facultas.

CCCXCIII. Laicis, quamvis religiosis, nulla de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur unquam adtributa facultas. *Supra V.* 403.

Quod prædones Ecclesiæ sacrilegi sint, sicut scripturæ testimonio comprobatur.

CCCXCIV. Sacrilegi sunt Ecclesiæ prædones. Unde & in Concilio Agathensi (1) sub quarto capitulo decretum habetur ita: *Amico quippiam* (2) *rapere, furtum est. Ecclesiæ vero fraudari vel abstrahi subripique, sacrilegium.* Omnes enim contra leges (3) facientes resque Ecclesiæ diripientes, vel Ecclesias sacerdotesque contra divinas sanctiones vexantes, sacrilegi vocantur, atque indubitanter infames sacrilegique habendi sunt. *Capitul. II. a.* 814. *c.* 10.

Quod ea quæ Domino consecrantur, ad jus Ecclesiasticum pertineant.

CCCXCV. Ea quæ Domino offeruntur vel consecrantur, ad jus pertinent sacerdotum. Et sacrilegi sunt omnes qui ea auferunt vel in aliud transferunt. *Ibid. c.* 11.

Ut si quis dignitatem præsumpserit, quam non meruit a Principe vel justo seniore, sacrilegus habeatur.

CCCXCVI. Si quis præsumpserit quam non meruit a Principe vel seniore dignitatem, sacrilegus habeatur.

Ut

(1) *In Concilio Agathensi.*) Vel potius Vasensi primo, ex quo sumptum est istud capitulum. Hic tamen error propagatus est in collectionibus Isaaci, Burchardi, & Ivonis.

(2) *Amico quippiam.*) Hæc non sunt synodi Vasensis, sed Hieronymi, ut adnotamus ad Capitulare secundum anni DCCCXIV.

(3) *Contra leges.*) Sanctus Gregorius libro 8. Indict. 3. epist. 6. *Nam sacrilegium & contra leges est si quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studiis suis tentaverit compendiis retinere.*

Ut illi qui diversis sceleribus impliciti sunt, ad testimonium non admittantur.

CCCXCVII. Homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, & qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sacrilegos magosque cucurrerint, nullatenus erunt ad accusationem vel ad testimonium admittendi.

Ne ante judex jaculetur in reum sententiam quam ipse confiteatur aut socii sui eum convincant.

CCCXCVIII. Judex criminosum discutiens non ante sententiam proferat capitalem quam aut reus ipse confiteatur, aut convictus per innocentes testes vel socios criminis sui manifestius convincatur. *V.* 308.

Non esse judicandum adversus absentes.

CCCXCIX. Adversus absentes non judicetur. Quod si factum fuerit, prolata sententia non valebit. *Supra c.* 360. 363.

Ne Episcopus quilibet alium conculcet Episcopum.

CCCC. Ut nullus Episcopus alium conculcet Episcopum, nec eum supergrediatur, aut aliquod incommodum ei in sua faciat parrochia. *Ibid. c.* 301.

De Episcopo deposito qui se ad Romanum Pontificem reclamaverit.

CCCCI. Si quis Episcopus depositus agendum sibi negotium in urbe Roma proclamaverit, alter Episcopus in ejus cathedra, post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi caussa fuerit judicio Romani Episcopi determinata.

Ne in prædicatores Ecclesiæ detractiones seu vituperationes fiant. quod canonica scriptura damnat.

CCCCII. Quod omnibus (1) fidelibus omnibusque ordinibus summopere cavendum sit ne clanculo aut publice unctum Domini detractionibus & vituperationibus dilanient, perpendentes illud exemplum Mariæ, quæ eo quod Moysi famulo Domini propter Æthiopissam detraxit, immunditia lepræ multata sit. Et illud psalmistæ: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Et Dominus per Moysem ait: *Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices.* Et si David Regum justissimus in Saul, quem constabat jam a Domino reprobatum & abjectum esse, manum mittere non præsumpsit, multo magis cavendum est ne manum detractionis aut vituperationis sive indiscretionis aut dehonorationis quidam mittant in unctum Domini & in prædicatores sanctæ Dei Ecclesiæ. *Vide supra c.* 331.

Quod Episcopi inter se corrigere, si quid ortum fuerit, debent.

CCCCIII. Constantinus Imperator de accusationibus Episcoporum ait: *Hæc quidem accusationes tempus habent proprium, id est, diem magni judicii, judicem vero illum qui tunc futurus est omnes judicare. Mihi ergo homini constituto de hujusmodi rebus non licet habere auditorium, sacerdotum scilicet accusantium & simul accusatorum, quos minime convenit tales debere monstrari qui judicentur ab aliis.* Imperator quoque Valentinianus de Episcoporum caussis sic ait: *Supra nos*, inquit, *est vestrum negotium. Et ideo vos de vestris inter vos agite caussis, quia supra nos estis.* & reliqua. *Vide Add. IV. c.* 4.

De sacrilegis, quod fures sint, teste scriptura.

CCCCIV. Omnibus sciendum est quod sacrilegi fures sint cuncti qui res Ecclesiæ diripiunt, vastant, invadunt, vexantque, aut a jure Ecclesiarum, quibus traditæ fuerant, injuste alienant. Unde & beatissimus Augustinus in homelia quadragesima octava evangelii Johannis ita dicit: *Ecce inter sanctos est Judas. Ecce fur est Judas. Et ne condemnas, fur sacrilegus, non qualiscunque fur; fur loculorum, sed dominicorum; loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in foro, qualiscunque furti & peculatus, (Peculatus enim (2) dicitur furtum de re publica, & non sic judicatur furtum rei privatæ quomodo publicæ) quanto vehementius judicandus est sacrilegus fur, qui ausus fuerit non undecunque tollere, sed de Ecclesia tollere? Qui aliquid de Ecclesia aufert vel furatur, Judæ perdito comparatur.* Nota quod aliquid de Ecclesia tollere furtum esse beatus Augustinus asseveret, & patratorem tanti furti furem sacrilegum appellet, nec non & Judæ perdito æquiparet. Et post pauca: *Quare*, inquit, *loculos habuit cui angeli ministraverunt, nisi quia Ecclesia ipsius loculos suos habitura erat?* Ecce quibus tanti doctoris documentis instruimur quia quod in capite præcessit, in corpore ejus, quod est Ecclesia, videtur impletum. Porro Christum & Ecclesiam unam personam (3) esse non nescimus. Et ideo quæ Ecclesiæ sunt, Christi sunt; & quæ Ecclesiæ offeruntur, Christo offeruntur; & quæ ab Ecclesia ejus tolluntur, proculdubio Christo tolluntur. Esto, fu-

(1) *Quod omnibus*,) Prior pars istius capitis sumpta est ex epistola quæ circumfertur sub nomine Sancti Gregorii ad Felicem Episcopum Messanensem. Vide infra lib. 7. cap. 331.

(2) *Peculatus enim.*) Vide Notas ad Agobardum pag. 97.

(3) *Unam personam.*) Quomodo Christus & Ecclesia unum corpus sunt, ita unam personam constituere senserunt veteres, uti dictum est in Notis ad eumdem Agobardum pag. 14. Vide infra caput 407. hujus libri.

futurum erat ut Ecclesia Christi nummos haberet. Si nummos, utique & prædia & mancipia & diversarum specierum innumera ornamenta. Et quia inlicitum sit ea quæ conferuntur Ecclesiæ auferri, beati Hieronymi scribentis in expositione Matthæi Evangelistæ verba ita testantur. *Omnes*, inquit, *qui stipe templi & his quæ conferuntur in usus Ecclesiæ abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt Scribarum & Sacerdotum vedimentium mendacium & sanguinem Salvatoris.*

Quod quicquid offertur Domino sanctum sanctorum sit, & ad jus pertineat sacerdotum.

CCCCV. Nulli liceat ignorare quod omne quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, vel quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, & ad jus pertinet sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis qui ea Domino & Ecclesiæ, cui competunt, aufert, vastat, invadit, vel diripit, usque ad emendationem Ecclesiæque satisfactionem, quod sit sacrilegus, & non tantum sacrilegus, sed etiam fur sacrilegus.

De his sacrilegis qui Ecclesiæ ejusque sacerdotibus injurias inferunt.

CCCCVI. Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit ut in Ecclesias earumque res inruens, sacerdotibus & ministris vel ipso cultui locoque aliquid importet injuriæ vel inferat ad divini cultus injuriam, in convictos sive confessos reos capitali sententia noverit vindicandum. Nec expectetur ut Episcopus injuriæ propriæ ultionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi soli gloriam dereliquit. Sitque cunctis non solum liberum, sed etiam laudabile, factas atroces sacerdotibus aut ministris injurias veluti publicum crimen persequi ac de talibus reis ultionem mereri. *Supra c.* 115.

Quod omnia quæ Domino offeruntur, proculdubio & consecrantur.

CCCCVII. Omnia quæ Domino (1) offeruntur, proculdubio Domino consecrantur. Et non solum sacrificia quæ a sacerdotibus super altare Domino consecrantur oblationes fidelium dicuntur, sed quæcunque ei a fidelibus offeruntur, sive in mancipiis, sive in agris, vineis, silvis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, artificiis, libris, utensilibus, petris, ædificiis, vestimentis, pellibus, lanificiis, pecoribus, pascuis, membranis, mobilibus & immobilibus, vel quæcunque de his rebus quæ ad laudem Dei fiunt, vel supplementum sanctæ Dei Ecclesiæ ejusque sacerdotibus atque ornatum præstare possunt, Domino Ecclesiæque sive a quibuscunque ultro offeruntur, Domino indubitanter consecrantur, & ad jus pertinent sacerdotum. Et quia Christum & Ecclesiam unam personam esse veraciter agnoscimus, quæcunque Ecclesiæ sunt, Christi sunt; & quæ Ecclesiæ vel in supradictis vel in quibuscunque speciebus sive pollicitationibus sive pignoribus, sive scriptis sive corporalibus rebus offeruntur, Christo offeruntur; & quæ ab Ecclesia ejus quocunque commento alienantur vel tolluntur, sive alienando, sive vastando, sive invadendo, sive minorando, sive diripiendo, Christo tolluntur. Et si ab amico quippiam rapere furtum est, præcipue Christo Domino nostro, qui est Rex Regum & Dominus dominantium, aliquid auferre vel alienare, subripire vel vastare sacrilegium est. Omnes namque Ecclesiæ prædones manifestissime sunt sacrilegi; & nullus sacrilegiis nisi per puram probatamque atque publicam pœnitentiam, & per Ecclesiæ satisfactionem, Episcoporumque per manus impositionem juxta canonicas sanctiones reconciliationem, regnum Dei possidebit, & non solum a regno Dei fit alienus, sed etiam a liminibus sanctæ Ecclesiæ, & præcipue ab illius quam læsit, usque ad prædictam satisfactionem extorris efficitur. Talium vero scelerum (2) patratoribus, nisi post prædictam satisfactionem, nec vivis nec mortuis communicare minime debemus: quia qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit; qui autem pecuniam Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit. Qui non solum sacrilegi, sed etiam fures sacrilegi, & lupi, atque homicidæ, pauperumque necatores, & insuper anathematis vinculo damnati coram Deo & sanctis ejus efficiuntur. *Capitul. II. a.* 814. *cap.* 12.

Ut Christiani ex propinquitate sui sanguinis connubia non ducant.

CCCCVIII. Ne Christiani ex propinquitate sui sanguinis connubia ducant, nec sine benedictione sacerdotis cum virginibus nubere audeant; neque viduas absque suorum sacerdotum consensu & conhibentia plebis ducere præsumant. *Supra c.* 130.

De eo qui se incestuoso ordine his personis quibus a divinis regulis probibitum est conjunxerit.

CCCCIX. Si quis sine gradu se incestuoso or-

(1) *Omnia quæ Domino.*) Burchardus lib. 3. cap. 129. caput istud in epitomen contraxit & Concilio Aurelianensi attribuit. Certe aliquid simile reperitur in canone 14. & 15. Concilii primi Aurelianensis. Attamen non dubito quin verba Burchardi abbreviata sint ex isto nostro capitulo.

(2) *Talium vero scelerum.*) Hic locus laudatur in Concilio Coloniensi anni DCCCLXXXVII. cap. 3. *Talium enim scelerum patratoribus, sicut in Capitularibus gloriosissimorum Imperatorum Caroli & Ludovici continetur, nisi post puram & publicam pœnitentiam, & per Ecclesiæ satisfactionem, & per impositionem manus Episcoporum, nec vivis nec mortuis communicare debemus.* Vide infra cap 427. ubi adnotamus hæc sumpta esse ex epist. 105. S. Bonifacii.

ordine cum his personis quibus a divinis regulis prohibitum est conjunxerit, usquequo pœnitentiam sequestratione testentur, utrique communione priventur, & neque in palatio habere militiam neque in foro agendarum caussarum licentiam habebunt. Nam qui modo prædicto se incesto conjunxerint, Episcopi seu Presbyteri, in quorum diocesi vel pago actum fuerit, Regi vel judicibus scelus perpetratum adnuntient; ut cum ipsis denuntiatum fuerit, se ab eorum communione aut cohabitatione sequestrent. Res autem eorum ad primos parentes usque ad sequestrationem perveniant, sub ea conditione, ut antequam segregentur, per nullum ingenium neque per parentes neque per emptionem neque per auctoritatem regiam ad proprias perveniant facultates, nisi præfatum scelus sequestrationis separatione & pœnitentia fateantur.

Ex libro legum Theodosii III. capitulo XI. de incestis.

CCCCX. Quod incesti non sint (1) legitimi heredes, sed infamia sint notatæ utræque personæ.

Ut nullus devotam Deo virginem vel viduam conjugem accipiat.

CCCCXI. Ut deinceps, sicut canones ecclesiastici prohibent, nullus Deo devotam virginem, nullus sub religionis habitu consistentem, sive viduitatis continentiam professam, vel sui proximam generis, aut etiam de cujus admixtione incestivæ notam possit subire infamiæ, inlicito connubio aut vi aut consensu accipiat conjugem; quia nec verum poterit esse conjugium quod a meliori proposito deducitur ad deterius, & sub falsi nominis copula incestiva pollutione & fornicationis immunditia perpetratur. Hoc vero nefas si agere amodo cujuslibet gentis homines sexus utriusque tentaverint, insistente sacerdote vel judice, etiamsi nullus accusator sit, omnimodis separati, exilio perpetuo relegentur; nec aliqua indefinitione sui, quousque vixerint, longitudine temporis excusentur.

Quod blasphemiam Deo inferat qui se cum Deo sacrata miscuerit.

CCCCXII. Scire vos convenit quia blasphemiam Deo inrogat qui cum Deo sacrata vel cum velata femina se commaculat.

Ut Clericus proprio honore privetur si cum femina Deo sacrata vel velata se commiscuerit.

CCCCXIII. Si Clericus cum velata femina vel cum Deo sacrata se maculaverit, proprio honore privetur.

Quod sacrilegi & violatores juxta Apostolum sint qui violant sacratarum feminarum corpora.

CCCCXIV. Sciendum est omnibus quod Deo sacratarum feminarum corpora per votum propriæ sponsionis & verba sacerdotis Deo consecrata templa esse scripturarum testimoniis comprobantur. Et ideo violatores earum sacrilegi ac juxta Apostolum filii perditionis esse noscuntur.

Quod fornicatio omnibus peccatis periculosior esse perhibetur.

CCCCXV. Quod pene omnibus peccatis gravior & deterior sit fornicatio, & veraciter dici potest laqueus mortis, & puteus inferni, ac vorago perditionis, eo quod adulteri vel luxuriosi propter cordis inopiam perdunt animas suas. Nam, ut ait scriptura, pretium scorti vix unius est panis; & qui se jungit meretrici, unum corpus efficitur, Et qui luxuriatur, mortuus est in corpore vivente.

Quales debeant scripturæ valere.

CCCCXVI. Scripturæ quæ diem & annum habuerint evidenter expressum, atque secundum legis ordinem conscriptæ esse noscuntur, seu conditoris vel testium fuerint signis aut subscriptionibus roboratæ, omni habeantur stabiles firmitate. *Vide supra cap.* 148.

Ut ita valeat commutatio sicut & emptio.

CCCCXVII. Commutatio, si non fuerit per vim & metum extorta, talem qualem & emptio habeat firmitatem. *Supra c.* 152.

De excommunicandis judicibus & potentibus qui non se emendaverint.

CCCCXVIII. Ut judices aut potentes qui pauperes opprimunt, si commoniti a Pontifice suo se non emendaverint, excommunicentur.

Ut Episcoporum judicio incesta matrimonia emendentur.

CCCCXIX. Præcipimus ut juxta decreta canonum adulteria & incesta matrimonia, quæ non sunt legitima, prohibeantur & Episcoporum judicio emendentur.

In eo loco manendum unicuique ubicunque votum voverit.

CCCCXX. Ut unusquisque in loco ubi constitutus fuit, & ubi votum vovit, ibi maneat, & ibi reddat vota sua.

Quod maximum peccatum sit spiritalis commatris conjunctio.

CCCCXXI. Sciendum est omnibus quod con-

(1) *Quod incesti non sint.*) Vide infra Addit. III. cap 104. ubi bene multa habentur quæ in isto capitulo non extant.

conjunctio spiritalis commatris maximum peccatum sit, & divortio separandum, atque capitali sententia multandum, vel peregrinatione perpetua delendum.

De eo qui paganas observationes fecerit.

CCCCXXII. Decrevimus, sicut & antecessores vel parentes nostri olim decreverunt, ut qui paganas observationes in aliqua re fecerit, multetur & damnetur quindecim solidis. *Supra V.* 3.

Præceptio ut mancipia Christiana paganis vel Judæis non tradantur.

CCCCXXIII. Præcipimus generaliter (1) omnibus ut mancipia Christiana paganis vel Judæis non tradantur.

Ut omnes noverint quantum malum sit Deo sacratas vel reliquas incestare.

CCCCXXIV. Jubemus omnes scire omnibusque sacerdotibus prædicare atque sub pœna sacrilegii denuntiare quantum malum & quam maximum flagitium sit cum Deo devotis feminis viduis vel virginibus, sive cum velatis, sive cum Deo devotis, maximeque cum sanctimonialibus & sacratis Deo virginibus vel viduis, tam in monasteriis quam & extra commisceri. Nam hoc peccatum duplex esse non dubium est. Ut verbi gratia dicamus, cujus vindictæ reus sit puer ante dominum suum qui uxorem domini sui adulterio violaverit, quanto magis ille qui sponsam Christi creatoris cœli & terræ putredine suæ libidinis commaculaverit, dicente beato Paulo Apostolo: *An nescitis quia corpora vestra templa sint Spiritus sancti?* Et alibi: *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Et iterum idolatriæ servituti adulteros & fornicatores in sermone & numero peccatorum jungit dicens: *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare; quia neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.*

Ut quia necessitas bellorum cogit, pars pecuniæ quæ Ecclesiæ debetur, aliquanto tempore sub precario retineatur.

CCCCXXV. Assentimus cum consilio servorum Dei & populi Christiani, propter imminentia bella & persecutiones ceterarum gentium quæ in circuitu nostro sunt, ut sub precario & censu aliquam partem ecclesialis pecuniæ in adjutorium exercitus nostri cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus, ea conditione, ut annis singulis de unaquaque casata solidus, id est, duodecim denarii ad Ecclesiam vel monasterium reddantur; eo modo ut si moriatur ille cui pecunia commodata fuit, Ecclesia cum propria pecunia revestita sit, & iterum, si necessitas cogat & Princeps jubeat, precarium renovetur, & rescribatur novum. Hoc omnino observetur, ut Ecclesiæ vel monasteria penuriam & paupertatem non patiantur, quorum pecunia in precario præstata sit, sed si paupertas cogat, Ecclesiæ & domui Dei reddatur integra possessio. *Supra V.* 3.

Ut Ecclesiarum privilegia, vel facultatem, sive quicquid ad easdem pertinet, nullus invadere præsumat.

CCCCXXVI. Præcipimus omnibus ditioni nostræ subjectis ut nullus privilegia Ecclesiarum vel monasteriorum infrangere, resque Ecclesiarum invadere, vel vastare, aut alienare, vel facultates earum diripere præsumat, nec sine precaria possidere pertentet; quia, sicut a sanctis patribus instructi sumus, gravissimum peccatum hoc esse dinoscitur, testante sacra scriptura, quæ ait: *Qui abstulerit aliquid patri vel matri, & dicit hoc non esse peccatum, homicidii particeps est.* Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit. Mater nostra Ecclesia (2) quæ nos baptismo spiritaliter regeneravit. Ergo qui Christi pecunias Ecclesiæ fraudat, vel rapit, sive vastat, vel alienat, homicida ante conspectum justi judicis esse deputabitur. De quo quidam sapientium dicit: *Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit. Qui autem pecuniam Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit.* *Capitul. I. a.* 803. *c.* 3.

Ut neque Rex neque secularium quisquam per vim prædia Ecclesiarum rapiat, quæ Episcopi, Abbates, vel Abbatissæ regere videntur.

CCCCXXVII. Omnibus, nos ipsos corrigentes, posterisque nostris exemplum dantes, generaliter interdicimus ut nullus laicus homo, vel Imperator, vel Rex, aut aliquis Præfectorum vel Comitum, seculari potestate fultus, sibi per violentiam rapiat aut a nobis competere vel quocunque modo invadere præsumat monasterium aut prædia vel quascunque res de potestate Episcopi vel Abbatis aut Abbatissæ, & incipiat ipse vice Abbatis regere & habere sub se monachos & pecuniam possidere quæ fuit Christi sanguine

(1) *Præcipimus generaliter.*) Vide supra caput 119. istius libri.

(2) *Mater nostra Ecclesia.*) Lib. 2. cap. 41. *Unam matrem sanctam Ecclesiam, quæ eos intemerato sacri fontis utero gignit.*

ne comparata. Talem hominem antiqui (1) patres nominabant raptorem & sacrilegum & homicidam pauperum & lupum diaboli intrantem in ovile Christi, & maxime anathematis vinculo damnandum ante tribunal Christi. De talibus memores estote scripturæ sancti Pauli Apostoli ad Timotheum dicentis: *Divitibus hujus seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo, qui præstat omnia.* Tales, si Ecclesiæ correctionem non recipiunt, ethnicis & publicanis sunt similes, quibus nec vivis nec mortuis communicat Ecclesia Dei. Talibus, qui & hic & ibi reperiuntur, cum tuba Dei clangamus, ne tacentes damnemur, ut simul cum eis pereamus. Si autem impietas horribilis est Deo, ille qui impie agit, certe separatus est talis a Deo, & anathemati juste subjicitur. Anathema enim nihil aliud significat nisi a Deo separationem, sicut in veteri & novo testamento judicium de anathemate significat.

De his qui non solum de rebus suis aliquid Ecclesiæ non conferunt, sed etiam ab aliis conlatas injuste possident.

CCCCXXVIII. Placuit nobis, & ab omnibus observari convenit, ut quia nonnulli memores sui per quaslibet scripturas pro remedio animæ suæ de facultatibus suis Ecclesiis aliquid contulisse probantur, quod a diversis Deum minus timentibus hactenus mortifera calliditate tenetur, ita ut aliorum oblatio illis pertineat ad ruinam, nec intueri corde possunt diem judicii Domini hoc qui cupiditatis delectantur ardore, quicunque immemor interitus sui res Ecclesiis, ut supra diximus, delegatas injuste possederit præsumpseritque retinere, & veritate comperta, res Dei servis dissimulaverit reformare, ab omnibus Ecclesiis segregatus a sancta communione habeatur extraneus, nec aliud mereatur habere remedium nisi cum culpam propriam rerum emendatione purgaverit. Indigne enim ad altare Domini properare permittitur qui res ecclesiasticas aut audet rapere aut injuste possidere. Qui vero in hac iniqua defensione perdurant, ut necatores pauperum omnes judicandi sunt, quod eorum taliter alimenta subtraxerint. Sacerdotalis tamen debet esse provisio ut vindictam admonitio manifesta præcedat, & res usurpatas injuste qui abstulit, adhibita æquitate restituat. Quod si neglexerit, & necessitas compulerit, postea prædonem sacerdotalis districtio maturata percellat. Neque quisquam per regna absque proprii Episcopi auctoritate res dispensare nitatur; quia Dei potentia cunctorum regnorum terminos singulari dominatione concludit. Qui vero his nostris sanctionibus contraierit, & quæ neglexit, legibus emendare tardaverit, vel deinceps in prædicta nequitia perdurare voluerit, omnes honores quos habere videbatur perdat, & a nobis sæculariter & legaliter strictim fortiterque puniatur, & a sacerdotibus cœlesti gladio feriatur. Et si se non correxerit, non solum excommunicatus, sed etiam anathematizatus moriatur.

De rebus Ecclesiæ, quæ sibi jure debentur, ne in aliud transferantur.

CCCCXXIX. Sciendum est omnibus quod sacrilegium sit res Ecclesiæ quocunque modo injuste ab Ecclesiis, quibus jure debentur, auferri & in aliud transferri. *Supra cap.* 395.

Quod homicidæ ante Deum deputentur qui res Ecclesiæ vastant.

CCCCXXX. Volumus omnes scire quod qui Christi & Ecclesiæ pecunias auferunt, resque ejus fraudant, rapiunt, vastant, vel diripiunt, homicidæ ante Deum esse deputantur: quia res pauperum, quos Ecclesia pascere debet, diripiunt. *Supra c.* 426. *Capitul. II. a.* 814. *c.* 14.

Ut capitali pœna multentur qui sacrilegia, adulteria, prædationes, aut devastationes exercuerint.

CCCCXXXI. Sub pœna capitali sacrilegia, adulteria, prædationes, vastationesque in regno nostro a quibuscunque fieri prohibemus, ita ut si voluntarie quis ex his unum vel aliquid fecerit, de vita componat, & omnes res ejus tam mobiles quam & immobiles fisco nostro socientur, vel Ecclesiæ cujus res vastaverit, vel alienaverit, aut abstulerit, tradantur. Maximum enim sacrilegium est oblationes fidelium, quæ sunt res Ecclesiarum, auferre, vastare, alienare, invadere, vel subripi. Nam, ut ait sacra scriptura, neque sacrilegi, neque adulteri, neque prædones, vel vastatores, qui sunt raptores, regnum Dei possidebunt. Et si hi qui res fratrum diripiunt, a regno Dei alieni fiunt, quid super his fieri putatis qui res Deo dicatas diripiunt vel auferunt. Nam quanto gravius quis in præsenti seculo peccat, tanto gravius in inferno torquebitur.

De viris, quod in castitate uxores suas diligere eisque, ut vasi infirmiori, custodiam & reliquam necessitatem debeant impendere.

CCCCXXXII. Omnibus scire volumus (2) quod, jubente Domino, viri uxores suas in castitate debeant diligere, & eis, utpote vasi infirmiori, honorem & custodiam atque cuncta

(1) *Talem hominem antiqui.*) Hæc usque ad *ne tacentes damnemur* descripta sunt ex epist. 105. S. Bonifacii Archiepiscopi Moguntini. Extant autem abbreviata supra in fine capitis 407.

(2) *Omnibus scire volumus.*) Caput istud videtur sumptum esse ex Concilio Parisiensi sexto lib. 3. cap. 2. non tamen integrum. Vide infra Additione II. cap. 23. & capitula Herardi Archiepiscopi Turonensis cap. 67.

cta quæ necessaria sunt, prout quisque potuerit, ministrare fideliter debebit. Quod & nos, qui ministri Domini sumus, nec sine caussa Dei gladium portamus, episcopali in vice omnium Episcoporum atque regali auctoritate pro viribus cunctos agere jubemus.

De conservanda fide inter virum & uxorem.

CCCCXXXIII. Scire omnes volumus, sicut & sæpius a Domini Episcopis & reliquis Dei servis admoniti sumus, quod viri uxoribus suis, & uxores similiter viris suis, veraciter fidem & dilectionem servare debent, & non in aliquo ab his declinare, & quod non liceat conjugatis neque pellicem neque concubinam (1) habere.

Ne Clerici cujuslibet ordinis a quibuslibet laicis injurientur, vel apud alios quam apud Episcopos accusentur.

CCCCXXXIV. Ut neque Presbyter, neque Diaconus, neque Subdiaconus, de Ecclesiis trahantur, aut injuriam aliquam eorum inscio Episcopo patiantur. Sed quicquid quis adversus eos habuerit, in notitiam Episcopi proprii perducat; & ipse caussam justitia præeunte discutiens animo Clericos accusanti satisfaciat.

De his qui innocentes apud Principem vel apud alios accusaverint.

CCCCXXXV. De his qui innocentes ad Principes aut judices accusare convicti fuerint, si Clericus honoratior fuerit, ab officii sui ordine degradetur. Si vero secularis, pœnam quam ipsi, si convicti essent, passuri erant patiatur. Et insuper si talis caussa fuerit unde vivere debeant, a sacerdotibus publica pœnitentia multentur, ut spiritus salvus sit in die Domini.

Ut Clerici de his caussis quas seculi leges non admittunt, minime impetantur.

CCCCXXXVI. Nullæ caussæ a judicibus ecclesiasticis audiantur quæ legibus non continentur, vel quæ prohibitæ esse noscuntur.

EXPLICIT LIBER SEXTUS.

INCIPIT

LIBER SEPTIMUS.

NOnnulla hæc capitula pro brevitate libri canonum atque levitate a Domno Karolo & a suis sapientissimis excerpta sunt, quædam de capite sententiæ, quædam vero de medio, quædam autem de fine. Quæ valde necessaria habenda sunt atque memoriter retinenda. Reliqua vero tam ab eisdem quam & postea a Domno Hludouvico ejus filio suisque proceribus aucta sunt.

De primatu Ecclesiarum & sacerdotum.

I. UT unaquæque Ecclesia sive unusquisque sacerdos suum primatum teneat, sicut in antiquis canonibus constitutum est.

Ut omnis ordo Clericorum Episcopo suo subjectus maneat.

II. Clerici qui præficiuntur in ptochiis, vel qui ordinantur in monasteriis vel basilicis martyrum, sub Episcoporum qui in unaquaque civitate sunt, secundum sanctorum patrum traditiones, potestate permaneant, nec per contumaciam ab Episcopo suo diffiliant. Quicunque vero audent evertere hujuscemodi formam quocunque modo, nec proprio subjiciuntur Episcopo, siquidem Clerici sunt, canonum correptionibus subjiciant. Si vero laici vel monachi fuerint, communione priventur.

Ut nemo Clericorum, relicto Episcopo proprio ad negotia secularia migret.

III. Quod non oporteat Sacerdotem vel Clericum habentes adversus invicem negotia proprium Episcopum relinquere & ad secularia negotia convolare (2).

Ut Presbyter vel Diaconus absque Episcopi proprii consensu nihil præsumant.

IV. Presbyteri & Diaconi præter Episcopum nihil agere pertentent. *Capit. a. 799. c. 5.*

Ut

---

(1) *Neque pellicem neque concubinam.*) Concilium Parisiense ibidem: *Et quod uxores habentes neque pellicem neque concubinam habere debeant.*

(2) *Ad secularia negotia convolare.*) Supra lib. 5. cap. 22. monuimus hic legendum esse *secularia judicia.*

Ut tempus pœnitentum in consideratione Episcopi consistat.

V. Penes Episcopos erit potestas, modum conversationis pœnitentum probantes, vel humanius erga eos agere, vel amplius tempus adjicere. Ante omnia vero præcedens eorum vita & posterior inquiratur, & ita eis impertiatur humanitas.

De pœnitentum conversatione & fide.

VI. Conversatio pœnitentum & fides tempus adbreviat.

De fructuum oblationibus quæ ministris Ecclesiæ conferuntur.

VII. Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit præter Episcopi conscientiam vel ejus cui hujuscemodi sunt officia commissa, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit.

De his quæ in usus pauperum conferuntur.

VIII. Si quis oblata dederit vel acceperit præter Episcopum vel eum qui constitutus est ab eo ad dispensandam misericordiam pauperibus, & qui dat & qui accipit anathema sit. *V.* 24.

Ut quicunque synodalem excommunicationem transgressus fuerit, in alia synodo spem recuperationis amittat.

IX. Si quis Episcopus damnatus a synodo, vel Presbyter aut Diaconus a suo Episcopo, ausi fuerint de sacro ministerio aliquid contingere, sive Episcopus juxta præcedentem consuetudinem, sive Presbyter aut Diaconus, nullo modo liceat ei nec in alio synodo restitutionis spem aut locum habere satisfactionis. Sed & communicantes ei omnes abjici de Ecclesia; & maxime si postquam didicerint hoc factum esse, communicare tentaverint.

Ut excommunicatis, sive his qui Ecclesias deserunt, nemo communicet.

X. Cum excommunicatis non licere communicare; nec cum his qui per domos conveniunt, devitantes orationes Ecclesiæ, simul orandum est. Ab alia Ecclesia non suscipiendum qui in alia minime congregatur. *V.* 25.

De conturbatoribus Ecclesiæ opprimendis.

XI. Si quis Ecclesiam Dei conturbare & sollicitare persistit, tanquam seditiosus per potestates exteras opprimatur.

Ut monachi Episcopis suis ubique subjecti maneant.

XII. Monachos per unamquamque civitatem aut regionem subjectos esse Episcopo, & quietem diligere, & intentos esse tantummodo jejunio & orationi, in locis quibus renuntiaverunt seculo permanentes. Nec ecclesiasticis vero nec secularibus negotiis communicent, vel in aliqua sint molestia propria monasteria deserentes; nisi forte eis præcipiatur, propter opus necessarium, ab Episcopo civitatis. *V.* 27.

Ut unusquisque Ecclesiæ cui ordinatus est ministret.

XIII. Clericum permanere oportet in Ecclesia cui in initio ab Episcopo prætitulatus est, & ad quam confugit quasi ad potiorem. Hoc autem refutantes revocari debere ad suam Ecclesiam in qua primitus ordinatus est, & ibi tantummodo ministrare. Si quis hanc definitionem transgressus fuerit, decrevit sancta synodus a proprio gradu recedere. *V.* 28.

De suscipiendis his qui persecutionem patiuntur.

XIV. Statuimus per omnia ut hi qui persecutionem patiuntur a pravis quibusque vel infidelibus, suscipiantur a justis & fidelibus.

De lege & consuetudine.

XV. Aliqua canone & ordine tenentur, aliqua consuetudine firmata sunt.

De alienis finibus non usurpandis.

XVI. Inhibitum est ne quis alienos fines usurpet, aut per præmium vel favorem alicujus terminos patrum statutos transcendat. Quamquam novellæ suggestiones, quæ vel obscuræ sunt, vel sub genere latent, inspectæ a nobis formam accipiant, & quod in laicis reprehenditur, id multo magis debet in Clericis prædamnari. Universum Concilium dixit: Nemo contra Prophetas, nemo contra Evangelium vel contra Apostolum facit aliquid absque periculo.

Ut transgressores canonum excommunicentur.

XVII. Transgredientem canonum definitionem excommunicatum esse præcipimus.

Ut Episcopus curam monasteriorum gerat.

XVIII. Episcopum convenit civitatis competentem monasteriorum providentiam gerere. *V. c.* 29.

De monendis his qui ordinantur.

XIX. Si quis Clericus ordinatur, moneri debet constituta servare.

De satisfactione pœnitentiæ.

XX. Satisfactio pœnitentiæ non est tam temporis longitudine quam cordis compunctione pensanda.

De mensura pœnitentiæ.

XXI. Tempora pœnitudinis (1), habita mo-

(1) *Tempora pœnitudinis.*) Vide capitula Isaaci Episcopi Lingonensis tit. 1. cap. 29.

moderatione, Episcopi arbitrio sunt constituenda; prout inspectorum animos viderit esse devotos. Pariter etiam habentes ætatis senilis intuitum, & periculorum quorumque aut ægritudinum respicientes necessitates. *V.* 133.

De malorum ordinatione vitanda.

XXII. Qui tales ordinat sacerdotes quales esse non debent, non est hoc consulere populis, sed nocere, nec præstare regimen, sed augere discrimen.

De Episcopis qui inutiles ordinaverint.

XXIII. Qui in ordinandis Sacerdotibus sanctorum patrum statuta neglexerunt, & quos refutare debuerunt consecrarunt. Unde si qui Episcopi talem ordinaverint sacerdotem qualem esse non liceat, etiamsi aliquo modo damnum proprii honoris evaserint, ordinationis tamen vim ulterius non habebunt, nec ei sacramento umquam intererunt quod neglecto judicio præstiterunt.

De cavendis inlicitis ordinationibus.

XXIV. Ab inlicitis ordinationibus est abstinendum. Et si quæ factæ sunt ordinationes inlicitæ, removeantur. Nec tantum putemus petitiones valere populorum ut cum his parere cupimus, contra voluntatem Domini Dei nostri, quæ nos peccare prohibet, aliquid agamus. *Vide infra cap. 65.*

De rebaptizatis non ordinandis.

XXV. Non est permittendum ut rebaptizati ad clericatus gradum promoveantur. *V.* 131.

Ut qui excommunicatis sine licentia communicaverit damnetur.

XXVI. Si quis excommunicatus fuerit pro suo neglectu, & tempore excommunicationis ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationis judicetur protulisse sententiam. *V.* 30.

De non vendendis rebus Ecclesiæ.

XXVII. Placuit ut Presbyteri non vendant rem Ecclesiæ, ubi sunt constituti, nescientibus Episcopis suis. *V.* 31.

Ut absque licentia Episcopi ad virgines vel viduas Clerici non accedant.

XXVIII. Clerici vel continentes ad viduas vel virgines nisi ex jussu Episcoporum vel Presbyterorum non accedant. Et hoc non soli faciant, sed cum conclericis vel cum his quibus Episcopus aut Presbyter jusserit. Nec ipsi Episcopi vel Presbyteri soli habeant accessum ad hujuscemodi feminas, sed ubi Clerici præsentes sunt aut graves aliqui Christiani.

De appellatione primæ sedis.

XXIX. Ut primæ sedis Episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid hujuscemodi, sed tantum primæ sedis Episcopus.

De arbitrio Episcopi erga pœnitentes.

XXX. Pœnitentibus secundum differentiam peccatorum Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur.

De manumissionibus.

XXXI. Manumissiones in Ecclesia celebrandæ. *V.* 32.

Ut nemini sit facultas, relicta principali cathedra, in Ecclesia in sua diocesi vel in re propria diutius residere.

XXXII. Placuit, ut nemini sit facultas, relicta principali cathedra, ad aliam Ecclesiam in diocesi constitutam se conferre vel in re propria diutius quam oportet constitutum curam vel frequentationem agere & propriam plebem negligere. *Vide supra lib. I. c.* 40.

De defensoribus Ecclesiæ a Rege poscendis.

XXXIII. Defensores Ecclesiarum adversus potentias secularium vel divitum ab Imperatore sunt poscendi.

De occursu Clericorum ad Concilium.

XXXIV. Placuit ut quotienscunque Concilium congregandum est, Episcopi & Presbyteri, qui neque ætate neque ægritudine aut alia graviori necessitate impediuntur, competenter occurrant. Quod si occurrere non potuerint, excusationes suas in tractoria subscribant.

De lectore unius Ecclesiæ in alia Ecclesia non promovendo.

XXXV. Placuit ut qui semel in Ecclesia legerit, ab alia Ecclesia ad clerum non teneatur aut promoveatur. Et ut ab electis judicibus non sit provocandum.

De remissione pœnitentium.

XXXVI. Pœnitentes quicunque ex gravioribus sive ex levioribus culpis pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quinta feria ante Pascha eis est remittendum. Ceterum de pondere æstimando delictorum Sacerdotis est judicare. *V.* 132.

De non invadenda alterius parrochia.

XXXVII. Non oportet transferri terminos a patribus constitutos, ut alterius parrochiam alter invadat, atque illic celebrare divina mysteria, inconsulto eo cui commissa est, præsumat. *VI.* 381.

De justo baptismate non iterando.

XXXVIII. Rite baptizatos illo dono iterari non posse. Et aliter sola aqua lotos baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti necesse est provideri.

De

De ultione peccatorum.

XXXIX. In Ecclesia peccata populi inulta remanere non debere.

De prohibitis non despiciendis.

XL. Si quis interdicta dispexerit, gradus sui periculo subjacebit.

De prævaricatoribus canonum submovendis.

XLI. Quisquis Sacerdotum contra interdicta canonum fecerit, a suo est officio submovendus. Et veniam sibi deinceps noverit denegari.

De dilatione temporum erga eos qui ad sacros ordines promoventur.

XLII. Qui se divinæ militiæ desiderat mancipari, sive inter Lectores, sive inter Exorcistas quinquennio teneatur. Exinde Acolythus vel Subdiaconus quatuor annis. Et sic ad benedictionem diaconatus, si meretur, accedat, in quo ordine quinque annis, si inculpate gesserit, adhærere debebit. Et postea, si probus fuerit, sacerdos efficiatur.

De confessione scelerum.

XLIII. Manifestum est confiteri eum de crimine qui indulto & delegato judicio purgandi se occasione non utitur. Nihil enim interest utrum in præsenti examine omnia quæ dicta sunt de eo comprobentur, cum ipsa absentia pro confessione constat. *V.* 37.

Ut doctoribus contraria non doceantur.

XLIV. Non debere quemquem ad injuriam doctorum vindicare doctrinam: quia timeo ne conhibere sit hoc tacere. *Et alibi:* Merito caussa nos respicit si silentio faveamus errori.

De profundioribus quæstionibus.

XLV. Profundiores quæstiones nec contemnendæ sunt nec penitus afferendæ.

De non neglegendis præceptis canonum, sed viriliter exercendis.

XLVI. Nec otiosa nobis esse patitur qui exercenda, non neglegenda, donavit.

De non studendo novitati.

XLVII. Si studere incipiamus novitati, traditum nobis a patribus ordinem calcabimus.

Ut nullus sacerdos in alterius parrochia aliquid præsumat.

XLVIII. Sit unusquisque sacerdos concessis sibi contentus limitibus, nec in alterius parrochia quicquam præsumat; ne usurpatione locus alicujus in alterius concedatur injuriam.

De non ignorandis canonibus.

XLIX. Nulli sacerdoti liceat canones ignorare.

De populo docendo.

L. Docendus est populus non sequendus.

Ut aliqua conditione obligatus absque petitione domini sui non ordinetur.

LI. Qui originali aut alicujus conditione obligati sunt, non debent ab Episcopis ordinari, nisi forte eorum petitio aut voluntas accesserit qui aliquid sibi in eos vindicant potestatis. Debet enim esse immunis ab aliis qui divinæ militiæ fuerit adgregandus.

De malis funditus abscidendis.

LII. Ea quæ male pullulant radicitus evellantur, & messem dominicam zizania nulla corrumpant.

De non exigendis usuris.

LIII. Usuram non solum Clerici sed nec laici christiani exigere debent. *V.* 38.

De pravis persequendis.

LIV. Aliter nobis commissos regere non possumus nisi eos qui sunt perditores aut perditi zelo fidei dominicæ persequamur, & sanis mentibus, ne pestis hæc latius devulgetur, severitate qua possumus abscidamus.

De plebe adversus sacrilegos custodienda.

LV. Ante tribunal Domini de reatu neglegentiæ se non poterit excusare qui plebem suam contra sacrilegæ persuasionis auctores noluerit custodire.

De utilitate gregis & pastoris.

LVI. Aliter unus grex & unus pastor non sumus nisi quemadmodum Apostolus docet dicens: *Simus autem perfecti in eodem sensu & in eadem sapientia.*

De tepidis doctoribus.

LVII. Interiorum (1) ordinum culpæ ad nullos magis referendæ sunt quam ad desides neglegentesque (2) doctores: qui multam sæpe nutriunt pestilentiam, dum necessariam dissimulant adhibere medicinam.

Quomodo dubia vel obscura teneantur.

LVIII. In his quæ vel dubia vel obscura fuerint id noverimus sequendum quod nec præceptis evangelicis contrarium nec decretis sanctorum invenitur adversum.

De

---

(1) *Interiorum.*) Certum est legendum hic esse *inferiorum.* Sed omnia vetera Benedicti Levitæ exemplaria habent *interiorum.* Itaque nihil mutare voluimus.

(2) *Neglegentesque.*) Nam parva negligentia Pontificis, ingens animarum discrimen est, ut ait Dionysius Exiguus in epistola ad Julianum.

De uxoribus & concubinis.

LIX. Non omnis mulier viro juncta uxor est viri, neque omnis filius heres est patris. Iraque aliud est uxor, aliud concubina. Sic & aliud ancilla, aliud libera. *Et alibi:* Non est dubium (1) eam mulierem non pertinere ad matrimonium in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium.

De concubinis relinquendis.

LX. Non est conjugii duplicatio quando, ancilla relicta, uxor assumitur, sed profectus est honestatis.

De abstinendo a licitis.

LXI. Oportet, qui pro inlicitis (2) veniam poscit, etiam a multis licitis abstinere.

Quod pœnitentibus nulla lucra negotiationis exercere conveniat.

LXII. Nulla lucra negotiationis (3) pœnitentibus exercere convenit. Quia difficile est inter vendentis ementisque commercium non intervenire peccatum.

De reatu potentum.

LXIII. Reatu majore delinquit qui potiore honore perfruitur; & majora facit vitia delictorum sublimitas dignitatum.

Ut pravi non consecrentur.

LXIV. Quisquis pravorum consecrator extiterit sacerdotum, factum suum ipse dissolvat; & quod commisit inlicite, aut a decessoribus suis invenit admissum, si proprium periculum vult vitare, damnabit.

Ut injusta populi petitio effectu careat.

LXV. Nec tantum putemus petitiones valere populorum ut, cum his parere cupimus, contra voluntatem Domini Dei nostri, qui peccare prohibet, aliquid agimus. *Supra cap.* 24.

De potestate data non abutenda.

LXVI. Privilegium meretur amittere qui permissa sibi abutitur potestate.

Ut nemo pœnitentem alterius parrochiæ absolvat.

LXVII. Nullus sacerdos in alterius civitate vel diocesi pœnitentem, vel sub manu positum sacerdotis, vel qui reconciliatum se esse dixerit, sine consensu & litteris Episcopi vel Presbyteri in parrochia, Presbyter aut Episcopus in civitate suscipiat.

De criminosis non promovendis.

LXVIII. Ad clerum criminosi nequeant promoveri; & in clero positi, si in aliquibus criminibus inventi fuerint, a suis officiis arceantur.

De his qui variis passionibus irretiti sunt.

LXIX. Dæmoniis aliisque passionibus irretitis ministeria sacra tractare non licet.

De mortuis temere non judicandis.

LXX. Non est temere judicandum de his qui ad Deum migraverunt.

De contentione vitanda.

LXXI. Summopere contentio est vitanda.

Quod mali, bona ministrando, sibi noceant.

LXXII. Mali, bona ministrando, sibi tantummodo nocent, nec Ecclesiæ sacramenta commaculant.

Ut vivente viro vel uxore nemo eorum alteri conjugio copuletur.

LXXIII. Qui, interveniente repudio, alio se matrimonio copularunt; quos in utraque parte adulteros esse manifestum est. Qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse conjugium, ad aliam copulam festinarunt, nec possunt adulteri non videri, in tantum ut etiam hæ personæ, quibus conjuncti sunt, adulteri esse monstrentur.

De potestate Episcopi in parrochia sua.

LXXIV. Ut unusquisque Episcopus habeat suæ parrochiæ potestatem, & regat juxta reverentiam singulis competentem, & providentiam gerat omnis possessionis quæ sub ejus est potestate.

Ut nemo Clericorum absque consensu Episcopi sui Principem adeat.

LXXV. Si quis adire Principem necessaria caussa deposcit, hoc agatur cum consilio & tractatu Metropolitani & ceterorum Episcoporum ipsius provinciæ.

De potestate Episcopi in rebus ecclesiasticis.

LXXVI. Episcopus ecclesiasticarum rerum habeat potestatem, ad dispensandum erga omnes qui indigent, cum summa reverentia & timore Dei. Participet autem & ipse quibus indiget; si tamen indiget.

Ut Clericus extra suam parrochiam absque Pontificis sui permissu non proficiscatur.

LXXVII. Non oportet sacerdotem vel Cleri-

---

(1) *Non est dubium.*) Vide infra cap. 105. istius libri.

(2) *Qui pro inlicitis.*) Sanctus Gregorius lib. 9. Indict. 4. epistola 39. *Licebat enim bibere, si voluisset. Sed quia illicita se fecisse meminerat, laudabiliter a licitis abstinebat.* Vide Capitula Caroli Calvi tit. XXVIII. cap. 12.

(3) *Nulla lucra negotiationis.*) Vide Isaacum Lingonensem tit 1. cap. 32.

ricum fine juſſione ſui proficiſci pontificis.

Qualiter Epiſcopi provehantur.

LXXVIII. Epiſcopi judicio Metropolitanorum & eorum Epiſcoporum qui circum circa ſunt provehantur ad eccleſiaſticam poteſtatem.

Quod turbis electiones Epiſcoporum non concedantur.

LXXIX. Non eſt permittendum turbis electiones eorum facere qui ſunt ad ſacerdotium provehendi.

Ut Epiſcopi terminos parrochiæ ſuæ non tranſeant.

LXXX. Qui ſunt ſupra diœceſim Epiſcopi nequaquam ad Eccleſias quæ ſunt extra præfixos ſibi terminos accedant, nec eos aliqua præſumptione tranſcendant.

Ut Epiſcopi, niſi vocati, extra ſuam diœceſim nullas ordinationes faciant.

LXXXI. Non vocati Epiſcopi extra ſuam diœceſim accedant propter ordinationes faciendas vel propter alias diſpenſationes eccleſiaſticas.

Quod ea quæ in provincia agenda ſunt ipſius provinciæ ſynodus diſpenſet.

LXXXII. Servata vero (1) quæ ſcripta eſt de gubernationibus regula, manifeſtum eſt quod illa quæ ſunt per unamquamque provinciam ipſius provinciæ ſynodus diſpenſet, ſicut Nicæno conſtat decretum eſſe Concilio, *VI.* 381.

De poteſtate Primatis diœceſeos.

LXXXIII. Si quis a Metropolitano læditur, apud Primatem diœceſeos judicetur. *Vide infra cap.* 314.

Ut accuſatores Clericorum ſine probatione non recipiantur.

LXXXIV. Clericos vel laicos accuſantes Epiſcopos aut Clericos paſſim & ſine probatione ad accuſationem recipi non debere, niſi prius eorum diſcutiatur exiſtimationis opinio vel ſuſpicio.

Ut criminoſus vocem accuſandi non habeat.

LXXXV. Is qui in aliquibus criminibus irretitus eſt vocem adverſus majorem natu non habeat accuſandi. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Si criminoſus eſt, non admittatur. Placet.

Ut accuſato locus unde ipſe eſt concedatur, ubi teſtes habere queat.

LXXXVI. Placuit ut accuſatus vel accuſator in eo loco, unde eſt ille qui accuſatur, ſi metuit aliquam vim temerariæ multitudinis, locum ſibi eligat proximum, quo non ſit difficile teſtes ejus perducere, ubi cauſſa finiatur.

Ut Epiſcopus ante juſtam difinitionem nullatenus propria poteſtate privetur.

LXXXVII. Adimi Epiſcopo epiſcopatum, antequam cauſſæ ejus exitus appareat, nulli Chriſtiano videri jure poteſt.

Ut nulli criminoſo liceat accuſare Epiſcopum.

LXXXVIII. Epiſcopum nulli criminoſo liceat accuſare.

De Primate in accuſatione Epiſcopi expetendo.

LXXXIX. Si quis Epiſcopus accuſatur, ad Primates ipſius provinciæ cauſſam ejus deferat accuſator.

Ut accuſator culpabilis non recipiatur.

XC. Si accuſatoris perſona in judicio Epiſcoporum culpabilis apparuerit, ad arguendum non admittatur niſi de propriis cauſſis. *Vide ſupra lib.* 5. *c.* 395. *& infra c.* 119. *hujus libri.*

Ut nemo eccleſiaſticus teſtificari compellatur.

XCI. Ut nulla ad teſtimonia (2) dicendum eccleſiaſtici cujuslibet pulſetur perſona.

De Concilio univerſali.

XCII. Concilium univerſale nonniſi neceſſitate faciendum.

De cauſſis ſpecialibus.

XCIII. Cauſſæ quæ communes non ſunt in ſuis provinciis judicentur.

Ut Metropolitanus in alterius provincia nihil præſumat.

XCIV. Unaquæque provincia ſuo Metropolitano & ſuis comprovincialibus Epiſcopis ſit contenta, nec aliquis in limitibus alterius provinciæ quicquam præſumat.

Ut contradicentibus non ordinetur Epiſcopus.

XCV. Nolentibus Clericis vel populis nemo debet Epiſcopus ordinari. Sit facultas Cle-

(1) *Servata vero.*) Pro his verbis Angilramnus Metenſis Archiepiſcopus ſcripſit: *Salvo Romanæ Eccleſiæ in omnibus primatu.* Ingenue autem fatentur Correctores Romani in Notis ad Gratianum 5. q. 4. cap. 2. ſe caput iſtud alibi reperire non potuiſſe quam inter capitula Hadriani. Hinc etiam accepiſſe puto Sergium Secundum iſta verba, quæ extant in epiſtola de vicariatu Drogonis Archiepiſcopi Metenſis: *Salvo in omnibus hujus univerſalis Romanæ ſedis primatu.*

(2) *Ut nulla ad teſtimonia.*) Caput iſtud ſumptum eſt ex canone primo Concilii quinti Carthaginenſis. Extat autem etiam in capite 59. collectionis Africanæ.

Clericis renitendi, si se viderint prægravari. Et quos ex transverso cognoverint non timeant refutare.

Quod tres Episcopi præcepto Archiepiscopi ordinare possint Episcopum.

XCVI. Si necessitas fuerit, tres Episcopi, in quocunque loco sint, Archiepiscopi præcepto ordinare possunt Episcopum.

De contradictione ordinationis Episcopi.

XCVII. Si de ordinatione Episcopi fuerit contradictio oborta, non præsumant ad purgandum eum qui ordinatus est tres jam, sed postuletur ad numerum unus vel duo in eadem plebe cui ordinandus est. Discutiantur ergo primo personæ contradicentium. Postremo vero illa quæ objiciunt pertractentur. Et cum purgatus fuerit sub conspectu publico, ita demum ordinetur Episcopus.

Ut Chorepiscopi modum mensuræ qui in sacris canonibus præfixus est non excedant.

XCVIII. Emersisse reprehensibilem & valde inolitum usum comperimus, eo quod quidam Chorepiscopi, ultra modum suum progredientes, & donum sancti Spiritus per impositionem manuum tradant, & alia quæ solis Pontificibus debentur contra fas peragant, præsertim cum nullum ex septuaginta discipulis, quorum speciem in Ecclesia gerunt, legatur donum sancti Spiritus per manus impositionem tradidisse. Quod autem solis Apostolis eorumque successoribus proprii sit officii tradere Spiritum sanctum liber actuum Apostolorum docet. In Concilio vero Cæsariensi ita de Chorepiscopis habetur scriptum: *Chorepiscopi quoque ad exemplum quidem & formam septuaginta videntur esse. Ut comministri autem, propter studium quod erga pauperes exhibent, honorentur.* Item in Concilio Antiocheno capitulo decimo: *Qui in vicis vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sint, tamen sanctæ Synodo placuit ut modum proprium recognoscant, & gubernent subjectas sibi Ecclesias, earumque moderamine curaque contenti sint.*

Quales personæ ad accusationem non admittantur.

XCIX. Placuit ut omnes servi vel liberti omnesque infames personæ ad accusationem non admittantur, vel omnes quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt.

Ut si unum crimen accusatores adprobare nequiverint, de ceteris non admittantur.

C. Placuit ut quotienscunque Clericis ab accusatoribus multa crimina objiciuntur, & unum ex ipsis, de quo prius egerint, adprobare non valuerint, ad cetera non admittantur.

Ut testes infra XIV. annos ætatis non recipiantur.

CI. Testes ad testimonium non admittendos qui nec ad accusationem admitti præcepti sunt, vel quos ipse accusator de sua domo produxerit. Ad testimonium autem infra XIV. ætatis suæ annos nullus admittatur.

Ut Clerici sive Episcopi a suis Metropolitanis vel comprovincialibus audiantur.

CII. Canones Africanæ (1) provinciæ vel etiam decreta Nicæna inferioris gradus Clericos sive ipsos Episcopos suis Metropolitanis apertissime commiserunt. Prudentissime enim justissimeque definierunt quæcunque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda; maxime quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suæ provinciæ vel etiam universale provocare.

Si quis Episcopus depositus Romanum Pontificem appellaverit, caussa ejus judicio Episcopi Romani determinetur.

CIII. Si quis Episcopus depositus fuerit eorum

---

(1) *Canones Africanæ.*) Canones illos magnam auctoritatem habuisse in Ecclesia Gallicana patet ex pluribus locis. In causa Contumeliosi Rejensis Episcopi Cæsarius Arelatensis reverentiam quæ canonibus Africanis debetur comparavit cum ea quæ Nicænis debebatur. *Si illorum CCCXVIII. Episcoporum qui per omnes Ecclesias Concilia fieri præceperunt, tam sancta decreta negligimus, non illos solos despicimus, sed &, sicut supra jam dictum est, & Africanos Pontifices & omnes reliquos qui ipsis ordinantibus per totum mundum pro ecclesiastica disciplina aliquid statuerunt, cum peccato animæ nostræ contemnimus.* Apud Flodoardum lib. 2. cap. 20. scriptum est Ebbonem Archiepiscopum Remensem secundum Africanum Concilium dictasse libellum suæ depositionis & scribi coram se fecisse, eique propria manu subscripsisse. Et paulo post: *Et ut omnia secundum leges quibus moderatur Ecclesia in synodo legaliter adimpleret, simul cum eis quos secundum Africanæ provinciæ canones elegerat sibi judices &c.* citanturque postea in eam rem capitulum 59. & cap. 74. Concilii Africani. Baldericus Episcopus Noviomensis libro 1. cap. 54. adnotat Hincmarum Episcopum Laudunensem ab Hincmaro Remensi Archiepiscopo accusatum judices electos expetiisse secundum Africanum Concilium. Hincmarus ipse in opusculo LV. Capitulorum cap. 16. ait Sanctum Remigium auctoritate Africani Concilii ordinasse Episcopum in castro Lauduno. Et in epistola 44. ad Adventium Episcopum Metensem ait eum qui electus est Episcopus examinandum esse ab Episcopis secundum capitulum Carthaginensis Concilii, quo manifestatur qualis debeat ordinari Episcopus. In Concilio Remensi anni DCCCCXCI. Episcopi Gallicani supposititiis veterum Pontificum Romanorum epistolis opposuerunt canones Africanos qui de judicandis intra provinciam Episcopis decreverunt, ut dictum est in præfatione ad Reginonem. Vide infra cap. 155. hujus libri.

rum Episcoporum judicio qui in vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma, alter Episcopus in ejus cathedra, post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi caussa fuerit judicio Episcopi Romani determinata.

Ut Episcopus accusatus ab omnibus comprovincialibus, coepiscopis videlicet suis, audiatur vel judicetur.

CIV. Si quis Episcopus super certis criminibus accusatus fuerit, ab omnibus audiatur qui sunt in provincia Episcopis.

Quod legitima uxor sit nuptialiter ducenda.

CV. Dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium (1). Igitur quicunque filiam suam viro habenti concubinam in matrimonium dederit, non ita accipiendum est quasi eam conjugato dederit; nisi forte illa mulier & ingenua facta & dotata legitime & publicis nuptiis honestata videatur. Paterno arbitrio viris junctæ carent culpa, si mulieres quæ a viris habebantur in matrimonio non fuerunt. Quia aliud est nupta, aliud concubina. *Vide supra c.* 59.

De Metropolitanis, ne comprovincialium caussas absque proprio Episcopo audiant, neque alicujus coepiscopi querelam vel crimen præter ceterorum omnium comprovincialium coepiscoporum præsentiam discutere præsumant.

CVI. Ut nullus Metropolitanus (2) absque ceterorum omnium comprovincialium coepiscoporum instantia aliquorum audiat caussas eorum, clamante canonum tuba: *Metropolitanus præter omnium conscientiam non faciat aliquid*, (subauditur, comprovincialium coepiscoporum) *nisi quantum ad propriam pertinet parrochiam* (3).

De accusatoribus sacerdotum calumniosis vel suspectis.

CVII. Accusatores calumniosos vel suspectos nemo suscipiat, nemo audiat.

De accusatoribus & accusationibus submovendis quas leges non admittunt.

CVIII. Accusatores & accusationes, quas seculi leges non admittunt, & nos submovemus.

De caussis Episcoporum vel reliquorum sacerdotum a comprovincialibus infra propriam provinciam terminandis, & non ab aliis, nisi fuerit provocatum.

CIX. Si quæ caussæ vel contentiones inter Clericos & laicos, vel inter Clericos tam majoris ordinis quam etiam inferioris, fuerint exortæ, placuit ut secundum Synodum Nicænam, congregatis omnibus ejusdem provinciæ Episcopis, jurgium terminetur. Ne cui liceat, (sine præjudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus caussis debet reverentia custodiri) relictis his sacerdotibus qui in eadem provincia Dei Ecclesias nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias vel aliorum comprovincialium Episcoporum judicium expeti vel pati, nisi suspecti fuerint. Quod si quis præsumpserit, & ab officio cleri depositus & injuriarum reus ab omnibus judicetur. *Vide supra lib. 6. c.* 381.

De accusatoribus in majorum natu judicio requirendis.

CX. Quærendum est in judicio cujus sit conversationis & fidei is qui accusat & is qui accusatur.

De accusatoribus pravæ conversationis, vel quorum vita est accusabilis, non recipiendis in caussa sacerdotum.

CXI. Ut hi qui non sunt bonæ conversationis, vel quorum vita est accusabilis, non permittantur majores natu accusare. *Supra I.* 35.

De accusatoribus quorum fides, vita, & libertas nescitur non admittendis in sacerdotum pulsatione.

CXII. Quorum fides, vita, & libertas nescitur, non possunt sacerdotes accusare. *Supra VI.* 359.

De canonibus a sacerdotibus non ignorandis.

CXIII. Placuit ut nulli sacerdoti liceat canones ignorare. *V.* 34.

De Episcopo sibi soli præsumente cognitionem.

CXIV. Placuit ut unus Episcopus (4) non vindicet sibi cognitionem.

(1) *Nuptiale mysterium.*) Hincmarus epist. 37. cap. 5. *Secundum diffinitionem S. Leonis Papæ & traditionem doctorum superius demonstratam dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium in qua conjunctione sexuum non docetur Christi & Ecclesiæ sacramentum hoc est nuptiale fuisse mysterium.*

(2) *Ut nullus Metropolitanus.*) Vide infra Addit. IV. cap. 20.

(3) *Ad propriam parrochiam.*) Contra in canone undecimo synodi apud Celichyth scriptum est, *ut nulli Episcoporum liceat alterius parochiam invadere vel etiam aliquid alterius ministerii ad se pertrahere in aliqua consecratione Ecclesiarum vel Presbyterorum Diaconorumque nisi solus Archiepiscopus, quia caput est suorum Episcoporum.*

(4) *Placuit ut unus Episcopus.*) Vide supra lib. 6. cap. 358.

De Episcopis damnare volentibus eos a quibus sunt consecrati.

CXV. Episcopi Pontifici a quo consecrari probantur præjudicium inferre nullum possunt. Quod si præsumptum fuisse cognoscitur, viribus carere non dubium est, nec posse inter ecclesiastica ullo modo statuta censeri.

De Episcopis ejectis vel suis rebus expoliatis, ut ante non accusentur quam legibus pleniter restituantur.

CXVI. Si quis Episcopus suis fuerit rebus expoliatus & accusatione pulsatus, ordinatione Pontificum oportet prima fronte cedere, ut omnia quæ super suggestiones inimicorum amiserat, legaliter potestati ejus ab honorabili Concilio redintegrentur, & Præsul prius statui pristino reddatur; ipseque demum potestative, non subito, sed diu dispositis ordinatisque suis, tunc ad tempus veniat ad caussam; & si juste videtur, accusantium propositionibus respondeat.

De his quos leges seculi non admittunt, in Clericorum caussis non admittendis.

CXVII. Quos leges seculi non admittunt, his dicendi in cognitionem vel adsequendi aliquid deneganda est licentia. *Vide supra c.* 108.

De non cogendo Clericos in publicum dicere testimonium.

CXVIII. Clerici de judicii sui cognitione non cogantur in publicum dicere testimonium.

De accusatoris persona scelerum maculis aspersa ad sacerdotum accusationem non admittenda.

CXIX. Si accusatoris persona in judicio Episcoporum culpabilis, id est, sceleribus irretita, apparuerit, ad arguendum non admittatur nisi de propriis caussis. *V.* 395. *VII.* 90.

Ne interventor Episcopus cathedram ubi intercessor est sedeat.

CXX. Item constitutum est ut nulli interventorum licitum sit cathedram cui intercessor datus est quibuslibet populorum studiis vel seditionibus retinere.

Quotiens de minoribus judicibus ecclesiasticis ad majores ecclesiasticos judices fuerit provocatum, non eis denegetur qui provocaverint.

CXXI. Placuit ut a quibuscunque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, non eis denegetur qui provocaverint. *VI.* 300. *Add. IV.* 16.

De apostolicis & canonicis decretis minime violandis.

CXXII. Providendum est in omnibus ne in aliquo apostolica vel canonica decreta violentur.

Decretum Domni Karoli Regis Francorum ut servi Dei neque in hostem pergant neque armaturam bajulent.

CXXIII. Karolus gratia Dei Rex regnique Francorum rector & devotus sanctæ Ecclesiæ defensor atque adjutor in omnibus. Apostolicæ sedis hortatu, omniumque fidelium nostrorum, & maxime Episcoporum ac reliquorum sacerdotum consultu, servis Dei per omnia omnibus armaturam portare vel pugnare aut in exercitum & in hostem pergere omnino prohibemus, nisi illi tantummodo qui propter divinum ministerium, Missarum scilicet solemnia adimplenda & sanctorum patrocinia portanda, ad hoc electi sunt; id est, unum vel duos Episcopos cum capellanis Presbyteris Princeps secum habeat, & unusquisque Præfectus unum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus judicare & indicare pœnitentiam possit. *Capitul. a.* 769. *c.* 1. *Vide supra lib.* 5. *c.* 2.

Non esse fundendum sanguinem Christianorum vel paganorum a sacerdotibus.

CXXIV. Ut Sacerdotes neque Christianorum neque paganorum sanguinem fundant. *Capitul. a.* 769. *c.* 2.

Ut servi Dei venationes non exerceant.

CXXV. Omnibus servis Dei venationes & silvaticas vagationes cum canibus, & ut accipitres & falcones non habeant, interdicimus. *Ibid. c.* 3.

Ut ignoti Episcopi vel Presbyteri ante Synodalem probationem non admittantur ad ministerium ecclesiasticum.

CXXVI. Statuimus ut secundum canonicam cautelam omnes undecunque supervenientes ignotos Episcopos vel Presbyteros ante probationem Synodalem in ecclesiasticum ministerium non admitteremus. *Ibid. c.* 4.

De Sacerdotibus qui plures uxores habuerint.

CXXVII. Si sacerdotes plures uxores habuerint, vel sanguinem Christianorum vel paganorum fuderint, aut canonibus obviaverint, sacerdotio priventur: quia deteriores sunt secularibus. *Ibid c.* 5.

Ut unusquisque sollicitus sit, adjuvante Defensore Ecclesiæ, ne in sua parrochia populus opera diabolica agat.

CXXVIII. Decrevimus ut secundum canones unusquisque Episcopus in sua parrochia sollicitudinem adhibeat, adjuvante Grafione qui Defensor Ecclesiæ est, ut populus

Dei paganias non faciat; ſed ut omnes ſpurcitias gentilitatis abjiciat & reſpuat, ſive profana ſacrificia mortuorum, ſive ſortilegos vel divinos, ſive phylacteria & auguria, ſive incantationes, ſive hoſtias immolatitias, quas ſtulti homines juxta Eccleſias ritu pagano faciunt ſub nomine ſanctorum martyrum vel confeſſorum Domini; qui potius quam ad miſericordiam ſanctos ſuos ad iracundiam provocant. *Ibid. c. 6.*

Ut parrochiam ſuam unuſquiſque Epiſcopus ſingulis circumeat annis.

CXXIX. Statuimus ut ſingulis annis unuſquiſque Epiſcopus parrochiam ſuam ſollicite circumeat & populum confirmare & plebes docere & inveſtigare, & prohibere paganas obſervationes (1), divinoſque vel ſortilegos, aut auguria, phylacteria, incantationes, vel omnes ſpurcitias gentilium ſtudeat. *Ibid. cap. 7.*

Ut Presbyteri Epiſcopis ſuis ſubjecti ſint, & ut quadrageſimæ tempore miniſterii ſui ordinem reddant.

CXXX. Decrevimus juxta ſanctorum canones ut unuſquiſque Presbyter in parrochia habitans Epiſcopo ſubjectus ſit illi in cujus parrochia habitat, & ſemper in quadrageſima rationem & ordinem miniſterii ſui, ſive de baptiſmo, ſive de fide catholica, ſive de precibus & ordine Miſſarum, Epiſcopo reddat & oſtendat. Et quandocunque jure canonico Epiſcopus circumeat parrochiam populos ad confirmandos, Presbyter ſemper paratus ſit ad ſuſcipendum Epiſcopum, cum collectione & adjutorio populi qui ibi confirmari debet. Et in Cœna Domini ſemper novum chriſma ab Epiſcopo ſuo quærat. Et de vetere nullus baptizare præſumat, ſed ardere in luminaribus Eccleſiæ vetus non tardet. *Ibid. c. 8.*

Ne aliquis accipiat Eccleſiam infra parrochiam ſine conſenſu Epiſcopi ſui.

CXXXI. Ut nemo accipiat Eccleſiam infra parrochiam ſine conſenſu Epiſcopi ſui, nec de una ad aliam tranſeat. *Ibid. c. 9.*

Ut de inceſtis & infirmis & pœnitentibus curam gerant ſacerdotes.

CXXXII. Ut de inceſtis & criminoſis curam gerant ſacerdotes magnam. Similiter de infirmis & pœnitentibus; ut morientes ſine ſacrati olei unctione (2) & reconciliatione atque viatico non tranſeant. Et de jejunio quatuor temporum. *Ibid. c. 10.*

Ut duabus vicibus in anno ad mallum omnes liberi veniant.

CXXXIII. Ut ad mallum venire nemo tardet, unum circa æſtatem & alterum circa autumnum. Ad alia vero, ſi neceſſitas fuerit, vel denuntiatio Regis urgeat, vocatus venire nemo tardet. *Ibid. c. 12.*

Ut nullus neglegens ſit quando pro Rege vel fidelibus ſuis orandum fuerit.

CXXXIV. Ut quando denuntiatum fuerit pro Rege vel pro fidelibus ſuis (3) qualibet cauſſa orationes facere, nemo ex hoc neglegens appareat. *Ibid. c. 13.*

De jejunio quatuor temporum & a ſacerdote plebi denuntiando & ab omnibus obſervando.

CXXXV. Ut jejunium quatuor temporum & ipſe ſacerdos obſervet & plebi denuntiet obſervandum. *Ibid. c. 11.*

Ut ſacerdos niſi in locis conſecratis Miſſam non celebret.

CXXXVI. Nullus ſacerdos niſi in locis Deo dicatis, vel in itinere in tabernaculis & menſis lapideis ab Epiſcopis conſecratis, Miſſas celebrare præſumat. Quod qui præſumpſerit, gradus ſui periculo ſubjacebit. *Ibid. c. 14.*

De ſacerdotibus qui miniſterium ſuum adimplere non valent.

CXXXVII. Sacerdotes qui rite non ſapiunt adimplere miniſterium ſuum, nec diſcere juxta præcepta ſuorum Epiſcoporum pro viribus ſatagunt, vel contemptores canonum exiſtunt, ab officio proprio ſunt ſubmovendi, quouſque hoc pleniter emendatum habeant. *Ibid. c. 15.*

De his qui pœnitentia accepta moriuntur.

CXXXVIII. De his qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit ſine reconciliatoria manus impoſitione eis communicare; quod morientis ſufficit conſolationi ſecun-

(1) *Paganas obſervationes.*) Id eſt, divinos, ſortilegos, auguria, auſpicia, phylacteria, incantationes, ſive omnes ſpurcitias impiorum gentiliumque errata, ut legitur in can. 3. Concilii apud Cloveshoviam habiti. Vide Indiculum ſuperſtitionum & paganiarum adjunctum ſynodo Liptinenſi.

(2) *Sacrati olei unctione.*) Hic adnotandus eſt ordo ſervatus in adminiſtratione ſacramentorum. Primum ęgrotus inungitur oleo ſacrato; dein reconciliatur eccleſiaſtice communioni, ſi in publica pœnitentia conſtitutus erat; poſtremo tribuitur ei viaticum, id eſt, communio Corporis & ſanguinis Domini. At ſi pœnitens non erat, neceſſaria non erat reconciliatio. Itaque non dabatur, ſed tantum unctio & viaticum. Editi ſunt olim ritus obſervati in unctione & communione infirmorum. Sed ego nuper in vetuſtiſſimo codice Lemovicenſi, qui nunc eſt bibliotheca regia, inveni ordinem ad viſitandum & ungendum infirmum, in quo nonnulla ſunt ſcitu digna quę non leguntur in vulgatis, adeoque fortaſſis operæ pretium fuerit illum editionis honore donare.

(3) *Pro fidelibus ſuis.*) Id eſt, pro optimatibus, pro exercitu Francorum, ut ſupra libro quinto cap. 207.

cundum definitiones patrum, qui hujuſmodi communionem congruenter viaticum nominarunt. Quod ſi ſupervixerint, ſtent in ordine pœnitentum; ut oſtenſis neceſſariis pœnitentiæ fructibus, legitimam communionem cum reconciliatoria manus impoſitione recipiant.

Ut nullus judex neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum ſine conſenſu Epiſcopi ſui diſtringat.

CXXXIX. Ut nullus judex neque Presbyterum neque Diaconum aut Clericum aut juniorem Eccleſiæ ſine ſcientia Pontificis per ſe diſtringat aut condemnare præſumat. Quod ſi fecerit, ab Eccleſia cui injuriam inrogare dinoſcitur tamdiu ſit ſequeſtratus quandiu reatum ſuum cognoſcat & emendet. *Supra VI. 156.*

Ut nullus Epiſcoporum vel ſecularium alterius Epiſcopi res tenere præſumat.

CXL. Ut nullus Epiſcoporum vel ſecularium cujuſcunque alterius Epiſcopi ſive Eccleſiæ ſeu privati res aut regnorum diviſione aut provinciarum ſequeſtratione competere aut retinere præſumat. Quod ſi quis hoc facere tentaverit, tamdiu ſit ab omnium caritate ſuſpenſus & a communionis gratia ſequeſtratus quoadusque res ablatas cum fructuum ſatisfactione reſtituat. *Capitul. a. 769. c. 18.*

De hoſte & pugna atque armis ſacerdotibus prohibitis.

CXLI. Secunda vice, propter ampliorem obſervantiam, apoſtolica auctoritate & multa ſanctorum Epiſcoporum admonitione inſtructi, ſanctorumque canonum regulis edocti, conſultu videlicet omnium nobilium noſtrorum, noſmetipſos corrigentes, poſteriſque noſtris exemplum dantes, volumus ut nullus ſacerdos in hoſtem (1) pergat, niſi duo vel tres tantum Epiſcopi, electione ceterorum, propter benedictionem & prædicationem populique reconciliationem, & cum illis electi ſacerdotes, qui bene ſciant populis pœnitentias dare, Miſſas celebrare, de infirmis curam habere, ſacratique olei cum ſacris precibus unctionem impendere, & hoc maxime prævidere ne ſine viatico quis de ſeculo recedat. Hi vero nec arma ferant, nec ad pugnam pergant, nec effuſores ſanguinum vel agitatores fiant; ſed tantum ſanctorum pignora & ſacra miniſteria ferant, & orationibus pro viribus inſiſtant; ut populus qui pugnare debet, auxiliante Domino victor exiſtat, & non ſit ſacerdos ſicut populus. Reliqui vero qui ad Eccleſias ſuas remanent, ſuos homines bene armatos nobiſcum, aut cum quibus juſſerimus, dirigant; & ipſi pro nobis & cuncto exercitu noſtro Miſſas, letanias, oblationes, eleemoſynas faciant, orantes Deum cœli ut proficiamus in itinere quo pergimus, victoreſque Deo adminiculante exiſtamus. Gentes enim & Reges earum quæ ſacerdotes ſecum pugnare permiſerunt, nec prævalebant in bello, nec victores extiterunt: quia non erat differentia inter laicos & ſacerdotes, quibus pugnare non eſt licitum. Hæc vero Galliarum, Hiſpaniarum (2), Langobardorum, nonnullaſque alias gentes & Reges earum feciſſe cognovimus; quæ propter prædictum nefandiſſimum ſcelus nec victores fuerunt, nec patrias retinuerunt. Quam foveam caventes malumus cum paucis & licitis, Domino opem ferente, victores exiſtere quam cum multis & inlicitis terga, quod abſit, vertere & cum prædictis gentibus perire. Qualis enim victoria datur ubi ſacerdotes una hora dominica pertractant myſteria & Chriſtianis dominicum porrigunt corpus pro ſuarum animarum redemptione, & poſt Chriſtianos, quibus hoc miniſtrare debuerant, aut paganos, quibus Chriſtum prædicare, propriis ſacrilegiſque manibus necant; præcipue dicente eis Domino: *Vos eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal evanuerit, in quo condietur? Ad nihilum valet ultra niſi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus.* Et hum hæc ita ſe habeant, elegimus potius, Domino adminiculante nobiſque illis & cunctis eorum Eccleſiis opem ferente, nec quicquam eis pro hoc de honoribus vel Eccleſiarum rebus minuente, ut gradus eorum & ſanctorum canonum decreta cuſtodiant, quam illi aut nobis imperantibus aut conſentientibus contra

(1) *Nullus ſacerdos in hoſtem.*) Si vera ſunt quę narrantur in vita Sancti Anſovini Epiſcopi Camerinenſis apud Ferrarium & Ughellum, hæc conſtitutio Caroli obſervata non fuit, & nova Ludovici Pii lege opus fuit ut Epiſcopi levarentur onere proficiſcendi ad bellum. Narrat enim Philippus Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ pag. 149. Anſovinum electum Epiſcopum a Camertibus non ante eam dignitatem accipere voluiſſe quam ab Imperatore conſuetudo proficiſcendi ad bellum militibus, non Epiſcopis, congruens tolleretur, tum vero abrogata ea conſuetudine, electioni conſenſiſſe. Ughellus vero in tom. 1. Italiæ ſacrę ait eum electum Epiſcopum anno DCCCXVI. non prius aſſenſum eſſe electoribus quam mos ille perverſus per Imperatorium diploma arma tractandi Epiſcopis adimeretur; quo a Ludovico Imperatore obtento, cui a ſecretis confeſſionibus fuerat, ſumma animi moderatione epiſcopale munus ſubiiſſe. Sed ex vita ejus ab Egino monacho conſcripta legitur tantum ei datam eſſe a Ludovico optionem *ſecuriter accedendi ad pontificatum, quia non auderet eum quiſpiam compellere deinceps inſervire militiæ rei ſecularis.* Nihil hic de lege generali. Itaque veriſſimam puto Henſchenii obſervationem ad hunc locum, quæ ſic habet: *Laxius id accipit Ughellus, quaſi univerſim id pro Epiſcopis omnibus imperatorio diplomate ſancitum fuerit in gratiam Anſovini, quod non videtur verum fuiſſe.*

(2) *Hiſpaniarum.*) Decretum Concilii Toletani octavi: *Ecce enim ita ex gentis noſtræ mediocribus majoribuſque perſonis multos haſtenus corruiſſe reperimus & deflemus ut eorum agnitis ruinis non aliud poſſimus quam divinæ judicia conſiderare permiſſionis.*

tra hæc faciant, aut gradibus careant, aut pereant, & nos simul, quod absit, cum eis & victoria careamus vel pereamus. Quoniam, peccatis exigentibus, timemus, si talia & tam inlicita eis aut imperemus aut agere consentiamus, ut una cum eis pereamus. Quia non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, æquo piaculo rei sunt in conspectu Dei & sanctorum ejus. Si vero ista veraciter ex utraque parte fuerint custodita, credimus quia corruent ante nos omnes paganæ gentes, & erimus victores; insuper & bene agentes, Domino auxiliante, vitam possidebimus sempiternam. *Capitul. VIII. a.* 803.

De his qui putaverunt idcirco præceptum fuisse non ire ad pugnam sacerdotes ut honor eis minueretur.

CXLII. Quia instigante antiquo hoste audivimus quosdam nos suspectos habere, propterea quod concessimus Episcopis & sacerdotibus ac reliquis Dei servis ut in hostes nisi duo aut tres a ceteris electi, & sacerdotes similiter perpauci ab eis electi, non irent, sicut in prioribus nostris continetur Capitularibus, nec ad pugnam properarent, nec arma ferrent, nec homines tam Christianos quam paganos necarent, nec agitatores sanguinum fierent, vel quicquam contra canones facerent, quod honores sacerdotum & res Ecclesiarum auferre vel minuere eis voluissemus, quod nullatenus facere vel facere volentibus consentire omnes scire cupimus. Sed quanto quis eorum amplius suam normam servaverit & Deo servierit, tanto eum plus honorare & cariorem habere volumus. Et ut hæc certius credantur & per futura tempora conserventur, præcipimus ut nullus res Ecclesiæ nisi precario possideat. Et postquam ipsæ precariæ finitæ fuerint, faciant potestative speculatores Ecclesiæ utrum elegerint, aut ut ipsas res recipiant, aut posteris eorum sub precario & censu habere permittant. Ita tamen ut ipsi proprias & utiles res eisdem Ecclesiis, de quarum jure esse videntur, legaliter tradant, & sic a rectoribus earundem Ecclesiarum precariæ, si renovandæ sunt, canonice renoventur. Novimus ergo multa regna & Reges eorum propterea cecidisse quia Ecclesias expoliaverunt (1), resque earum vastaverunt, abstulerunt, alienaverunt, vel diripuerunt, Episcopisque & sacerdotibus atque, quod majus est, Ecclesiis eorum abstulerunt, & pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortes in bello nec in fide stabiles fuerunt, nec victores extiterunt; sed terga multi vulnerati & plures interfecti verterunt, regnaque & regiones &, quod pejus est, regna cœlestia perdiderunt, atque propriis hereditatibus caruerunt & hactenus carent. Quæ omnia vitantes, nec talia facere nec consentire nec infantibus aut successoribus nostris exemplum dare volumus; sed, quantum valemus & possumus, adjuncto Leonis Papæ & omnium Episcoporum, quorum consilio usi hoc egimus, spiritu nostro spiritui eorum, per Deum & omnium sanctorum merita prohibemus contestamurque ne talia faciant vel facere volentibus consentiant; sed adjutores & defensores atque sublimatores Ecclesiarum & cunctorum servorum Dei pro viribus existant; ne in foveam in quam prædicti Reges & regna ceciderunt, cadant, aut in profundum, quod absit, inferni demergantur. Et ut hæc devotius per futura tempora conserventur, præcipientes jubemus ut nullus tam nostris quam futuris temporibus a nobis vel successoribus nostris ullo unquam tempore, absque consensu & voluntate Episcoporum in quorum parrochiis esse noscuntur, res Ecclesiarum petere aut invadere vel vastare aut quocunque ingenio alienare præsumat. Quod si quis fecerit, tam nostris quam & successorum nostrorum temporibus pœnis sacrilegii subjaceat, & a nobis atque successoribus nostris nostrisque judicibus vel Comitibus sicut sacrilegus & homicida vel fur sacrilegus legaliter puniatur, & ab Episcopis nostris anathematizetur, ita ut mortuus etiam sepultura & cunctis Dei Ecclesiæ precibus & oblationibus careat, nec eleemosynam suam quisquam recipiat. Quod autem maximum sacrilegium sit res Ecclesiæ auferre, invadere, alienare, vastare, vel subripi, maxime omnes scripturæ divinæ testantur. Et beatus Symmachus Papa synodali sententia cunctos feriendo dicit: *Iniquum est* (2), inquit, *& sacrilegii instar, ut quæ vel pro salute vel pro requie animarum suarum unusquisque venerabili Ecclesiæ pauperum caussa contulerit aut certe reliquerit, ab his quibus maxime servari convenerat auferri aut in aliud transferri.* Et multa sanctorum canonum decreta & sanctorum patrum edicta hæc eadem testantur, quæ scrutari & scire cupientibus perfacile patent. *Capitul. VIII. a.* 803. *& Capitul. III. a.* 814. *cap.* 1.

De

(1) *Quia Ecclesias expoliaverunt.*) Hæc sunt verba Guntchramni apud Gregorium Turonensem lib. 8. cap. 30. *Qualiter nos hoc tempore victoriam obtinere possumus qui ea quæ patres nostri consecuti sunt non custodimus. Illi vero Ecclesias ædificantes, in Deum spem omnem ponentes, martyres honorantes, sacerdotes venerantes, victorias obtinuerunt, gentesque adversas divino opitulante adjutorio in ense & parma sæpius subdiderunt. Nos vero non solum Deum non metuimus, verum etiam sacra ejus vastamus, ministros interficimus, ipsa quoque sanctorum pignora in ridiculo discerpimus ac vastamus. Non enim potest obtineri victoria ubi talia perpetrantur. Ideo manus nostræ sunt invalidæ, ensis tepescit, nec clypeus nos ut erat solitus defendit ac protegit.*

(2) *Iniquum est.*) Hæc sumpta sunt ex canone 3. Concilii Romani IV. sub Symmacho.

De sceleribus nefandis ob quæ regna percussa sunt, ut penitus caveantur.

CXLIII. Prohibemus omnino sub pœna sacrilegii generaliter omnibus cunctarum Ecclesiarum rerum invasiones, vastationes, alienationes, sacerdotumque & reliquorum servorum Dei oppressiones, vexationes, atque cunctorum generum injurias, necnon & cunctis utriusque sexus hominibus adulteria, fornicationes, sodomiticasque luxurias, atque incesta vel cuncta inlicita conjugia, homicidia injusta, perjuria, falsa testimonia, & omnia inlicita, pro quibus non solum regna & Reges sed etiam homines in eis commanentes perire cognovimus. Sed quia, Deo auxiliante, per merita & intercessionem sanctorum servorumque Dei, quos sublimare & honorare curavimus atque curamus, hactenus nos & successores nostri regna & regiones adquisivimus, & victorias multas habuimus, deinceps summopere omnibus nobis providendum est, ne pro dictis inlicitis & spurcissimis luxuriis, his, quod absit, careamus. Nam multæ regiones, quæ rerum Ecclesiarum invasiones, vastationes, alienationes, vexationesque, & sacerdotum reliquorumque servorum Dei oppressiones vel quascunque injurias, quæ jam dicta inlicita, & adulteria vel sodomiticam luxuriam vel commixtionem meretricum sectatæ fuerunt, nec in bello seculari fortes, nec in fide stabiles perstiterunt. Et qualiter Dominus talium criminum patratoribus ultrices pœnas per Sarracenos & alios populos venire & servire permisit, cunctis earum gesta legentibus liquet. Et nisi nos ab his caveamus, similia nobis supervenire non dubitamus; quia vindex est Deus de his omnibus. Quapropter sciat unusquisque nobis subjectus quia qui in uno ex his repertus atque convictus fuerit, & honores, si habet, omnes perdere & in carcerem se usque ad justam emendationem atque per publicæ pœnitentiæ satisfactionem retrudi & ab omni fidelium consortio fieri alienum. Valde enim cavenda est illa fovea in quam alios cecidisse cognovimus. *Capitul. VIII. a.* 803. *Capitul. III. a.* 814. *c.* 2. *Vide infra Addit. IV. c.* 160.

De his Presbyteris qui contra Episcopos suos seculares defensores habere noscuntur.

CXLIV. Quod illi Presbyteri qui sine Episcopo proprio arbitrio viventes seculares defensores habent contra Episcopos, & seorsum populos congregant, eorumque erroneum ministerium non in Ecclesia sed per agrestia loca & mansiunculas agunt, & Ecclesias conturbant, tales sacerdotes vitandi & honore proprio sunt privandi, carceribusque vel monasticæ vitæ sub pœnitentia diebus vitæ suæ tradendi, mala quæ egerunt luituri.

Ut cujuspiam gradus Clericus sine Pontificis sui concessu nullum ad seculare judicium attrahere præsumat.

CXLV. Clericus cujuslibet gradus sine Pontificis sui permissu nullum ad seculare judicium præsumat adtrahere, nec laico quemlibet Clericum in seculari judicio liceat accusare, cum privatorum Christianorum caussas magis Apostolus ad Ecclesias deferri atque ibidem terminari præcipiat.

Ut Clerici venationes non faciant cum avibus vel canibus.

CXLVI. Ut Clerici venationes non agant, nec acceptores vel falcones habeant. *Supra V.* 2.

Ut omni anno ministerii sui rationem Presbyteri Episcopo suo reddant.

CXLVII. Ut unusquisque Presbyter per singulos annos Episcopo suo rationem ministerii sui reddat, tam de fide catholica, quam de baptismo; atque de omni ordine ministerii sui. *Ibid.*

Ut omnes Episcopi parrochias suas annis singulis circumeant.

CXLVIII. Ut singulis annis unusquisque Episcopus parrochiam suam circumeat, populumque confirmet ac doceat, & ea quæ vitanda sunt prohibeat, & quæ agenda sunt utiliter agere suadeat.

De eo qui non coacte statuta transgressus fuerit.

CXLIX. Si quis statuta supergressus corruperit, vel pro nihilo habenda putaverit, si laicus est, communione, si Clericus, honore privetur. *VI.* 303.

Ut Ecclesiarum negotia semper primo audiantur in caussis.

CL. De Ecclesiarum negotiis, ut absque dilatione ulla continuo audiantur a judice. *Capitul. a.* 755. *c.* 23.

De Episcopo non usurpando alterius fines Episcopi.

CLI. Ne Episcopus alterius Episcopi plebes vel fines usurpet. *Vide infra cap.* 175.

De non judicando vel testificando quemquam in sua caussa.

CLII. Ut nullus in sua caussa judicet aut testimonium dicat.

Ut Episcopus ejectus, vel suis carens rebus, ante plenan restitutionem non accusetur; nec ille qui suis libere & integerrime fruens bonis, antequam familiariter conveniatur; neque respondere compellatur, nisi canonice venerit evocatus.

CLIII. Canonica testante tuba didicimus quod Episcopus ejectus vel suis rebus expolia-

liatus nequaquam debet accusari vel judicari antequam legaliter & pleniter restituatur. Si quis vero libere suis Ecclesiæque sibi commissæ & integerrime fruens rebus ac honoribus, super certis accusatus fuerit criminibus, prosequi ante non licet quam ab accusatoribus familiariter ut ea emendare debeat super quibus res agitur admonitus fuerit. Si inter se se minime ante pacaverint, canonice ad synodum convocentur, ut ab omnibus qui hæc prætermiserint ex utraque parte publice arguantur & corrigantur qui familiariter se & secrete corrigi noluerunt. Quod si sponte, aut aliqua necessitate compulsus, aut in fratrum conventu aut in quolibet loco canonice vocatus, nec olim familiariter commonitus venerit, a nullo compellatur, antequam hæc fiant, ut respondeat; sed prius, ut prælibatum est, familiariter conventus, ut de se & de suis ea sanet unde querimonia agitur. Deinde tempore in Nicænis canonibus præfixo, ut canonice respondeat, ad synodalem convocetur conventum *. Et ut Episcopum apud judices publicos nemo audeat accusare, sed aut apud Primates diocesearum aut apud sedem apostolicam; nec aliorum nisi suorum aut certe electorum judicum sententia impetatur vel teneatur. Sane si circa hæc secus actum fuerit, viribus carere in omnibus haud dubium est. * *VII.* 314.

De superbis vel contumacibus Clericis vel laicis coercendis.

CLIV. Ut Clerici qui superbi vel contumaces sunt coerceantur; ut minores, qui majoribus inrogaverunt injurias, metum habeant. Quia manifestum est illum non esse Dei qui humilitatem contemnit, sed diaboli, qui superbiæ inventor & princeps est. Unde si quis tumidus vel contumeliosus extiterit in majorem natu, contemptus debet contumacia & superbia in omnibus frangi. *VI.* 302.

Ut nullus Clericus vel Abbas ad judicia secularia sine jussione proprii Episcopi ire præsumat. Et ut nullus suo Episcopo contumax aut inobediens existat.

CLV. Statutum est in synodis a sanctis patribus ut nullus Clericus ad judicia laicorum publica conveniat, nisi per jussionem Episcopi sui vel Abbatis, juxta canonum Chartaginensium capitulum nonum, ubi scriptum est: *Qui, relicto ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro illo fuerit prolata sententia, locum suum amittat. Hoc in criminali judicio. In civili vero perdat quod evincit, si locum suum obtinere voluerit. Cum enim ad eligendos judices undique Ecclesiæ patet auctoritas, quia se indignum fraterno consortio judicat qui de universa Ecclesia male sentiendo quidem, de seculari judicio poscit auxilium, cum privatorum Christianorum caussas Apostolus magis ad Ecclesiam deferri atque ibidem terminari præcipiat* *. Simul & hoc statutum est, ut nullus Presbyter, aut Diaconus, vel Subdiaconus, aut fidelis laicus, vel quicunque regulæ mancipatur, suo Episcopo, inflatus, aut schisma faciens, aut contumax vel inobediens appareat, quoniam in canonibus scriptum est: *Presbyteri & Diaconi præter Episcopum nil agere pertentent*. Et per inobedientiam primus homo cecidit. Quicunque vero audent evertere hujusmodi formam quocunque modo, nec proprio subjiciuntur Episcopo, si quidem Clerici sunt, canonum correptionibus subjacebunt; si vero laici vel monachi fuerint, communione priventur. *Capitul. a.* 755. *cap.* 18. * *Capitul. I. a.* 789. *cap.* 36.

De Episcopis non accusandis nisi ad summos Primates: quia non omnes Metropolitani summi sunt Primates. Et hoc summopere ab eis prævideatur ne aliqua cupiditate vel invidia fiat.

CLVI. Si quis Episcoporum accusatur, ad summos Primates caussam deferat accusator; qui adtentius discutiant si caussa pietatis hoc fiat nec ne. Quod si alicujus invidia, aut inimicitia, vel prava cupiditate, aut mala voluntate actum fuerit, nullo modo tale recipiatur negotium. Quoniam inconveniens est ut hi qui throni Dei vocantur, & immobiles esse debent, pravorum accusationibus moveantur vel perturbentur. Nam si caussa pietatis agi inventum fuerit, patienter audiatur; minus ne, rejiciantur, & canonice corrigantur. *Supra c.* 89.

Quid de Advocato agendum sit qui in dolo vel fraude repertus fuerit.

CLVII. Si Advocatus in caussa suscepta iniqua cupiditate fuerit repertus, a conventu honestorum & a judiciorum communione separetur, & videat ne judicis & assertoris personam accipiat.

De his qui contra suam professionem vel subscriptionem venerunt.

CLVIII. Qui contra professionem vel subscriptionem suam venerit, in Concilio deponatur. *VI.* 304.

De Clericis vel monachis aut laicis conspirantibus.

CLIX. Ut nec Clerici nec monachi nec laici conspirationem vel insidias contra pastorem suum faciant. Quod si fecerint, canonicis subjaceant increpationibus. *I.* 29.

De pervasoribus finium aliorum.

CLX. Si quis pervasor adprobatus fuerit, tantum spatii restituat quantum præsumpsit invadere, horum fructibus duplis.

De Presbyteris inflatis vel schisma facientibus.

CLXI. Si quis Presbyter contra Episcopum

pum suum inflatus schisma fecerit, anathema sit. Quod si superbia, quod absit, inflatus secernendum se ab Episcopi sui communione duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens sacrificium Deo obtulerit, loco amisso, anathema habeatur. Nihilominus & de civitate & congregatione in qua fuerit longius repellatur; ne vel ignorantes vel simpliciter viventes sempiterna fraude decipiat. *VI.* 305.

Ut Presbyteri indiscrete ab Episcopis vel ab aliis aut laicis non mittantur.

CLXII. Statutum est ut Presbyteri, sicut hactenus factum est, indiscrete per diversa non mittantur loca, nec ab Episcopis, nec ab aliis Prælatis, nec etiam a laicis; ne forte, propter eorum absentiam, & animarum pericula & Ecclesiarum in quibus constituti sunt neglegantur officia. *Vide infra Addit. IV. cap.* 7.

De criminibus definitis minime resricandis.

CLXIII. De his criminibus de quibus absolutus est accusatus, refricari accusatio non potest. *Vide infra cap.* 291.

De adprobanda accusatione.

CLXIV. Si quis adversarium suum ita apud judicem crediderit accusandum ut se asserat violentiam pertulisse, ad probationem rei eum convenit adtineri.

De Presbyteris qui inconsultis propriis Episcopis in locis non consecratis Missas agunt.

CLXV. Si quis Presbyter inconsulto Episcopo agendam in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius extitit. *VI.* 306.

Ut Presbyteri in Ecclesiis inconsulto Episcopo non constituantur vel de Ecclesiis expellantur ab aliquo.

CLXVI. Sancitum est ut sine auctoritate vel consensu Episcoporum Presbyteri in quibuslibet Ecclesiis nec constituantur nec expellantur. Et si quis deinceps hoc facere tentaverit, synodali sententia districte feriatur. *I.* 84. *V.* 87. 213. *VI.* 166.

Quod Dei ordinationem accuset qui Episcopo detrahit vel accusat.

CLXVII. Dei ordinationem accusat, in qua constituuntur, qui Episcopos accusat aut condemnat. Non est itaque arguendus a plebe vel a malæ conversationis aut pravæ vitæ accusandus hominibus Episcopus; sed rectores Ecclesiæ a Deo sunt judicandi. *VI.* 365.

De homicidis infantum.

CLXVIII. Si quis infantem necaverit, ut homicida teneatur.

De his qui rapinam fecerint, aut iter agentes adsallierint, aut domorum nocturni spoliatores fuerint, quid sit agendum.

CLXIX. Si quis ad faciendam rapinam adgreditur, aut iter agentem in prædiis adsallierit, aut domum alterius nocturnus spoliator intraverit, & occisus fuerit, mors latronis ipsius a nemine requiratur.

Ut judices prius capitalem non proferant sententiam quam aut reus ipse confiteatur aut per testes innocentes convincatur.

CLXX. Judex criminosum discutiens non ante sententiam proferat capitalem quam aut reus ipse confiteatur aut per innocentes testes convincatur. Si in majoribus personis crimen objectum fuerit, Principis est expectanda sententia. *V.* 308. *VI.* 398.

De Episcopis, si in reatum incurrerint, quid agendum sit.

CLXXI. Si quis Episcopus a quoquam impetitur, vel ille aliquam quæstionem retulerit, per Episcopos judices caussa finiatur, sive quos eis Primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex consensu delegerint. *Vide infra cap.* 178.

De his qui viduas vel virgines inconsulto Episcopo velare præsumunt.

CLXXII. Statutum est viduas inconsultis Episcopis velari non debere. Simul & hoc constitutum est, ut si quispiam Presbyterorum deinceps hujus constitutionis normam contumaciter transgressor extiterit, scilicet ut aliquas viduas inconsulto Episcopo velare præsumpserit, gradus sui periculum incurrat. Similiter & de puellis virginibus a Presbyteris non velandis statutum est ut si quis hoc facere tentaverit, tanquam transgressor canonum damnetur.

De accusato Episcopo, si comprovinciales suspectos habuerit, ut Romanum appellat Pontificem.

CLXXIII. Placuit ut quandocunque Episcopus accusatur, si comprovinciales aut vicinos suspectos habuerit, sanctæ & universalis Romanæ Ecclesiæ appellet Pontificem, ut ab eo quicquid justum & Deo placitum fuerit terminetur.

De reis ad Ecclesiam vel altaria earum confugientibus, ut non abstrahantur.

CLXXIV. Ut eos timoris necessitas non constringat circa altaria manere & loca veneratione digna polluere, depositis armis qui fugerint. Quod si non deposuerint, sciant se armatorum viribus extrahendos. Et quicunque eos de porticibus & de atriis & de hortulis, de balneis vel de adjacentiis Ecclesiarum abstrahere præsumpserit, capite puniatur.

De

De non usurpandis plebibus alienis, & de non gravando Episcopo.

CLXXV. Ut nullus Episcopus alterius Episcopi plebes usurpet, aut alium conculcet Episcopum vel supergrediatur, aut aliquod ei incommodum in sua parrochia vel alicubi faciat.

De his qui in recta fide suspecti sunt in accusationem sacerdotum vel testimonium non suscipiendis.

CLXXVI. Ut omnes qui in fide Christi catholica suspecti sunt, in accusatione sacerdotum vel testimonio humano dubii habeantur, nec recipiantur.

Quid sint delatores, vel quid de eis faciendum sit.

CLXXVII. Delatores dicuntur qui aut facultates prodiderint alienas, aut caput impetunt alienum. Qui si convicti (1) fuerint, continuo strangulentur. Servus si super dominum fuerit delator, etiamsi objecta probaverit, puniatur.

De Episcoporum caussa per Episcopos judices terminanda.

CLXXVIII. Si quis Episcopus a quoquam imperatur, vel ille aliquam quæstionem retulerit, per Episcopos judices caussa finiatur, sive quos eis Primates dederint, sive quos ipsi vicinos ex consensu delegerint. *Supra c.* 171.

Ut nullus occultas nuptias aut raptum faciat, vel quam propinquus habuit ducat uxorem; sed dotatam, & a parentibus traditam, per benedictionem sacerdotum accipiat, qui vult nubere, uxorem.

CLXXIX. Sancitum est ut publicæ nuptiæ ab his qui nubere cupiunt fiant: quia sæpe in nuptiis clam factis gravia peccata tam in sponsis aliorum quam & in propinquis sive adulterinis conjugiis &, quod pejus est dicere, consanguineis adcrescunt vel adcumulantur. Ex his autem procreari solent cœci, claudi, gibbi, & lippi, sive alii turpibus maculis aspersi. Et hoc ne deinceps fiat omnibus cavendum est. Sed prius conveniendus est sacerdos in cujus parrochia nuptiæ fieri debent in Ecclesia coram populo. Et ibi inquirere una cum populo ipse sacerdos debet si ejus propinqua sit annon, aut alterius uxor, vel sponsa, vel adultera. Et si licita & honesta omnia pariter invenerit, tunc per consilium & benedictionem sacerdotis & consultu aliorum bonorum hominum eam sponsare & legitime dotare debet. Scribit namque de legitimo matrimonio beatus Augustinus ita: *Talis esse debet quæ uxor habenda est, ut secundum legem sit casta in virginitate, & dotata legitime, & a parentibus tradita sponso, & a paranymphis accipienda. Et ita secundum legem & evangelium publicis nuptiis honestata, in conjugio licite sumenda: & omnibus diebus vitæ suæ nisi ex consensu & caussa vacandi Deum, nunquam propter hominem separanda. Et si fornicata fuerit, & vir ejus voluerit, dimittenda; sed, illa vivente, altera non ducenda, quia adulteri regnum Dei non possidebunt; & pœnitentia illi accipienda. Nolite vos, viri, habere uxores quarum priores mariti vivant. Adulterina enim sunt ista conjugia.* Et hoc, ut diximus, omnino providendum est, ne ejus sit propinqua; quia scriptum est: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus.* Similiter scriptum est: *Cum uxore proximi tui non coibis, nec seminis ejus commixtione maculaberis.* Et in decretalibus Papæ Gregorii (2) legitur: *Si quis Diaconam, aut monacham, aut commatrem spiritalem, aut fratris uxorem, aut neptam, aut novercam, aut nurum suam, aut consobrinam, aut de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.* Item: *Si quis viduam rapuerit vel furatus fuerit in uxorem, vel consentientes ei, anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit. Si quis virginem, nisi desponsaverit eam, rapuerit, vel furatus fuerit in uxorem, vel consentientes ei, Anathema sit. Et responderunt omnes tertio: Anathema sit.* Et alibi in canonibus præceptum est ut nemo usque adfinitatis lineam ex propinquitate sui sanguinis connubia ducat, neque virginibus sine benedictione sacerdotis quis nubere præsumat. Oppido enim ista omnia cavenda sunt ne fiant. Sed postquam ista omnia probata fuerint, & nihil impedierit, tunc si virgo fuerit, cum benedictione sacerdotis, sicut in Sacramentario continetur, & cum consilio multorum bonorum hominum, publice & non occulte ducenda est uxor; ut boni ex eis filii Domino miserante procreentur, & non tales sicut superius dictum est.

Quod

(1) *Convicti.*) Antea male legebatur *conventi*. Sed in codice Vaticano & in Bellovacensi legitur *convicti*. Viderat hoc mendum Juretus, qui illud ex ingenio sustulit in miscellaneis ad Symmachum pag. 302.

(2) *In decretalibus Papæ Gregorii.*) Hæc citra controversiam sunt Gregorii II. Sed quia laudari vulgo solent sub nomine Gregorii Papæ, crediderunt nonnulli ea esse Gregorii Magni. In Concilio Londinensi anni MLXX. tribuuntur utrique: *Decretum est etiam ex decretis majoris Gregorii necnon minoris ut nullus de propria cognatione &c.*

Quod excommunicati a sacerdote, antequam canonice reconcilientur, non possint majores natu accusare.

CLXXX. Ut excommunicatus a sacerdote, quandiu in ipsa est excommunicatione, majores natu vel Episcopos accusare non præsumat. Quod si præsumpserit, non recipiatur; sed aut majori excommunicationi subjaceat, aut ab Ecclesia pellatur.

De homicidis, maleficis, veneficis, convictis, appellare volentibus, non audiendis.

CLXXXI. In civilibus caussis vel levioribus criminibus legibus dilatio præstanda est. Homicidæ, adulteri, malefici, venefici, convicti, si appellare voluerint, non audiantur.

Quod Presbyteri, Diaconi, & reliqui Clerici sine jussione sui Pontificis nihil agere debeant.

CLXXXII. Ut Presbyteri vel Diaconi sine conscientia Episcoporum suorum nihil agant.

De his qui virgines opprimunt aut rapiunt. Et de aliorum sponsis raptis.

CLXXXIII. Statutum est ne oppressio virginum aut viduarum vel raptus ab ullis hominibus de puellis aut viduis fiat. Scriptum est namque in canonibus, in Concilio Chalcedonensi: *Eos qui rapiunt puellas sub nomine simul habitandi, cooperantes & conhibentes raptoribus decrevit sancta synodus, si quidem Clerici sunt, decidant a gradu proprio; si vero laici, anathematizentur.* Quibus verbis aperte datur intelligi qualiter hujus mali auctores damnandi sint, quando participes & conhibentes tanto anathemate feriuntur, & quod juxta canonicam auctoritatem ad conjugia legitima raptas sibi jure vindicare nullatenus possunt. De desponsatis quoque puellis & postea ab aliis raptis in canonibus Ancyrani Concilii legitur ita: *Desponsatas puellas & postea ab aliis raptas placuit erui & eis reddi quibus antea fuerant desponsatæ, etiamsi eis a raptoribus vis inlata constiterit.* Proinde statutum est a sacro conventu ut raptor publica pœnitentia multetur. Rapta vero, si eam sponsus recipere noluerit, & ipsa eidem crimini consentiens minime fuit, licentia nubendi alii non negetur. Quod si illa consensit, simili sententiæ subjaceat. Quod si post hæc se jungere præsumpserint, utrique anathematizentur. *Vide supra lib. I. c. 98. & sq.*

De accusatoribus in judicium præsentandis, & accusatis non modicum spatium accipiendis ad abluenda crimina.

CLXXXIV. Nemo debet judicari aut damnari priusquam accusator præsens habeatur, & spatium non modicum defendendi accipiat accusatus ad abluenda crimina.

De Clericis nullo fiscali aut publico subdendis officio.

CLXXXV. Ut Clerici nullo fiscali aut publico subdantur officio; sed liberi ab omni humano servitio, Ecclesiæ deserviant.

Ut nullus sacerdos feminam secum habitare permittat, aut cum eis frequentare præsumat.

CLXXXVI. Sancitum est de Presbyteris qui feminis secum indiscrete habitare permittunt, & propter hoc malæ opinionis suspicione denotantur, ut si deinceps admoniti non se correxerint, velut contemptores sacrorum canonum canonica invectione feriantur. *V.* 92.

De testibus vel accusatoribus qui cum inimicis morantur, in sacerdotum accusatione non recipiendis.

CLXXXVII. Non sunt illi testes suscipiendi, neque accusatores, qui cum inimicis morantur, vel quos ipsi de domo produxerint: quia corrumpunt mores bonos conloquia mala. *Vide supra cap.* 101.

De testibus non recipiendis qui Christianæ religioni infesti extiterint.

CLXXXVIII. Ut testandi licentia denegetur qui Christianæ religionis & nominis dignitatem neglexerint.

De peregrinis Episcopis pie recipiendis.

CLXXXIX. Ut peregrino Episcopo (1) locus sacrificandi detur.

Ut inlicitus accessus feminarum ad altare non fiat, aut ullæ feminæ vasa sacra aut corpus & sanguinem Domini contractare præsumant.

CXC. Statutum est ut inlicitus feminarum accessus ad altare non fiat; quia contra omnem auctoritatem divinam & canonicam institutionem est feminas sanctis altaribus se ultro ingerere, aut sacrata vasa impudenter contingere, sive indumenta sacerdotalia Presbyteris ministrare, aut corpus & sanguinem Domini contingere populisque porrigere; quod omni ratione & auctoritate caret; & ne ulterius fiat omnimodis prohibitum est. Et quæcunque feminæ deinceps hoc facere præsumpserint, judicio canonico usque ad satisfactionem subdantur. Quod autem mulieres ingredi ad altare non debeant, in Concilio Chalcedonensi & in decretis Gelasii Papæ copiosissime invenitur. *Vide supra lib. I. cap.* 17.

De accusatis sacerdotibus, ut non prius in judicium decidant quam accusatores secundum canonicas & regulares sanctiones pleniter inquirantur.

CXCI. Si quis criminatur, non ante judicio

(1) *Ut peregrino Episcopo.*) Vide supra lib. 6. cap. 312.

dicio decidat quam accusator pertentetur atque secundum legem & canonicam sententiam exquiratur. Quod si indigna ad accusandum persona inveniatur, ad accusationem non admittatur. Quia indignum est ut vita innocentis ulla maculetur pernicie.

De violatoribus sepulchrorum.

CXCII. Qui sepulchra violaverint puniantur, tam ingenui quam servi. Si major persona in hoc scelere fuerit deprehensa, amissa medietate bonorum suorum, perpetua notetur infamia. Si Clericus; depositus omni honore clericali, perenni exilio deputetur. Si judex hoc persequi aut implere distulerit, facultatibus & honore privetur. Et quicunque hoc scelus accusare voluerint, licentia tribuatur.

Ut sacerdotes suam non relinquant Ecclesiam.

CXCIII. Ut ne quis qualibet nessitate suam relinquat Ecclesiam.

De Presbyteris gradum amittentibus, quia de eo deteriorari solent ut filii Belial efficiantur, quid agendum sit.

CXCIV. Sancitum est de Presbyteris gradum amittentibus ut unusquisque Episcoporum tam per se quam & per ministros suos vitam & conversationem morumque emendationem eorum cognoscat, eosque canonicæ pœnitentiæ subdere non neglegat, juxta quod in Concilio Cæsariensi titulo primo scribitur: *Presbyter, si uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit, aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet & ad pœnitentiam redigi.* Nonnulli enim, amisso gradu, adeo filii Belial efficiuntur, ut nec publicis, quia fas non est, nec canonicis, propter incuriam & neglegentiam rectorum, legibus constringantur.

De laicis de religione disputandi præsumentibus.

CXCV. Nulli egresso ad publicum disceptandi de religione, vel tractandi, vel consilii aliquid deferendi, vel majores natu accusandi patescat occasionis aditus. Si quis posthac contra hæc veniendum crediderit vel insistere motu pestiferæ persuasionis tentaverit, competenti pœna & digno supplicio coerceatur.

De his qui falsa Principum rescripta detulerint. Et de nonnullis aliis caussis.

CXCVI. Qui falsa Principum rescripta detulerint, ut falsarii puniantur. Qui falsum nesciens allegavit, falsi pœna non teneatur. In caput domini patronive nec servus nec libertus interrogari potest. Ut prægnantem nemo torqueat. Qui de se confessus est, super alium credi non potest.

De his qui falsa fratribus intulerint quid agendum sit.

CXCVII. Eos qui falsa fratribus capitalia objecisse convicti fuerint, placuit eos usque ad exitum non communicare & infames semper existere. *VI.* 314.

Ut nullus de alterius Presbyteri parrochia populo persuadere audeat ut, relicta propria parrochia, ad suam Ecclesiam conveniant, aut sibi eorum decimas dent.

CXCVIII. Statutum est ut nullus Presbyter fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ de alterius Presbyteri parrochia persuadeat ut ad suam Ecclesiam, relicta propria Ecclesia, conveniant, & suas decimas sibi dent. Sed unusquisque sua Ecclesia & populo sit contentus; & quod sibi non vult fieri, alteri nequaquam faciat, juxta illud evangelii: *Quæcunque vultis ut faciant vobis homines, hæc eadem facite illis.* Quisquis autem contra hæc constituta venerit, aut hæc infrangere tentaverit, tanquam contemptor, gradus sui periculo subjacebit.

Quod laicis de viris Deo dicatis vel ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi nulla sit adtributa facultas.

CXCIX. De viris Deo dicatis vel ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi nulla legitur laicis, quamvis religiosis, umquam adtributa facultas. *Vide supra lib. 5. c. 403. & infra c. 393. hujus libri.*

De his qui in blasphemiam alterius aliquam scripturam vel cantica composuerint vel cantaverint.

CC. Hi qui in blasphemiam alterius cantica composuerint, vel qui cantaverit ea, extra ordinem vindicetur. Nam lex exiliari jubet eos qui libellos famosos excogitant aut proponunt. Notatur infamia quicunque dum appellat judicem, convitium dixerit. Non tantum is qui maledictum aut convitium dixerit famosus efficitur, sed & is cujus consilio factum esse patuerit. *Capitul. a. 744. cap. 13.*

Quid de Sacerdotibus vel Levitis de se crimen confitentibus agendum sit.

CCI. Ut Sacerdos vel Levita qui de se crimen aliquod confitetur, deponatur.

Ut nullus Presbyter pœnitentes inconsulto Episcopo reconciliare audeat. Et ut omnes publice pœnitentes in Cœna Domini ad Episcopum proprium conveniant, ut ab eo canonice absolvantur vel dijudicentur.

CCII. Statutum est & in sanctis canonibus prohibitum ut nullus Presbyter pœnitentem publice inconsulto Episcopo reconciliare præsumat, nisi morte forte periclitantem; sed omnes publice pœnitentes quinta feria ante Pascha, quæ est Cœna Domini, ad civita-

tem in cinere & cilicio in præsentiam Episcopi prostrato vultu conveniant, & ibi ab Episcopo canonice & ordinabiliter, sicut in Sacramentario & in Romano Ordine continetur, reconcilientur atque dijudicentur, consolenturque, & prædicentur quid deinceps agere, quidve vitare debeant instruantur, atque insuper divinis precibus per manus impositionem Episcopi sanentur. Nullo namque tempore Presbytero in publica Missa pœnitentem reconciliare sine licentia Episcopi concessum est. Si quis hoc facere præsumpserit, canonica correctione multetur.

De Clericis vel laicis qui suo Episcopo calumniator extiterit.

CCIII. Si quis Clericus vel laicus exprobrator vel calumniator suo Episcopo extiterit, ut homicida habeatur.

De caussis in judicio convincendis. Et de sententia adversus absentes infirmanda. Et de caussis in judicio non revolvendis. Et ut absentes non damnentur. Et quod absentes per alium nec accusare nec accusari possint.

CCIV. Convinci nemo potest judicio sine testibus aut scriptura. Sententia absente parte alia a judice data nullam obtinet firmitatem. Caussa inter præsentes judicata post decennium revolvi non potest, nec inter absentes post vicennium. In caussa capitali (1) absens nemo damnetur. Neque absens per alium accusatorem accusari potest.

Quid de delatoribus fidelibus agendum sit.

CCV. Delator si quis extiterit fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit præscriptus vel interfectus, placuit eum nec in finem accipere communionem.

De sacerdotibus vel Clericis qui per pecunias aliorum sacerdotum Ecclesias aut beneficia subripiunt vel subvertunt.

CCVI. Sancitum est atque omnibus prohibitum ut si quis Presbyter præventus fuerit alicui Clerico aut laico munera dare aut aliquam pecuniam tribuere ut alterius Presbyteri Ecclesiam subripiat, pro hac cupiditate seu rapina turpis lucri gratia dejiciatur a clero & alienus existat a regula. Nam si pro misericordia Episcopo placuerit longo tempore eum pœnitendo quæ gessit in carceris ærumna recludere & usque ad satisfactionem ibi retinere, liceat. Et postea si se correxerit, & alia deinceps minime se facere promiserit, humanius erga eum agere poterit, si voluerit, & ipse dignus inventus fuerit.

Ut seculares de viris Deo dicatis Ecclesiæque facultatibus ad se nihil putent pertinere præter reverentiam tantum.

CCVII. Synodali decreto sancitum est ne laici vel seculares de viris Deo dicatis Ecclesiæque facultatibus aliquid ad se putent vel præsumant præter reverentiam pertinere, quorum quarumque sacerdotibus disponendi indiscusse a Deo cura commissa docetur. Si quis contra hæc venire præsumpserit, anathemate feriatur.

De servis dominorum facinora confessis non audiendis.

CCVIII. Si servi facinora dominorum confessi sunt, nullo modo audiantur, nisi forte eos reos deferant majestatis.

Quid de hominibus qui pauperes expoliant, & admonente Episcopo non reddiderint, agendum sit.

CCIX. Si quis potentum quemlibet expoliaverit, & admonente Episcopo non reddiderit, excommunicetur. *VI.* 319. *Add. IV.* 55.

De his qui sine jussione Episcopi judices seculares adeunt, aut sine licentia & litteris Episcopi sui proficiscuntur. Et de laicis Ecclesiis vel Clericis calumniam facientibus.

CCX. Sancitum est ut Presbyter vel Diaconus, sive quilibet Clericus regulæ subjectus, inconsulto Episcopo ad judicem secularem non pergat. Nec non & hoc sancitum est, ut sine epistola Episcopi sui non liceat Clericum vel monachum proficisci. Et alibi in canonibus legitur ita: *Presbyter aut Diaconus vel Clericus sine antistitis sui epistolis ambulans, communionem ei nullus impendat.* Simulque statutum est ut si quis secularium per calumniam Ecclesiam aut Clericum fatigare tentaverit, & convictus fuerit, ab Ecclesiæ liminibus & catholica communione, nisi digne pœnituerit, coerceatur. *VI.* 154. 158.

De laicis vitiosis a Clericis, nisi sponte voluerint, non recipiendis.

CCXI. Omnes Episcopi in tertia sessione adclamaverunt: Sane dignum est ut sicut sacerdotes vel Clericos sua in accusatione vel secularibus judiciis laici non recipiunt, ita ipsi sacerdotum vel Clericorum accusationibus seu ecclesiasticis negotiis nisi sponte non recipiantur: quoniam inconveniens est ut hi qui hos respuunt, ab his recipiantur.

Ut hi qui sponte hominem occidere voluerint & non potuerint perpetrare, ut homicidæ habeantur.

CCXII. Qui hominem voluntarie occidere voluerit, & perpetrare non potuerit, ut homicida punietur.

De Clericis qui a suis recedunt Episcopis.

CCXIII. Ut nullus Clericus ab Episcopo suo recedat & ad alium se transferat.

Ut

(1) *In caussa capitali.*) Istud abbreviatum est ex interpretatione sententiarum Pauli lib. 5. tit. 35.

Ut nulli sacerdotes eorum decimas aut aliquid de rebus vel facultatibus Ecclesiæ sine licentia proprii Episcopi vendere præsumant.

CCXIV. Statutum est ut nullus Presbyter vel Diaconus eorum decimas vel aliquid de rebus Ecclesiæ sine consilio proprii Episcopi inreverenter vendere præsumat; quia in canonibus decretum est ita (1): *Placuit ut Presbyteri vel Diaconi non vendant rem Ecclesiæ ubi sunt constituti, nescientibus Episcopis suis.* Et ne deinceps fiat cavendum est, sicut a quibusdam in aliquibus locis impudenter factum audivimus, eo quod quidam sacerdotes, antequam messes maturæ vel collectæ essent, eorum decimas vendere caussa ebrietatis tentaverunt, quod ne deinceps fiat pariter omnes inhibemus; sed ut prius cum gratiarum actione a sacerdotibus recipiantur. Et si necessitas fuerit pro restauratione Ecclesiarum vel pro redemptione captivorum eas vendere, cum consilio proprii Episcopi & aliorum bonorum sacerdotum hoc faciant; ne qualibet occasione occulte & sine testimonio fraudentur oblationes fidelium, & unde pauperes recreari debent, vel Ecclesiæ restaurari, seu Clerici vivere, sive Episcopi recipi, hospites & peregrini pasci ac venerari, Presbyteri vel Diaconi aut quilibet fidelium in suis nimiis potationibus vel comessationibus seu carnalibus desideriis, quæ multis modis aguntur, inflectere non præsumant, sed in prædictis rebus eas fideliter subministrent; & sciant se non suarum sed dominicarum rerum esse dispensatores. Propterea quasi dominicas res fideliter eas conservare & utiliter dispensare Domini sacerdotes oportet. Et si, quod absit, aliter fecerint, canonica invectione districte feriantur.

De anathematis hominibus repellendis.

CCXV. Omnium anathematum vox in accusatione vel testimonio aut humano judicio penitus non audiatur, nec hi accusare quemquam permittantur. Sed si quis anathematis pœnam parvi duxerit, aut in insulam religetur, aut exilio deputetur, ne possit Ecclesiam Dei ejusque famulos perturbare.

De sententia adversus absentes vel minores judicata non valenda.

CCXVI. Adversus absentes vel minores sententia judicata non valebit.

Quid de Clericis qui in seditione arma portaverint faciendum sit.

CCXVII. Clerici qui in quacunque seditione arma volentes sumpsisse reperti fuerint, amisso ordinis sui gradu in monasterio pœnitentiæ contradantur.

De his qui inebriantur, ut a communione, nisi se correxerint, suspendantur, aut corporali supplicio subdantur.

CCXVIII. Sancitum est ut a Presbyteris vel Diaconibus seu a reliquis Clericis omni modo vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est. Itaque eum quem ebrium fuisse constiterit, ut ordo patitur, aut quadraginta dierum spatio a communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum supplicio. *Capitul. II. a.* 803. *c.* 3. *Vide infra cap.* 270.

Quid de his Ecclesiæ judicibus faciendum sit qui absentes judicare præsumunt.

CCXIX. Caveant judices Ecclesiæ ne, absente eo cujus caussa ventilatur, sententiam proferant; quia irrita erit; immo & caussa in synodo profecto dabitur. *Vide supra lib.* 6. *c.* 363.

De his qui apud extraneos judices caussam suam proponunt. Et de his qui prius in proprio foro non jurgaverint. Et de judicibus qui sua neglegentia caussas differunt.

CCXX. Si quis alium crediderit accusandum, apud provinciæ illius judicem negotium suum proponat; & omnem jacturam litis incurrat qui non ante in proprio foro jurgaverit. Quod si per neglegentiam judicis caussa definita non fuerit, tantum eum fisco nostro jubemus exsolvere quantum res ipsa de qua agitur valuisse cognoscitur. Et qui consiliis suis adhærent, exilio deputentur.

Quod ruinis miserorum oppido succurrendum sit.

CCXXI. Occurrere certe miserorum ruinis debet subsidio unusquisque, quo valeat ex relevatione alienæ vindictæ a se Dei removere vindictam. Libat enim Domino prospera qui ab afflictis pellit adversa.

Quid de vaticinatoribus falsis agendum sit.

CCXXII. Ut vaticinatores, qui se futura scire dicunt, cæsi de civitate jactentur.

Quod in metropolitana sede, tempore quo omnes elegerint comprovinciales Episcopi, ad Synodum faciendam sit conveniendum.

CCXXIII. Placuit definiri ut paternis institutionibus obsequentes in metropolitanam sedem, tempore quo omnes comprovincialiter elegerint Pontifices, ad Synodum faciendam devotis studiis conferantur. *VI.* 325.

Quid de Episcopo qui alium conculcare vel calumniari aut injuriare præsumpserit Episcopum, faciendum sit.

CCXXIV. Ut nullus Episcopus alium Episcopum conculcet, eumque calumniare vel in-

(1) V. 31. VI. 58. VII. 27.

injuriare præsumat. Quod si fecerit, gradus sui periculo subjacebit. *VI.* 310. 400.

Ut nullus Presbyter in Ecclesia benedictiones publicas super populum fundere aut altare consecrare vel reconciliare præsumat.

CCXXV. Statutum est ut Presbyteri benedictionem in Ecclesia super plebem fundere, aut altare consecrare aut reconciliare, aut submovere vel collocare, ullo modo non præsumant. Simul & hoc statutum est, ut altare erigere, vel de loco in locum transmutare, ut a quibusdam factum audivimus, sine Episcopi sui licentia vel consilio, cujus est & ipsum altare consecrare & post motionem vel violationem reconciliare, Presbyteri non pertentent. Quod si aliter fecerint, gradus sui periculo subjacebunt.

Ut absentibus quod ablatum est pleniter restituatur.

CCXXVI. Propter absentes legem volumus iterare, ut quicquid fuerit eis a qualibet persona ablatum, totum amicis eorumque proximis vel servis, cum judicem interpellaverint, sine dilatione reddatur; ut res quas discedens dominus in sua proprietate dimisit, integre ab actoribus domini, quocunque sedeat, vindicentur. Quæcunque autem in militia constitutis vel absentibus pervasa fuerint, sine aliqua jubemus dilatione restitui.

Ut ea quæ ad perpetuam utilitatem sunt instituta, inconvulsa permaneant.

CCXXVII. Quæ ad perpetuam utilitatem sunt instituta, nulla commutatione varientur; nec ad privatum trahantur commodum quæ ad bonum sunt commune præfixa. Et manentibus terminis quos statuerunt patres, nemo damnet alienum; sed intra fines proprios atque legitimos, prout quis voluerit, in latitudine se caritatis exerceat. *VI.* 328.

De neglegentibus officia divina & non venientibus ad matutinalia vel vespertinalia sive reliqua divina officia.

CCXXVIII. Sancitum est ut si quis Presbyter vel Diaconus aut quilibet Clericus Ecclesiæ deputatus, si intra civitatem fuerit, aut in quolibet loco in quo Ecclesia est, & ad quotidianum psallendi sacrificium matutinis vel vespertinis horis ad Ecclesiam non convenerit, deponatur a Clero; si tamen castigatus veniam ab Episcopo per satisfactionem noluerit promereri.

De his qui in captivitatem ducti sunt quid agendum sit.

CCXXIX. Quicunque necessitate captivitatis ducti sunt, & non sua voluntate sed hostili deprædatione ad adversarios transierunt, quæcunque in agris vel in mancipiis ante tenuerunt, sive a fisco possideantur, sive aliquid ex his per Principem cuicunque datum est, sine ullius contradictione personæ tempore quo redierint vindicent ac præsumant; si tamen cum adversariis non sua voluntate fuerint, sed captivitate se detentos esse probaverint.

Quod contra caput non sit surgendum.

CCXXX. Contra caput, etiamsi faciendum sit, non libenter admittimus.

Ut Presbyteri per singulas hebdomadas, sicut ab Episcopo vel ab illo qui constitutus est ab eo, vocantur, ad civitatem conveniant, absque ulla dilatione, discendi gratia.

CCXXXI. Statutum est ut omnes Presbyteri parrochiæ ad civitatem per turmas & per hebdomadas ab Episcopo sibi constitutas conveniant discendi gratia, ut aliqua pars in parrochiis Presbyterorum remaneat, ne populi & Ecclesiæ Dei absque officio sint, & aliqua utilia in civitate discant, ut meliores ad parrochias demum & sapientiores atque populi utiliores absoluti revertantur. Et ibi ab Episcopo, id est, in civitate, sive a suis bene doctis ministris bono animo instruantur de sacris lectionibus & divinis cultibus & sanctis canonibus, sive de baptismatis sacramentis (1), atque Missarum solemniis & precibus, & de reliquis officiis omnibus sibi necessariis pleniter & distincte ac singillatim imbuantur. Et omnia quæ illi per parrochias docere, prædicare, ac facere debent, eos Episcopus & sui bene docti ministri veraciter & discrete doceant, ut quid facere vel quid vitare debent sciant; quatinus eorum vitam bene & condigne atque inreprehensibiliter ducant, & aliis bene vivendo

(1) *Baptismatis sacramentis.*) Hæc est lectio codicis Bellovacensis, cum in vulgatis editionibus legatur *sacramento*. Confirmatur autem hæc nostra lectio ex cap. 391. hujus libri, in quo legitur: *Neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere*. Item Beda lib. 2. histor. eccles. cap. 9. ubi loquens de Edwyno Rege Northanymbrorum, qui pollicitus erat se fidem Christi amplexurum si victoriam de hostibus suis reportaret, ait: *Sicque victor in patriam reversus, non statim & inconsulte sacramenta fidei Christianæ percipere voluit; quamvis nec idolis ultra servivit ex quo se Christo serviturum esse promiserat*. Et lib. 3. cap. 1. *Osricbus, qui ad prædicationem Paulini fidei erat sacramentis imbutus*. Et mox: *Sacramenta regni cœlestis, quibus initiatus erat, anathematizando perdidit*. Et eodem libro cap. tertio: *baptismatis sacramenta consecutus erat*. Concilium Moguntinum anni DCCCXLVII. cap. tertio: *Sacramenta itaque baptismatis volumus ut concorditer atque uniformiter in singulis parochiis secundum Romanum ordinem inter nos celebrentur*. Baptismatis sacramenta hæc sunt, ipsum baptisma, confirmatio, & communio corporis & sanguinis Domini, quæ tum conferebantur unicuique eorum qui baptizabantur. Hinc in scripto veteris auctoris anonymi de ordine baptismi legitur: *Et hæc sunt sanctæ Ecclesiæ sacramenta, baptismum, chrisma, corpus & sanguis Christi*.

do bonum exemplum absque ulla offensione præbeant, & eorum ministeria sapienter & rationabiliter adimpleant, ut in nullam, quod absit, offensionem incidant, sed Dei gratiam promereri valeant.

Quid de convictis in judicio de evidenti violentia faciendum sit.

CCXXXII. Convictus in judicio de evidenti violentiæ crimine, reus caput puniatur.

Ut sacerdotes de incognitis rebus nihil judicare præsumant.

CCXXXIII. Nos, qui sacerdotum Domini matura volumus esse judicia, nihil possumus de incognitis rebus in cujusquam partis præjudicium definire priusquam universa quæ gesta sunt veraciter audiamus, *VI.* 333.

De his qui relinquunt ecclesiastica officia & ad seculares confugiunt. Et de Clericis furtum Ecclesiæ facientibus. Sive de Clericis comam nutrientibus vel habitum aut vestimenta clericalia mutantibus.

CCXXXIV. Sancitum est ut quisquis Clericus, relicto officio suo, propter districtionem ad secularem quemlibet confugerit, & is ad quem recurrit solatium ei defensionis impenderit, cum eodem Ecclesiæ de communione pellatur. *VI.* 145.

Simulque sancitum est ut si quis Clericus furtum Ecclesiæ fecerit, peregrina ei communio tribuatur.

Simili modo decretum est ut Clerici qui comam nutriunt (1), ab Archidiacono, etiamsi noluerint, inviti detondantur. Vestimenta vero vel calciamenta (2) eis, nisi quæ religionem deceant, uti aut habere non liceat. *Capitul. a.* 744. *c.* 4.

De servis insciis vel consciis dominis violentiam facientibus, & qualiter hæc corrigantur.

CCXXXV. Servi si inscio domino confessi vel convicti fuerint violentiam commisisse, addicti tormentis gravibus puniantur. Si vero jubentibus dominis violentiæ crimen admiserint, domini qui inlicita præceperunt notantur infamia, & nobilitatis vel honoris sui dignitatem tenere non possunt. Servi autem qui talibus dominorum jussionibus paruerunt, in metallo detrudantur. Ceterum non liceat judicibus discussionem violentiæ differre vel dimittere vel donare. Si autem probaverint violentiam, & non statim vindicaverint, noverint se periculum subituros. Viles autem personæ quæ frequenter admisisse violentiam comprobantur, constituta legibus pœna suprascripta omnimodis feriantur.

Qualiter desides vel neglegentes curandi sint.

CCXXXVI. Si extiterint aliqui fratres desides vel neglegentes, quos oporteat majori auctoritate curari, sic tamen est adhibenda correctio ut semper sit salva dilectio. *VI.* 339.

Ut Clerici contumaces vel inflati contra Episcopum suum non sint, nec parvipendant ejus excommunicationem. Et qualiter hæc facientes suam recipere debeant dignitatem.

CCXXXVII. Statutum est ut contumaces Clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur. Et si qui prioris gradus, elati superbia, communionem fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur; ita ut cum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula, gradum suum dignitatemque recipiant.

Quod accusatoribus ante discussionem utriusque partis non sit credendum.

CCXXXVIII. Quotiens quilibet accusator aliquid de adversario suo, eo absente, suggesserit, ei ante discussionem utriusque partis penitus non credatur.

De sacerdotibus non detrahendis.

CCXXXIX. Præcipimus ut nullo vel falso insimulatus crimine extrahatur sacerdos.

Ut qui judices suspectos habuerit, vocem appellationis exhibeat.

CCXL. Si quis judicem pro quibuscunque caussis adversum sibi senserit aut habuerit forte suspectum, vocem appellationis exhibeat; ut, cum ei concessum fuerit, integro negotio apud alium judicem amotis dilationibus possit audiri.

(1) *Comam nutriunt.*) Concilium Carthaginense IV. cap. 44. *Clericus nec comam nutriat nec barbam*; ubi quidam codices addunt, *radat vel tondeat*. Vide Notas ad Gratianum pag. 453.

(2) *Calciamenta.*) Idem Concilium Carthaginense cap. 45. *Et nec vestibus nec calceamentis decorem quærat*. Concilium habitum apud Castrum Gonterii anno DCCXXXI. cap. 24. *Et omnes religiosi, cujuslibet sint ordinis, vestibus & calceamentis suo ordini competentibus, quantum fieri potest, uniformibus utantur*. Hildebertus epist. 60. *Cum vagetur pes laxioribus calciamentis, cum caput in ampliorem radatur coronam, cum monachum loquantur cetera monachi insignia, extra viam est quæ ducit ad vitam*. Quippe monachi, ut utilitatem ac simplicitatem suam habitu etiam incessuque testarentur, calceamenta laxiora gestabant, dissimilia nimirum his quibus laici solebant uti. Unde Philippus Francorum Rex monachum quendam strictis utentem calceis facete monuit non fastidire institutum suum, ut docet Cesarius Heisterbachcensis libro 4. cap. 12. Ovidius in libro 1. de arte amandi:

Linguaque nec rigeat, careant rubigine dentes,
Nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.

Ut caveat unusquisque, quantum fieri potest, ut alteri non faciat quod pati non vult.

CCXLI. Sicut non vult aliquis gravis oneris sarcinam ferre, ita non audeat alii grave pondus imponere.

Ut discordantes ad altare sive gratiam sanctæ communionis non accedant. Et si unus eorum se correxerit, & alter discordans inventus fuerit, quid de his agendum sit.

CCXLII. Sancitum est ut personarum discordantium nemo (1), antequam reconcilietur, ad altare Domini accedere audeat vel gratiam communionis sanctæ percipere; sed geminato tempore per pœnitentiam compensabitur quo discordiæ servierunt. Sed si unus eorum, alio contemnente, ad satisfactionem caritatis occurrerit, ex eo tempore ut pacificus in Ecclesiam recipiatur ex quo ad concordiam festinasse convincitur.

Quod pœnitentes a conviviis & ornamentis atque alba veste abstinere debeant.

CCXLIII. Qui luget, abstinere debet a conviviis ac ornamentis & alba veste.

De divinis & apostolicis atque canonum decretis minime violandis.

CCXLIV. Jubemus ut ita omnes divinis & apostolicis constitutionibus serviatis ut in nullo patiamini pia canonum decreta violari. Præcipimus etiam ut nulli fas sit sine status sui periculo vel divinas constitutiones vel apostolicæ sedis decreta temerare.

De his sacerdotibus qui de Ecclesiis ad Ecclesias irrationabiliter transeunt, & de illis qui in loco eorum sunt ordinati.

CCXLV. Sancitum est ut illi sacerdotes qui de Ecclesiis ad Ecclesias migrant vel migraverunt, & suos titulos absque licentia & consensu Episcopi dimittunt vel dimiserunt, tamdiu a communione habeantur alieni, quamdiu ad eas redierint Ecclesias in quibus primo sunt constituti. Quod si alius, alio transmigrante, in locum viventis ordinatus est, tamdiu vacet sacerdotii dignitate qui suam deseruit Ecclesiam, quandiu successor ejus quiescat in Domino. *Capitul. a.* 744. *c.* 5.

Quod injuriarum actiones nonnisi præsentes accusare possint.

CCXLVI. Injuriarum actiones nonnisi præsentes accusare possunt. Crimen enim quod vindictæ aut calumniæ judicium expectat, per alios intendi non potest.

Quod amicitiam protegat omnis qui non contendit.

CCXLVII. Omnis qui non contendit, protegit amicitiam. Nam & Apostolus ad Corinthios scribit: *Cum sint inter vos æmulationes & contentiones, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis. Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate mentis invicem æstimantes semetipsos, non sua singuli respicientes, sed aliorum.*

Ut quod Ecclesia tricennali jure possederit, nulli liceat pro hoc deinceps appellare. Et de raptoribus viduarum vel virginum. Et ut feminæ sacris altaribus non ministrent.

CCXLVIII. Statutum est ut facultates Ecclesiæ nec non & dioceses quæ ab aliquibus possidentur sacerdotibus, jure sibi vindicent quod tricennalia lex conclusit, & ultra triginta annos nulli liceat pro id appellare, quod legum tempus exclusit. Simulque sancitum est ut raptores viduarum vel virginum ab Ecclesiæ communione pellantur. Et ut feminæ sacris altaribus non ministrent, vel aliquid ex his quæ virorum sunt officiis deputata præsumant.

De judicibus contra legem judicantibus & legem audire nolentibus.

CCXLIX. Quicunque judex oblatas sibi in judicio leges vel juris species audire noluerit, & contra eos judicaverit, ex hac re convictus, in carcerem deputetur.

De imperitis, ut peritis non præferantur.

CCL. Valde iniquum est ut imperiti magistris, novi antiquis, vel rudes præferantur emeritis.

Ut liceat litigatoribus vitiatam caussam appellationis remedio sublevare, & appellatores in nullam custodiam redigantur.

CCLI. Judices observare debent ut liceat litigatori vitiatam caussam appellationis remedio sublevare, & appellatores nec in carcerem redigantur, nec a militibus faciant custodire; sed agendum negotium suum liberi observent. Nec etiam in supplicium destinatis appellandi vox denegetur. *Infra c.* 333.

Ut nullus falsum testimonium dicat. Et de periculo falsorum testium, seu pœnitentia vel abjectione eorum.

CCLII. Volumus atque præcipimus ut omnes a falso testimonio se abstineant, scientes

(1) *Discordantium nemo.*) Homilia incerti auctoris in Dominica septima post Pentecosten in vetustissimo codice Ms. Ecclesiæ Lugdunensis: *Si autem frater tuus* (id est, quilibet Christianus) *inclemens fuerit & noluerit tibi veniam deprecanti indulgere, oblatio ejus non debet recipi in altario, id est, in altare, nec in gazophylacio, hoc est, in thesauro Ecclesiæ, neque in ceteris usibus, nec pacem debet facere cum Christiano, neque communicare corpori & sanguini Domini.* Vide Notas ad Reginonem pag. 550.

tes & hoc graviffimum fcelus effe & ab ipfo Domino in monte Sinai prohibitum, dicente eo: *Non falfum teftimonium dixeris*. Sive: *Falfus teftis non erit impunitus*. Sciat etiam fe, quifquis hoc perpetraverit, tali pœnitentia purgandum ficut de perjurio, aut tali damnatione & excommunicatione feriendum ficut de homicidio vel perjurio. Summa enim ftultitia & nequitia eft ut aliquis homo qui Chriftiano nomine cenfetur, pro cupiditate argenti & auri aut veftimentorum five agrorum vel cujuslibet rei, ficut fæpe contingere folet, propter ebrietatem aut ventris ingluviem, in tam grande fcelus corruat ut aut feptem annis in arcta ærumna fit, aut ab Ecclefia fit repulfus, dicente Domino: *Quid prodeft homini fi lucretur univerfum mundum, animæ vero fuæ detrimentum faciat?*

Quod eandem pœnam paffurus fit accufator, fi convincere accufatum non potuerit, quam reus paffurus erat.

CCLIII. Pœnam quam reus paffurus erat accufator excipiat fi convincere eum non potuerit. Nemo poteft debitorem plus agnofcere quam ille qui injuriæ fuftinuit nequitiam. *Vide infra cap. 365.*

Quod prolator femper fcripturam adfirmare debeat.

CCLIV. Statutum eft ut fcripturam prolator adfirmet. Nam fi is qui fcripturam protulit, ejus non adftruxerit veritatem, ut falfitatis reum effe detinendum.

Ut omnes fideles fuis Epifcopis fideliter obediant.

CCLV. Qui Epifcopum fuum noluerit audire, & excommunicatus fuerit, & renuerit, perennem condemnationem Epifcoporum apud Deum fuftineat, & infuper a palatio noftro fit omnino extraneus & omnes facultates ejus ad legitimos parentes perveniant.

De homicidis quid agendum fit.

CCLVI. De homicidis ita juffimus obfervare, ut quicunque aufu temerario alium fine cauffa occiderit, vitæ periculo feriatur, & pretio nullo fe redimere unquam valeat. Et fi convenerit ut ad compofitionem quifque defcendat, nullus de parentibus aut amicis eum quicquam adjuvet. Quod fi fecerit, fuum wirgildum omnino componat. *Decretio Childeberti c. 5.*

Quid de furibus & malefactoribus fit agendum.

CCLVII. De furibus & malefactoribus decrevimus obfervari, ut fi quinque aut feptem bonæ fidei homines, abfque inimicitia propofita, criminofum cum facramenti interpofitione effe dixerint, quomodo contra legem furtum perpetravit, fic fecundum legem moriatur. Et fi judex comprehenfum latronem laxaverit, vitam fuam amittat, & ut ceteri difciplinam omnibus obfervent. *Ibid. cap. 7.*

De inceftis quid agendum fit.

CCLVIII. Ut inceftum nullus fibi unquam fociet conjugium. Quod fi contigerit, ab Epifcopo loci illius feparentur, & publicam feptem annorum juxta canonicos gradus ambo agant pœnitentiam. Qui autem hoc agere noluerit, ab omnibus ut anathema habeatur.

De accufatoribus non facile recipiendis, nec abfqe certa probatione quibufquam judicandis vel damnandis.

CCLIX. Omnia primo diligenter cunctos oportet inquirere, ut cum juftitia definiantur. Nullus quemquam ante juftum judicium damnet, nullum fufpicionis arbitrio judicet. Prius quidem probet; & fic judicet. Non enim qui accufatur, fed qui convincitur, reus eft. Peffimum namque & periculofum eft quemquam de fufpicione judicare. In ambiguis Dei judicio refervetur fententia. Quod certe agnofcunt, fuo, quod nefciunt, divino refervent judicio. Quoniam non poteft humano condemnari examine quem Deus fuo judicio refervavit. Incerta namque non debemus judicare quoadufque veniat Dominus, qui latentia producet in lucem, & inluminabit abfcondita tenebrarum, & manifeftabit confilia cordium. Quamvis enim vera fint, non tamen credenda funt nifi quæ certis indiciis comprobantur, nifi quæ manifefto judicio convincuntur, nifi quæ judiciario ordine publicantur.

De Chorepifcoporum fuperftitione atque damnatione.

CCLX. Omnibus fanctæ Dei Ecclefiæ fidelibus & noftris notum effe volumus quia non parva quæftio de Chorepifcoporum fuperftitione ad nos non femel aut bis aut ter venerat, fed fæpiffime noftris auribus moleftiam intulerat. Ipfa enim quæftio non folum inter Clericos fed etiam inter laicos crebrius ventilabatur. Dicebant ergo Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi a regularibus Epifcopis ordinati non effe eos Presbyteros vel Diaconos aut Subdiaconos qui a Chorepifcopis videbantur quafi facrati, nec facerdotale eos debere peragere officium, nifi forent a canonice ordinatis Epifcopis confummati. Sumentes quoque de canonica auctoritate fanctionem, affirmabant a Chorepifcopis ordinatos vulneratum potius quam epifcopaliter fanctificatum per illam manus impofitionem habere caput. Ubi autem vulnus infixum eft, medicina eft adhibenda, qua poffit recipere fanitatem. Similiter & laici dicebant quod talium miniftrorum vel facerdotum, id eft, qui a Chorepifcopis erant quafi ordinati, officia audire nollent, nec eorum infantes majores vel minores aut familiam eorum per manus impofitionem confignari vel confirmari ufquam

usquam vellent, ne magis vulnus quam benedictionem acciperent. Quod jurgium cum enucleatius discutere voluissemus, placuit nobis ex hoc apostolicam sedem consulere, jubente canonica auctoritate atque dicente: *Si majores caussæ in medio fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam, ut sancta synodus statuit & beata consuetudo exigit, incunctanter referatur*. Quapropter Arnonem Archiepiscopum (1) ad Leonem Apostolicum misimus, ut inter cetera quæ ferebat, etiam eum ex hoc interrogaret; ut quicquid super his definiendum esset, apostolica auctoritate a nostris Episcopis regulariter sopiretur. Qui nobis verbis & scriptis ab eo renuntians hæc non esse necesse iterare vel definire, quia sæpissime a suis prædecessoribus & a multis sanctis Episcopis atque synodalibus sanctionibus eos esse prohibitos atque damnatos; & ideo non esse necesse ventilare, sed definita tenere. Dixit enim nullum fore Presbyterum vel Diaconum aut Subdiaconum ab eis ordinatum, nec Ecclesiam ab eis dedicatam, nec virginem consecratam, nec quemquam confirmatum, neque quicquam quod de episcopali ministerio præsumsere esse peractum, sed quicquid ex his ab eis inlicite erat præsumptum, omnia a canonice ordinatis Episcopis debere rite peragere & in meliorem statum reformare: quia quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum. Prædictos autem Chorepiscopos omnes præcepit damnare & in exilio detrudi. Ista vero omnes, maxime regni nobis a Deo commissi, Episcopi cum eodem Arnone permittente præfato Apostolico (2) mitius tractantes, jam dictos villanos Episcopos inter Presbyteros (3) statuerunt, ita ut amplius nihil de episcopali ministerio præsumerent, nec ipsi deinceps a quoquam fierent qui gradus sui periculum vitare vellet. Decretum namque est in illa synodo quam Reginisburc pro eadem vel pro aliis caussis apostolica auctoritate præfato prætexto habuimus, nihil ex prædictis a quoquam eorum agere nec facere volentibus consentire, sed quicquid ab his episcopaliter præsumptum est, a canonice ordinatis Episcopis peragi debere, nec ullum usquam de episcopali ministerio a Chorepiscopis aliquid accepisse, quia nihil in dante erat quod aliquis horum accipere potuisset: quoniam quod non habuit quis eorum, dare non potuit. Nam Episcopi non erant, quia nec ad quandam civitatis episcopalem sedem titulati erant, nec canonice a tribus Episcopis ordinati. Ideo de episcopali ministerio nihil agere potuerunt. Et idcirco non ostenditur gestum quod præfixi agere putaverunt; quia quod non habuerunt, nullatenus dare potuerunt. Ideo namque nulla caussa permittit ut videatur iteratum quod de caussis memoratis a canonice ordinatis Episcopis cognoscitur regulariter peractum. Unde & cum sæpe quæstio de male accepto honore nascatur, quis ambigat nequaquam esse tribuendum quod non decet fuisse conlatum. Scimus enim, sicut & in antiquis patrum legimus decretis, posse vera ac justa legitimi Episcopi benedictione auferre omne vitium quod a vitioso fuerat injectum. *Capitul. I, a. 803. c. 4.*

De rebus ecclesiasticis absque jussione proprii Episcopi non dispensandis.

CCLXI. Placuit ut Episcopi (4) rerum ecclesiasticarum in omnibus juxta sanctorum canonum sanctiones plenam semper habeant potestatem. Nullus eas dare vel accipere absque proprii Episcopi audeat jussione. Nullus eas invadere vel vastare aut quoquo modo deteriorare præsumat. Nam devastantibus Ecclesias earumque res nihil aliud intelligimus quam contra illum æterni imperii Deum ejusque majestatis homines movere certamen, cum illæ ædes illi die noctuque famulentur, & illi sint consecratæ. Videant ergo vastantes, easque invadentes, prænuntiamus, ne ab illo, si se commoveat, vastentur & disperdantur cujus percussionem montium dorsa ferre non possunt. Nos vero ista nec agere volumus nec facere volentibus consentire; ne nos ipsos, quod absit, perdamus, aut se perdere volentibus consentiamus. Quapropter præcipimus ut si quis ex jure ecclesiastico hactenus nostra largitate aliquid possedit, si illa deinceps habere voluerit, ut ad proprios Epi-

(1) *Arnonem Archiepiscopum.*) Juvavensem sive Salzburgensem, de quo supra actum est.

(2) *Permittente Apostolico.*) Verba illa (inquit Marca lib. 2. de concordia cap. 12. §. 7.) formulam redolent qua magistratus utebantur cum rescriptorum principalium tristitiam molliebant, quaque usus est Gregorius Magnus cum legem Mauritii de militibus ad monachismum properantibus temperavit. *Nam his placatur Imperator*, inquit ille in epistola ad Metropolitas. Quod nos hodie *cum bona venia* aut *sub beneplacito Pontificis* fieri dicimus.

(3) *Inter Presbyteros.*) Ex ea Gallicanorum Episcoporum constitutione profectum est, ut dein in aliquot antiquis codicibus librarii nomen Presbyterorum reponerent ubi de Chorepiscopis agebatur, uti a nobis observatum est in præfatione ad librum Rhabani de Chorepiscopis. Quod Hispanos quoque secutos esse, animadverto. Nam pro eo quod canon septimus Concilii Hispalensis II. apud Isidorum & in veteri collectione edita in tomo XI. Spicilegii Dacheriani pag. 170. habet *Chorepiscopos vel Presbyteros*, Loaisa in suis codicibus legit tantum *Presbyteros*. Ut valde putem primo quidem illic fuisse scriptum *frequenter Chorepiscopos destinasse*, additum vero fuisse *vel Presbyteros* tempore Leonis III. aut non ita multo post, demum extincto prorsus ordine Chorepiscoporum, solum Presbyterorum nomen custoditum fuisse.

(4) *Placuit ut Episcopi.*) Ad hunc locum respiciebat Hincmarus Archiepiscopus Remensis apud Flodoardum lib. 3. cap. 26. inter cetera scribens Theodulfo Comiti, *qualiter Ecclesiæ in potestate & ordinatione sunt Episcopi secundum sacros canones & imperialia capitula.*

Episcopos veniat, & ab eis & a praepositis Ecclesiarum unde esse videntur, quocunque modo juste potuerit, haec impetrare satagat, & nihil ex eis aliter ambiat aut concupiscat vel accipiat, ne cupidos sanctarum rerum ignis qui in eis est favillosius exurat. Unde & in sacris canonibus spiritu Dei conditis decretum habetur ita: *Si quis oblata dederit vel acceperit praeter Episcopum vel eum qui constitutus est ab eo ad dispensandum misericordiam pauperibus, & qui dat & qui accipit anathema sit*. Scimus enim anathematos homines, & in praesenti seculo infames esse ac perditos, & a consortio fidelium in omnibus absque pane & aqua fieri alienos, atque si absque Ecclesiae satisfactione de hac vita recesserint, a regno Dei fore extorres. Quam foveam cavere dissimulans vel recusans, nostra se sciat per omnia carere societate; quia non solum qui faciunt, sed qui facientibus prava consentiunt, rei sunt. Satius enim nobis est regnum non habere terrenum quam aeternum perdere. Plus vero me credo posse Deum per suorum sanctorum merita adjuvare quam omnem militiam secularem. Quapropter omnes scire cupimus, si super his quibus fruimur bonis universum mundum lucrari potuissemus, nostram vestrasque animas perdere noluissemus, nec se pro praedictis cupiditatibus perdere volentibus assentire. Testante namque evangelica tuba didicimus nihil prodesse homini universum mundum lucrari, si animae suae detrimentum patiatur. Et iterum: *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Et iterum: *Ibunt hi in supplicium sempiternum, justi autem in vitam aeternam*. *Capitul. III. a.* 814. *c.* 3.

Ut mulieres non ingrediantur ad altare. Et ut baptizati fidei sacramento instruantur, & post baptismum chrisma coeleste per Episcoporum manus impositionem percipiant.

CCLXII. Non oportet mulieres ingredi ad altare. *I.* 17.

Baptizatos vero oportet fidei symbolum discere & quinta feria septimanae majoris Episcopo vel Presbyteris reddere. Et qui in aegritudine constituti baptismum perceperint, sanati fidei symbolo doceantur, ut noverint quanta natione digni sunt habiti. Oportet etiam baptizatos post baptismum chrisma coeleste percipere & regni Christi participes fieri. *Vide infra cap.* 404.

Quod non conveniat catechumenis vel poenitentibus in Pascha vel Pentecosten aut Nativitate Domini baptismum vel ante canonicam reconciliationem sacramentum dominici corporis dare, sed tantum sal benedictum.

CCLXIII. Ut per solemnissimos paschales dies sacramentum catechumenis (1) non detur, nec eis qui a liminibus Ecclesiae sunt exclusi, neque eis, ante canonicam reconciliationem, qui publicam gerunt poenitentiam, sed tantum benedictum sal a sacerdotibus pro communione tribuatur. Et quia apud fideles per illos dies sacramenta non mutantur, nec apud catechumenos vel publice poenitentes oportet mutare. *Vide infra Addit. IV. c.* 63. *&* 76.

Ut in synodo prius generales caussae, quae ad normam Ecclesiae pertinent, finiantur, & postea speciales ventilentur.

CCLXIV. Placuit ut quotiens secundum statuta patrum synodus congregata fuerit, nullus Episcoporum vel Presbyterorum aliquam prius caussam suggerere audeat quam ea quae ad emendationem vitae & ad severitatem regulae animaeque remedia pertinent finiantur.

De his qui res Ecclesiae a Principibus petunt, ut irrita habeantur quae obtinent, & ipsi communione priventur.

CCLXV. Qui reculam Ecclesiae petunt a Regibus, & horrendae cupiditatis impulsu egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur quae obtinent, & a communione Ecclesiae, cujus facultatem auferre cupiunt, excludantur. *Capitul. a.* 744. *c.* 8. *Capitul. III. a.* 814. *c.* 4. *Vide infra c.* 409.

Ut nullus Episcopus de alterius Episcopi diocesi quicquam praesumat.

CCLXVI. Ne parrochias cujuslibet Episcopi alterius civitatis Episcopus canonum temerator invadat, & vesanae cupiditatis facibus inflammatus, suisque admodum non contentus, rapiat aliena. *Ibid. c.* 410.

Ut hi qui res Ecclesiae invadunt, vastant, vel diripiunt, si monente Episcopo non se correxerint, communione priventur.

CCLXVII. Si quis cujuscunque munuscula Ecclesiae, sanctis scripturarum titulis conlata, nefaria calliditate abstulerit, fraudaverit, invaserit, retentaverit, atque suppresserit, & non statim a sacerdote commonitus Deo auxiliante reddiderit, ab Ecclesiae catholicae communione pellatur. *Supra VI.* 134. *Vide infra c.* 411.

Ut posteriores Episcopi non se praeponant prioribus.

CCLXVIII. Ut nullus Episcopus prioribus suis se audeat anteponere.

Ut Clerici qui sine epistolis Episcopi sui extra propriam parrochiam profecti fuerint, communione priventur. Et si incorrigibiles apparuerint, verberibus arceantur.

CCLXIX. Clericis sine commendatitiis epistolis

(1) *Sacramentum catechumenis.*) De toto hoc argumento fuse disputat Gabriel Albaspineus in libro 2. observat. cap. 35. & seq.

ſtolis Epiſcopi ſui licentia non pateat evagandi, & in omni loco ad quem ſine epiſtolis Epiſcopi ſui, ut dictum eſt, venerint, a communione habeantur alieni. In monachis quoque par forma ſervetur: quos ſi verborum increpatio non emendaverit, etiam a verberibus ſtatuimus coerceri. *Vide infra Addit. IV. c.* 157.

De Clericis, ſi ebrietatem non vitaverint, ut excommunicentur aut verberentur.

CCLXX. Ante omnia Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix eſt. Nec quis poteſt liberum corporis ſui ac mentis habere judicium qui captus vino, a ſenſu probatur alienus, & proclivius ad judicium mens labefacta ducatur; aut plerunque poſſit peccatum aut crimen, dum neſcit, incurrere. Ignorantia vero talis non poteſt effugere pœnam, quam ex voluntaria amentia manaſſe conſtiterit. Itaque quemcunque ebrium fuiſſe conſtiterit, ut ordo patitur, aut quadraginta dierum ſpatio a communione ſtatuimus ſubmovendum, aut corporali ſubdendum eſſe ſupplicio. *Vide ſupra c.* 218.

De his qui per calumniam Eccleſiam aut Clericum fatigare tentaverint.

CCLXXI. Si quis per calumniam Eccleſiam aut Clericum fatigare tentaverit, & convictus fuerit, Eccleſiæ liminibus & catholicorum communione, niſi digne pœnituerit, arceatur.

Ut laici non ordinentur niſi religione præmiſſa. Et ut monaſteriis puellarum probatæ vitæ homines præfigantur.

CCLXXII. Præcipimus ne laicus, niſi religione præmiſſa, Clericus fiat. In monaſterium vero puellarum nonniſi probatæ vitæ & ætatis provectæ ad quaſcunque earum neceſſitates vel miniſtrationes permittantur intrare. Ad faciendas vero Miſſas Clerici qui ingreſſi fuerint, ſtatim peracto miniſterio regredi feſtinent. Aliter autem nec Clericus nec monachus juvenis ullum ad puellarum congregationem habeat acceſſum, niſi hoc paterna aut germana neceſſitudo probetur admittere.

De his qui diſtrictionem Epiſcoporum circa ſe auſteriorem putaverint quid agendum ſit.

CCLXXIII. Si quis Clericorum circa ſe aut diſtrictionem aut retractationem Epiſcopi ſui putat injuſtam, juxta antiquas conſtitutiones recurrat ad ſynodum.

De conſpiratione Clericorum vel monachorum aut laicorum.

CCLXXIV. Si quis Clericorum, ut in multis locis diabolo inſtigante actum fuiſſe perpatuit, rebelli auctoritate ſe in unum conjuratione intercedente collegerint, & aut ſacramenta inter ſe data aut chartulam conſcriptam fuiſſe patuerit, nullis excuſationibus hæc præſumptio prævellatur; ſed res detecta, cum in ſynodum ventum fuerit, in præſumptoribus juxta perſonarum & ordinum qualitatem a Pontificibus qui tunc in unum collecti fuerint vindicetur. Quia ſicut caritas ex præceptis dominicis corde non chartulæ conſcriptione vel conjuratione eſt exhibenda, ita quod ſupra ſacras admittitur ſcripturas, auctoritate & diſtrictione pontificali eſt reprimendum.

De his qui res Eccleſiæ traditas invadunt vel vaſtant, aut abſque proprii Epiſcopi conſenſu accipiunt, quid agendum ſit.

CCLXXV. Si quis res Eccleſiæ debitas vel proprias ſacerdotis horrendæ cupiditatis inſtinctu occupaverit, retinuerit, aut a poteſtate ex competitione perceperit, ſi eas non reſtituat, nullis ſe rebus excuſet. Quod ſi agnito jure eccleſiaſtico non ſtatim Eccleſiæ vel ſacerdoti reformaverit, aut ut ipſum jus agnoſcere poſſit, in judicium electorum venire diſtulerit, tamdiu a communione eccleſiaſtica ſuſpendatur, quandiu, reſtitutis rebus, tam Eccleſiam quam ſacerdotem reddat indemnem. Similis etiam his qui oblationes defunctorum Eccleſiis vel ſacerdotibus legaliter dimiſſas quolibet ordine adſignare tardaverint, vel retinere præſumpſerint, diſtrictionis eccleſiaſticæ juxta priores canones forma ſervetur. Cui etiam ſententiæ ſubjacebit quiſquis ſibi quolibet ordine quod pro devotione ſua Eccleſiis dedit revocare præſumpſerit. Abbatibus, Presbyteris, ceteriſque miniſtris de rebus eccleſiaſticis vel ſacro miniſterio traditis nil alienare vel obligare abſque permiſſione & ſubſcriptione Epiſcopi ſui liceat. Quod ſi præſumpſerint, degradentur, communione conceſſa; & quod temere præſumptum aut alienatum eſt, ordinatione Epiſcopi revocetur.

De his quæ die dominico agi prohibentur vel permittuntur.

CCLXXVI. Audivimus perſuaſum eſſe populis die dominico agi cum caballis aut bubus vel vehiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum reparare, vel ea quæ ad nitorem domus vel hominis pertinent nullatenus exercere. Quæ res ad Judaicam ſuperſtitionem magis quam ad Chriſtianam obſervantiam pertinere probatur. Quapropter ſtatuimus ut die dominico quod ante fieri licuit liceat. A rurali tamen opere, id eſt, opere aratri vel vineæ, vel ſectione meſſis, excuſſione, exarto, vel ſepe cenſuimus abſtinendum, quo facilius ad Eccleſiam venientes orationis gratia vacent. Quod ſi inventus fuerit aliquis in operibus ſupraſcriptis, aut quæ interdicta ſunt exercere præſumpſerit, qualiter hæc emendare debeat, non in laicorum diſtrictione, ſed in ſacerdotis caſtigatione conſiſtat. *Capitul. a.* 755. *c.* 14.

De

De his qui ante finitam Missam de Ecclesia egredi præsumunt.

CCLXXVII. De Missis nullus laicorum ante discedat quam dominica dicatur oratio. Et si Episcopus præsens (1) fuerit, ejus benedictio expectetur. Neque ante Missam (2) expletam quis egredi præsumat.

De his qui in Ecclesia cum armis intrare præsumunt.

CCLXXVIII. Sacrificia matutina Missarum, sive vespertina, ne quis cum armis pertinentibus ad bellorum usum expectet. Quod qui fecerit, in sacerdotis potestate consistat quali eum districtione debeat castigare.

Ut laici in Ecclesia infra cancellos stare non præsumant.

CCLXXIX. Ut laici secus (3) altare, quo sancta mysteria celebrantur, inter Clericos tam ad vigilias quam ad Missas stare penitus non præsumant. Sed pars illa quæ a cancellis versus altare dividitur, choris tantum psallentium pateat Clericorum. Ad orandum (4) vero & communicandum laicis & feminis, sicut mos est, pateant sancta sanctorum.

De his qui sabbato sancto Paschæ hora nona jejunium solvunt.

CCLXXX. Quidam sabbato sancto ab hora nona jejunium solvunt, conviviis utuntur; & dum sol ipse eadem die tenebris palliatus lumina subduxerit, ipsaque elementa turbata mœstitiam totius mundi ostenderint, illi jejunium tamen diei polluunt, epulisque inserviunt. Et quia totum eundem diem universalis Ecclesia propter passionem Domini in mœrore & abstinentia peragit, quicunque in eo jejunium, præter parvulos, senes (5), & languidos, ante peractas indulgentiæ preces persolverit, a paschali gaudio depellatur; nec in eo sacramentum corporis & sanguinis Domini percipiat qui diem passionis ejus per abstinentiam non honorat. *Vide infra c.* 430.

De purgatione sacerdotum, qualiter facta fuerit Vuarmacia secunda vice.

CCLXXXI. Omnibus vobis (6) tam præsentibus quam & futuris scire cupimus quia ideo consultu sedis apostolicæ & omnium nostrorum Episcoporum ac reliquorum sacerdotum atque maxime cunctorum fidelium nostrorum de purgatione criminatorum sacerdotum tanta tractavimus, eamque cum testibus, sicut in anteriori Capitulari nostro continetur, fieri decrevimus, quoniam nesciebamus eandem caussam a beato Gregorio Papa esse definitam. Nam cum Vuarmatia generalem conventum habuissemus, adlata est nobis a Riculfo Mogontiacensi Metropolitano epistola beati Gregorii Papæ, in qua inter cetera continebantur hæc: *De Presbytero vero* (7) *vel quolibet sacerdote a populo accusato, si certi non fuerint testes qui crimini inlato non adprobent veritatem, jusjurandum erit in medio, & illum testem proferat de innocentiæ suæ puritate cui nuda & aperta sunt omnia; sicque maneat in proprio gradu.* Ista vero omnia, quia vires nostras excedunt, in judicio Episcoporum juxta canonicam sanctionem definienda relinquimus; ut hæc, quando orta fuerint, ita definire satagant ut nec secundum seculum justam reprehensionem nec penes Deum, quod absit, damnationem, sed æternæ beatitudinis, ipso auxiliante qui omnia infucata præstat, præmia consequantur.

De recto judicio ab omnibus judicando. Et de litibus & contentionibus cavendis.

CCLXXXII. Omnes monemus ut lites vel contentiones non recte judicatas ad patientiæ culmen perducere studeant, sicut Dominus noster Jesus Christus in mandatis suis nos admonet dicens: *Juste judicate filii hominum.* Et: *In quocunque judicio judicaveritis judicabitur de vobis.* Et iterum: *Munera excæcant oculos sapientium, & tollunt verba justorum.* Qui consentit, non recte judicat. Sic docet præceptum Domini: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.* Væ vobis, judices & principes, qui ab impio accipitis munera, & justitiam justi aufertis ab eo. Et rememoramini quod dicitur: *Reddet Deus unicuique secundum opera sua vel secundum justitiam suam.*

Ut testes priusquam de caussa interrogentur, sacramento constringantur.

CCLXXXIII. Testes, priusquam de caussa interrogentur, sacramento debere constringi ut jurent se nihil esse contra veritatem dictu-

---

(1) *Si Episcopus præsens.*) Vide Notas ad Gratianum pag. 561.

(2) *Neque ante Missam.*) Hæc clausula non extat in Conciliis Aurelianensibus, neque apud Reginonem, Burchardum, & Gratianum.

(3) *Ut laici secus.*) Vide Burchardum libro tertio cap. 102.

(4) *Ad orandum.*) Hæc est vera lectio istius loci, quæ extat in Concilio secundo Turonensi. Sic etiam legitur in Decretalibus. Antonius tamen Augustinus præfert lectionem quæ habetur in veteri Burchardi exemplari, ubi legitur *Ad adorandum.* Sane in uno eorum Burchardi codicum, quos ego vidi, legitur *Ad adorandum*, in alio vero *Ad adorandum.* Apud Ivonem quoque legitur *Ad adorandum.*

(5) *Parvulos, senes.*) Homilia incerti auctoris in vetustissimo codice Sancti Galli: *Nullus Christianus debet laxare ista jejunia, si talis infans non est qui non possit jejunare, aut talis senex, vel infirmus. Et qui ista jejunia laxat aut neglegit, peccatum grande inde habet.*

(6) *Omnis vobis.*) Sic scriptum est, sed legendum: *Omnibus vobis &c.*

(7) *De Presbytero vero.*) Vide Burchardum libro 2. cap. 186.

cturos. Hæc etiam jubemus, ut honestioribus magis quam vilioribus testibus fides potius admittatur. Unius autem testimonium, quamlibet splendida & idonea videatur esse persona, nullatenus audiendum.

Ut Episcopos vel sacerdotes aut Clericos in judiciis secularibus nullus accuset.

CCLXXXIV. Mansuetudinis nostræ lege prohibemus in judiciis Episcopos accusari; ne dum adfutura ipsorum beneficio impunitas æstimatur, libera sit ad arguendos eos animis furialibus copia. Si quid est igitur querelarum quod quispiam defert, apud alios potissimum Episcopos convenit explanari, ut opportuna atque commoda cunctorum quæstionibus audientia commodetur.

De privilegiis Ecclesiarum & Clericorum non violandis.

CCLXXXV. Privilegia quæ olim reverentia religionis obtinuit mutilari sub pœnæ etiam interminatione prohibemus; ita ut hi quoque qui Ecclesiæ obtemperant, his quibus Ecclesia beneficiis perfruantur. *VI.* 368.

Ut mancipia quæ Judæi emerint aut circumciderint, ab eorum potestate auferantur.

CCLXXXVI. Si quis Judæorum Christianum servum vel cujuslibet alterius sectæ emerit & circumciderit, a Judæi ipsius potestate sublatus in libertate permaneat.

De his quæ a prioribus Principibus circa Ecclesiarum utilitates sunt ordinata, ut immota permaneant semper.

CCLXXXVII. Ea quæ circa catholicam legem vel olim ordinavit antiquitas, vel parentum nostrorum auctoritas religiosa constituit, vel nostra serenitas roboravit, novella superstitione submota, integra & inviolata custodiri præcipimus. *VI.* 367.

De integra restitutione.

CCLXXXVIII. Integra restitutio dicitur si quando res quælibet aut caussa quæ perierat, in priorem statum reparatur, vel id quod alicui sublatum est reformatur, ita ut eorum caussæ vel res in integrum revocentur qui aut per timorem potestatis alicujus compulsi sunt, aut fraude vel errore decepti sunt, aut per captivitatem vel quamcunque injustam necessitatem substantiam suam aut statum ingenuitatis perdidisse noscuntur, aut si qui pro necessitate longæ peregrinationis absentant, vel restauranda ea quæ in damnis minorum gesta esse probantur.

De his quæ injuste ablata sunt, ut juste legibus in integrum restituantur.

CCLXXXIX. Quotiens de revocanda re vel caussa integræ restitutionis beneficium patitur, aut in rem aut in personam agendum est, ut res ipsa quæ sublata est recipiatur. Et cum in persona actio cœperit intendi, is qui rem indebite abstulisse convincitur, id quod sublatum est intra annum in quadruplum reformet, post annum vero in duplum reddendum est.

Ut Ecclesiarum vel Clericorum servos a judicibus non liceat vexari.

CCXC. Ecclesiarum servos & Episcoporum vel omnium Clericorum a judicibus vel actoribus publicis in diversis angariis non fatigari divina præcipimus auctoritate. Unde omne Concilium a pietate gloriosissimi Domini nostri poposcit ut tales deinceps ausus inhibeat, sed servi suprascriptorum officiorum in eorum usibus vel Ecclesiæ laborent. Si quis vero judicum aut actorum Clericum aut servum Clerici vel Ecclesiæ in publicis ac privatis negotiis occupare voluerit, a communione ecclesiastica, cui impedimentum facit, efficiatur extraneus. *Capitul. a.* 744. *c.* 7.

Ut de criminibus definitis non liceat postmodum movere certamen.

CCXCI. De his criminibus de quibus quis absolutus est, ab eo qui accusavit refricari accusatio non potest. *Supra c.* 163.

Ut dotes Ecclesiarum simul cum ipsis Ecclesiis semper ad proprii Episcopi pertineant dispositionem.

CCXCII. Multi, contra canonum constituta, Ecclesias quas ædificaverint postulant consecrari ita ut dotem quam eidem Ecclesiæ contulerint non censeant ad Episcopi ordinationem pertinere. Quod factum & in præterito displicet, & in futuro prohibetur. Sed omnia, secundum constitutionem antiquam, ad Episcopi ordinationem & potestatem pertineant. *Vide infra c.* 468. & *Addit. IV. c.* 56.

Ut Episcopi semper prævideant qualiter judices cum omnibus sibi commissis agant.

CCXCIII. Oportet ut sint Episcopi semper perspectores, secundum Regis admonitionem (1), qualiter judices cum populis agant, & aut ipsos præmonitos corrigant, aut insolentias eorum auribus (2) Principum innotescant. Quod si correptos emendare nequive-

(1) *Secundum Regis admonitionem.*) In Concilio Toletano legitur *secundum regiam admonitionem*. quod idem est. At in veteri Capitularium exemplari Trecensi scriptum est *secundum magistri ammonitionem*. In regio & in meo, *secundum magis admonitionem*.

(2) *Auribus.*) Hæc est lectio codicis Belvacensis, quam Ivo quoque habet. In Concilio vero & in codice Capitularium Vaticano, Colbertino, & Tiliano legitur *auditibus*. In Trecensi, *judicibus*. Sed hæc lectio sana non est.

verint, & ab Ecclesia & a communione eos suspendant.

De devotis peccantibus non recipiendis, nisi peccare desierint.

CCXCIV. Devotam peccantem non recipiendam in Ecclesia, nisi peccare desierit. Et si desinens egerit aptam pœnitentiam decem annis, recipiat communionem. Prius autem quam in Ecclesia admittatur ad orationem, ad nullius convivium Christianæ mulieris accedat. Quod si admissa fuerit, etiam hæc quæ eam receperit habeatur absens (1). Corruptorem etiam par pœna constringat. Quæ autem maritum acceperit, non admittatur ad pœnitentiam, nisi adhuc vivente ipso marito (2) caste vivere cœperit, aut postquam ipse decesserit.

De his qui excommunicantur a sacerdotibus, ut nullus ad eos accedat.

CCXCV. Si quis laicus per excommunicationem abstinet, ad domum ejus Clericorum vel religiosorum nullus accedat. Similiter & Clericus si abstinet, a Clericis devitetur. Si quis cum illo conloqui aut convivari fuerit deprehensus, etiam ipse abstineatur. Sed hoc pertineat ad eos Clericos qui ejus sunt Episcopi, & ad omnes qui commoniti fuerint de eo qui abstinet, sive laico quolibet, sive Clerico.

De vagis & levibus sacerdotibus ac Clericis quid agendum sit.

CCXCVI. Hoc etiam placuit, ut vagus atque instabilis Clericus, sive etiam in diaconali ministerio vel presbyterali officio constitutus, si Episcopi a quo ordinatus est præceptis non obedierit ut in delegata sibi Ecclesia officium dependat assiduum, quousque in vitio permanserit, & communione & honore privetur.

De tenendis ad solutionem qui debitum promittunt.

CCXCVII. Si quis pro alterius debito se pecuniam promiserit redditurum, ad solutionem statutæ promissionis est retinendus.

De his qui ad vendendum alterius rem acceperint quid agendum sit.

CCXCVIII. Si facto pretio rem vendendam aliquis cuicunque tradiderit, & dum ab eo vendenda profertur, quacunque occasione perierit, ei perit qui eam dederat distrahendam. Ceterum si rem acceptam non rogante domino, sed promittente eo qui accepit, dum vellet venundare perdiderit, sibi rei perditæ ingerit detrimentum.

Ut creditor rem debitoris non vendat prius quam eum de solutione ter conveniat.

CCXCIX. Creditor si sine conditione pignus sibi depositum tenens, ter debitorem convenerit ut, soluto debito, pignora sua recipiat, & debitor noluerit post tres admonitiones soluto debito pignora sua recipere, creditor distrahendi pignoris habebit liberam potestatem.

Ut cum rebaptizatis fideles non communicent.

CCC. Cum rebaptizatis fideles religiosi nec in cibo participent.

De his qui jubente sacerdote de Ecclesia exire contempserint quid agendum sit.

CCCI. Qui jubente sacerdote pro quacunque culpa ab Ecclesia exire contempserint, pro noxa contumaciæ tardius recipiantur ad veniam.

De Clericis increpationi inobedientibus verberandis.

CCCII. Clerici, quos increpatio non emendaverit, verberibus coerceantur.

De his qui aliis aliquid debent, & ipsis ab eis aliquid debetur, ut in solutionem computentur.

CCCIII. Si quis debeat alicui solidos decem, & ille qui debet de quacunque ratione debeantur illi a creditore suo solidi quinque, & veniens creditor totos decem solidos a debitore petat, si probaverit ille debitor sibi ab eo quinque solidos deberi, quare illum in solidum pro totis decem solidis convenit, caussam perdat qui noluit debitum compensare. Similis ratio est de frumento vel de aliis speciebus.

De his qui filiofamilias aliquid commodaverint quid agendum sit.

CCCIV. Qui filiofamilias contra interdicta legum inscio patre pecuniam commodavit, eam nec vivente nec mortuo patre ab eodem poterit postulare.

De secularibus qui suas uxores derelinquunt.

CCCV. Hi vero seculares qui conjugale consortium absque culpa graviore dimittunt vel etiam dimiserunt, & nullas caussas discidii probabiliter proponentes, propterea sua matrimonia dimittunt ut aut inlicita aut aliena præsumant, si antequam apud Episcopos comprovinciales discidii caussas dixerint, & priusquam uxores judicio damnentur abjecerint, a communione Ecclesiæ & sancti populi

(1) *Absens.*) Ita Martinus Bracarensis & vetera Capitularium exemplaria. Id est, *absenta*, ut est in Concilio, sive segregata a communione fidelium. Martinus Bracarensis in codice Thuano & Isidorus legunt, *habeatur in absentia*.

(2) *Vivente ipso marito.*) Hæc est vera lectio, quæ extat apud Isidorum & Martinum Bracarensem & in vetustissimo codice Ecclesiæ Lugdunensis. Loaisa reposuit *viro*.

puli cœtu, pro eo quod fidem & conjugium maculant, excludantur.

Ut stipendia Clericis juxta meritum distribuantur.

CCCVI. Clerici etiam omnes, qui Ecclesiæ fideliter vigilanterque serviunt, stipendia sanctis laboribus debita secundum servitii sui meritum vel ordinem teneantur.

De accusatoribus & accusantibus quas seculi leges non admittunt a Clericorum caussis repellendis.

CCCVII. Accusationes & accusatores, atque earum negotia, quæ seculares non adsciscunt leges, divina ac synodica funditus a Clericis repellere auctoritate censemus, quia indignum est superioribus pati ab inferioribus quæ inferiores ab eis uti despiciunt.

De Episcopo qui alterius parrochianum præsumit retinere vel ordinare seu judicare.

CCCVIII. Nullus Episcopus alienum parrochianum præsumat retinere aut ordinare vel judicare absque proprii Episcopi voluntate. Quia sicut irrita erit ejus ordinatio, ita & judicatio. Quoniam censemus nullum alterius judicis nisi sui sententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare nullatenus poterit. *Add. IV. c. 23.*

De peregrinis judiciis non recipiendis.

CCCIX. Peregrina judicia generali sanctione prohibemus. Quia indignum est ut ab externis judicetur qui provinciales & a se electos debet habere judices. *Vide infra Addit. IV. c. 19.*

De pœnitentibus, qualiter pœnitentiam debeant accipere.

CCCX. Pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manus & cilicium a sacerdote consequantur. Et si aut comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur. Et nisi digne pœnituerint, non recipiantur. Juvenibus etiam non facile committenda est, propter ætatis fragilitatem. Viaticum tamen omnibus in morte positis non negandum. *V.* 122.

De contumacibus Clericis & ad officium tardis.

CCCXI. Contumaces vero Clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur. Et si qui prioris gradus elati superbia communionem fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuatur; ita ut cum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula, gradum suum dignitatemque recipiant.

De his qui alienam pecuniam sibi commodatam attractare præsumunt.

CCCXII. Si quis sacculum vel argentum signatum deposuerit, & is penes quem depositum fuit, illud invito eo contrectaverit, & depositi & furti actio in eum competit.

De creditore qui, debitore tardante ad solutionem, pignus quod penes se retinet vendiderit, quod amplius acceptum est debitori reddendum.

CCCXIII. Si quis creditor, debitore in solutionem tardante, rem sibi pro debito positam distraxerit, si quid amplius acceptum fuerit quam debebatur, quod amplius acceptum est restituatur debitori.

Ut Episcopus ultra suam provinciam ad judicium minime devocetur, nisi fuerit provocatum; sed ab omnibus suis comprovincialibus Episcopis infra suam provinciam audiatur.

CCCXIV. Nullus Episcopus extra suam provinciam ad judicium devocetur. Sed vocato eo canonice in loco omnibus congruo tempore synodali, ab omnibus comprovincialibus Episcopis audiatur qui concordem super eum canonicamque proferre debent sententiam. Quia si hoc minoribus tam Clericis quam laicis concessum est, quanto magis de Episcopis servari convenit? Nam si ipse Metropolitanum aut judices suspectos habuerit, aut infestos senserit, apud Primatem diocœseos aut apud Romanæ sedis Pontificem judicetur.

De Episcopis qui Romanum appellant Pontificem.

CCCXV. Placuit ut si Episcopus accusatus appellaverit Romanum Pontificem, id statuendum quod ipse censuerit. *Add. IV.* 27.

De Presbyteris qui in suis parrochiis aliquid paganismi agere permittunt, & de agris in quibus hæc acta esse noscuntur, quid agendum sit.

CCCXVI. Si in alicujus Presbyteri parrochia infideles aut faculas accenderint, aut arbores aut fontes aut saxa venerentur, si hoc eruere neglexerint, sacrilegii reum se esse cognoscat. Dominus aut ordinator rei ipsius, si admonitus hoc emendare noluerit, communione privetur.

De pœnitentibus quæ, defunctis viris, aliis nubere præsumunt.

CCCXVII. Pœnitens quæ, defuncto viro, alio nubere præsumpserit, & quæ vel suspecta vel interdicta familiaritate cum extraneo convixerit, cum eodem ab Ecclesiæ liminibus arceatur. Hæc etiam & de viro in pœnitentia posito placuit observari.

De his qui rem alterius vendendam acceperint, si eam minus vendiderint, pretium quod eis mandatum fuerat solvere cogantur.

CCCXVIII. Si quis cuilibet mandet ut rem suam decem solidos vendat, & ille eam octo

octo vendiderit, pretium quod ei mandatum est, quicquid minus ab emptore percepit, mandatori complere compellatur. Venditio tamen rescindi non potest.

De eo qui servum bona fide comparaverit, si servus ex priori vitio fugerit, quid agendum sit.

CCCXIX. Servus bona fide comparatus si ex veteri vitio fugerit, non tantum pretium dominus, sed & ea quæ per fugam abstulit, reddere cogetur.

De his qui indiscussos potestate tyrannica damnare præsumunt. Et de Episcopis vel sacerdotibus, quod non debeant ab aliis judicari nisi a quibus & ordinari.

CCCXX. Sunt nonnulli qui indiscussos potestate tyrannica, non canonica auctoritate, damnant; & sicut nonnullos gratia favoris sublimant, ita quosdam, odio invidiaque permoti, humiliant; & levi opinionis aura condemnant quorum crimina non adprobant. Ideoque communi decreto censemus ut quandocunque aliquis Episcoporum crimina ur, congregatis omnibus ejusdem provinciæ Episcopis caussa ejus audiatur; ut non occulte judicetur vel damnetur. Quia ab aliis judicari prius non potest nisi ab his a quibus ordinari potuit. Quod si aliter factum fuerit, nullas vires habebit.

De his qui habent caussas adversus Episcopos proprios, vel adversus alios, apud synodum provinciæ audiendis; exceptis his qui adversus suum Metropolitanum querelam habuerint.

CCCXXI. Si Clericus vel laicus habuerit caussam adversus Episcopum proprium, vel adversus alterum, aut Episcopus adversus quemquam, apud synodum provinciæ judicetur. Quod si adversus ejusdem provinciæ Metropolitanum Episcopus vel Clericus habuerit querelam, petat Primatem dioceseos; & apud ipsum judicetur, aut apud sedem apostolicam. *Addit. IV. c.* 25.

De ore eorum in accusatione vel testimonio obstruendo qui divinis vocibus mortui esse noscuntur.

CCCXXII. Placuit eorum accusandi sacerdotes & testificandi in eos vocem obstruere quos non humanis sed divinis vocibus mortuos esse scimus. Quia vocem funestam potius intercidi quam audiri oportet. *Vide infra c.* 440.

De non neganda appellatione accusati.

CCCXXIII. Placuit ut accusato, si judices suspectos habuerit, liceat appellare. Quia non oportet negare audientiam roganti. *Vide Addit. IV. c. XI.*

Quod eis qui de se confessi sunt super alios non sit credendum.

CCCXXIV. Non est credendum contra alios eorum confessioni qui criminibus implicantur, nisi se prius probaverint innocentes. Quia periculosa est & admitti non debet rei adversus quemcumque professio.

De pervasoribus finium priusquam caussæ auditio terminetur.

CCCXXV. Si quis persuasor finium fuerit adprobatus, eo quod priusquam aliquid judicio terminetur, id quod alter tenuerat invasisset, non solum illud quod male præsumpserit amittat, sed, ut non unusquisque rem alienam occupet, cum fuerit in caussa devictus pervasor juris alieni, tantum spatii restituat quantum præsumpserit invadere.

De his qui contra voluntatem defuncti faciunt, ut perdant hereditatem.

CCCXXVI. Omnibus qui contra voluntatem defuncti faciunt, ut indignis, auferatur hereditas.

De his quibus per testamentum aliquid delegatum est, quod nihil contra voluntatem defuncti liceat agere.

CCCXXVII. Qui per testamentum sibi aliquid derelictum acceperit & vindicaverit, & voluerit contra voluntatem defuncti agere, licentiam penitus non habebit.

Quod voluntas defuncti ab heredibus in omnibus sit peragenda.

CCCXXVIII. Nulli quidem de bonis usurpandis virorum, nec dividendi contra bonos mores, concessa licentia est; sed, præcipiente patre, divisionem ab eo factam durare, si modo usque ad extremum ejus vivendi spatium voluntas eadem perseverasse doceatur.

De filiis qui patrem læserint donationibus carendis.

CCCXXIX. Si quis filius donatione patris aliquid fuerit consecutus, & eum postmodum læserit, post probatas in judicio læsionis caussas, ad donationem pater, si voluerit, in integrum revocetur.

De donatione in filio a patre facta, si ab eo læsus fuerit, revocanda.

CCCXXX. Donatio in filio a patre facta, si læsum se pater esse probaverit, revocetur.

De detractione Principum ac majorum natu ab omnibus cavenda.

CCCXXXI. Quod omnibus fidelibus (1) omnibusque ordinibus summopere cavendum sit ne clanculo aut publice unctum Domini detractionibus & vituperationibus dilanient, per-

(1) *Quod omnibus fidelibus.*) Vide supra libro 6. cap. 402.

perpendentes illud exemplum Mariæ, quæ pro eo quod Moysi famulo Domini propter Æthiopissam detraxit, immunditia lepræ multata fit. Et illud psalmistæ: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Vide supra VI. 402.*

Quod omnibus qui lite pulsati fuerint non alibi quam in proprio foro jurgandum sit.

CCCXXXII. Clericus vel laicus, si crimine aut lite pulsatus fuerit, non alibi quam in foro suo vocatus audiatur.

Ut appellantes nulla arceantur detentione.

CCCXXXIII. Appellantem non debet afflictio ulla aut carceris aut detentionis injuriare custodia. Et liceat appellatori vitiatam caussam appellationis remedio sublevare.

De his qui, contempto fidejussore, ad solutionem potius debitorem delegerint.

CCCXXXIV. Si quis, contempto fidejussore, debitorem suum tenere maluerit, fidejussor vel heres ejus a fidejussionis vinculo liberatur. Si vero procurator litis victus fuerit, mandator ejus ad solutionem tenetur. *Capitul. a. 744. c. 17.*

Quod liberi homines statum suum & deteriorare & inmeliorare possint.

CCCXXXV. Homo liber, qui statum suum in potestate habet, & pejorare eum & meliorem facere potest; atque ideo operas suas diurnas nocturnasque locat. *Addit. III. 14.*

De concubinis non habendis.

CCCXXXVI. Qui uxorem habet, eo tempore concubinam habere non potest, ne ab uxore eum dilectio separet concubinæ.

De monachis qui monasteria contempnunt ab Episcopo revocandis.

CCCXXXVII. Illud etiam unanimi consensu convenit observari, ut si quis monachorum aut monacharum in congregatione positi religiosam conversationem elegerint, & postea aut ad parentes aut quamcumque proprietatem se de congregatione ipsa subtraxerint, & ab Episcopo suo per epistolam admoniti ad septa monasterii sui redire distulerint, sint usque ad exitum vitæ a communione suspensi, nec prius ad eucharistiæ gratiam admittantur quam ad ovile suum, de quo se vagationis insolentia visi sunt subtraxisse, cum humillima supplicatione debeant satisfactione reverti.

De feminis quæ religionis vestem in domibus propriis mutaverunt, si postea concubitum elegerint, quid agendum sit.

CCCXXXVIII. De viduis & puellis quæ sibi in habitu religionis in domibus propriis tam a parentibus quam per se vestem mutaverint, & se postea contra instituta patrum vel præcepta canonum conjugia crediderint copulanda, tamdiu utrique habeantur a communione suspensi quousque quod inlicite perpetraverunt emendent. Quod si emendare neglexerint, a communione vel omnium Christianorum convivio in perpetuo sint sequestratæ.

Quod quatuor personæ in judiciis semper adesse debeant.

CCCXXXIX. Quot personæ solent in judiciis esse? Quatuor, accusator caussæ, defensor caussæ, testes, judex. Quo quisque utitur officio? Judex æquitate, testes veritate, accusator intentione ad amplificandam caussam, defensor extenuatione ad minuendam caussam. Sæpe enim fit caussa ratiocinationis, aut metu, aut gloria, aut pecunia, id est, aut commodi aliquid appetendi, vel incommodi aliquid vitandi. *Capitul. a. 744. cap. 18.*

Quod non solum qui furtum fecerint, sed & qui ad hoc perficiendum adjutorium aut consilium dederint, furti actione sunt tenendi.

CCCXL. Non tantum qui furtum fecerit, sed etiam is cujus opere aut consilio furtum factum fuerit, furti actione tenebitur.

Qui sunt agnati, & qui sunt cognati.

CCCXLI. Agnati sunt (1), qui per virilem sexum descendunt, cognati autem qui per femineum. Et ideo patrui vel patruorum filii & agnati sunt & cognati. Avunculi vero & avunculorum filii cognati sunt, non agnati. *Ibid. c. 19.*

De his qui se metu aut terrore servos esse mentiti sunt.

CCCXLII. Qui metu & impressione alicujus terroris apud acta Præsidis servum se esse mentitus est, postea statum suum defendendi non præjudicat.

De his qui domos effregerint, vel villas expoliaverint aut expugnaverint, vel rapinas fecerint, quid agendum sit.

CCCXLIII. Hi qui ædes aliquas villasve expoliaverint, effregerint, expugnaverint, si quidem id turba cum telis coacta fecerint, capite puniantur. Telorum autem appellatione omnia ex quibus saluti hominis noceri possit accipiuntur.

De his qui latrones vel reliquos malefactores susceperint.

CCCXLIV. Receptores adgressorum, itemque latronum, eadem pœna afficiantur qua ipsi

(1) *Agnati sunt.*) Vide Cujacium lib. 17. observat. cap. 36.

ipsi latrones. Sublatis enim susceptoribus, crassantium cupido conquiescit.

De his qui incendium fecerint.

CCCXLV. Si aliquis malitiæ studio incendium miserit, de hoc crimine convictus, pœnis gravissimis jubetur interfici. Quod si per neglegentiam factum incendium comprobatur, damnum quod cuicunque inlatum fuerit, res quæ incendio perierit, dupli satisfactione sarciatur.

De non valendis constitutionibus contra canones vel decreta Præsulum aut bonos mores conditis.

CCCXLVI. Constitutiones contra canones & decreta Præsulum Romanorum seu reliquorum Pontificum vel bonos mores nullius sunt momenti.

Ut non constringat Clericum sententia non a suo judice dicta.

CCCXLVII. In Clericorum caussa hujusmodi forma servetur, ut nec quemquam eorum sententia non a suo judice dicta constringat.

Ut hi qui falsa aliis inrogaverint puniantur, & falsitate infames efficiantur.

CCCXLVIII. Omnis qui falsa aliis intulerit puniatur, & pro falsitate ferat infamiam.

De comprovinciali synodo retractanda per vicarios urbis Romæ Episcopi.

CCCXLIX. Ut comprovincialis synodus retractetur per vicarios urbis Romæ Episcopi, si ipse decreverit. *Vide infra Addit. IV. cap.* 12.

Ut nullus Episcopum aut actores Ecclesiæ apud alios prius accuset quam eum familiariter conveniat atque ab eo familiarem justitiam petat.

CCCL. Si quis adversus Episcopum caussam habuerit, non prius alios Episcopos vel alios judices adeat, ut eum accuset, quam familiariter ei suam indicet querelam, & ab eo aut justam emendationem aut rationabilem percipiat excusationem, ipsa nos instruente veritate: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te non audierit, adhibe duos vel tres tecum. Et si vos non audierit, dic Ecclesiæ*; id est, accusa eum publice tunc, & non prius, & reliqua.

De infamibus vel sacrilegis, quod religiosos accusare non possunt.

CCCLI. Nulli infami atque sacrilego de quocunque negotio liceat quandoque adversus religiosum Christianum impetere.

Ut caussæ quas leges seculi non admittunt a judicibus ecclesiasticis non audiantur.

CCCLII. Nullæ caussæ a judicibus ecclesiasticis audiantur quæ legibus non continentur, vel quæ prohibitæ esse noscuntur.

Quod hi qui pro injuria mediocri damna subire compelluntur, infames efficiantur.

CCCLIII. Qui pro injuria mediocri æstimatæ injuriæ damna subire compellitur, quamvis civiliter videatur addictus, tamen infamis efficitur.

De absentibus non damnandis.

CCCLIV. In caussa capitali absens nemo damnetur. Neque absens per alium accusare aut accusari potest. *Vide infra Addit. III. cap.* 102.

Ut hi qui res alienas violenter occupant, quicquid ibi perditum vel alienatum fuerit, eis quibus competebant pleniter restaurent.

CCCLV. Si ex rebus quas violenter aliquis occupat, quælibet sub quacunque occasione perierint, aut arserint, vel servi violenter occupati mortui fuerint, quamlibet fraude illius qui occupavit id quod perit factum non videatur, tamen ab ipso quæcunque perierint reddenda sunt qui rem juris alieni violenter visus est occupasse.

De his qui cum pecoribus coitu mixti sunt, aut more pecorum usque affinitatis lineam cum consanguineis incestum commiserunt, sive cum masculis concubuerunt.

CCCLVI. In hoc titulo Græca verba posita sunt, id est, περὶ τῶν ἀλογευσαμένων, ἢ καὶ ἀλογευομένων. quod nos Latine possumus dicere: *De his qui inrationabiliter versati sunt sive versantur.* In qua sententia sensus triplex est; id est, de his qui cum pecoribus coitu mixti sunt, aut more pecorum cum consanguineis usque adfinitatis lineam incestum commiserunt, aut cum masculis concubuerunt. Quisquis autem ex his unum egerit, aut capite puniatur, aut, si ei vita concessa fuerit, juxta Ancyrani Concilii sententiam, quæ in capitulo decimo sexto continetur, pœnitentiam veraciter agat.

Quod in caussa capitali, vel in caussa status, non per Advocatos sed per ipsos sit agendum.

CCCLVII. Si quando in caussa capitali vel in caussa status interpellatum fuerit, non per procuratores sed per ipsos est agendum.

Ut Metropolitani Episcoporum comprovincialium caussas non præsumant audire nisi præsentes omnes fuerint Episcopi comprovinciales.

CCCLVIII. Si quis Metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parrochiam, sine consilio & voluntate omnium comprovincialium Episcoporum extra aliquid agere tentaverit, gra-

dus sui periculo subjacebit; & quod egerit, irritum habeatur & vacuum. Sed quicquid de provincialium coepiscoporum caussis suarumque Ecclesiarum & Clericorum atque secularium necessitatibus agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu comprovincialium agatur Pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humillima & concordi administratione, sicut Dominus ait: *Non veni ministrari, sed ministrare*. Et alibi: *Qui major est vestrum, erit minister vester*. & reliqua. Similiter & ipsi comprovinciales Episcopi cum ejus consilio, nisi quantum ad proprias pertinet parrochias, agant juxta sanctorum constituta patrum; & uno animo, uno ore, concorditer sancta glorificetur Trinitas in secula. *Addit. IV. cap.* 16.

Ut reprehensio qua laici arguuntur, a Clericis respuatur.

CCCLIX. Notum sit omnibus quia quod in laicis reprehenditur, id multo magis debet in Clericis prædamnari.

De delatoribus quid agendum sit, vel quid sint delatores.

CCCLX. Delatori aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur. Delatores autem sunt qui invidia produnt alios.

De his qui in alterius famam aut scripturam aut verba contumeliosa confinxerint.

CCCLXI. Qui in alterius famam in publico scripturam aut verba contumeliosa confinxerit, & repertus scripta non probaverit, flagelletur. Et qui ea prius invenerit, rumpat, si non vult auctoris facti caussam incurrere.

De his qui unam rem duobus dominis donaverint.

CCCLXII. Si aliquis unam rem duobus per legitimas scripturas donaverit, uni prius, & alteri postea, non quærendus est in his donationibus qui primus qui posterior sit; sed qui rem tradente donatore possederit, is eam cui est tradita possidebit. Nec interest utrum in parentes an in extraneos talis sit facta donatio.

De servis in caput domini a quoquam non interrogandis.

CCCLXIII. Servi in caput domini neque a Præside, neque a procuratore, neque tam in parvis quam in capitalibus caussis, interrogari possunt.

De his qui irati crimen aliquod cuilibet dixerint, si postea resipiscentes hoc perficere noluerint, quid agendum sit.

CCCLXIV. Si quis iratus crimen aliquod cuilibet temere objecerit, convitium non est pro accusatione habendum. Sed permisso tractandi spatio, id quod iratus dixit, per scripturam se probaturum esse fateatur; ut si fortasse resipiscens post iracundiam, iterare ac scribere noluerit, non ut reus criminis teneatur.

Ut qui crimen objecerint, scribant se probaturos. Et ut ibi caussa agatur ubi crimen admissum esse dinoscitur.

CCCLXV. Qui crimen objicit, scribat se probaturum. Revera, ut ibi caussa agatur ubi crimen admittitur; ut qui non probaverit quod objecit, pœnam quam intulerit ipse patiatur. *Vide supra cap.* 253.

Ut nullus absque inevitabili necessitate suam relinquat Ecclesiam.

CCCLXVI. Ut ne quis (1), dum in ea durare potuerit, qualibet necessitate suam relinquat ecclesiam.

De his qui ante alterius judicem fuerint pulsati, quid agendum sit.

CCCLXVII. Pulsatus ante suum judicem, caussam dicat. Et non ante suum judicem pulsatus, si noluerit, taceat. Et ut pulsato, quotiens appellaverit, induciæ dentur.

De his qui famosos libellos legere aut cantica famosa cantare præsumunt.

CCCLXVIII. Hi qui inventi fuerint libros famosos legere vel cantare, excommunicentur.

De his qui a Clericorum accusatione sunt repellendi.

CCCLXIX. Homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, & qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos magosque concurrerint, nullatenus ad accusationem vel ad testimonium erunt admittendi. *VI.* 397.

De his qui divinos vel mathematicos consulere præsumunt.

CCCLXX. Qui de salute Principis vel summa reipublicæ mathematicos, ariolos, aruspices, vaticinatores consulit, cum eo qui responderit, capite puniatur.

De auctoribus vel concionatoribus seditionum vel tumultuum.

CCCLXXI. Auctores seditionis & tumultus, vel concitatores populi, pro qualitate dignitatis aut in crucem tollantur, aut bestiis objiciantur, aut in insulam deportentur.

De periculo judicantium & providentia eorum.

CCCLXXII. Majus periculum est judicantis

(1) *Ut ne quis.*) Caput istud sumptum est ex capite 59. capitulorum ab Angilramno collectorum.

tis quam ejus qui judicatur. Unde unicuique providendum est ne aliquem injuste judicet aut puniat.

De accusatione adversus doctorem submovenda.

CCCLXXIII. Accusationes adversus doctorem nemo suscipiat: quia non potest humano condemnari examine quem Deus suo reservavit judicio.

Quod hi qui adversus patres armantur, Deo existunt odiosi.

CCCLXXIV. Sic odit Deus eos qui adversus patres armantur ut patrum invasores, qui in omni mundo infamia notantur.

Qualiter decimæ & oblationes fidelium a sacerdotibus sint dispensandæ.

CCCLXXV. Instruendi sunt Presbyteri pariterque admonendi quatinus noverint decimas & oblationes quas a fidelibus accipiunt, pauperum & hospitum & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis sed quasi commendatis uti debere; de quibus omnibus sciant se rationem reddituros in conspectu divinæ majestatis, & nisi eas fideliter pauperibus & his quibus præmissum est administraverint, condemnationem patiendos. Qualiter vero dispensari debeant, canones sacri instituunt. Scilicet ut quatuor partes ex omnibus fiant, una ad fabricam Ecclesiæ relevandam, altera pauperibus distribuenda, tertia Presbytero cum suis Clericis habenda, quarta Episcopo reservanda. Et quicquid exinde Pontifex jusserit prudenti consilio est faciendum.

Quod feminæ cum Presbyteris vel reliquis Clericis non debeant habitare, nec eis ministrare, nec intra cancellos stare, neque ad altare accedere.

CCCLXXVI. Inhibendum & modis omnibus tenendum est ut nullus sacerdos eas personas feminarum, sicut in canonibus insertum continetur, de quibus suspicio potest esse, in domo sua habeat, & non solum illas, sed neque illas quas antiqui canones concedunt: quia, instigante diabolo, etiam in illis scelus frequenter perpetratum reperitur, aut etiam in pedissequis earum. Nam si qua de his habuerit talem necessitatem cui sit necessaria (1) sustentatio Presbyteri, habeat in villa aut in vico domum, longe a Presbyteri conversatione, & ibi ei subministret quæ necessaria sunt. Sed & hoc secundum auctoritatem canonum modis omnibus prohibendum, ut nulla femina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, vel infra cancellum stare aut sedere.

Ut incesti a sacerdotibus per veraces & Deum timentes homines fideliter perquirantur & canonice puniantur.

CCCLXXVII. De incestis omni studio perquirendum est sacerdotibus per homines veraces & timorem Dei ante oculos habentes. Et si reperti fuerint, statim aut per se emendare studeant, aut cum adjutorio Archidiaconi sui vel Episcopi hoc ipsum extirpare satagant: ne tanto flagitio & scelere & illi polluantur & pereant, & alii in eorum vicinitate omnipotentis Dei iram incurrant.

Ut Presbyteri & reliqui Clerici ab omnibus vitiis se caveant, & subjectos sibi fideliter instruant, atque bonis operibus omnibus ducatum præbeant.

CCCLXXVIII. Admonendi sunt Clerici & instruendi ut primum ipsi ab omni fornicatione & immunditia & luxuria & ab omni pollutione carnis sint alieni, & tunc plebem sibi subjectam & verbis prædicent, & exempla ostendant, ut ab omni fornicatione & ab omni irrationabili vel inutili pecudum luxuria & pollutione abstineant, & mundo se corpore & mente Deo præparent.

De confessionibus fidelium accipiendis & dijudicandis, & consilium dandis qualiter pro modulo & quantitate peccati sit pœnitentia.

CCCLXXIX. Quærendum namque est sacerdoti, cum accipit cujuslibet fidelis confessionem peccatorum, qualiter primo peccatum perpetratum, aut si postea iteratum, aut frequenter actum sit, si sponte, si coacte, si per ebrietatem, aut per quodlibet ingenium factum sit. Et cum viderit unde radix illius peccati processit, tunc congruam adhibeat medicinam. Qualis vero peccati adhibenda sit medicina, secundum canonum authenticorum sanctorum patrum esse debet, & non secundum placitum hominis (2), sed secundum Dei voluntatem. Nec in hac parte voluntas aut gratia hominis sectanda est, sed voluntas Dei in omnibus exquirenda; quatinus dignis precibus & pœnitudine digna placari possit omnipotentis Dei vindicta, quam suo vitio provocavit.

De

(1) *Cui sit necessaria.*) Sensus istius loci hic esse debet. Si mater, amita, aut soror, aut alia propinqua Presbyteri adeo pauperes sint ut absque auxilio & ope ejus non habeant unde vivant, maneant quidem in eodem loco in quo Presbyter habitat, sed procul ab ædibus ejus. Presbyter vero domum ad eas mittat quæ sustentationi illarum necessaria sunt. Hæc interpretatio manifesta est ex cap. 19. Herardi Turonensis. Vide Notas ad Reginonem pag. 555.

(2) *Secundum placitum hominis.*) Id est, non *ex suo sensu*, ut dicitur in capite 82. libri primi Capitularium, non ex animi sui motu, non ex impetu quodam mentis & voluntate, sed prout in Pœnitentiali scriptum est, in quo omnia peccatorum remedia, omnes pæne continentur, ut dictum est in Notis ad Reginonem pag. 538. Vide infra Additionem III. cap. 63.

De his qui prius non habentes odium, sed se defendentes, aliquem occiderint, qualiter corrigendum sit temporis institutio.

CCCLXXX. Si quis quiete gradiens per viam, aut si etiam in domo sua fuerit, aut in platea civitatis, aut in villa subito aut ab alio superventus, aut litis commotione, volens se defendere, non habens contra illum antea odium, interfecerit hominem, septem annis secundum canonicam institutionem pœniteat, tres vero communione privetur; quatuor autem in communione orationum & oblationum susceptus, in sacerdotis pendeat arbitrio utrum dignus sit corpus Christi accipere aut usque ad plenitudinem pœnitentiæ ab eo separari. Abstinentia ciborum in providentia sacerdotis erit secundum possibilitatem pœnitentis & devotionis & affectum lacrymarum.

De muliere quæ duobus fratribus nupserit, & de viro ejus, quid agendum sit.

CCCLXXXI. Mulier quæ duobus (1) fratribus nupserit, abjici debet usque ad diem mortis. Sed, propter humanitatem, in extremis suis sacramentis reconciliari oportet; ita tamen ut prius solvatur conjugium, & maneat innupta, & vir ejus absque uxore simili pœnitentiæ sit subditus. Quod si duo fratres cum una femina fornicati fuerint, nescientes alter alterius fornicationem, statim ut cognoverint adulterium, qui eam habet uxorem, dimittat. Et ille quidem, post actam pœnitentiam, si uxor defuncta fuerit, potest alteri sociari; illa vivente, nequaquam. Illa vero nunquam ulterius poterit in conjugium assumi; & jugi pœnitentia submissa, ad exitum vitæ communionis gratiam percipiat.

De mulieribus & viris infantes supprimentibus.

CCCLXXXII. Mulier quæ dormiens filium suum oppresserit, & mortuus fuerit, sex annis pœniteat. Vir ejus, si in domo illius fuit, quatuor. Si vero in uno lecto, simili modo pœniteat, duos in pane & aqua, reliquos quatuor secundum quod sacerdos illos viderit posse, abstinentiam imponat ciborum.

De muliere quæ adulteravit virum suum, similiter & de viro qui uxorem suam adulteravit, qualiter de ambobus agendum sit.

CCCLXXXII. Mulier habens virum (2), si adulterium perpetraverit, & occulte ad confessionem venerit, septem annos pœniteat, tres in pane & aqua; ceteros quatuor in providentia erit sacerdotis qualiter eam viderit posse; & ita ei ciborum abstinentia imponatur. Similiter & vir habens uxorem, si adulterium perpetraverit, faciat, id est, per triennium non communicet. Si cujus uxor adulterium perpetraverit, & hoc a viro deprehensum fuerit & publicatum, dimittat uxorem, si voluerit, propter fornicationem. Illa vero, secundum quod superius insertum est, publice agat pœnitentiam. Vir vero ejus, illa vivente, nullatenus habebit licentiam aliam ducere uxorem. Quod si voluerit adulteram sibi reconciliari, licentiam habeat, ita tamen ut pariter cum illa pœnitentiam agat, & exacta pœnitentia, ad communionis gratiam, sicut superius continetur insertum, utrique accedant. Similis forma & in muliere servabitur. Si eam vir ejus adulteraverit, habet potestatem dimittendi virum propter fornicationem. Maneat tamen innupta quamdiu vir ejus vixerit: quia nec ille habet potestatem aliam accipere prima vivente, nec illa primo. Habent tamen potestatem semetipsos reconciliari.

Ut ad confirmationem Episcopi omnes devote conveniant, eique quæ necessaria sunt ministrare non neglegant.

CCCLXXXIII. Præcipimus ut ad accipiendum (3) per manus Pontificis impositionem Spi-

---

(1) *Mulier quæ duobus.*) Ivo par. 16. cap. 343. describit ex libro septimo Capitularium cap. 381. caput Bonifacii I. *Probat illa vera esse, &c.* Sic paulo ante & paulo post plurima capitula laudat ex eodem libro septimo quæ in locis ab eo laudatis non extant. In plerisque autem eorundem capitulorum titulis numeri apud Ivonem omissi hoc loco sunt in vetustissimo codice Ms. Sancti Victoris Parisiensis. Quare oportet eos additos fuisse postea ab aliquo homine imperito, aut certe Ivonem deceptum fuisse auctoritate veteris cujuspiam exemplaris imperfecti, in quo pleraque capitula addita fuerant quæ in libris Capitularium non extabant. Nam quoad caput istud, certum est 381 esse debere, cum præter auctoritatem codicis Bellovacensis, Isaac illud laudet ex libro 7. Capitularium cap. 381.

(2, *Mulier habens virum.*) Duplicavimus hic numerum 382. secuti scripturam libri Bellovacensis & auctoritatem Isaaci, qui caput istud refert ex libro 7. Capitularium cap. 382. Præterea, nisi duplicaretur, caput 16. primæ additionis, quod in quibusdam antiquis codicibus & apud Ivonem dicitur esse 494. libri 7. Capitularium, esset necessario 495.

(3) *Præcipimus ut ad accipiendum.*) Hic rursum Ivo parte 16. cap. 344. aliud substituit caput, nimirum *Si quos culpatorum.* Ac ne quis existimare possit mendum esse librarii, prohibet idem Ivo, cujus hæc sunt verba epistola 171. *Unde habetur in libro capitulorum regalium auctoritate Episcoporum constitutorum: Si quos culpatorum regia potestas &c.* Lalandeus in Supplementis Conciliorum Galliæ pag. 351. asserit istud caput sub iisdem numero & ordine, quibus ab Ivone citatur, reperiri in codice Ms. monasterii Rivipullensis, idque sibi & pluribus aliis asseruisse illustrissimum virum Petrum de Marca Archiepiscopum Parisiensem. Debeo primum publicæ fidei, deinde famæ optimi patroni mei ut hunc errorem avellam ex animis hominum. Caput istud non habetur in libro Rivipullensi: neque certe illic extare potest, cum integri duo ultimi Capitularium libri in eo desint. Itaque non potuit vir illu-

Spiritus sancti donum sollicite & devote omnes concurrant, & Episcopo sua ea quæ necessaria sunt fideliter ministrent, eique ab omnibus & per omnia obediatur.

De parvulorum instructione, tam fidei & baptismatis mysterio, quam sancti Spiritus dono.

CCCLXXXIV. Sciendum est omnibus quod parvuli instruendi sunt, cum ad intelligibilem ætatem venerint, & fidei sacramento & baptismatis mysterio & septiformis gratiæ sancti Spiritus dono.

De frequenti peccatorum confessione.

CCCLXXXV. Notum esse omnibus volumus quod confessio peccatorum, excepto ea quæ sacerdotibus ad consilium accipiendum Deumque placandum fit, Deo frequenter in oratione sit facienda.

De manifestatione aliorum peccatorum, & quod ea celare peccatum sit.

CCCLXXXVI. Omnibus fidelibus notum fore desideramus quod quorundam peccatorum alienorum conscii, nisi ea emendationis & salutis caussa prodiderint, delinquant. Unde scriptum est: *Nihil prodest illi suo errore non pollui qui consensum præstat erranti.* Et alibi: *Non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, rei sunt. Vide infra Add. IV. c. 8.*

Quod magis delinquant qui fidem perceperunt quam alii, si tamen in bono opere persistant.

CCCLXXXVII. Sciendum est omnibus & sine oblivione retinendum quod gravius puniantur qui fidem Christi perceperunt, & in malis vitam finierunt, quam illi qui sine fraude (1) mortui sunt, & tamen bona egerunt opera. Quoniam melius est fidem non percipere quam post ejus perceptionem retrorsum abire.

De conjugio, quod a Deo sit institutum.

CCCLXXXVIII. Notum sit omnibus quod conjugium a Deo sit constitutum, & non sit appetendum caussa luxuriæ, sed procreatione filiorum, & quod bonorum conjugatorum vita per Job sit designata.

De castitate eorum qui conjugio sunt copulandi.

CCCLXXXIX. Sciendum est omnibus & firmiter retinendum quod hi qui uxores ducere voluerint, sicut eas castas & incorruptas cupiunt invenire, sic ad eas casti & incorrupti debent accedere, easque cum benedictione sacerdotis, sicut in Sacramentario continetur, accipere. Sed prius eas dotali titulo debent conligare.

Ut omnes a minore usque ad majorem suis sacerdotibus sicut ipsi Domino obedientes existant, cujus vice legatione in Ecclesia funguntur. Ex Capitulis Domni Karoli Theotonis villa firmatis.

CCCXC. Volumus atque præcipimus ut omnes suis sacerdotibus tam majoris ordinis quam & inferioris, a minimo usque ad maximum, ut summo Deo, cujus vice in Ecclesia legatione funguntur, obedientes existant. Nam nullo pacto agnoscere possumus qualiter nobis fideles existere possunt qui Deo infideles & suis sacerdotibus inobedientes apparuerint, aut qualiter nobis obedientes nostrisque ministris ac legatis obtemperantes erunt qui illis in Dei caussis & Ecclesiarum utilitatibus non obtemperant. Potius namque, juxta veritatis vocem, ille metuendus est qui potest animam & corpus perdere in gehenam quam ille qui corpus torquere & honores temporales potest auferre. De illis dictum est: *Qui vos audit, me audit. Et qui vos spernit, me spernit.* Et alibi: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Et rursus: *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, melius est illi ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundo maris.* Et iterum: *Qui vos recipit, me recipit. Et qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Et multa alia horumque similia. His ergo fulti oraculis jubemus ut omnes eis pro viribus ad eorum peragenda ministeria & ad malos & peccatores atque neglegentes homines distringendos summopere obedientes existant. Qui autem in his, quod absit, aut neglegentes eisque inobedientes fuerint inventi, sciant se nec in nostro imperio honores retinere, licet etiam filii nostri fuerint, nec in palatio locum neque nobiscum aut cum nostris societatem aut communionem ullam habere, sed magis sub magna districtione & ariditate pœnas luere. In his namque omnium nostrorum fidelium volumus agnoscere fidem ac benevolentiam. Quoniam si hæc fideliter & utiliter impleverint, tunc Deo & nobis fideles erunt. Si autem, quod absit, secus egerint, tunc non solum infideles, sed infames atque reprobi manifeste apparentes notabuntur, eorumque domus publicabuntur, & ipsi exiliabuntur.

De infantum baptismo & Ecclesiarum vel altarium seu fidelium consignandorum dubitatione quid agendum sit.

CCCXCI. Placuit ut infantes, quando non inveniuntur certissimi testes qui eos sine dubi-

illustrissimus dicere cuiquam mortalium se in eo codice legisse caput de quo nunc agimus. Porro nos illud in Tomo secundo Capitularium retulimus inter fragmenta Capitularium pag. 368.

(1) *Sine fraude.*) Ita codex Bellovacensis. Sed alibi legitur *sine fide.* Atque ita emendandus est hic locus.

dubitatione (1) baptizatos esse testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere, absque ullo scrupulo (2) tempore legitimo (3) baptizari. Similiter & de Ecclesiis vel altaribus atque consignandis fidelibus, quotiens super his dubitatur, agendum est; id est, ut sine ulla trepidatione consecrentur, & fideles confirmentur. Quoniam quod non ostenditur (4) gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum.

De Advocatis vel Defensoribus Ecclesiarum a Principe postulandis.

CCCXCII. Pro Ecclesiarum caussis ac necessitatibus earum atque servorum Dei excusatores vel Advocati seu Defensores, quotiens necessitas ingruerit, a Principe postulentur, & ab eo fideliter atque libenter juxta canonicas sanctiones fidelissimi dentur.

Ut ubi quisque ordinatur, ibi permaneat.

CCCXCIII. Clerici cujuslibet gradus in quibuscunque locis ordinati fuerint ministri, ad eadem loca pertineant, atque in ipsis locis perseverent.

De Presbyteris & ministris Ecclesiæ, ut a suis & non ab aliis Episcopis chrisma petant vel accipiant. Et de Chorepiscoporum cassanda superstitione.

CCCXCIV. In singulis Episcoporum parrochiis Presbyteri eorumque ministri non a quibuslibet Episcopis, sed a suis propriis, chrisma petant vel accipiant. Nec alio umquam tempore, juxta sanctos canones, vel secundum morem Romanum, nisi in Cœna Domini sanctum chrisma conficiatur. Quibus etiam diebus Presbyteris vel eorum ministris canonice dispensandum est, sed non aliis tradendum nisi solummodo Presbyteris vel Diaconibus aut Subdiaconibus bene fidelibus. Indignum enim est ut alii illud suscipiant nisi illi qui hoc in tradendo usuri sunt. Similiter & hoc statutum est, ut a Chorepiscopis, qui juxta sanctorum decreta locum septuaginta discipulorum id est Presbyterorum tenent, vel ab ipsis Presbyteris nec virginum consecratio nec sancti Spiritus traditio nec Ecclesiarum vel altarium consecratio vel illa quæ solis Episcopis debentur, fiat. Nam si a duobus Episcopis Episcopus non potest consecrari, quomodo ille Episcopus erit, aut aliquid de Episcopali ministerio, nisi quantum Presbyter, cujus locum in Ecclesia tenet, agere poterit? Omnia ergo quæ isti præsumptiosi (5) de episcopali ministerio egerunt, irrita esse comprobantur & effectu carere, atque per omnia tam ab apostolica sede quam & omnium Episcoporum decreto irrita esse, & potius nocumenta quam aliqua adjumenta sunt judicata, ac sæpius interdicta. Ideoque ne fiant sub anathematis vinculo interdicimus, atque qui ab eis sunt polluti potius quam sanctificati in meliorem statum canonice, id est, a tribus ordinatis Episcopis, ut reformentur jubemus: quia reformatio non est iteratio, sed ecclesiastica & canonica perfectio. *Capitulare a.* *799. c.* 3. 4.

De his qui rapiunt feminas, ut eas non habeant uxores.

CCCXCV. Placuit ut hi (*6*) qui rapiunt feminas, vel furantur, aut seducunt, ut eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis postmodum conveniat, aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint. Si quis autem uxorem habere voluerit, canonice & legaliter eam accipiat, & non rapiat. Qui vero eam rapuerit, vel furatus fuerit, aut seduxerit, nunquam eam uxorem habeat; sed propinquis suis eam legalibus reddat, & in triplo plenum bannum dominicum componat, & insuper canonice publicam pœnitentiam gerat. Ad quod omnes una voce clamaverunt dicentes: Ista omnes firmiter tenere volumus, & in perpetuum ab omnibus conservari optamus.

Quod in omnibus locis Deus orandus sit, & non in aliis quam in Deo dicatis ab Episcopis locis Missa sit celebranda.

CCCXCVI. Sciendum est omnibus quod & in aliis competentibus locis, si locus basilicæ procul fuerit, oratio ad Deum & confessio peccatorum fieri debeat & possit, Missarum vero celebratio nonnisi in locis ab Episcopis Deo dicatis; excepto tempore hostilitatis, & hoc non nisi in altaribus & tabernaculis ab Episcopis Deo dicatis ullatenus rite fieri possit aut debeat. *Vide infra cap.* 431.

De

---

(1) *Sine dubitatione.*) Hæc desunt in excerptionibus Egberti Archiepiscopi Eboracensis cap. 41. ubi caput istud refertur. Extant tamen in canone 6. Concilii quinti Africani; ex quo caput istud sumptum est, & apud Reginonem & Burchardum.

(2) *Absque ullo scrupulo.*) Egberti excerptiones: *absque ullo scrupulo hos esse baptizandos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione privari.* Hæc vero sumpta sunt ex eodem Concilio Carthaginensi.

(3) *Tempore legitimo.*) Hæc non habentur in Concilio, neque apud Egbertum, Reginonem, & ceteros,

(4) *Quoniam quod non ostenditur.*) Et hæc quoque desunt in Concilio & in antiquis collectoribus canonum. Ista vero clausula addita est ex epistola 92. Sancti Leonis, ut adnotatum est cap. 260. & 424. hujus libri. Innocentius III. in cap. *Veniens.* de Presbytero non baptizato: *Non intelligitur iteratum quod ambiguum esse factum.*

(5) *Isti præsumptiosi.*) Id est, Chorepiscopi. Hinc *temeritas chorepiscopalis* apud Flodoardum lib. 3. cap. 10.

(6) *Placuit ut hi.*) Isaac Lingonensis & Concilium Troslejanum citant hoc caput ex libro septimo Capitularium cap. 395.

De secularibus qui Episcopis suis inobedientes existunt, & ad emendationem sui tardant venire, quid agendum sit.

CCCXCVII. Si quis secularium tam majoris ordinis quam & inferioris peccatum egerit, & vocatus sui Episcopi auctoritate ad emendationem ac pœnitentiam venire distulerit, tamdiu sit ab Ecclesia extorris & a catholicorum consortio sequestratus quousque quod inlicite commisit emendet, ac reatum suum usque ad satisfactionem canonice diluat, atque reconciliatione proprii Episcopi divinis precibus indulgentiam consequatur & veniam, Ecclesiæque gremio, a cujus utero deviaverat, peracta satisfactione, ab eodem emendatus Episcopo canonice reddatur.

De Clericis, ut non utantur armis vel sagis.

CCCXCVIII. Ut Clerici pompis aut sagis vel armis non utantur,

Ut ea quæ Episcopus in sua diocesi corrigere non valet, ad alios referat Præsules vel si necesse fuerit, Regi intimet.

CCCXCIX. Ut ea quæ in sua diocesi Episcopus per se suosque corrigere vel emendare nequiverit, coram reliquis Episcopis ad corrigendum insinuet, vel Regi indicare non tardet; ut qui ecclesiasticis regulis inobediens apparuerit, per potestates exteras corrigatur.

De his qui Deo famulantur, si in barathrum fornicationis ceciderint, qualiter corrigendi sunt.

CCCC. Statuimus ut si quis servorum Dei vel ancillarum Christi in crimen fornicationis lapsus fuerit, quod in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua. Et si ordinatus Presbyter sit, duos annos in carcere permaneat, ut ante flagellatus & scorticatus videatur; & post Episcopus adaugeat. Si autem Clericus vel monachus in hoc peccatum inciderit, post tertiam verberationem in carcerem missus, vertente anno ibi pœnitentiam agat. Similiter & nonnanes velatæ eadem pœnitentia teneantur, & radantur omnes capilli capitis ejus. *Capitulare a. 742. c. 6.*

De his qui a paganis baptizati fuerint.

CCCCI. Præcipimus ut qui a paganis baptizati sunt, denuo a Christi sacerdotibus in nomine sanctæ Trinitatis baptizentur, & postea ab Episcopis chrismentur, quia aliter Christiani nec dici nec esse possunt.

De his qui a Chorepiscopo confirmati fuerint.

CCCCII. Si quis ab Episcopo, & non a Chorepiscopo, qui non Episcopus, sed vicarius Episcopi, priusquam prohibiti essent, & erant & dicebantur, fuerit confirmatus, reiterari talis confirmatio non debet. Nam Chorepiscopi ante apostolicam atque synodalem prohibitionem non ex numero Apostolorum, sed ex septuaginta discipulorum, ut sacri canones testantur, ordine erant, quos nunquam Spiritum paraclitum tradidisse novimus. Sed quia olim, ut dictum est, jamdicti Chorepiscopi prohibiti sunt, ideo modo nihil sunt, nec sanctum paraclitum ullo umquam tempore tradere potuerunt, nec modo possunt. Quapropter non apparet iteratum quod olim canonice non agnoscitur patratum.

Ut qui ab hæreticis baptizatus fuerit in nomine sanctæ Trinitatis, non rebaptizetur, sed sola impositione manus perficiatur.

CCCCIII. Quicunque baptizatus fuerit ab hæreticis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, nullo modo rebaptizari debetur; sed per manus solam impositionem purgandus est.

Ut baptizandi symbolum discant fidei.

CCCCIV. Baptizandos oportet fidei symbolum discere, & quinta feria ultimæ septimanæ Episcopo vel Presbyteris reddere. Et qui in ægritudine constituti baptismum perceperint, sani facti fidei symbolo doceantur, ut noverint quanta natione digni sunt habiti. Oportet etiam baptizatos post baptismum chrisma cœleste percipere & regni Christi participes fieri. *Supra c. 262.*

Ut hi de quibus dubitatur utrum baptizati sint an non, vel a Presbytero diis immolanti vel immolatitiis carnibus vescenti sunt baptizati, ut rebaptizentur.

CCCCV. Quod hi qui dubitant utrum sint baptizati annon, vel a Presbytero diis mactanti vel immolatitiis carnibus vescenti fuerint baptizati, ut baptizentur præceptum est.

Ne ullus plusquam duas uxores accipiat.

CCCCVI. Ne quisquam amplius quam duas accipiat uxores: quia jam tertia superflua est.

De orationibus & eleemosynis ac Missarum celebrationibus pro fidelibus defunctis fideliter agendis; quibus impii carere debent; quoniam nec eorum eleemosyna a sacerdotibus vel reliquis fidelibus accipienda est.

CCCCVII. Quod pro catholicis defunctis sint memoriæ faciendæ, & oblationes & orationes Deo offerendæ. Non tamen pro impiis, quamvis sint Christiani, ex his aliquid agere licebit,

Ut nullus Episcopus sive Presbyter aliam caussam in synodo prius suggerat quam ea quæ ad emendationem vitæ pertinent finiantur.

CCCCVIII. Nullus Episcoporum vel Presbyterorum aliquam prius caussam suggerere audeat quam ea quæ ad emendationem vitæ & ad severitatem regulæ atque ad animæ remedia pertinent finiantur. *Supra c. 264.*

De

De his qui facultatulam Ecclesiæ petunt a Regibus, prava cupiditate inlecti, quid agendum sit.

CCCCIX. Qui reculam Ecclesiæ petunt a Regibus, & horrendæ cupiditatis impulsu egentium substantiam rapiunt, irrita habeantur quæ obtinent, & a communione Ecclesiæ, cujus facultatem auferre cupiunt, excludantur. *Ibid. c.* 265.

Ut nullus Episcopus alterius Episcopi res devastet aut plebes invadat.

CCCCX. Ne parrochias cujuslibet Episcopi alterius civitatis Episcopus canonum temerator invadat, & vesanæ cupiditatis facibus inflammatus, suisque admodum non contentus, rapiat aliena. *Ibid. c.* 266.

De eo qui munuscula Ecclesiæ fraudaverit vel quolibet modo invaserit, ut ab Ecclesiæ communione arceatur.

CCCCXI. Si quis cujusque munuscula Ecclesiæ sanctis scripturarum titulis conlata nefaria calliditate abstulerit, fraudaverit, invaserit, retentaverit, atque suppresserit, & non statim a sacerdote commonitus Deo conlata reddiderit, ab Ecclesiæ catholicæ communione pellatur. *Supra VI. c.* 134.

De Episcopo judicato, si apostolicam sedem appellare voluerit.

CCCCXII. Ut judicatus Episcopus ad apostolicam sedem, si voluerit, appellet. *Ex Concilio Sardicense cap. V.* Quod si appellaverit, in cathedra ipsius alter non ordinetur.

De his qui a judicibus quos Primates dederint, appellaverint quid agendum sit.

CCCCXIII. Ut si a judicibus quos Primas dederit quis appellaverit, alii judices amplioris numeri decernantur. Quod si & ab ipsis appellaverit, ad sententiam Concilii caussa deferatur.

De Presbyteris, ut inconsulto Episcopo non præsumant celebrare agenda.

CCCCXIV. Ut Presbyteri (1) inconsulto Episcopo in quolibet loco agenda non audeant celebrare.

Ne aliquis Presbyter civitatis sine Episcopi præcepto aliquid agat.

CCCCXV. Ut Presbyter civitatis sine jussione sui Episcopi nihil jubeat nec in unaquaque parrochia aliquid agat.

Ne Presbyteri rem Ecclesiæ sine sui consensu Episcopi vendant.

CCCCXVI. Ut Presbyteri rem Ecclesiæ sine consensu Episcopi sui non vendant.

De abjecto Clerico ab aliena Ecclesia non recipiendo.

CCCCXVII. Ut abjectum Clericum aliena Ecclesia non admittat.

Ut semper ad Patrem oratio dirigatur.

CCCCXVIII. Ut nullus in precibus nisi ad Patrem dirigat orationem. Et ut prius eas cum instructioribus tractet. *VI.* 66.

De rebus Ecclesiæ a nullo injuste retentandis vel diripiendis.

CCCCXIX. Ne cui liceat res vel facultates Ecclesiis aut monasteriis vel xenodochiis pro quacunque eleemosyna cum justitia delegatas retentare, alienare, atque subtrahere. Quod si quis fecerit, tanquam necator pauperum, antiquorum canonum sententiis constrictus, ab Ecclesiæ liminibus excludatur, donec ea quæ sublata sunt aut retenta reddantur.

Ut ab Ecclesiæ societate extorris habeatur quicunque ejus rebus damnum intulerit.

CCCCXX. Ut nullus Episcoporum aut cujuslibet ordinis Clericus vel alia quæcunque persona quibuslibet conditionibus seu in uno regno seu in alio positas alterius cujuscunque Ecclesiæ res aut petat aut præsumat accipere. Quod si fecerit, tamdiu habeatur a communione altaris vel ab omnium fratrum ac filiorum caritate suspensus donec ipse Ecclesiæ cujus directo ordine juris est ablata restituat. *VI.* 135.

De privilegiis Ecclesiarum inlibate servandis.

CCCCXXI. Privilegia atque præcepta Ecclesiarum manere semper incorrupta præcipimus. Et quicquid ab antecessoribus vel parentibus nostris circa sacrosanctarum Ecclesiarum utilitates constitutum est, vel quæ singuli quique antistites pro caussis ecclesiasticis impetrarunt, sub pœna sacrilegii jugi solidata æternitate serventur. *VI.* 390. *& seq.*

De Clericis a propriis Episcopis corrigendis.

CCCCXXII. Placuit ut Clerici (2) non distringantur vel dijudicentur nisi a propriis Episcopis. Fas enim non est ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio. Nam si propriorum (3) Episcoporum jussionibus inobedientes extiterint, tunc, juxta canonicas sanctiones, per potestates exteras (4) adducantur, id est, per judices seculares.

Ut

(1) *Ut Presbyteri.*) Vide supra lib. 6. cap. 306. & cap. 165. istius libri.

(2) *Placuit ut Clerici.*) Vide supra libro 6. cap. 111. & 390.

(3) *Nam si propriorum.*) Hæc & quæ sequuntur non extant in Codice Theodosiano.

(4) *Potestates exteras.*) Hincmarus Archiepiscopus Remensis in epistola ad Laudunensem apud Flodoardum lib. 3. cap. 22. *Postea autem per exteras idest seculares potestates contra Sardicenses canones eandem administrationem sine mea conscientia obtinuisti.* Vide supra cap. 339. hujus libri.

Ut nullus Chorepiscopus per impositionem manus Spiritum sanctum tradat aut consecrationem pontificalem faciat.

CCCCXXIII. Placuit, sicut Leonis Papæ & omnium Episcoporum nostrorum atque reliquorum fidelium generali & synodali consultu decrevimus, ut nullus Chorepiscopus per manus impositionem Spiritum sanctum tradere, aut sacerdotes vel Levitas aut Subdiaconos sacrare, vel virgines velare, aut sanctum chrisma conficere, vel Ecclesias aut altaria sacrare, aut benedictionem in publica Missa populis tribuere præsumat; quæ omnia summis Pontificibus, id est, cathedralibus Episcopis, debentur, & non Chorepiscopis vel Presbyteris, quorum formam, juxta sanctorum canonum decreta, Chorepiscopi gerunt. Si autem hi aliquid ex his agere tentaverint, irrita erunt quæ ab eis geruntur, & ipsi omni ecclesiastico honore funditus priventur. *Capitulare I. a.* 803. *c.* 5.

De his qui a Chorepiscopis sunt ordinati Presbyteri, Diaconi, vel Subdiaconi.

CCCCXXIV. Ut hi qui a Chorepiscopis Presbyteri vel Diaconi aut Subdiaconi sunt ordinati, nullatenus in presbyteratus vel diaconatus aut subdiaconatus officio ministrare præsumant. Similiter homines qui ab imperitis ab eis videntur esse confirmati, vel virgines seu Ecclesiæ sacratæ, aut chrisma confectum, sive altaria dedicata, pro confirmatis vel sacratis aut dedicatis minime habeantur; quia quæ illi non habuerunt dare non potuerunt; quoniam ex his eis quicquam agere non licet; quæ omnia summis Pontificibus debentur, & non Chorepiscopis, qui nec summi Pontifices vel Episcopi fuerunt nec deinceps unquam fieri possunt. Nullum enim ex septuaginta ex his aliquid unquam fecisse legimus vel scimus; ad quorum exemplum & formam Presbyteros vel Chorepiscopos, antequam ipsi Chorepiscopi prohibiti essent, fuisse agnovimus. Hæc vero omnia a cathedralibus Episcopis, qui a comprovincialibus Episcopis aut præsentia aut judicio Metropolitani consecrati esse noscuntur, agenda sunt, & non a Presbyteris vel Chorepiscopis, qui ambo unius formæ esse videntur. Quæ si ab eis aut propter imperitiam aut propter præsumptionem acta, ut prædictum est, ab imperitis esse putantur, a cathedralibus tamen Episcopis reformanda vel peragenda sunt: quia quæ illi in his agere cogitarunt, imperfecta remanserunt; &, ut jam prælibatum est, quod illi non habuerunt, dare non potuerunt. Episcopi namque non fuerunt, quia nec a tribus Episcopis nec ad aliquam episcopalem cathedram ordinati fuerunt, & ideo ex his nihil agere potuerunt. Et ne alicui talis ordinatio vel confirmatio aut consecratio reiteratio esse videatur, adtendat illud quod scriptum est: *Quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum.* Et reliqua talia eorumque similia. *Capitul. I. a.* 803. *c.* 6.

Ne judices de excessibus malorum judicent aliquid extra conhibentiam sacerdotum.

CCCCXXV. Ne judices quicquam de perfidorum excessibus extra sacerdotum conhibentiam judicare præsumant. *VI.* 143.

De Presbyteris Episcoporum, quo ipsi ire non potuerint, ad corrigendum mittendis.

CCCCXXVI. Ut Episcopi tunc (1) immunes habeantur a damnis cum eorum Presbyteros ad ea quæ ipsi non correxerint remiserint corrigenda.

De eo qui fallax in fide repertus fuerit.

CCCCXXVII. Si coram hominibus repertum mendacium & infamem facit & damnis affligit, quanto magis in divina fallax fide præventus non erit penitus ad accusationem vel ad testimonium admittendus. Merito ergo accusare & testificare prohibentur qui in recta fide suspecti sunt,

Quod non solum flagitia deflenda, sed etiam amaris pœnitentiæ fletibus sint eradicanda.

CCCCXXVIII. Sicut deflendum Christianis est (2) eorum scelus qui in Christo prævaricatores existunt, ita modis omnibus decernendum ut absque satisfactione Ecclesiæ nullus omnino veniam mereatur qui a meliori proposito ad deterius declinasse convincitur: quia crudelis & stupenda præsumptio crudeliori debet extirpari supplicio.

De illo qui non solum furtum fecerit, verum & qui furi consenserit.

CCCCXXIX. Non solum ille qui furtum fecerit, sed etiam & quicunque conscius fuerit, vel furto ablata sciens susceperit, in numero furantium habeatur, & simili vindictæ subjaceat. *VI.* 160.

Ut in sancto Paschæ sabbato die & Parasceve Missæ non agantur.

CCCCXXX. Ut sabbato sancto, hoc est, in vigilia Paschæ, jejunium ante noctis initium, nisi a parvulis aut infirmis, non solvatur. Nec Missa in Parasceve aut in eodem sab-

(1) *Ut Episcopi tunc.*) Caput istud sumptum est ex libro duodecimo legis Wisigothorum tit. 3. cap. 26. in lemmate, ubi tamen diversus est sensus. Nam illic ita legitur: *Ut Episcopi tunc immunes habeantur a dampnis cum eorum Presbyteri ea quæ ipsi non correxerint ad eos non remiserint corrigenda.* Lemma autem istud respondet verbis quæ in contextu legis habentur.

(2) *Sicut deflendum Christianis est.*) Ita etiam vetus codex Moyssiacensis, in quo lex Wisigothorum continetur. Male in editis: *Sicut deflendum est a Christianis.*

sabbato sancto vel divina mysteria his duobus diebus celebrentur. Canonibus quippe jubentibus biduo ista sacramenta penitus non debent celebrari. *Supra c.* 280.

De his qui in locis inlicitis & minime consecratis contra canonicam auctoritatem Missas celebrare vel audire præsumunt.

CCCCXXXI. Statutum sæpissime & inhibitum est ut Missarum celebrationes in locis incongruentibus fieri omnino non debeant. Simul & hoc decretum est, ut si quis Presbyterorum, excepto quando in itinere pergitur, & locus basilicæ procul est, & id in altaribus ab Episcopo consecratis fieri necessitas compellit, ne populus Dei sine Missarum celebratione & corporis & sanguinis dominici perceptione maneat, Missarum celebrationes in hujuscemodi inlicitis locis post tot tantasque prohibitiones facere tentaverit, gradus sui periculum incurrat. Et hoc populis denuntiandum summopere a sacerdotibus ac prædicandum est, ne Missas in prædictis inlicitis locis sacerdotibus cantare suadeant, vel hæc inlicita facere Presbyteros deprecentur; quoniam scriptum est: *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus ut ponat nomen suum ibi.* Satius igitur est Missam non audire quam eam ubi non licet nec oportet celebrare nec audire. Et in canonibus legitur ut nullus sacerdotum in domibus vel in aliis locis nisi in Ecclesiis dedicatis celebrare Missas audeat. Si quis contra hæc decreta egerit, canonica correctione feriatur. Simul & hoc statutum est, ut nullus sacerdos in aliis quam in Deo dicatis vasis & ab Episcopis consecratis ministrare seu Missas celebrare præsumat: quia sicut non est concessum ut alii Missas cantent & sacrificia consecrent quam illi qui ab Episcopis sunt consecrati; ita non est licitum ut in aliis domibus vel altaribus aut vasis Missas sacerdotes celebrare præsumant quam ab Episcopis consecratis. Sunt etiam ab Episcopis consecranda & benedicenda corporales pallæ ac alia vestimenta sacerdotalia, nec non & omnia quæ in usus basilicæ vel altaris sive in ministerio sacerdotum ad divina mysteria explenda complectuntur, quatinus cum his sacris Deo sacratius sive placabilius ministrare valeant. Unde & in aliis sanctorum patrum decretis legitur: *Quamquam Deum vera fide ubique orare liceat, sacrificia vero offerre aut corpus Domini confici nullo modo legimus aut veraciter scimus in aliis locis juste fieri nisi in locis Deo ab Episcopo dicatis, nisi caussa hostilitatis aut summe necessitatis; & hoc non in mansionibus aut in domibus non sacratis, sed in tabernaculis dedicatis ab Episcopis & altaribus a Pontificibus sacra unctione unctis & divinis precibus consecratis, & hoc summa ex necessitate, & in itinere, procul ab Ecclesia positis, ne populus sine Missarum sollemnia & sacramenti corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi perceptione remaneat.* Ab antiquis autem patribus & prædecessoribus nostris nulla alia ex occasione, aut pigritia, seu præsumptione, sed propter dictam necessitatem, hoc concessum esse legimus. Aliter quoque, nisi ut præfixum est, in locis non consecratis Missarum sollemnia agere non licet. Et hoc nonnisi ex summis & pro prædictis necessitatibus fieri ullo modo licet; quoniam lex divina admodum præcipiens ait: *Caveat quisque ne offerat holocausta sua in omni loco, sed in loco quem Dominus elegit.* Et alibi: *Recte offert qui ad ecclesiam necessitate præoccupante aut infirmitate venire non potest, & alicubi Deum orat.* Sed non recte dividit qui in locis inlicitis & altaribus minime consecratis Missarum celebrationes peragit. Multo enim melius est Missas non cantare aut audire quam in locis inlicitis Missas cantare (1) aut audire: quoniam qui inlicita agit & prohibita facit, non modicum errat, & nimis peccat; & nisi pœnitentiam canonice & juste in hoc seculo ex hoc egerit, maximam condemnationem in futuro judicio propter hoc indubitanter percipiet. Multa vero & innumerabilia exempla ex his in supradictis legalibus & in aliis canonicis & divinis libris inveniuntur, quæ hic pro prolixitate inserere distulimus, & pro fastidio ac labore scriptorum sive lectorum hic non inseruimus. Nam si quis ex his potiora & plura exempla invenire desiderat, in præfixis libris sufficienter legendo & diligenter quærendo invenire poterit. Si quis ergo post tot prohibitiones hæc decreta apostolica & synodali atque imperiali auctoritate renovata, & maxime omnium imperii nostri populorum ac procerum nostrorum consensu & hortatu conscripta atque firmata, temerare præsumpserit, si Clericus fuerit, gradus sui periculo subjacebit. Si vero monachus aut laicus fuerit, a liminibus Ecclesiæ usque ad Ecclesiæ satisfactionem extorris fiat. Si autem, quod absit, suo Episcopo vel reliquis Sacerdotibus inobediens vel contumax extiterit, a Comitibus vel Missis nostris comprehensus, in carcerem usque ad nostram & proprii Episcopi atque Ecclesiæ satisfactionem sub magna ærumna retrusus maneat.

Quod incestum committat qui se consanguineæ suæ usque affinitatis lineam conjungit.

CCCCXXXII. Nullus fidelium usque adfinitatis lineam, id est, usque in septimam progeniem, consanguineam suam ducat uxorem, vel eam quoquo modo incesti macula polluat. Si quis vero hoc scienter temerare præsumpserit, si liber est, bannum nostrum, id

(1) *Missas cantare.*) Vide quæ supra dicta sunt in Notis ad caput 148. libri primi.

id est, sexaginta solidos, fisco nostro persolvat, & insuper canonice ut incestus luat, ac publice juxta canonicos gradus pœniteat. Si autem servus vel ecclesiasticus fuerit, publice flagelletur ac decalvetur, & juxta proprii Episcopi jussionem pœnitentiam publice & canonice gerat. Quod si aliquis tam liber quam servus aut ecclesiasticus vel fiscalinus Episcopo proprio vel suo sacerdoti aut suo Archidiacono inobediens vel contumax sive de hoc sive de alio quolibet scelere extiterit, omnes res ejus a Comite & a Misso Episcopi ei contendantur usque dum Episcopo suo obediat, ut canonice pœniteat. Quod si nec se ita correxerit, & ad Episcopum & canonicam pœnitentiam venire distulerit, a Comite comprehendatur, & in carcerem sub magna ærumna retrusus teneatur, nec rerum suarum potestatem habeat quousque Episcopus jusserit. Quod si Comes vel ejus ministri hæc adimplere distulerint, canonice ab Episcopo vel a suo ministro excommunicetur, & usque dum hæc pleniter adimpleat, semper communione catholicorum careat, usque dum ipsi Episcopo humanius erga eum aliquid agere placuerit. Si vero, quod non optamus, ipse Comes aut de prædictis caussis aut de ipsa excommunicatione inobediens aut neglegens apparuerit, honore comitatus pariter & communione careat usque dum ambo in nostram præsentiam veniant, ut nos illum episcopali auctoritate atque imperiali metu ita corrigamus ut & ceteri timorem habeant, nec deinceps talia committere ultatenus audeant. *Addit. III. c. 123.*

Ut incesti, quandiu in scelere manent, non fidelium Christianorum, sed tantum aut gentilium aut catechumenorum vel energumenorum locum teneant.

CCCCXXXIII. Incesti, dum in ipso detestando atque infando scelere manent, non inter fideles Christianos, sed inter gentiles aut catechumenos vel energumenos habeantur; id est, cum Christianis non cibum sumant, non potum, non in eodem vasculo edant aut bibant; sed soli hoc faciant. Non osculentur aut salutentur ab eis. Sed si suis sacerdotibus inobedientes extiterint, & a tam nefandissimo se scelere segregare atque ad publicum pœnitentiam redire noluerint, inter eos habeantur qui spiritu periclitantur immundo, vel etiam inter eos de quibus ipsa veritas ait: *Si te non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Nam cum fidelibus non debent orare, nec in Ecclesiam intrare, sed ad januam Ecclesiæ excubare, & intrantibus in eam atque exeuntibus ex ea vultu in terra prostrato veniam postulare, & ut pro se orare (1) non dedignentur flagitare, & lacrymis perfusi, vultu contrito, atque humiliato spiritu, semper omnibus apparere usque ad satisfactionem Ecclesiæ & proprii Episcopi canonicam reconciliationem manere, & ad pristinum incestum nunquam redire, nec secularia negotia exercere, nec placitis aut accusationibus vel testimoniis interesse, sed crebris sacerdotum precibus, manusque Pontificis proprii impositionibus, & eleemosynarum largitionibus, atque ceterorum bonorum hominum (2) exhibitionibus eos purgari sanarique oportet.

De incestis nullo conjugii nomine prævalendis.

CCCCXXXIV. Incestos nullo conjugii nomine prævalendos esse censemus.

De incestis conjunctionibus.

CCCCXXXV. Si quis eo gradu se incestuoso ordine cum his personis quibus a divinis regulis prohibitum est conjunxerit, usque quo pœnitentiam sequestratione testentur, utrique communione priventur, & neque in palatio habere militiam neque in foro agendarum caussarum licentiam habebunt. Nam quoquo modo prædicto se incesto conjunxerint, Episcopi seu Presbyteri, in quorum diocesi vel pago actum fuerit, Regi vel judicibus scelus perpetratum adnuntient; ut cum ipsis denuntiatum fuerit, se ab eorum communione aut cohabitatione sequestrent. Res autem eorum ad primos parentes usque ad sequestrationem perveniant, sub ea conditione, ut antequam segregentur, per nullum ingenium, neque per parentes, neque per emptionem, neque per auctoritatem regiam ad proprias perveniant facultates, nisi præfatum scelus sequestrationis separatione & pœnitentia fateantur. *VI. 409.*

De canonicæ accusationis ordine.

CCCCXXXVI. Accusationis ordinem canonicis dudum regulis institutum servare jubemus; ut si quis Clericus in criminali vel in leviori caussa pulsatur, vel in discrimine capitis arcessitur, non statim reus æstimetur quia accusari potuit, ne subjectam innocentiam faciamus. Sed quisquis ille est qui crimen intendit, in judicium episcopale veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiat similitudinem, habita tamen dignitatis æstimatione patiatur. Nec sibi fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii.

(1) *Ut pro se orare.*) Vide Notas nostras ad homilias Cæsarii Arelatensis pag. 116.

(2) *Bonorum hominum.*) Haud dubie legendum est *bonorum operum*. Pravam tamen lectionem prætulimus sinceræ, quia sicuti nos edidimus legitur in vetustis Benedicti Levitæ & Isaaci Lingonensis exemplaribus. Contra codex Sangallensis in capite 24. secundæ appendicis habet *bonorum operum*, cum legendum sit *bonorum hominum*.

De servis & libertis vel infamibus personis non recipiendis.

CCCCXXXVII. Omnes servi vel liberti omnesque infames personæ non permittantur majores natu accusare, vel omnes quos ad accusanda publica crimina leges publicæ non admittunt. Infames sunt cuncti quos decreta canonica & ecclesiastica atque leges seculares adscribunt infames esse. *VII. 76.*

De Episcopis & reliquis sacerdotibus vel Clericis ad seculares judices minime accusandis.

CCCCXXXVIII. Si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet Clerici apud Episcopos, quia alibi non oportet, a qualibet persona fuerint accusati, quicunque fuerit sive ille sublimis vir honoris, sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus inlaudabilis intentionis arripuit, noverit docenda probationibus, monstranda documentis se debere inferre. Si quis ergo circa hujusmodi personas non probanda detulerit, auctoritate hujus sanctionis intelligat se jacturam famæ propriæ sustinere; ut damno pudoris, existimationis dispendio, discat sibi alienæ verecundiæ impune insidiari saltem de cetero non licere. Nam sicut Episcopos, Presbyteros, Diaconos, ceterosque, si his objecta potuerint comprobare, ab ecclesiasticis gradibus æquum est removeri, ita similis videri debet justitiæ modus quod appetitæ innocentiæ moderatam deferri jussimus ultionem. Ideo hujuscemodi duntaxat caussas Episcopi sub testificatione multorum actis audire debebunt.

De Primatum & Metropolitanorum differentia.

CCCCXXXIX. Nulli alii Metropolitani appellentur Primates nisi illi qui primas sedes tenent, & quos sancti patres synodali & apostolica auctoritate Primates (1) esse decreverunt. Reliqui vero qui alias metropolitanas sedes sunt adepti, non Primates, sed Metropolitani vocentur.

De familiaribus vel hominibus, tam liberis, quam servis, dominum accusantibus, vel secreta ejus prodentibus, quid agendum sit.

CCCCXL. Si quis ex familiaribus vel ex servis cujuslibet domus cujuscunque criminis delator atque accusator emerserit, ejus existimatione caput atque fortunas petiturus cujus familiaritati vel dominio inhæserit, ante exhibitionem testium, ante examinatum judicium, in ipsa expositione criminum atque accusationis exordio, ultore gladio feriatur. Vocem enim funestam potius intercidi quam audiri oportet. Eorum vero accusandi sacerdotes vel testificandi in eos os obstruimus quos non humanis sed divinis vocibus mortuos esse scimus. *Vide supra cap.* 322.

Quod Episcopi a Deo, cujus servi existunt, sint judicandi, accusandi, vel damnandi. Quia, juxta Apostolum, nemo alienum servum debet accusare. Et quod non ab humanis aut pravæ vitæ hominibus sint lacerandi, ipso Domino regulam tribuente.

CCCCXLI. Episcopi a Deo judicandi sunt, non ab humanis aut pravæ vitæ hominibus sunt lacerandi, ipso Domino exemplum dante, quando per ipsum, & non per alios, vendentes & ementes ejecit de templo, & mensas nummulariorum proprio evertit flagello, & ejecit de templo. Et sicut alibi ait: *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit.*

De his qui se ipsos quocunque modo necant.

CCCCXLII. Quicunque se propria voluntate aut in aquam jactaverit, aut collum ligaverit, aut de arbore præcipitaverit, aut ferro percusserit, aut cuilibet voluntariæ se morti tradiderit, istorum oblatio non recipietur.

De his qui Clericum injuriaverint.

CCCCXLIII. Quicunque judex aut secularis Presbytero aut Diacono aut cuilibet de clero aut de junioribus matris Ecclesiæ absque

(1) *Primates.*) Duo hic Metropolitanorum genera constituuntur. Primi ordinis Metropolitani vocantur Primates, quia primas sedes tenent, id est opinor, civitatibus præsunt quæ in veteribus notitiis primum locum tenent, ut Lugdunum inter provincias Lugdunenses, Avaricum Biturigum inter Aquitanicas, Narbo inter Narbonenses Trever inter Belgicas, & sic de ceteris. Et tamen Hincmarus, qui Belgicæ secundæ Metropolitanus erat, se Primatem esse contendit & unum de primis Galliæ Primatibus. Flodoardus lib. 3. cap. 10. de epistola Hincmari ad Leonem IV. Papam: *Item in eadem de privilegiis hujus Remensis Ecclesiæ, quæ habuit ab initio quo privilegia sedes habere cœperunt, & quia Remorum Episcopus Primas inter Primates semper & unus de primis Galliæ Primatibus extitit, nec alium se potiorem præter Apostolicum Præsulem habuit, ut scilicet ea quæ tanto tempore ab antecessoribus ipsius huic sedi sunt concessa & conservata, conservare & augmentare dignetur.* Habuit ista dignitas initium ab Hadriano primo, qui Tilpinum Remensem Archiepiscopum constituit Primatem esse Belgicæ secundæ *cum omnibus civitatibus quæ ab antiquo tempore Remensi metropoli Ecclesiæ subjectæ fuerunt*, ut legitur apud eundem Flodoardum lib. 2. cap. 17. Benedictus III. in epistola ad Hincmarum: *Et hoc volumus, ne quilibet ex provincia & diœcesi metropoli tuæ tibique subjecta jus secundum ecclesiasticas constitutiones primatus Ecclesiæ tuæ & tibi debitum quoquo modo per contemptum convellere præsumat.* Vide Marcam in dissertatione de Primatibus cap. 94.

que audientia Episcopi vel Archidiaconi vel Archipresbyteri injuriam inferre præsumpserit, anathema ab omnium Christianorum consortio habeatur. *V.* 192.

Ne laici intersint quando canonica jura ventilantur, vel regularia examinantur, nisi in propria accusentur persona.

CCCCXLIV. Quando ea quæ canonica sunt ventilantur, vel quædam regularia examinantur, nec judices seculares neque aliquos laicos interesse oportet, nisi eos tantummodo qui in propria accusantur persona.

Ut ecclesiastica jura semper inlibata permaneant.

CCCCXLV. Monemus ut jura Ecclesiarum, sicut a patribus divinitus inspiratis sunt ordinata, inviolata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiscat, nec per alterius imitationem (1) suum aliquis quærat augmentum. *Capitular. III. a.* 814. *c.* 10.

Suggestio populi ad Imperatorem Karolum & Episcopos.

CCCCXLVI. Deus ad hoc vestram religiositatem ordinavit ut & injustitias removeatis, & præsumptiones abscidatis, & sacerdotibus laborantibus succurratis, & multis opprobriis locum non præbeatis, sed post agnitionem, ei qui calumniam patitur adjutorium feratis, illum vero qui calumniam facit, si vere est calumniator, abscidatis.

De alienis judicibus non recipiendis, & peregrina judicia vel examina respuenda.

CCCCXLVII. Episcopis singulorum locorum, omnium qui sub eorum degunt moderamine curæ sit caussas utilitatesque disponere. Valde enim est incongruum ut, omissis suis, alii quilibet illorum se caussis admisceant; sed illi eorum vitam competenti regularique debeant moderatione disponere qui eos ordinare canonice possunt, vel a quibus ordinati sunt, & qui pro commissis eorumque animabus compelluntur reddere rationem.

De Episcopo qui adversus proprium Metropolitanum vel contra alios quosque habuerit caussam, quid agendum sit.

CCCCXLVIII. Si forte, quod non optamus, aliquem Episcopum contra proprium Metropolitanum vel contra alios quosque contingat aliquid habere caussæ, decrevimus ut ob hoc sedis apostolicæ judicium hi qui petere festinant licentiam habeant; quod scitis canonum etiam antiquorum patrum institutione permissum.

Quod fundamentum totius bonitatis sit Christus Jesus, & qualiter in ovile ovium per ostium sit intrandum.

CCCCXLIX. Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, qui est Christus Jesus. Quisquis ergo cum dilectione Dei & proximi, fidei quæ in Christo est firmitatem tenet, eundem Jesum Christum Dei & hominis filium apud se posuit fundamentum. Sperandum ergo est quia ubi Christus fundamentum est, bonorum quoque operum sequatur officium. Ipsa quoque per se veritas dicit: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.* Et paulo post subjecit dicens; *Ego sum ostium.* Ille ergo in ovile ovium intrat per ostium qui intrat per Christum. Ipse autem per Christum ingreditur qui de eodem creatore ac redemptore humani generis vera sentit & prædicat, & prædicata custodit; culmen regiminis ad officium portandi oneris suscepit, non ad appetitum gloriæ transitorii honoris; curæ quoque suscepti ovilis sollerter invigilat, ne oves Dei aut perversi homines prava loquentes dilanient, aut maligni spiritus oblectamenta vitiorum suadentes devastent.

De caussis definitis minime recommovendis.

CCCCL. Flagitari judicium non debet de caussa quæ diffinita vel judicata est.

De his qui contra præpositos suos se erigunt, & de accusatoribus vel testibus inimicis, quid agendum sit.

CCCCLI. Qui se contra præpositos suos erigunt, profecto ostenditur quia esse servi Dei contemnunt. Filius Dei in sancto ait evangelio: *Ego non accuso nec judico quemquam.* Nihil enim sine patre facit filius: quia communis eorum operatio est & unita voluntas. Hoc vero in loco quasi judex loquitur, dicens qualis judex, quales testes Deo esse debeant, ut cognoscant homines in judicando quod non ex voluntate & potestate sua sed ex æquitate debeant formare sententiam. Justitia in judicando est manifestanda, non potentia.

De regulis Clericorum.

CCCCLII. Clerici lege patrum monentur ut a vulgari vita seclusi, a mundi voluptatibus sese abstineant, non spectaculis, non pompis intersint, convivia publica fugiant, privata non tantum pudica sed sobria colant, usuris nequaquam incumbant, qui nec turpium occupationes lucrorum fraudesque cujusquam studiose appetant, amorem pecuniæ quasi materiam cunctorum criminum fugiant, secu-

(1) *Imitationem.*) Haud dubie lectio illa prava est. Et tamen ita legitur in ipso Capitulari ex quo ista sumpta sunt & in antiquis Benedicti Levitæ exemplaribus. Legendum porro esse *immutationem* ostendit lex Codicis Theodosiani relata infra cap. 477. hujus libri. Immutatio autem hic significat imminutionem.

secularia officia negotiaque abjiciant, honorum gradus per ambitiones non appetant, pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant, dolos & conjurationes caveant; odium, æmulationem, detractionem, & invidiam fugiant; non vanis oculis, non infrenata lingua, aut petulanti tumidoque gestu incedant; sed pudorem ac verecundiam mentis simplici habitu & incessu ostendant. Obscœnitatem etiam verborum, sicut & operum, penitus execrentur. Viduarum ac virginum visitationes frequentationesque fugiant, & contubernia extranearum feminarum nullatenus appetant. Castimoniam quoque inviolati (1) corporis perpetuo conservare studeant, aut certe unius matrimonii vinculo fœderentur. Senioribus quoque debitam præbeant obedientiam (2) neque ullo jactantiæ studio semetipsos attollant. Postremo in doctrina, in lectionibus, psalmis, hymnis, canticis spiritalibus, exercitio jugi incumbant. Tales enim esse debent qui divinis cultibus sese mancipandos student; scilicet ut dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent.

De neganda accusatorum licentia criminandi priusquam se ipsos purgaverint de his quæ eis objiciuntur.

CCCCLIII. Neganda est accusatis licentia criminandi priusquam se crimine quo premuntur exuerint.

De falsis testibus & perjuris quid agendum sit.

CCCCLIV. Si quis convictus fuerit aliquos ad falsum testimonium vel perjurium adtraxisse aut per quamcunque corruptionem sollicitasse, ipse quidem usque ad exitum non communicet.

De qualitate virginis in conjugio.

CCCCLV. Sciscitandum est si vult pater virginis, quia caput mulieris vir. Requirenda est a patre voluntas virginum, dum Deus relinquat hominem in manibus consilii sui.

Ut Clerici vel laici in aliena Ecclesia non communicent sine litteris Episcopi sui.

CCCCLVI. Statutum est ut unusquisque Clericus vel laicus non communicet in aliena plebe sine litteris Episcopi sui. *Vide Addit. IV. c. 37.*

Ut laici contemptores canonum excommunicentur, Clerici vero honore priventur.

CCCCLVII. Si quis statuta supergressus corruperit vel pro nihilo habenda putaverit, si laicus est, communione, si Clericus, honore privetur. *VI. 303. Add. IV. c. 60.*

Ut qui Clericum alienum defendere nititur, communione privetur.

CCCCLVIII. Si forte aliquis Clericorum regulam disciplinæ ecclesiasticæ subterfugiens fuerit evagatus, quicunque eum susceperit, & illum Pontifici suo non reconciliaverit, sed magis defensare præsumpserit, Ecclesiæ communione privetur.

De accusationibus in Clericorum caussis non suscipiendis quæ seculi legibus prohibentur. Et de Clericis damnatis a nemine defendendis.

CCCCLIX. Statutum est ut nullæ accusationes a judicibus audiantur ecclesiasticis quæ legibus seculi prohibentur. Et ut si quis cujuslibet honoris Clericus judicio Episcoporum quocunque crimine fuerit damnatus, non liceat eum sive ab Ecclesiis quibus præfuit sive a quolibet homine defensari; interposita pœna damni pecuniæ atque honoris, quo nec ætatem nec sexum excusandum esse præcipimus.

Ut non alii Metropolitani Primates appellentur nisi illi qui primas sedes tenent: quia alii non possunt tres turmas facere de Episcopis, quam illi qui primas sedes tenent; qui tres turmas facere debent, sicut in hac sententia jubetur.

CCCCLX. Placuit ut quotiescunque Concilium congregandum est, Episcopi qui neque ætate neque ægritudine neque alia graviore necessitate impediuntur, competenter occurrant. Primatibusque suarum provinciarum intimetur ut de universis Episcopis vel duæ vel tres turmæ fiant, ac de singulis turmis vicissim quotquot electi fuerint, ad diem Concilii instantissime occurant. *Supra c. 34.*

Quod cum illis quibus Episcopus non loquitur non sit loquendum, nec excommunicatis communicandum; ut ipsi humilient semetipsos, ut festinius reconcilientur.

CCCCLXI. Ex epistola (3) sancti Clemen-

(1) *Immolati.*) Sic scriptum reperitur, sed leg. *inviolati.*

(2) *Senioribus debitam obedientiam.*) Vide supra lib. 1. cap. 142.

(3) *Ex epistola.*) In superioribus editionibus legebatur *Exemplar*. Sane ita scriptum est in codice Bellovacensi, sed a manu recentissima, ut videatur esse emendatio hominis imperitissimi substituta bonæ lectioni. Vera & sincera lectio est illa quam nos retinuimus, sumpta ex can. 6. Concilii I. Vasensis, ex quo caput istud descriptum est; quam confirmant vetera aliquot exemplaria Benedicti Levitæ. Hic tamen error proclivis olim erat inter librarios. In libro quinto cap. 119. legitur in titulo: *Ex epistola Papæ Leonis &c.* Pro quibus codex Colbertinus, Rivipullensis, Sangallensis, Normannicus, Camberonensis, & editiones habent *Exemplar Papæ Leonis*. Caput quartum additionis quartæ habet hunc titulum in codice Palatino: *Exempla Leonis Papæ Calcidonensi Concilio directa*. Et in capite sequenti: *Exempla Stephani Papæ*. Item in capite septimo: *Exempla Leonis Papæ*. In Pannormia Ivo-

mentis utilia, quæ præsenti tempore Ecclesiis necessaria sunt, honorifice proferenda, & cum reverentia ab omnibus fidelibus ac præcipue Clericis recipienda; ex quibus quod specialiter placuit propter venerandam antiquitatem statutis præsentibus roboremus quod suprascriptus beatus martyr de beatissimi Petri Apostoli constitutione commemorat dicens: *Quidam autem etiam ex vobis ipsis intellegere debetis si qua sunt quæ ipse propter insidias hominum malorum non potest evidentius & manifestius proloqui. Verbi gratia. Inimicus est alicui pro actibus suis. Vos nolite expectare ut ipse vobis dicat, cum illo nolite amici esse. Sed prudenter observare debetis & voluntati ejus, videlicet qui Ecclesiæ curam gerit, absque commonitione obsecundare, & averti ab eo cui ipsum sentitis adversum, sed nec loqui his quibus ipse non loquitur; ut unusquisque qui in culpa est, dum cupit omnium vel vestram sibi gratiam reparare, festinet citius reconciliari ei qui omnibus præest; ut per hoc redeat ad salutem cum obedire cœperit monitis præsidentis.* & cetera quæ in consequentibus denotantur amicis eorum qui veritati inimici sunt. Sciat itaque deinceps clerus ad reatum, sed & fidelium populus ad culpam sibi adscribendum, si quis in hoc vitium malorum computatur, & disciplinæ subversor fore agnoscitur.

De non injuriandis Episcopis aut lacerandis, sed potius tolerandis.

CCCCLXII. Episcopum vero oportet opportune & importune atque sine intermissione Ecclesiam suam docere, eamque prudenter regere, & admonere ut a vitiis se abstineat, & salutem consequi possit æternam. Et illa cum tanta reverentia ejus doctrinam debet suscipere eumque amare & diligere ut legatum Dei & præconem veritatis; qui, testante veritate, quodcunque ligaverit super terram, erit ligatum & in cœlo, & quodcunque solverit super terram, erit solutum & in cœlo. Nimis timenda est hæc sententia, & providendum vobis ne offendatis eos qui tantam a Domino habent potestatem. Et ideo potius obediendi & summopere sunt venerandi, non detrahendi, vel lacerandi, aut ejiciendi, sed portandi & amandi, ipso dicente Domino: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Ideo hæc vobis & omnibus fidelibus præcipimus, ut ab his vos caveatis, & posteris vestris non malum sed bonum exemplum relinquatis: quoniam injuria Episcoporum ad Christum pertinet, cujus vice funguntur. Unde & vos, qui veri Dei estis discipuli, abjicite a cordibus ante omnia discordias & animorum dissensiones, ex quibus omne opus malum procedit, & benignitatem ac simplicitatem tota mente servate. Veruntamen scitote cuncti quod supra omnes vos laboret Episcopus: quia unusquisque vestrum suum proprium fert laborem, ille vero & suum & singulorum. Et ideo sicut ille pro vobis omnibus, ita & vos omnes pro eo summopere laborare debetis, in tantum ut si etiam necesse fuerit, animas vestras pro eo ponatis; sicut & ipse animam suam pro vobis, si necesse fuerit, ponere debet, ipso dicente salvatore: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Vos vero obedite eis, & vigilate pro eis; quia ipsi vigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri; ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes.

De legitimo conjugio.

CCCCLXIII. Decretum est ut uxor legitime viro conjungatur. Aliter enim legitimum, ut a patribus accepimus & a sanctis Apostolis eorumque successoribus traditum invenimus, non fit conjugium nisi ab his qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, & a quibus custoditur, uxor petatur, & a parentibus propinquioribus sponsetur, & legibus dotetur, & suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus a sacerdote benedicatur, & a paranymphis (1), ut consuetudo docet, custodita, & sociata a proximis, quæ tempore congruo petita legibus detur & sollemniter accipiatur. Et biduo vel triduo orationibus vacent, & castitatem custodiant; ut boni soboles generentur, & Domino suis in actibus placeant. Taliter enim & Domino placebunt, & filios, non spurios, sed legitimos atque hereditabiles generabunt.

De his qui de suspicione vel absque legitimo accusatore aliquos judicare præsumunt.

CCCCLXIV. Placuit ut nullus quemquam Clericorum vel laicorum de suspicione aliqua judicare præsumat; similiter, ne sine accusatore legitimo quispiam condemnetur: quia pessimum & periculosum est quempiam de suspicione judicare, aut sine legitimo accusatore quemquam damnare. *Vide supra lib. 5. cap. 398. & lib. 6. cap. 381.*

Ut

Ivonis edita lib. 6. cap. 115. legitur, *Exempla Gregorii ad Johannem Ravennatem Episcopum*, cum in manuscriptis libris legatur *Ex epistola Gregorii*. In Concilio Aquisgranensi anni DCCCXVI. cap. 98. legitur in titulo: *Ejusdem ex epistola ad Oceanum*. At in vetustissimo codice Ms. bibliothecæ Colbertinæ: *Item ejusdem exempla ad Oceanum*. In Talonico Burchardi codice legitur lib. 1. cap. 22. *Exempla Ormisdæ* pro *Ex epistola*. Item lib. 2. cap. 3. *Exempla Zeferini*. Et libro primo cap. 33. *In primis exempla Pauli ubi Tito discipulo &c.* Pro quo in Concilio duodecimo Toletano cap. 4. & apud Ivonem parte 5. cap. 144. recte scriptum est *ex epistola*. Inter canones Abbonis Abbatis Floriacensis cap. 22. legitur: *Item exempla Siricii Papæ*; ubi legendum etiam est *ex epistola*.

(1) *Paranymphis.*) Vide Notas nostras ad Gratianum, ubi ex mente Cujacii explicatur quid per paranymphos intelligi debeat apud Christianos.

Ut Episcopi per singulos annos circumeant parrochias suas.

CCCCLXV. Placuit ut unusquisque Episcopus per singulos annos cunctas dioceses parrochiasque suas circuire non neglegat; sed docendo, confirmando, singula quæque quæ necessaria sunt restaurando, & corrigendo, prout melius valuerit, reformare satagat.

Ut Presbyteri & Diaconi quando per parrochias constituuntur, stabilitatis & obedientiæ suæ atque statuta servare promissionem suo faciant Episcopo.

CCCCLXVI. Quando Presbyteri aut Diaconi per parrochias constituuntur, oportet eos professionem Episcopo suo facere, *Capit. a.* 744. *c.* 10.

Ne judices quoslibet Clericos vel servos Ecclesiæ in suis angariis aut quibuslibet rebus occupare præsumant.

CCCCLXVII. Ut non liceat judicibus Clericos vel servos Ecclesiæ in suis angariis occupare.

De Ecclesiis & dotibus earum, ut ad Episcopi semper dispositionem pertineant.

CCCCLXVIII. Placuit ut omnes Ecclesiæ cum dotibus & omnibus rebus suis in Episcopi proprii potestate consistant atque ad ordinationem vel dispositionem suam semper pertineant. *Capitul. III. a.* 814. *c.* 11. *Vide supra c.* 292.

Quod Clerici judices seculares adire non debeant.

CCCCLXIX. Ut Clerici qui seculares judices appetunt excommunicentur.

De his qui viduis vim inferunt, aut feminas invitas ducunt.

CCCCLXX. Placuit ut viduis pro castitate violentiam nullus inferat, & ut mulier invita virum non ducat. Quod si quis fecerit, in triplo nobis bannum nostrum persolvat, & ab Episcopo, atque si necesse fuerit, distringente Comite, publicam per gradus canonicos pœnitentiam agere cogatur. Et si inobediens extiterit, nobis per firmissimos fidejussores (1) præsentetur; ut aut in carcerem retrudatur, aut in exilium deportetur; ut & ceteri timorem habeant, ne unquam talia agere præsumant.

De potentibus qui quoslibet expoliant.

CCCCLXXI. Placuit ut si quis potentum quemlibet expoliaverit, & admonente Episcopo non reddiderit, excommunicetur, *VI.* 319.

De his qui Ecclesiam intrant & non communicant.

CCCCLXXII. Placuit ut omnes qui in Ecclesiam intrant, nisi a suo fuerint excommunicati sacerdote, communicent. Si qui autem hoc facere noluerint, tamdiu a communione & a Christianorum consortio habeantur alieni, quandiu per satisfactionem Ecclesiæ a proprio mereantur per manus impositionem reconciliari Episcopo & sanctæ restitui communioni. *Vide infra Addit. IV. c.* 51.

De his qui acceperint eucharistiam & non sumpserint.

CCCCLXXIII. Placuit omnes qui sacram acceperint eucharistiam, & non sumpserint, ut sacrilegi repellantur.

Ut hi qui a sacerdotibus excommunicantur, a fidelibus usque ad reconciliationem, nisi quibus permissum fuerit, semper vitentur.

CCCCLXXIV. Placuit ut his qui a suis excommunicantur sacerdotibus nullus fidelium communicet, nisi quibus permissum ab eis fuerit, nec priusquam canonice reconcilientur ad eos accedat. Quod si quis facere tentaverit, simili sententiæ subjaceat.

De his qui pro munere aut favore alicujus justitiam opprimunt.

CCCCLXXV. Quam sit extraneus a Christianæ fidei regula qui se defensorem veritatis insimulat, & veritatem ipsam munerum acceptione commaculat, audiat contra se Prophetam dicentem: *Pro eo quod vendidistis argento justum & pauperem pro calciamentis, ecce stridebo ego super vos sicut stridet plaustrum onustum fœno; & peribit fuga a veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus corde inter fortes nudus effugiet. Addit. IV. c.* 1.

Qualiter hæc statuta servanda sint. Et de his qui hæc contemnunt, sive Clericis, sive laicis, quid agendum sit.

CCCCLXXVI. Has omnes constitutiones (2) ecclesiasticas, quas summatim breviterque perstrinximus, sicut plenius in canone continentur, manere perenni stabilitate sancimus. Si quis ergo Clericus aut laicus harum sanctionum obediens esse noluerit, si Clericus fuerit (3), excommunicationi subjaceat. Si vero laicus fuerit & honestioris loci

(1) *Per firmissimos fidejussores.*) Id est, *sub idonea prosecutione*, ut legitur in rescripto Constantini ad Probianum Proconsulem Africæ apud Sanctum Augustinum epist. 68. *Unde volumus ut eundem ipsum Vigentium sub idonea prosecutione ad comitatum meum Constantini Augusti mittas.* Puto autem, ut hoc quoque obiter dicam, voces illas *Constantini Augusti* esse superfluas & ex glossemate profluxisse.

(2) *Has omnes constitutiones.*) Hæc sumpta sunt ex Concilio tertio Toletano, ubi leguntur ante subscriptiones.

(3) *Si clericus fuerit.*) In Concilio ipso legitur: *Si Episcopus, Presbyter, Diaconus, aut Clericus fuerit, ab omni Concilio excommunicationi subjaceat.*

loci persona, medietatem facultatum suarum amittat fisci viribus profuturam. Si vero minoris (1) loci persona est, amissione rerum suarum multatus, in exilio deputetur. *Capit. III. a. 814. c. 13.*

De his quæ ab antecessoribus nostris circa cultum divinum statuta fuerunt, ut semper inlibata permaneant.

CCCCLXXVII. Quæcunque a parentibus nostris diversis sunt statuta temporibus manere inviolata atque incorrupta circa sacrosanctas Ecclesias præcipimus. Nihil igitur a privilegiis immutetur. Omnibus qui Ecclesiis serviunt tuitio deferatur. Quia temporibus nostris addi potius reverentiæ cupimus quam his quæ olim præstita sunt immutari. *Ibid. c. 12.*

De Capitulis apostolica auctoritate roboratis.

CCCCLXXVIII. Maxime trium ultimorum capitula istorum librorum apostolica sunt cuncta auctoritate roborata, quia his cudendis maxime apostolica interfuit legatio. Nam eorum nomina, præter trium, id est, Leonis, Sergii, & Georgii, hic non inseruimus, licet ea per singulos conventus inserta invenissemus, vitantes legentium atque scribentium fastidia. Si quis autem plenius ea nosse voluerit, istorum legat authentica, quibus illa inserta reperiet. Interdum hæc dictando & amando atque operibus complendo non neglegat. Quia, ut Dominus novit, pro amore et utilitate sanctæ Dei Ecclesiæ, ut horum in procemio prælibatum est, sunt collecta isticque inserta: Legentibus pax, custodientibus gloria, operibusque hæc complentibus vita attribuatur æterna oramus. (2)

EXPLICIT LIBER SEPTIMUS.

CAPITULARIUM

ADDITIONES QUATUOR.

ADDITIO PRIMA (3).

ANno incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCXVII. (4) imperii vero gloriosissimi Principis Hludouvici quarto, VI. Idus Julias, cum in domo Aquisgrani palatii, quæ Lateranis dicitur, Abbates (5) complures (6) una cum suis resedissent monachis,

(1) *Minoris.*) In Concilio legitur *inferioris.*

(2) Hic est finis horum septem librorum in vetustis exemplaribus, tamenetsi in uno Vaticano & in Bellovacensi in titulis capitulorum libri septimi descripta reperiantur lemmata octuaginta capitum ad monachos spectantium, quæ anno DCCCXVII. constituta sunt in conventu Aquisgranensi. Ivonem quoque Carnotensem Episcopum usum esse exemplari, in quo eadem octuaginta capitula partem faciebant libri septimi, colligi potest ex parte I. Decreti cap. 133. ubi caput decimum sextum eorumdem capitulorum citat ex libro septimo Capitularium c. 194.

(3) Hoc est Capitulare Aquisgranense &c. Ceterum istius Capitularis diserta mentio extat in vita S. Benedicti Abbatis Anianensis, in qua hæc leguntur: *Multa denique monasteria erant quæ quondam regulariter fuerant instituta, sed paulatim tepescente rigore, regularis pene deperierat ordo. Ut autem sicut una omnium erat professio, fieret quoque omnium monasteriorum salubris una consuetudo, jubente Imperatore aggregatis cœnobiorum patribus una cum quampluribus monachis per plures resedit dies. Omnibus ergo simul positis regulam ab integro discutiens, cunctis obscura dilucidans, dubia patefecit, priscos errores abstulit, utiles consuetudines affectusque confirmavit. Judicia igitur regulæ cunctaque dubia ad proficuum deducta effectum, quas minus regula pandit consuetudines assentientibus cunctis protulit, de quibus etiam Capitulare institutum Imperatori confirmandum præbuit, ut omnibus in regno suo positis monasteriis observare præciperet; cui protinus Imperator assensum præbuit.* Hæc vero octuaginta capitula numerari consuevisse inter capitula Ludovici Pii probat vetus catalogus bibliothecæ Sangallensis, scriptus sub imperio Ludovici Pii. In eo enim ista leguntur: *Capitula Hludouvici Imperatoris de regula S. Benedicti.*

(4) DCCCXVII.) Codex Helmæstadiensis habet: *DCCCVI. imperii vero gloriosissimi Principis Hludovici tertio anno, X. Kal. Septembris.* Sed ista lectio falsa est. Nam præterquam quod repugnantes sibi habet reliquos veteres libros, præceptum Ludovici Pii pro monasterio Solemniacensi datum reperitur XX. Kal. Augusti.

(5) *Abbates complures.*) Hæc est vera lectio. Fatendum tamen est in antiquis exemplaribus Divionensi, Pithœano, Parisiensi, Sangallensi, & Casinensi legi *cum quampluribus una suis resedissent*, in Helmæstadiensi vero, *cum quampluribus una cum suis resedissent &c.*

(6) *Abbates complures.*) Horum unus & præcipuus fuit Benedictus Anianensis, ut paulo

chis, hæc quæ ſubſequuntur capitula communi conſilio ac pari voluntate inviolabiliter a regularibus conſervari decreverunt.

INCIPIUNT CAPITULA.

De Abbatibus, mox ut ad monaſteria ſua remeaverint, ut regulam diſcutiant, & efficaciter legant, & quod legerint & intellexerint, cum ſuis obſervent monachis.

I. UT Abbates, mox ut ad monaſteria ſua remeaverint, regulam per ſingula verba (1) diſcutientes pleniter legant, et intelligentes Domino opitulante efficaciter cum monachis ſuis implere ſtudeant.

De monachis, ut regulam ſancti Benedicti, qui valuerint, memoriter diſcant.

II. Ut monachi omnes, qui poſſunt, regulam memoriter diſcant.

De regulari officio, ut juxta præceptum ſancti Benedicti continetur celebrent monachi.

III. Ut officium juxta quod in regula ſancti Benedicti continetur celebrent monachi.

Ut tam in coquina quamque & in cunctis monaſterii officinis monachi operentur, & ut ipſi veſtimenta ſua lavent.

IV. Ut in coquina, in piſtrino, et in ceteris officinis (2) propriis operentur manibus et veſtimenta (3) ſua opportuno tempore lavent.

De monachis, ut poſt matutinalem expletionem, niſi ante conſtitutam ſurrexerint horam; denuo ad lectos ſuos non præſumant cauſſa dormiendi redire.

V. Ut nullo umquam tempore poſt vigilias cauſſa dormiendi, niſi contigerit eos ante horam conſtitutam ſurgere, ad lectos redeant ſuos.

Ut monachi, niſi in ſabbato ſancto Paſchæ, per totam quadrageſimam non radantur. Alio tempore poſt finitos quindecim dies licito radantur, tam in ſabbatis, quam & in octavis Paſchæ.

VI. Ut in quadrageſima, niſi in ſabbato ſancto non radantur (4). Alio autem tempore, ſemel per quindecim dies radantur, et in octavis Paſchæ (5).

De balnearum uſu.

VII. Ut balnearum uſus (6) in arbitrio Prioris conſiſtat.

De non edendis volatilibus a monachis intus foriſve, niſi infirmitatis cauſſa.

VIII. Ut volatilia intus foriſve, niſi pro infirmitate, nullo tempore comedant.

Ne Epiſcopi monachis volatilia comedere præcipiant.

IX. Ut nullus Epiſcoporum (7) monachis volatilia comedere præcipiat.

Ne a monachis poma & lactucæ, niſi quando alius cibus ſumitur, manducentur.

X. Ut poma et lactucæ, niſi quando alius ſumitur cibus, non comedantur.

De certo tempore phlebotomandi obſervando. Et ut monachis tunc ibi cibus potuſque magis in ſupplementum largiatur.

XI. Ut certum phlebotomiæ tempus non obſervent; ſed unicuique ſecundum quod neceſſitas expoſtulat concedatur, et ſpecialis in cibo et in potu tunc conſolatio præbeatur.

Ut

---

lo ante vidimus. Cum eo vero huic conventui interfuit etiam Joſue Abbas monaſterii Sancti Vincentii prope Vulturnum in provincia Capuana, ut legitur in Chronico ejuſdem monaſterii apud Andream Ducheſnium. Item Apollinarius Abbas Flaviniacenſis, ut ſcribit ejus ſucceſſor Hugo in Chronico Virdunenſi; & Agiulfus Abbas Solemniacenſis, ut patet ex præcepto Ludovici Pii pro monaſterio Solemniacenſi. Ei interfuiſſe etiam Andonem Abbatem Stabulenſem tradit Gabriel Bucelinus in Germania ſacra.

(1) *Singula verba.*) Codex Caſin. *ſingulas ſententias.*

(2) *Ceteris officinis.*) In antiquis exemplaribus Sangallenſi, Divionenſi, Helmæſtadienſi, Caſinenſi legitur, *ceteris artium officinis.* Quo etiam modo ediderunt Centuriatores Magdeburgenſes. Vide libellum ſupplicem monachorum Fuldenſium oblatum Karolo Magno c. 16.

(3) *Et veſtimenta.*) Hæc & quæ ſequuntur deſunt in editione Centuriatorum.

(4) *Non radantur.*) Nimirum in ſignum luctus & pœnitentiæ. Sequentibus ſeculis barba diſtinxit monachos literatos ab illiteratis, quos nos hodie fratres converſos vocamus; ut patet ex querimonia monachorum Laurishamenſium adverſus Hirſaugienſes & ex capite decimo vitæ beati Bertholdi Abbatis Garſtenſis. Apud Franciſcanos adeo raræ olim erant barbæ, ut qui ex eis barbatus eſſet, hinc diſtingueretur a ceteris. Teſtis Marinus Sanutus Torſellus in præfatione ad ſecreta fidelium crucis: *Jacobus de Cammerino ordinis Minorum, qui portat barbam.*

(5) *Et in octavis Paſchæ.*) Hæc non habentur in codice Helmæſtadienſi.

(6) *Balnearum uſus.*) De balneis monachorum iſta paulo poſt leguntur in eodem codice Helmæſtadienſi, quæ in aliis non extant. *Ut balneis generaliter tantum in nativitate & in Paſcha Domini, verumtamen ſeparatim, utantur.* Vide Hugonis Menardi Notas ad Concordiam regularum pag. 657. 831.

(7) *Ut nullus Epiſcoporum.*) Vide Notas ejuſdem Menardi pag. 720.

Ut si necessitas postulaverit, monachis post vespertinum cibum ante lectionem completorum potus tribuatur. Similiter quadragesimali tempore, vel quando mortuorum officium egerint.

XII. Ut si necessitas poposcerit ob operis laborem, post refectionem vespertinam, etiam et in quadragesima pari modo, et quando officium mortuorum celebratur, priusquam lectio completorii legatur, bibant.

De monacho a Priore suo increpato.

XIII. Ut cum (1) a quocunque Priore suo increpatus quis eorum fuerit, *Mea culpa* primo dicat; dehinc prosternens se illius pedibus cum cappa, si habuerit, veniam petat. Et tunc jubente Priore surgat, et unde interrogatus fuerit rationem humiliter reddat.

Ut nudi pro qualibet culpa coram aliis non vapulent monachi.

XIV. Ut nudi pro qualibet culpa coram fratrum obtutibus non flagellentur (2).

Ne soli in itinere dirigantur monachi.

XV. Ut soli sine (3) alio fratre in viam non dirigantur.

Ne sibi compatres vel commatres monachi faciant.

XVI. Ut sibi compatres commatresve (4) non faciant, neque osculentur feminas (5).

Ne murmurent monachi tempore legendi & meridiano occupati ad colligendas fruges.

XVII. Ut si necessitas fuerit eos occupari in fruges colligendo (6), constitutum legendi et meridie pausandi tempus prætermittatur, et operantes non murmurent.

De monachis quarta & sexta feria jejunantibus.

XVIII. Ut quarta et sexta feria jejunantes, ante nonam, aut post nonam, si necessitas fuerit, juxta Prioris arbitrium, levia opera exerceant.

Ut in quadragesimali tempore monachi libros accipiant.

XIX. Ut in quadragesima libris de bibliotheca (7) secundum Prioris dispositionem acceptis, alios, nisi Prior decreverit, expedire, non accipiant.

De vestimento monachis nec satis pretioso nec satis vili dando.

XX. Ut eis vestimenta nec multum vilia, nec multum pretiosa, sed mediocria dentur.

De cucullæ mensura.

XXI. Ut mensura cucullæ (8) duobus consistat cubitis.

De potestate Abbatis, si extra mensuram infra positam aliquid addendum decreverit.

XXII. Ut si infra positæ mensuræ quantitatem decreverit Abbas caussa necessitatis quippiam augeri, in illius maneat potestate. Alioquin hoc omnino provideat, ut camisias duas, & tunicas duas, & cucullas duas, & cappas duas unusquisque monachorum habeat; quibus vero necesse est ad-

(1) Caput istud sic legitur in codice Casinensi: *Ut cum Abbate vel a quocunque Priore suo increpatus quis eorum fuerit, mox sine mora prosternens illius pedibus, Mea culpa primum dicat ita ut indutus est. Et tunc jubente Priore surgat, & unde interrogatus fuerit rationem humiliter reddat.* Vide Capitula monachorum Sangallensium cap. 13. & Notas ejusdem Menardi pag. 1089.

(2) *Fratrum obtutibus non flagellentur.*) Codex Pithoeanus, *aliis non vapulent monachi.* Reliqui & editio Centuriatorum habet uti nos edidimus, nisi quod in editione illa additur: *sed verecundia sit semper cooperta.*

(3) *Ut soli sine.*) Centuriatores: *Ut soli videlicet & sine &c.* Codex Helmæstad. *Ut soli videlicet sine.* Casinensis: *Ut solus sine altero monacho in via non dirigatur.* Vide Notas ejusdem Menardi, pag. 667.

(4 *Compatres commatresve.*) Præterea quæ de hoc argumento observata sunt a Filesaco libro 1. Selectorum cap. 3. reperio istud interdictum fuisse in capite quinto canonum Sancti Leodegarii Episcopi Augustodunensis, in Concilio Londinensi anni MCII. cap. 19. sub Anselmo Archiepiscopo, in Concilio quod apud Albiam celebratum dicitur anno MCCLIV. præside Zœno Sedis apostolicæ Legato, & in synodo quam Ioannettinus Doria Cardinalis & Archiepiscopus Panormitanus habuit anno MDCXV. in Ecclesia Panormitana.

(5) *Neque osculentur feminas.*) Centuriatores: *& nullam umquam quamlibet mulierem osculentur.* Codex Helmæstad. *& nullam quamlibet mulierem osculentur.* Casinensis: *neque feminas osculent.*

(6) *Fruges colligendo.*) Regula Sancti Benedicti cap. 48. *Si autem necessitas loci aut paupertas exegerit ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur.*

(7) *Libris de bibliotheca.*) Regula S. Benedicti ibidem: *In diebus quadragesimæ accipiant omnes singulos codices de bibliotheca.* In epistola Theodomari Abbatis Casinensis ad Carolum M. permittitur monachis habere manutergia ad involvendos codices quos ad legendum suscipiunt.

(8) *Cucullæ.*) Ita omnia vetera exemplaria, si Casinense excipias, in quo legitur *scapularis* pro *cucullæ*. In regula Sancti Benedicti cap. 55. scapulare distingui videtur a cuculla. Et in epistola Theodomari, in qua explicatur quid tum per cucullam intelligerent Itali, quid Galli, primum cucullæ descriptio instituitur, dein scapularis. Scapulare tamen sub generali cucullæ vocabulo comprehendi consuevisse auctor est Sigebertus Abbas Gemblacensis in libro de unitate Ecclesiæ pag. 120. editionis Basileensis anni 1566. *Propter opera tantum constituit S. Benedictus alteram cucullam, quæ dicitur scapulare, eo quod hujusmodi vestis apta sit caput tantum & scapulas tegere.*

addatur & tertia, & pedules (1) quatuor paria (2), & femoralia (3) duo paria, roccum unum, pellicias usque ad talos duas, fasciolas duas, quibus autem necesse est itineris caussa, alias duas, vuantos (4) in æstate, muffulas in hyeme vervecinas, calciamenta diurna paria duo, subtalares per noctem in æstate duas, in hyeme vero soccos, saponem & uncturam (5) sufficienter, pinguedinem ad esum (6); excepto sexta feria & viginti diebus ante nativitatem Domini, & septimana illa quæ ante quadragesimam vocatur quinquagesima. Ubi autem vinum non est unde emina detur, duplicem mensuram de cervisia bona. Et quæcunque præter hæc regula jubet (7), singuli, cum necessitas postulaverit, absque dilatione accipiant.

De pedibus fratrum vicissim lavandis.

XXIII. Ut in quadragesima, sicut & in alio tempore, vicissim sibi pedes lavent, & antiphonas huic officio congruentes decantent. In cœna vero Domini pedes fratrum, si valet, Abbas lavet & osculetur, & demum propria manu poculum eis porrigat (8).

De mandato (9) post cœnam faciendo.

XXIV. Ut mandatum (10), si tempus cœnæ est, tam fratrum quam etiam peregrinorum post cœnam fiat.

De mensura monachorum, ut ea Abbates illorum sint contenti.

XXV. Ut ea quam monachi sui habent mensura sint Abbates contenti, in manducando, in bibendo, in dormiendo, in vestiendo, in operando, quando in aliis utilitatibus non fuerint occupati.

De villis fratrum, ut eas non circumeant monachi.

XXVI. Ut villas frequenter & nisi necessitas coegerit, non circumeant, neque suis illas monachis custodiendas committant. Et si eos ire ad eas necessitas fuerit, expleto necessitatis negotio ad sua mox monasteria redeant.

De

(1) *Pedules.*) Id est, pedum operimenta, ut pluribus erudite ostendit idem Menardus pag. 889. quem consule. In capitulis Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, quæ edita sunt in tomo nono Spicilegii Dacheriani, legitur cap. 3. Episcopum Abbati quem ordinat debere dare *baculum & pedules*. Vide Cujacium lib. 5. Observat. cap. 11.

(2) *Pedules quatuor paria.*) Statuta antiqua monasterii Corbeiensis cap. 3. *Calcearios quatuor cum solis novis*. Ubi clarissimus editor conjicit legendum forte esse *soleis*, ut illud pedum tegumentum intelligatur quod Galli vocant *pantoufle*. Præceptum Ludovici Pii de stipendiis quæ annuatim in cibo & potu dari debent monachis S. Dionysii: *ad cordovesos & in solas eorum componendas*. In Memoratorio Ansegisi Abbatis Fontanellensis scriptum est in tomo tertio Spicilegii Dacheriani pag. 245. *Coria boum ad soleas v. composita*; pro quo haud dubie legendum est *solas*. Solas etiamnum Vvascones & Occitani vocant eam calcei partem quæ sub pedibus est.

(3) *Femoralia.*) Epistola Theodomari ad Carolum: *Habent autem fratres nostri & duplicia femoralia. Multi tamen ex eis Deo juvante in tantum se continent ut neque femoralia habeant neque plus quam duplicia indumenta.*

(4) *Vuantos.*) Codex Helmæstad. *manicas quas vulgo vvantos appellamus*. Recte. Nam manicæ sunt chirothecæ, ut observat Hugo Menardus in Notis ad librum sacramentorum pag. 361. extrema. Memoratorium Ansegisi Abbatis Fontanellensis in tomo tertio Spicilegii Dacheriani pag. 246. *ad ubantos lib. i.* ubi legendum est *vvantos*.

(5) *Saponem & uncturam.*) In editione Centuriatorum ista disjuncta sunt, hoc modo: *Ut data a Priore saponis & uncturæ mensura, & reliqua quæ ibi sunt necessaria ad suos* (forte *usos*, id est, *usus*) *habeant lectum propter causam infirmitatis.*

(6) *Pinguedinem ad esum.*) Vide Menardi Notas ad Concordiam regularum pag. 709.

(7) *Regula jubet.*) Id est, regula S. Benedicti cap. 55. ubi præterea prohibetur ne monachus aliquid peculiare sive proprium habeat: *Et si cui inventum fuerit quod ab Abbate non accepit, gravissimæ disciplinæ subjaceat.* Visio Vvettini monachi Augiensis tempore Ludovici Pii: *Ibi se etiam quoddam opus in modum castelli ligno & lapide valde inordinate conjectum & fuligine deforme vidisse fatebatur, fumo ex eo in altum vaporante. Cui interroganti quid esset, responsum est ab angelo habitationem fuisse quorundam monachorum de diversis locis & regionibus congregatorum ad purgationem suam. Qui de eodem numero unum specialiter nominavit, quem dixit ibidem in arca plumbea inclusum præstolare debere diem magni judicii propter opus peculiare.* Hinc lepra proprietatis in Chronico Augustano Sigismundi monachi lib. 2. cap. 4. apud Pistorium. De monachis proprietariis abunde dictum est in Notis ad Concilia Galliæ Narbonensis pag. 28.

(8) *Et demum propria manu poculum eis porrigat.*) Centuriatores: *in refectorio manu propria poculum eis porrigat*. Codices Sangallensis, Pithœanus, Parisiensis, Casinensis habent simpliciter, *& poculum porrigat*.

(9) *De mandato.*) Codex Pithœanus: *De mandato pauperum post cœnam faciendo.*

(10) *Ut mandatum.*) Retinuimus lectionem Sirmondi & Centuriatorum, quam confirmat caput tertium fratrum ad Auvam directorum, quæ infra suo loco dabuntur, ubi sic legitur: *Qui etiam pedes peregrinorum in unaquaque feria lavant*. Libellus supplex monachorum Fuldensium oblatus Carolo M. cap. 13. *Quod peregrinorum susceptio & lavatio in eis pedum non negligatur, sed secundum regulam & secundum priorum nostrorum consuetudinem, quandocunque venerint, misericorditer suscipiantur, & ab omnibus fratribus lavatio pedum eis exhibeatur.* Præceptum Caroli Calvi quo confirmat fundationem hospitalis factam ab Hildrado, editum ab Hemeræo in Augusta Viromanduorum: *Usque ad duodecim pauperes suscipiantur: ad quos, quia infra claustra erit, & locus congruus habebitur, fratres ad officium lavandorum pedum religiose per singulos dies succedant.* Vetera porro istius Capitularis exemplaria habent tantum: *Ut mandatum post cœnam fiat*. Auctor vitæ Alcuini: *Quando mecum quoque ad mandatum pergebas, & te vinum bibere jubebam, arte callidissima dicebas: Bibi, Domine Pater, meo cum avunculo sufficienter.*

De Abbate vel quolibet monacho, ne ad portam monasterii cum quocunque hospite manducare præsumat.

XXVII. Ut Abbas vel quispiam fratrum ad portam monasterii cum hospitibus non reficiant (1). In refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi ac bibendi exhibeat. Ipse tamen (2) ea cibi potusque mensura contentus sit quam reliqui fratres accipiunt. Si vero propter hospitem voluerit ad solitam mensuram fratribus sibique augere aliquid, in sua maneat potestate.

Ne servitores fratrum post refectionem eorum ad unam mensam, sed in propriis sedeant locis.

XXVIII. Ut servitores non ad unam mensam, sed in propriis locis, post refectionem fratrum reficiant; quibus eadem lectio quæ fratribus recitata est recitetur.

De lectore, ut nihil nisi quod regula decernit, accipiat.

XXIX. Ut nihil lectori nisi quod regula jubet (3) detur.

De Alleluya in septuagesima dimittendo.

XXX. Ut Alleluya in septuagesima dimittatur.

De Præposito, ut majorem quam ceteri habeat potestatem.

XXXI. Ut Præpositus (4) intra & extra monasterium post Abbatem majorem reliquis Abbati subditis habeat potestatem.

De Præposito monachis non constituendo nisi & ipse monachus sit.

XXXII. Ut monachis non nisi monachus constituatur Præpositus.

De senioribus fratribus monasterium circumeuntibus.

XXXIII. Ut de senioribus (5) monasterium circumeuntibus quidam cum fratribus in obedientiam exeant, quidam in monasterio propter custodiam remaneant.

De novitio fratre, ut non facilis ei in monasterium tribuatur ingressus.

XXXIV. Ut novitio (6) non facilis in monasterio tribuatur ingressus, & ut in cella hospitum probationis caussa (7) hospitibus serviat paucis diebus. Res vero, si quas habet, parentibus suis commendet (8). Expleto autem probationis suæ anno, secundum quod regula præcipit inde faciat. Ipse vero nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam promittat (9).

De monacho, quid agat post factam professionem.

XXXV. Ut monachus, professione facta, tribus diebus cuculla coopertum habeat caput (10).

De puero, ut pater & mater eum ad altare offerant.

XXXVI. Ut puerum pater (11) aut mater

(1) *Non reficiant.*) Codex Casin. *non reficiat neque bibat.*

(2) *Ipse tamen.*) Hæc & quæ sequuntur usque ad *si vero* desunt in codice Parisiensi. Desunt etiam in Sangallensi, qui pro his quæ isthic leguntur in aliis exemplaribus, ita habet: *Et ipse cum Episcopis, Abbatibus, Canonicis, nobilibus, unde ipsi reficiuntur sumat.*

(3) *Quod regula jubet.*) Regula Sancti Benedicti cap. 38. *Frater autem hebdomadarius accipiat mixtum priusquam incipiat legere, propter communionem sanctam, & ne forte grave sit ei jejunium sustinere. Postea autem cum coquinæ hebdomadariis, & servitoribus reficiat.* Vide caput quintum fratrum ad Auvam directorum.

(4) *Ut Præpositus.*) Præpositi monasteriorum secundi post Abbates, ut pluribus probat sæpe laudatus Hugo Menardus in Notis ad Concordiam regularum pag. 169. 197. 414. Eam ob causam epistola Hincmari Remensis Archiepiscopi ad monachos Corbejenses inscripta est *Fulcranno Præposito & fratribus monasterii Corbejensis*, & alia ad monachos Centulenses *Magenardo Præposito & fratribus in monasterio S. Richarii degentibus*, apud Flodoardum lib. 3. cap. 25. historiæ Remensis. In Concilio Moguntiaco cap. XI. præcipitur *ut monasterium, ubi fieri possit, per Decanos ordinetur; quia illi Præpositi sæpe in elationem incidunt & in laqueum diaboli.* Respexerunt autem conditores istius canonis ad caput 21. & 65. regulę S. Benedicti. Vide Capitula monachorum Sangallensium cap. 30.

(5) *Ut de senioribus.*) Vide eadem capitula cap. 14.

(6) *Ut novitio.*) Vide Notas ejusdem Menardi pag. 936. 944. 977. Vide etiam Concilium Cloveshoviæ cap. 24.

(7) *Hospitum probationis caussa.*) Hæc non habentur in codice Parisiensi. Retinenda tamen esse patet ex capite 58. regulæ S. Benedicti.

(8) *Parentibus suis commendet.*) Codex Casinensis: *parentibus suis aut amicis commendet.* Centuriatores: *parentibus suis aut monasterio committat.* In regula S. Benedicti cap. 58. legitur: *Res si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solenniter donatione conferat monasterio.*

(9) *Promittat.*) Post ista sequitur in editione Centuriatorum, *id est, secundum regulam S. Benedicti professionem in Ecclesia faciat.*

(10) *Coopertum caput.*) Centuriatores: *cuculla veletur capite.* Vide Notas ejusdem Menardi pag. 943.

(11) *Ut puerum pater.*) Olim, uti diximus ad Salvianum, ea erat parentum auctoritas, ut liceret illis liberos suos etiam in pueritia vovere Deo, sic ut istis fas non esset abjicere institutum quod patrum imperio susceperant. Immo non solum natos vovebant, sed etiam eos, qui nondum nati, in matris utero positi erant, quod duobus illustribus exemplis ostendimus. Non solum autem eos qui jam concepti erant, sed etiam nascituros in universum; ut patet ex testamento Ludovici VIII. Franco-

ter tempore oblationis (1) offerant ad altare (2), & petitionem pro eo coram laicis testibus faciant, quam tempore intelligibili ipse puer confirmet.

De infantibus oblatis, ut carnem non comedant.

XXXVII. Ut infantes oblati carnem non nisi caussa infirmitatis manducent.

De fratribus post sextam dormientibus.

XXXVIII. Ut quando fratres post sextam dormiunt, si quis eorum voluerit legere, in ecclesia aut in lecto suo legat.

De fratribus, ut usque nonam in quadragesima operentur.

XXXIX. Et in (3) quadragesima usque ad nonam operentur fratres, quatenus Missa celebrata tempore congruo reficiant.

De his fratribus qui quolibet modo, tamen graviter delinquunt.

XL. Ut domus semota (4) his qui fugere, aut pugnis baculisve inter se voluerint confligere, aut quibus ex integro factæ sunt regulares disciplinæ, habeatur hujusmodi qua in hyeme ignis possit accendi, & atrium juxta sit in quo valeant quod eis injungitur operari.

De eo qui in refectorio negligenter coram fratribus aliquid excesserit.

XLI. Ut si quis negligenter sonitum fecerit, aut aliud quid excesserit in refectorio, mox a Priore veniam petat (5).

De plebejo non recipiendo in monasterio, nisi monachus fieri voluerit.

XLII. Ut nullus plebejus seu clericus secularis in monasterio ad habitandum recipiatur, nisi voluerit fieri monachus.

Ne monachus jurando sermonem proferat nisi sicut sancti patres constituerunt loqui.

XLIII. Ut nemini liceat sermonem juramenti aut affirmationis proferre, nisi sicut sancti patres soliti fuerunt loqui (6).

De Abbatibus cellulas monachorum vel Canonicorum habentibus.

XLIV. Ut Abbatibus liceat habere cellas in quibus aut monachi sint aut Canonici. Et Abbas provideat ne minus de monachis ibi habitare permittat quam sex.

De schola in monasterio non habenda nisi de his qui oblati fuerint.

XLV. Ut schola (7) in monasterio non habeatur nisi eorum qui oblati sunt.

De

---

corum Regis apud Andream Duchesnium tom. v. pag. 325. *Item volumus & præcipimus quod quintus filius noster sit Clericus & omnes alii qui post eum nascentur.* Porro Menardus in Notis ad Concordiam regularum pag. 985. & seqq. & Carolus le Cointe in annalibus ecclesiasticis Francorum ad annum 544. §. 74. multis testimoniis confirmant pueris quos parentes Deo obtulerant in monasteriis non licuisse discedere quacunque de causa, si res legitimo ordine & secundum regulam peracta fuisset. Formulam qualiter parentes filios suos offerant in monasteriis, vide in nova collectione formularum cap. 31. & quæ illic a nobis adnotantur.

(1) *Tempore oblationis.*) Codex Casin. *oblationis secundum regulam offerant.*

(2) *Ad altare.*) Hæc desunt in aliquot exemplaribus.

(3) *Et in.*) Lege: *Ut in &c.*

(4) *Ut domus semota.*) Codex Helmæstad. *Ut carcer his qui fugere &c.* Habuerunt semper monasteria carceres, in quibus monachi facinorosi includerentur ad agendam severiorem pœnitentiam. Extant plurima hujusce rei testimonia, in primis vero in statutis quæ Conradus Archiepiscopus Coloniensis edidit anno MCCLX. de vita & conversatione monachorum. *Statuimus etiam*, inquit, *quod quodlibet monasterium suum carcerem habeat, in quo delinquentes regulariter puniantur.* Verum hic carcer adeo durus postea evasit ut miserationem permoverit Stephani Archiepiscopi Tolosani, de quo hæc leguntur in historia chronologica Ms. Parlamentorum patriæ Occitanæ scripta ante ducentos annos a Guillelmo Bardino Consiliario Clerico in Parlamento Tolosano.

Anno Domini MCCCL. *& die* XXVII. *Januarii cum Rex Joannes commoraretur apud Villamnovam juxta Avenionem, fluvio Rhodano intermedio, & ibi certamen lancearum sive hastarum, quod nos torneamentum vocamus, celebrasset tota curia Papali adstante, totum se commisit negotiis patriæ Occitanæ, & nulli audientiam denegavit. Inter hos Vicarius generalis Stephani Archiepiscopi Tolosani ex mandato dicti Archiepiscopi conquestus est de horribili rigore quem monachi exercebant adversus monachos graviter peccantes, eos conjiciendo in carcerem perpetuum, tenebrosum, & obscurum, quem* Vade in pace *vocitant, qui nihil aliud habebant pro victu quam panem & aquam, omni consortio sodalium illis adempto, ita ut qui huic pœnæ addicti sunt, semper pereant desperati. Super hujusmodi querimonia Rex per suam ordinationem statuit quod deinceps Abbates, Priores, superiores, & omnes gubernatores monasteriorum & conventuum bis in mense visitarent & consolarentur fratres qui in tali pressura detinerentur, & quod illis liceret petere consortium unius monachi de sodalitio bis in mense habendum. Qua de re litteras patentes expedire fecit, quarum executionem demandavit & commisit Olivario de Sata Senescallo Tolosano & aliis futuris Senescallis patriæ Occitanæ. Pro revocatione hujusmodi ordinationis fratres Minores & fratres Prædicatores mira fecerunt, auctoritatem Papæ reclamaverunt; sed Rex in sua voluntate perseveravit, & voluit quod obedirent, aut regno suo abirent. Qua de causa, etiamsi inviti & repugnantes, voluntatem Regis executi sunt. Barbarum enim est incarceratos & sic afflictos omni solatio & consortio amicorum privare.*

(5) *Veniam petat.*) Codex Casinensis addit: *Et annuente Priore surgat. Servetur tamen silentio. Et cum egressi fuerint, expleta oratione, veniam petat, & secundum modum culpæ judicio subjaceat.* Vide regulam S. Benedicti cap. 71.

(6) *Loqui.*) In editione Centuriatorum postea sequitur: *Id est, Crede mihi frater, aut Vivit Dominus, seu Novit Dominus.*

(7) *Ut schola.*) Vide Notas ejusdem Menardi ad Concordiam regularum uag. 682.

De præcipuis solemnitatibus sanctorum, ut plenarium in eis officium fiat, & bis monachi edant.

XLVI. Ut in præcipuis solemnitatibus, id est, in natale & in octavis Domini, in Epiphania, in Pascha quoque, & Ascensione Domini, & in Pentecosten, & in sanctorum festivitatibus, id est, sancti Stephani, & in beati Johannis Evangelistæ, & in natale infantium, in Purificatione & Assumptione sanctæ Mariæ, similiter & in beatorum Apostolorum festis, & in sancti Johannis Baptistæ nativitate, in sancti quoque Laurentii atque Martini (1), seu in natalitiis cujuslibet sancti cujus honor in qualicunque parrochia specialiter celebratur; plenarium officium agatur (2), & bis reficiatur (3).

De jejunio Parasceve.

XLVII. Ut in Parasceve non aliud nisi panis & aqua sumatur.

De benedictione post completorium dicenda.

XLVIII. Ut benedictio post completorium a sacerdote dicatur (4).

De decimis dandis tam ecclesiæ quam pauperibus.

XLIX. Ut de omnibus in eleemosynam datis tam ecclesiæ quam fratribus decimæ pauperibus dentur.

De specialibus psalmis pro eleemosynariis & defunctis cantandis.

L. Ut prætermissis partitionibus psalterii, psalmi speciales pro eleemosynariis (5) & defunctis cantentur.

De Pentecoste ut per hebdomadam non flectantur genua, neque jejunetur, nisi dies jejunii extiterint.

LI. Ut in hebdomada Pentecosten non flectantur genua & non jejunetur, nisi statuti fuerint dies jejunii (6).

De laicis in refectorium monachorum manducandi vel bibendi caussa non ducendis.

LII. Ut laici caussa manducandi ac bibendi in refectorium (7) non ducantur.

De vestimentis & calciamentis, ut fratribus quoties expedit dentur.

LIII. Ut quoties exposcit necessitas, vestimenta & calciamenta & omnia necessaria fratribus dentur.

De his qui præponuntur, ut nonni vocentur.

LIV. Ut qui præponuntur, nonni vocentur (8).

De Seniore Decano.

LV. Ut senior Decanus (9) reliquis Decanis præponatur, & Abbate vel Præposito præsente locum proprium teneat.

De Præposito, Decano, & Cellario.

LVI. Ut Præpositus (10), Decanus, Cellararius (11) de eorum ministerio, nisi caussa utilitatis aut necessitatis, non removeantur.

De libra panis, ut triginta solidos penset antequam coquatur.

LVII. Ut libra panis triginta solidis per duodecim denarios metiatur.

(1) *Martini.*) Codex Casinensis addit, *& in S. Benedicti*; quæ lectio confirmatur ex epistola Theodomari ad Carolum.

(2) *Plenarium officium agatur.*) Hæc non habentur in codice Casinensi, neque eorum mentionem hoc loco facit epistola Theodomari.

(3) *Et bis reficiatur.*) Epistola Theodomari: *Etiam bis ad prandium miscere facimus.*

(4) *Dicatur.*) In editione Centuriatorum postea sequitur: *& deinde aqua benedicta, antequam intrent in dormitorium, super capita illorum a Priore inspergatur.*

(5) *Eleemosynariis.*) Id est, *pro omnibus eleemosynas nobis tribuentibus*, ut legitur in libello supplici, quem monachi Fuldenses obtulerunt Carolo Magno. Præstat autem integrum locum referre, quod is valde illustret hoc caput Aquisgranense. Sic ergo scribunt monachi Fuldenses: *In secunda quoque feria uniuscujusque septimanæ orationem pro omnibus eleemosynas nobis tribuentibus, id est, eundem psalmum L. quem tota congregatio juxta corpus B. Martyris simul prostrata cantavit, cum oratione dominica & versibus. Pro defunctis ergo fratribus nostris commemorationem illam quam quotidie bis habuimus, id est, post matutinam celebrationem & vespertinam, quæ est antiphona videlicet Requiem æternam, & prima pars psalmi Te decet hymnus Deus, versus & collecta.*

(6) *Dies jejunii.*) In editione Centuriatorum hæc adduntur: *Quatuor temporum, jejunetur, ut vigilia sanctæ Mariæ, annunciatione, assumptione, nativitate. Jejunatur similiter in natali omnium Apostolorum, seu Sancti Joannis Baptistæ de martyrio, seu in natali cujuslibet sancti, in cujus honorem dedicatus est locus ubi militant monachi.*

(7) *In refectorium.*) Vide Notas ad Concordiam regularum pag. 307.

(8) *Nonni vocentur.*) *Hoc est, paterna reverentia*, ut legitur in editione Centuriatorum. Vide Notas ad eandem Concordiam pag. 1021.

(9) *Ut senior Decanus,*) Vide capitula monachorum Sangallensium cap. 30.

(10) *Ut Præpositus.*) Centuriatorum editio hæc est: *Ut Præpositus, Decani, Cellarius, Portarius, de eorum ministerio nisi causa utilitatis &c.* Codex Sangallensis: *Ut Præpositus, Decani, Cellararius, Portarius, si utiles in ministeriis illorum fuerint, quantum Abbati & congregationi placuerit, ibi stent.* Casinensis: *Ut Senior, Decanus, Cellararius, Portararius de eorum ministerio nonnisi causa infirmitatis manducet.* Sed hæc duo postrema vocabula non sunt hujus loci. In Chartulario Tutelensi fol. 37. 219. inter præcipuos monachos illius monasterii numeratur Otgerius Portarius anno duodecimo regni Ludovici Transmarini.

(11) *Cellararius.*) Aliqui codices habent *Cellarius*, Parisiensis *Cellerarius*.

De dormitorio hospitum.

LVIII. Ut dormitorium juxta oratorium constituatur ubi supervenientes monachi dormiant.

De Abbatibus, ut secum monachos in itinere non nisi ad synodum ducant.

LIX. Ut Abbates (1) monachos secum in itinere, nisi ad generalem synodum (2) non ducant.

De duobus signis ad tertiam, sextam, & nonam pulsandis.

LX. Ut duo tantum signa ad tertiam, sextam, nonamque pulsentur.

De monachis, ut disconsutas cappas non habeant, nisi tantum villosas.

LXI. Ut monachi cappas dissutas præter villosas non habeant.

De Abbatibus & Præpositis atque Decanis, ut benedictionem lectoribus tribuant, licet Presbyteri non sint.

LXII. Ut Abbas, Præpositus, vel Decanus, quamvis Presbyteri non sint, lectoribus benedictionem tribuant.

Ut e fratribus docti eligantur qui supervenientibus monachis loquantur.

LXIII. Ut docti fratres eligantur qui cum supervenientibus monachis (3) loquantur.

De incerto furto ut oratio & excommunicatio fiat, quousque qui culpabilis existit manifestetur.

LXIV. Ut de furto (4) incerto oratio & excommunicatio a corpore & sanguine Christi fiat quousque culpabilis confiteatur.

De monacho qui adversus monachum alium testimonium protulerit.

LXV. Ut si frater adversus fratrem pro qualibet culpa testimonium protulerit, fratri perfectiori credatur.

De psalmo invitatorio & Gloria pro defunctis non cantandis.

LXVI. Ut psalmus invitatorius & Gloria pro defunctis non cantetur.

De lectore ut stans benedictionem petat.

LXVII. Ut lector stando (5) benedictionem postulet.

De eulogiis in refectorio fratribus a Presbyteris dandis.

LXVIII. Ut eulogiæ (6) fratribus a Presbyteris in refectorio dentur.

Quod ad Capitulum primo Martyrologium legendum sit, & versus postea dicendus, inde regula.

LXIX. Ut ad Capitulum primitus Martyrologium legatur, & dicatur versus, deinde regula, aut homelia quælibet legatur. Deinde *Tu autem Domine* dicatur.

De lectione in Capitulo exponenda.

LXX. Ut ad Capitulum lectio tradatur (7), similiter ad conlationem, si tempus fuerit opportunum.

De jejunio fratrum æstivo tempore.

LXXI. Ut quando (8) fratres æstivo tempore jejunant, post sextam dormiant.

De

(1) *Ut Abbates.*) In exemplaribus antiquis Casinensi & Sangallensi & in editione Centuriatorum legitur: *Ut Canonici Abbates*. De Abbatibus Canonicis vide Concilium Parisiense VI. lib 3. cap. 18. & Concilium Aquisgranense II. cap. 2. §. 2. num. 1.

(2) *Generalem synodum.*) Centuriatores, *generale placitum*. Vetus regula, ut apparet ex iis quæ a nobis dicta sunt ad capitula synodi Francofordiensis, ad quam Benedictus Abbas Anianensis & Anianus Abbas Caunensis suos monachos duxerunt.

(3) *Supervenientibus monachis.*) Centuriatores simpliciter, *hospitibus*.

(4) *Ut de furto.*) Hic furti incerti a monachis patrati probatio fieri jubetur per excommunicationem a corpore & sanguine Domini, contra morem illius sæculi. Testis est canon xv. Concilii Wormatiensis, in quo sic legitur: *Sæpe contingit ut in monasteriis furta perpetrentur, & qui hæc committant ignorentur. Idcirco statuimus ut quando ipsi fratres de talibus se expurgare debeant, Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo cui ipse Abbas præceperit, præsentibus fratribus, & sic in ultima Missæ celebratione pro expurgatione sua corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi percipiant, quatenus ita inde innocentes se esse ostendant.* Hunc locum, alioqui non admodum difficilem aut obscurum, sic interpretatus est Joachimus Vadianus in libro sexto de Eucharistia pag. 218. *Porro ut in Carolino illo seculo palam est in parvulis communicandis erratum, ita ne id quidem admodum proli aut pii moris fuit quod eodem tempore Episcopi & monachi eucharistiam ad innocentiæ contestationem & purgationem objecti criminis sumere essent soliti, ut cum furtum in monasterio esset commissum, monachi omnes in Missæ celebratione corpore & sanguine Domini participabant, quo se criminis suspicione liberarent. Id persuasione fiebat religionis, quæ sceleris conscium pœnæ metu longe ab esu illo sacrosancto arcere credebatur.* Vide Reginonem lib. 2. cap. 276. & quæ illic a nobis adnotata sunt.

(5) *Stando.*) Codex Casinensis, *stans humiliatus*.

(6) *Eulogiæ.*) Varie accipitur hoc vocabulum, ut pluribus explicat Gretserus in libro secundo de benedictionibus cap. 24. & sequentibus. Vide etiam Notas ad Concordiam regularum pag. 875. Istud *communicatio fracti panis* dicitur in libello supplici monachorum Fuldensium ad Carolum M. cap. 4.

(7) *Tradatur.*) Codex Pithœi, *quæ lecta fuerit exponatur*.

(8) Caput istud sic habet in editione Centuriatorum; *Ut quando fratres jejunant, post sextam dormiant, hoc est, æstivo tempore. Post hæc celebrent Missam.*

De eo qui culpæ noxa tenetur, ut die dominico remiſſius habeat.

LXXII. Ut is qui noxæ culpa tenetur, die dominico remiſſius habeat, & veniam non petat.

De anniverſaria die pro defunčto Abbate celebranda.

LXXIII. Ut pro Abbate defunčto anniverſarium fiat officium.

De eo ut ad Miſſam inclinati Sančtus *dicant, & ad* Pater noſter *genua flečtant.*

LXXIV. Ut ad Miſſam *Sančtus* ſtantes & *Pater noſter* (1) genua flečtentes dicant.

Non debet aliquis pro munere in monaſterio recipi.

LXXV. Ut nullus pro munere recipiatur in monaſterio, niſi quem bona voluntas & morum commendat probitas.

De menſura cibi ac potus, quæ ſeparatim monachis debet tribui.

LXXVI. Ut unicuique fratri in cibo & in potu ſua menſura ſeparatim detur, & de ipſa menſura ſibi data alicui nihil tribuat (2).

De fratrum pinguedine, quam accipere debeant in vičtu quotidiano.

LXXVII. Ut fratres aliquid pinguedinis in vičtu quotidiano habeant; excepto ſexta feria, & diebus očto ante natale Domini, & a quinquageſima uſque ad Paſcha.

In natale Domini, & in feſtivitate Paſchæ, monachis volatilia ſumere quatuor diebus conceſſum eſt.

LXXVIII. Ut volatilia in natale Domini & in Paſcha tantum quatuor diebus (3), ſi eſt unde comedant. Si vero non fuerit unde, non requiratur per debitum (4). Si autem Abbas aut monachi abſtinere ſe voluerint, in eorum ſit arbitrio.

De muffulis monachis dandis.

LXXIX. Ut muffulæ vervecinæ fratribus dentur.

De diſciplinæ modo.

LXXX. In doctrina (5) ſua Abbas apoſtolicam debet illam ſemper formulam ſervare, in qua dicit: *Argue, obſecra, increpa.* Id eſt, indiſciplinatos & inquietos debet durius arguere, obedientes autem & mites & patientes ut in melius proficiant obſecrare. Negligentes vero et contemnentes ut increpet et corripiat admonemus; neque diſſimulet peccata delinquentium; ſed mox ut cœperint oriri, radicitus ea ut prævalet amputet, memor periculi Heli ſacerdotis de Silo. Improbos autem et duros ac ſuperbos vel inobedientes verberum vel corporis caſtigatione in ipſo initio peccati coerceat, ſciens ſcriptum: *Stultus verbis non corrigitur.* Et iterum: *Percute filium tuum virga, & liberabis animam ejus a morte.* In omnibus (6) igitur omnes magiſtram ſequantur regulam, neque ab ea temere declinetur a quoquam. Nullus in monaſterio proprii cordis ſequatur voluntatem, neque præſumat quiſquam cum Abbate ſuo proterve infra monaſterium aut foris contendere. Quod ſi præſumpſerit, regulari diſciplinæ ſubjaceat. Si quis frequenter (7) correptus pro qualibet culpa, ſi etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correčtio, id eſt, verberum vindičtæ in eum procedant. Similiter et qui (8) præſumpſerit clauſtra monaſterii egredi vel quocunque ire, vel quippiam, quamvis parum, ſine juſſione Abbatis facere, vindičtæ regulari ſubjaceat. Peccantes autem (9) coram omnibus arguantur, ut ceteri metum habeant (10).

(1) *Pater noſter.*) In editione Centuriatorum additur: *& alias orationes genua flectentes, quando tempus opportunius eſt, dicant.*

(2) *Nihil tribuat.*) Codex Caſinenſis, *minime ſit licentia dandi.* Regula cujuſdam in Concordia regularum pag. 718. *Illud præcipue decernimus, ut nullus alteri dare ex menſura ſua vel accipere ab altero præſumat præter Abbatem vel Præpoſitum, cui ab Abbate commiſſum eſt.*

(3) *Quatuor diebus.*) Hæc eſt lectio codicum Pithœani & Pariſienſis. Caſinenſis habet *tribus diebus*, Sangallenſis *ſex tantum*, Centuriatores & editio Capitularium anni MDCIII. *očto diebus.* Juvat hanc lectionem epiſtola Theodomari, in qua ſic legitur: *Volatilia nunquam niſi in die natalis Domini, ſi eſt unde, uſque ad dies očto comedimus. Similiter etiam paſchalibus diebus.* Vide Menardi Notas ad Concordiam regularum pag. 709.

(4) *Per debitum.*) Idem Theodomarus: *Sed de eſu volatilium tam caute prudentiſſimus pater noſter in ſua regula poſuit, ut ſi velint comedere monachi, cum opportunum eſt, non ſubjaceant culpæ. Sin autem eis a ſuo tale edulium non præbetur Abbate, ut quaſi ex debito hoc non poſſint requirere. Multi tamen fratrum noſtrorum neque volatilia comedunt &c.*

(5) *In doctrina.*) Caput iſtud deeſt in aliquot codicibus, & ſumptum eſt ad verbum ex regula S. Benedicti; niſi quod quædam clauſulæ iſthic omittuntur quæ habentur in regula.

(6) *In omnibus.*) Hæc ſumpta ſunt ex capite tertio ejuſdem regulæ. Vide Menardi Notas ad Concordiam regularum pag. 191.

(7) *Si quis frequenter.*) Iſta ſumpta ſunt ex cap. 28. ejuſdem regulæ.

(8) *Similiter et qui.*) Ex cap. 67. ejuſdem regulæ.

(9) *Peccantes autem.*) Ex cap. 70. regulæ.

(10) Præter ſuperiora očtuaginta capitula, alia quinque aliis permixta extant in editione Centuriatorum, quæ nos hic addenda eſſe cenſuimus.

I. Ut baculi a monachis pro neceſſitate aut infirmitate ferantur.

II. Ut in jejunio quatuor temporum nullus cibus ſumatur alius niſi ille ſicut in quadrageſima conſtitutum eſt a ſanctis patribus. Similiter in capite jejunii.

III. Ut quando jejunant monachi, officium mo- tuo-

ADDITIO SECUNDA.

CApitula quæ deinceps ſequuntur, non tunc quando præſcripta, velut in ſub ſequentibus habentur, inventa, collecta, ordinata, hucque inſerta eſſe noſcuntur, ſed poſtmodum a fidelibus reperta, hac in ſcedula, ſicut acta erant, ſunt inſerta, ut facilius a fidelibus, quotiens neceſſe fuerit, reperiantur.

INCIPIUNT CAPITULA QUÆ SUNT GENERALITER PER PARROCHIAS POPULIS DENUNTIANDA.

Ut fidei ſacramento baptizandi imbuantur. Et ut parvuli de ſacris fontibus ab his non ſuſcipiantur vel homines ad confirmationem teneantur qui in publica pœnitentia adhuc canonice irreconciliati manſerunt.

I. HOc admonendum vel denuntiandum fidelibus neceſſario prævidimus, ut hi qui fidem Chriſti expetunt, et provectæ ætatis ſunt, priuſquam ad baptiſmum accedant, inſtruantur et fidei et baptiſmatis ſacramento. Similiter et illi inſtruendi ſunt qui parvulos de ſacro fonte ſuſcipere voluerint, ut intellegant et vim ejuſdem ſacramenti, et quid pro aliis ſpoponderint, vel pro quo fidejuſſores extiterint. Illos tamen ſpecialiter ab his officiis removendos judicamus, ne alios de ſacroſancto fonte baptiſmatis ſuſcipiant, nec etiam ad percipiendum ſancti Spiritus donum aliorum patroni (1) exiſtant, qui et communione canonica privati et pœnitentiæ publicæ ſunt ſubacti, donec per pœnitentiæ ſatisſactionem reconciliationem mereantur. Quos enim lex divina et canonica auctoritas ab Eccleſiarum liminibus et a caſtris militaribus, ne ruina ſint populi, ſequeſtrat, multo magis ab his ſacris officiis uſque ad tempus pœnitentiæ, ut jam dictum eſt, peractum ſunt ſequeſtrandi. *VI. c.* 182.

Quo tempore baſptima celebrari oporteat.

II. Ut extra ſtatuta tempora canonum baptiſmata non celebrentur: quia ſacri canones hoc modis omnibus, niſi aliquod periculum inſtiterit, fieri prohibent; in tantum ut etiam eos qui alio tempore baptizantur, a gradibus eccleſiaſticis arceant.

Ut pactum in baptiſmate factum cum Deo a baptizatis obſervetur.

III. De eo etiam inſtruendos fideles neceſſario providimus, ut intellegant pactum quod cum Deo in baptiſmate fecerunt. Pactum quod cum Deo in baptiſmate fit, a multis ex toto, a multis ex parte tranſgreditur. Ex toto quippe tranſgreditur, quando quis poſt acceptam baptiſmatis gratiam aut ad infidelitatem aut hæreſim aut certe ad ſchiſma prolabitur. Ex parte vero (2), quando quis aut ad ſuperbiam aut ad invidiam aut ad cetera vitia ſpiritalia, quæ ex radice ſuperbiæ prodeunt, labitur. *VI. c.* 193.

Quid ſit abrenuntiatio in baptiſmo, & quomodo obſervanda ſit.

IV. Quid ſit abrenuntiare diabolo, operibus & pompis ejus, valde omnes fideles intellegere oportet. Quapropter neceſſe eſt ut prædicatores in admonendo & auditores in diſcendo & opere complendo ab hinc, ut ſuum cavere poſſint periculum, magnum adhibeant ſtudium. Abrenuntiare igitur diabolo eſt penitus eum reſpuere, ſpernere, rejicere, eique contradicere, ſeque unumquemque ab eo alienare, ſive aliud quid quod hoc verbo in hoc ſenſu exprimi poteſt. Opera ejus ſunt, quæ utique operibus ſalvatoris contraria exiſtunt. Primum ſuperbia, cujus ille auctor eſt, & quæ eum ex angelo dæmonem fecit, quæ eſt etiam initium omnis peccati, et cetera vitia, quæ ex radice procedunt ſuperbiæ. Pompa diaboli hæc eſt quæ et pompa mundi, id eſt, ambitio, arrogantia, vana gloria, omniſque cujuslibet rei ſuperfluitas in humanis uſibus: unde creſcit elatio, quæ multoties honeſtati ſolet adſcribi, et cetera hujuſmodi quæ de fonte ſuperbiæ procedere noſcun-

---

tuorum celebretur priuſquam lectio ante completorium legatur. Deinde eant in refectorium, bibant, & poſt hæc legant collectionem.

IV. Ut in hebdomada Paſchæ in clauſtro non loquantur, ſed lectio divina ab omnibus teneatur. Similiter in hebdomada Pentecoſtes, & in omnibus diebus dominicis, ſeu in natali Domini, & in omnibus ſanctorum feſtis præcipuis.

V. Ut in domo infirmorum non manducent ſine licentia Prioris, neque bibant.

Primum caput iſtorum quinque valde illuſtratur ex capite quinto libelli ſupplicis, quem monachi Fuldenſes obtulerunt Carolo M. in quo petunt ut ſenibus & infirmis baculum pro ſuſtentatione ferre liceat.

(1) *Patroni.*) Ita omnino legitur in Concilio Pariſienſi. Certum eſt tamen legendum eſſe *patrini*. Verum vetus exemplar ejuſdem Concilii & antiqua Capitularium exemplaria lectionem præferunt quam nos retinuimus. In capite tamen 182. libri ſexti, in quo ſenſus & plurima iſtius capitis verba referuntur, ſcriptum eſt *patrini*.

(2) *Ex parte vero.*) Hæc & quæ poſtea ſequuntur non extant in codice Pithœano & in Pariſienſi, in quibus deſunt etiam hæc verba, *Ex toto quippe tranſgreditur.*

fcuntur. Hæc & his fimilia funt quæ unufquifque fidelis tempore baptifmatis a fe rejecit, Chriftoque fe mancipavit, pactumque cum Deo fecit ne penitus ad ea quibus abrenuntiavit rediret. Verum fi jura humanæ pactionis firmiter confervantur, fixius tamen atque ferventius jura tanti pacti, quæ cum Deo facta funt, inviolabiliter funt obfervanda. *VI. c.* 193.

De fcholis per fingulas urbes habendis.

V. Inter nos pari confenfu decrevimus ut unufquifque Epifcoporum in fcholis habendis & ad utilitatem Ecclefiæ militibus Chrifti præparandis & educandis ab hinc majus ftudium adhiberet. Et in hoc uniufcujufque ftudium volumus probare, ut quando ad provinciale Epifcoporum Concilium ventum fuerit, unufquifque rectorum fcholafticos fuos eidem Concilio adeffe faciat; quatenus & ceteris Ecclefiis noti fint, & ejus follers ftudium circa divinum cultum omnibus manifeftum fiat.

Quod ab Epifcopis jejunis impofitionem manuum fieri oporteat.

VI. Ut Epifcopi (1) nonnifi jejuni per impofitionem manuum Spiritum fanctum tradant, exceptis infirmis & morte periclitantibus. Sicut autem duobus temporibus, Pafcha videlicet & Pentecoften, baptifmum, ita etiam traditionem fancti Spiritus a jejunis pontificibus convenit celebrari.

De Presbyteris indifcrete per diverfa non mittendis.

VII. Ut Presbyteri, ficut hactenus factum eft, indifcrete per diverfa non mittantur, nec ab Epifcopis, nec ab aliis Prælatis, nec etiam a laicis; ne forte, propter eorum abfentiam, & animarum pericula & Ecclefiarum in quibus conftituti funt neglegantur officia. *VII. c.* 162.

Ut Presbyteri qui gradum amiferint, canonicæ pœnitentiæ fubdantur.

VIII. De Presbyteris gradum amittentibus vifum eft nobis ut unufquifque Epifcoporum vitam & converfationem morumque emendationem eorum qui gradum amittunt tam ipfe quam per miniftros fuos noverit, eofque pœnitentiæ canonicæ fubdere non neglegat, juxta quod in Concilio Cæfarienfi titulo primo fcribitur. *Presbyter fi uxorem acceperit, ab ordine deponatur. Si vero fornicatus fuerit aut adulterium perpetraverit, amplius pelli debet & fub pœnitentia redigi.* Nonnulli enim, amiffo gradu, adeo filii Belial efficiuntur ut nec publicis, quia fas non eft, nec canonicis, propter quorundam Epifcoporum incuriam, legibus conftringantur. *VII. c.* 194.

Ut nullus Presbyterorum Miffam folus celebrare præfumat.

IX. Vifum etiam nobis fuit illud inhibendum, ut nullus Presbyterorum folus Miffam (2) celebrare præfumat: quia ita nec verba Domini falvatoris, quibus myfteria corporis & fanguinis fui difcipulis fuis celebranda contradidit, nec Apoftoli Pauli documenta declarant, nec etiam in ipfis actis Apoftolorum, fi enucleatim legantur, ita fieri debere ullo modo invenitur. Unde conveniendus immo interrogandus nobis videtur hujufmodi corporis & fanguinis Domini folitarius confecrator, quibus dicit *Dominus vobifcum*, & a quo illi refpondetur *& cum fpiritu tuo*, vel pro quibus fupplicando Domino inter cetera, *Memento Domine famulorum famularumque tuarum & omnium circumftantium*, cum nullus circumftet, dicit. Quæ confuetudo, quia apoftolicæ & ecclefiafticæ auctoritati refragatur, & tanto myfterio quandam dehonorationem inrogare videtur, omnibus nobis in commune vifum eft ut deinceps hujufcemodi ufus inhibeatur.

Ut in unaquaque Ecclefia proprius Presbyter habeatur.

X. Sæpe namque in aliis Conciliis & nunc in noftris conventibus conftitutum eft ut unaquæque Ecclefia, fi facultas fuppetit, proprium habeat Presbyterum, & unufquifque Presbyter una tantum fit contentus Ecclefia. *I. c.* 86. *VI. c.* 73. 75.

Ut in die dominico rurale opus non fiat.

XI. Inter cetera vero admonitionis noftræ officia fatis illud neceffarium vifum eft ut populis fidelibus terribiliter denuntietur ut diem dominicum, in quo auctor vitæ refurrexit a mortuis, honorabiliter & venerabiliter colant. Nam fi pagani ob memoriam & reverentiam Deorum fuorum dies colere, & Judæi more carnali fabbatum carnaliter obfervare fatagunt, quanto magis Chriftianæ religionis devotio ob memoriam dominicæ refurrectionis eundem diem venerabiliter atque honorabiliter colere debet? Multi namque noftrorum vifu, multi etiam quorundam relatu didicimus quofdam in hoc die opera ruralia exercentes fulmine interemptos, quofdam artuum contractione multatos, quofdam etiam vifibili igne abfumptos, fubito in cinerem refolutos pœnaliter occubuiffe. Proinde neceffe eft ut primum facerdotes, Reges, & Principes, cunctique fideles huic diei debitam obfervationem atque reverentiam devotiffime exhibeant. *VI. c.* 205.

De

(1) *Ut Epifcopi.* Caput iftud obfcurum eft in illa parte, in qua agit de infirmis & morte periclitantibus. Senfus autem hic eft, Epifcopos omnino oportere effe jejunos cum Spiritum Sanctum tradunt baptizatis, nifi ea fit infirmorum ægritudo ac neceffitas ut expectari non poffit tempus quo Epifcopus effe poffit jejunus.

(2) *Solus Miffam.*) Vide quæ fupra adnotata funt ad caput 159. libri quinti.

De Missarum celebrationibus in locis incongruentibus minime agendis.

XII. Illud etiam, quamquam sæpe admonitum sit, iterum inculcandum populisque denuntiandum summopere visum fuit, ut Missarum celebrationes in locis incongruentibus fieri omnino non debeant; & necesse est ut unusquisque Episcoporum hujuscemodi temerariam consuetudinem a parrochia sua penitus amoveat. Et si quis Presbyterorum ab hinc (excepto quando in itinere pergitur, & locus basilicæ procul est, & id in altaribus ab Episcopo consecratis fieri necessitas compellit, ne populus Dei sine Missarum celebratione & corporis & sanguinis dominici perceptione maneat) Missarum celebrationes in hujusmodi inlicitis locis post tot tantasque prohibitiones facere attentaverit, dignum est ut gradus sui periculum incurrat. Satius igitur est Missam non audire quam eam ubi non licet nec oportet celebrare aut audire. *VI. c.* 208. *VII. c.* 396.

Quod Presbyteri inconsultis Episcopis viduas velare non debeant.

XIII. Quia ergo quod sæpe in nostris Conciliis prohibitum est, viduas inconsultis Episcopis velari non debere, & eandem constitutionem a quibusdam prævaricari nunc cognovimus, prorsus ne deinceps fieret interdiximus; ut si quispiam Presbyterorum deinceps hujus constitutionis contumaciter transgressor extiterit, scilicet ut aliquam viduam inconsulto Episcopo velare præsumat, gradus sui periculum incurrat.

De puellis virginibus a Presbyteris non velandis.

XIV. Similiter & de puellis virginibus a Presbyteris non velandis inhibuimus: in qua re hactenus multos Presbyterorum partim ignorantia, partim temeritate deliquisse deprehendimus.

Quod quædam feminæ sibi velum absque assensu sacerdotum imponunt.

XV. Deprehendimus & aliam neglegentiam, eo quod quædam feminæ sine consensu sacerdotum velum sibi incaute imponant, quod similiter ne ulterius fieret inhibuimus.

De Abbatissis & sanctimonialibus quæ contra canones viduis & puellis velum imponunt.

XVI. Nihilominus etiam (1) in quibusdam locis inolitum invenimus usum stultitiæ plenum, & ecclesiasticæ auctoritati contrarium, eo quod videlicet nonnullæ Abbatissæ (2) & aliquæ ex sanctimonialibus viduis & puellis virginibus contra fas velum imponere præsumant, & ideo nonnullæ taliter velatæ putant se liberius suis carnalibus desideriis posse vacare & suas voluntates explere. Quapropter statuimus ut si aut Abbatissa aut quælibet sanctimonialis post hanc diffinitionem in tantam audaciam proruperit ut aut viduam aut puellam virginem velare præsumat, judicio canonico usque ad satisfactionem subdatur.

De feminis nobilibus quæ post mortem virorum suorum capita velant statim.

XVII. De nobilibus feminis quæ amissis viris repente velantur, & in propriis domibus diversas necessitates opponentes residere delectantur, de quibus in aliis conventibus coram serenitate vestra jamdudum ventilatum & definitum est, majori sollertique studio admonendas esse & instruendas ab Episcopis statuimus quatenus suæ saluti consulant, nec sic indiscrete vivendo, & propria noxiaque libertate utendo, & per diversa vagando, periculum amarum suarum incurrant, semper illud apostolicum ante oculos habentes, quo dicitur: *Vidua quæ in delitiis est, vivens mortua est.*

De inlicito accessu feminarum ad altare.

XVIII. Ut inlicitus accessus feminarum ad altare non fiat modis omnibus inhibuimus. Quia quorundam relatu didicimus in quibusdam provinciis contra legem divinam canonicamque institutionem feminas sanctis altaribus se ultro ingerere sacrataque vasa impudenter contingere & indumenta sacerdotalia Presbyteris administrare &, quod his magis indecentius ineptiusque est, corpus & sanguinem Domini populis porrigere et alia quæque, quæ ipso dictu turpia sunt, exercere, inhibemus ne ulterius fieri præsumatur. Quod autem mulieres ingredi ad altare non debeant, in Concilio Chalcedonensi et in decretis Gelasii Papæ copiose invenitur. *VII. cap.* 190.

Ut nullus Canonicorum vel monachorum, nisi prædicationis aut alicujus certæ necessitatis caussa, & hoc cum licentia Episcopi, vel ejus qui ab eo sua vice fungitur, monasterium monacharum aut Canonicarum adire præsumat.

XIX. Quia etiam comperimus quosdam Canonicos et monachos, postposito religionis suæ pudore, monasteria sanctimonialium, tam monacharum quam Canonicarum, inconsulto Episcopo suo, impudenter atque inreverenter adire; qui obtendere solent, se non ob aliud illuc accedere nisi aut propinquitatis aut familiaritatis aut certe nescio cujus conlocutionis gratia. Quod factum, quia nec canonico nec monastico congruit proposito, prorsus interdicimus, nisi forte caussa præ-

(1) *Nihilominus etiam.*) Caput istud refertur a Burchardo lib. 8. cap. 17. & Ivone pag. 8. cap. 38.

(2) *Nonnullæ Abbatissæ.*) De hoc argumento plura a nobis dicta sunt supra ad caput 71. libri primi.

prædicationis aut certe inevitabilis necessitas id facere coegerit: & hoc nullatenus sine licentia Episcopi, aut illius qui vice illius fungitur, fieri præsumatur. Quod si sermo prædicationis faciendus est, congruo in loco coram omnibus fiat. Si vero conloquendum cum aliqua sanctimonialium ratio expostulat, id non alibi nisi in constituto loco, id est, in auditorio (1), sub testimonio virorum religiosorum & religiosarum feminarum fiat. Quando vero sacerdotibus in monasteriis puellaribus Missarum celebrationes faciendæ sunt, cum ministris sibi deputatis illuc ingrediantur. Quibus rite peractis, non ad secretas conlocutiones sanctimonialium se ullo modo divertant, sed cum ministris suis ilico egrediantur (2). Porro si sacerdotibus sanctimoniales peccata sua confiteri voluerint, id non nisi in Ecclesia coram sancto altari, adstantibus haud procul testibus, faciant. Si autem infirmitas præpedierit ut in Ecclesia eadem confessio fieri nequeat, in quacunque libet domo facienda est, non nisi testibus similiter haud procul adstantibus fiat. Nullo modo quippe videtur nobis convenire ut monachus, relicto monasterio suo, idcirco sanctimonialium monasteria adeat ut confitentibus peccata sua modum pœnitentiæ imponat (3).

Quod pecunia a paupere non sit exigenda cum usura.

XX. Quia ergo in multimodis usurarum adinventionibus quosdam Clericos & laicos oblitos præceptionis dominicæ, qua dicitur, *Pecuniam tuam non dabis ad usuram, & frugum superabundantiam non exiges, ego Dominus Deus vester*, in tantam turpissimi lucri rabiem exarsisse cognovimus ut in multiplicibus atque innumeris usurarum generibus sua adinventione & cupiditate repertis pauperes affligant, opprimant, & exhauriant, adeo ut multi fame confecti pereant, multi etiam, propriis derelictis, alienas terras expetant, in quibuscunque locis hoc fieri didicimus, ne ulterius fieret, cum ingenti protestatione modis omnibus inhibuimus, attendentes illud quod in libro Exodi Dominus per legislatorem dicit: *Si pecuniam tuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgeas eum quasi exactor, nec usuris opprimas*. In libro quoque Levitici: *Si attenuatus fuerit frater tuus & infirmus manu, & susceperis eum quasi advenam & peregrinum, & vixerit tecum, non accipias ab eo usuram nec amplius quam dedisti. Time Dominum Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te*. Et in libro Deuteronomii: *Si unus*, inquit, *de fratribus tuis qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terra quam Dominus Deus daturus est tibi, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum quo indigere eum perspexeris*. Item in eodem: *Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio & dicas in corde*

(1) *In auditorio.*) Locus ubi sanctimoniales conveniri possunt, qui auditorium isthic dicitur, salutatorium vocatur in regula Sancti Aureliani Episcopi Arelatensis cap. 15. *Si quis pro devotione aut parentela occurrere voluerit, in salutatorium monasterii occurrat.* Item in regula Sancti Donati Episcopi Vesontionensis cap. 56. & 57. Salutatorium vero sanctimonialium recte Hugo Menardus in Notis ad Concordiam regularum pag. 189. interpretatur locum, quem nos hodie vocamus *le parloir*, in quo sanctimoniales colloquuntur cum extraneis.

(2) *Ilico egrediantur.*) Rudolfus monachus Fuldensis in vita Sanctæ Liobæ cap. 1. *Numquam enim virorum congregationem femina aut virginum contubernia quisquam virorum intrare permittebatur, exceptis solummodo Presbyteris, qui in Ecclesias earum ad agenda Missarum officia tantum ingredi solebant, & consummata solenniter oratione, statim ad sua redire.* Vide supra lib. 7. cap. 272.

(3) *Modum pœnitentiæ imponat.*) Sequitur postea in ipso Concilio, ex quo ista sumpta sunt: *Nec etiam illud videtur nobis congruum ut clerici & laici, Episcoporum & Presbyterorum canonicorum judicia declinantes, monasteria monachorum expetant ut ibi monachis sacerdotibus confessionem peccatorum suorum faciant; præsertim cum eisdem sacerdotibus monachis id facere fas non sit, exceptis his duntaxat qui sub monastico ordine secum in monasteriis degunt.* Contra in decreto Bonifacii IV. de libertate monachorum reprehenduntur illi qui ajunt monachos, quia mundo mortui sunt, neque pœnitentiam neque Christianitatem seu absolutionem largiri posse per sacerdotalis officii injunctam gratiam. Sed ego decretum illud omnino suppositium esse arbitror. Neque me movet auctoritas Bedæ ista dicentis: *His temporibus venit Mellitus Londoniæ Episcopus Romam, de necessariis Ecclesiæ Anglorum causis cum apostolico Papa Bonefacio tractaturus. Et cum idem Papa reverendissimus cogeret synodum Episcoporum Italiæ, de vita monachorum & quiete ordinaturus, & ipse Mellitus inter eos assedit.* Opponi quoque potest auctoritas canonum Nemausensium, inter quos reperitur Bonifaciana ista hæc constitutio. Primum reponi potest eam non esse auctoritatem Concilii Nemausensis, ut novis inventis tribuere possit auctoritatem vetustatis. Deinde certum est plerosque canones qui sub nomine canonum Nemausensium editi sunt, synodi illius non esse, & additos diversis temporibus fuisse constitutionibus ejusdem Concilii. Vidimus nos duo vetustissima illius exemplaria, in quibus descripti tantum sunt duo priores canones cum hoc titulo: *Decretum Urbani PP. in Nemausensi Concilio.* Pro quo vir clarissimus Lucas Dacherius emendavit: *Decreta Urbani Papæ in Nemausensi Concilio.* Sane fatendum est in uno exemplari extare omnia capitula Concilii Nemausensis quæ edita a Dacherio sunt. Sed illa multo post tempora habiti Concilii addita sunt a diversis hominibus, quia paginæ vacabant. Sciunt autem eruditi hunc veterum monachorum morem fuisse ut vacantes pagellas implerent interdum malis rebus, plerunque bonis, huicque eorum diligentiæ deberi plurima antiquitatis illustria monumenta, quibus, nisi hæc eorum cura fuisset, careremus. Sed ut ad confessionem redeamus quæ monachis fit, vide epistolam 69. Ivonis Carnotensis & Concilium Londinense anni MCII. cap. 18.

de tuo, appropinquat ſeptimus annus remiſſionis, & avertas oculos tuos a paupere fratre tuo, nolens ei mutuum quod poſtulat commodare, ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum; ſed dabis ei, nec ages quippiam callide in ejus neceſſitatibus ſublevandis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore in cunctis ad quæ manum miſeris. Amos Propheta ait: *Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ dicentes: Quando tranſibit meſſis, & venundabimus merces, & ſabbatum, & aperiemus frumentum, ut imminuamus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas, ut poſſideamus in argento egenos & pauperes pro calciamentis, & quiſquilias frumenti vendamus.* Hieronymus in expoſitione Ezechielis Prophetæ: *Putant quidam uſuram tantum eſſe in pecunia. Quod prævidens ſcriptura, omnis rei aufert ſuperabundantiam, ut plus non recipias quam dediſti. Solent in agris frumenti & milii, vini & olei, ceterarumque ſpecierum uſuræ exigi, ſive, ut appellat ſermo divinus, ſuperabundantiæ; verbi gratia, ut hyemis tempore demus decem modios, & in meſſe recipiamus quindecim, hoc eſt, amplius partem mediam: qui juſtiſſimum ſe putaverit, quartam plus accipiet portionem. Et ſcient argumentari ac dicere. Dedi unum modium, qui ſatus fecit decem modios. Nonne juſtum eſt ut medium modium de meo plus accipiam, cum ille mea liberalitate novem & ſemis de meo habeat.* Nolite errare, *inquit Apoſtolus*, Deus non irridetur: *Reſpondeat enim nobis breviter fœnerator miſericors, utrum habenti dederit, an non habenti. Habenti utique dare non debuerat; ſed dedit quaſi non habenti. Ergo quare plus exigit quaſi ab habente? Alii pecunia fœnerata ſolent munuſcula accipere diverſi generis, & non intellegunt uſuram appellari & ſuperabundantiam quicquid illud eſt, ſi ab eo quod dederint, plus acceperint.* De menſurarum namque inæqualitate, & modiis injuſtis & ſextariis, quæ Domini lege haberi prohibentur, qualiter res ad certam correctionem perduci poſſit, non ſatis perſpicue nobis patet, eo quod in diverſis provinciis diverſæ ab omnibus pene habeantur. Hoc tamen modis omnibus optamus & admonemus, ut ſaltem nullus duplices menſuras in ſua dominatione aut habeat aut haberi permittat: quoniam hac occaſione multos pauperes affligi in pleriſque locis cognovimus.

De diverſis malorum flagitiis.

XXI. Sunt ſane diverſorum (1) malorum patratores, quos & lex divina improbat & condemnat, pro quorum etiam diverſis ſceleribus & flagitiis populus fame & peſtilentia (2) flagellatur, & Eccleſiæ ſtatus infirmatur, & regnum periclitatur. Contra quos nos eorum malitiam exaggerantes, quanquam in ſacris eloquiis ſatis ſint exſecrata, neceſſarium prævidimus iterum noſtra admonitione et exhortatione præcaveri omnino oportere; ſicut ſunt diverſarum pollutionum patratores, quas cum maſculis & pecoribus (3) nonnulli diverſiſſimis modis admittunt, quæ incomparabilem dulcedinem piiſſimi creatoris ad amaritudinem provocantes, tanto gravius delinquunt quanto contra naturam peccant: pro quo etiam ſcelere igne cœleſti conflagratæ infernique hiatu abſorptæ ſunt civitates, nec non & quadraginta & eo amplius millia ſtirpis Beniamineæ mucrone fraterno confoſſa ſunt. Hæc porro indicia & evidentes vindictæ declarant quam deteſtabile & exſecrabile apud divinam majeſtatem hoc vitium extet. Extant & alia perniciofiſſima mala, quæ ex ritu gentilium remanſiſſe non dubium eſt; ut ſunt magi, arioli, ſortilegi, venefici, divini, incantatores, ſomniatorum conjectores, quos divina lex inretractabiliter puniri jubet. De quibus in lege dicitur: *Anima quæ declinaverit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi ſui. Sanctificamini & eſtote ſancti, quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter. Cuſtodite præcepta mea, & facite ea, quia ego Dominus qui ſanctifico vos.* Et alibi: *Magos & ariolos & maleficos terræ vivere ne patiamini.* Dubium etenim non eſt, ſicut multis eſt notum, quod quibuſdam præſtigiis atque diabolicis illuſionibus ita mentes quorundam inficiunt poculis amatoriis, cibis, vel phylacteriis, ut in inſaniam verſi a pleriſque judicentur, dum proprias non ſentiunt contumelias. Ferunt enim ſuis maleficiis aera poſſe conturbare (4), & grandines immit-

---

(1) *Sunt ſane diverſorum.*) Vide infra Addit. IV. cap. 160.

(2) *Fame & peſtilentia.*) Fuit ſeculum Caroli M. & Ludovici P. famoſum & nobile propter hæc duo mala, ut colligitur ex publicis illorum temporum monumentis. Ea nunc congerere non eſt animus. Illud tantum admoneo, miſerabilem illorum temporum ſtatum graphice deſcriptum eſſe in Concilio ſexto Pariſienſi lib. 1. cap. 53. Viſio Wetini: *Seculo enim peſtilentia & fame laboranti ſua prece ſuccurrere potuiſſent ſi lucrum Deo tota virtute conferre voluiſſent.* Et infra: *Interrogante autem eo cur, peſtilentia graſſante, tanta populi numeroſitas interiret, immenſitate, ait, criminum mundo peccante peccatorum punitio eſt.*

(3) *Cum maſculis & pecoribus.*) Eadem viſio; *Poſt hæc inde recedentes, cœpit ei angelus exponere in quantis vitiorum ſordibus volutatur humanitas. Licet enim, inquit, in diverſas criminum numeroſitates ab auctore ſuo recedat humanum genus, diabolo ſe mancipando, in nullo tamen Deus magis offenditur quam cum contra naturam peccatur.*

(4) *Aera poſſe conturbare.*) Agobardus in libro de grandine & tonitruis cap. 1. *In his regionibus pene omnes homines, nobiles & ignobiles, urbani & ruſtici, ſenes & juvenes putant grandines & tonitrua hominum libitu poſſe fieri.* Vide lib. 6. legis Wiſigothorum tit. 2. cap. 3.

mittere, futura prædicere, fructus & lac auferre, aliisque dare, & innumera a talibus fieri dicuntur. Qui ut fuerint hujusmodi reperti viri seu feminæ, in tantum disciplina & vigore Principis acrius corrigendi sunt in quantum manifestius ausu nefando ac temerario servire diabolo non metuunt. De his quoque in Concilio Ancyrano titulo XXIII. ita scriptum est: *Qui divinationes expetunt, & morem gentilium subsequuntur, aut in domos suas hujuscemodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi caussa, sub regula quinquennii jaceant secundum gradus pœnitentiæ definitos*. Oportet enim hæc in omnibus, & maxime in his locis, ubi licite & impune multi se posse aut perpetrare hoc confidunt, ut studiosius & diligentius admoneantur & severius corrigantur.

De aliis vitiis quæ in usu quasi per naturam habentur.

XXII. Sunt & alia detestanda vitia, quæ ita habentur quasi naturaliter in usu, ut ea perpetrantes quanti sint discriminis non advertant; sicut sunt ea quæ Apostolus aperte enumerat, id est, ebrietates, comessationes, contentiones, iræ, rixæ, dissensiones, detractiones, invidiæ, inimicitiæ, quæ homines juxta eundem Apostolum, a regno Dei excludunt, ita inquientem: *Qui enim talia agunt, regnum Dei non consequuntur*. In tantum enim ea impudenter et fidenter quidam committunt ut merito de illis dici possit: *Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis*. Unde oportet ut omnes Christiani hæc et subtiliter intellegant et studiosissime caveant, ne forte ea perpetrantes, et alia bona quæ agunt perdant, et propter hæc a regno Dei se alienos faciant. Similiter etiam de otioso sermone, juxta Domini vocem, omnes reddituri sumus in die judicii rationem: de scurrilitate et stultiloquio et maledictionibus, quoniam juxta Apostolum, maledicentes regnum Dei non possidebunt. De mendacio, de periculoso, noxio, assiduoque juramento, et obscœnis turpibusque canticis, omnibus Christianis intellegendum et observandum est ut summopere ab his se caveant, ne his studentes per neglegentiam detrimentum suarum patiantur animarum. Hæc igitur quæ breviter præmissa sunt, primum adjuvante divina gratia a nobismetipsis abdicando, formam et exemplum aliis præbere volumus, et fidelibus vestris humiliter innotescere et fideliter denuntiare necessario judicavimus. Sed et per parrochias nostras omnes admonendo instruere cupimus, ne, quod absit, per suam ignorantiam et nostram neglegentiam hujuscemodi mortiferis subjaceant vitiis.

Quod laici uxores sola caussa filiorum habere debeant, & quod conjugium a Deo est institutum.

XXIII. Congessimus etiam in opere conventus nostri nonnulla alia capitula ad laicorum fidelium observationem et salutem pertinentia, quorum hic omissa prolixitate mentionem tantum facimus; scilicet quod nosse eos oporteat conjugium a Deo esse constitutum, et quod non sit caussa luxuriæ, sed caussa potius filiorum appetendum, et ut virginitas, sicut doctores nostri tradunt, usque ad nuptias sit custodienda, et ut uxores habentes neque pellicem neque concubinam habere debeant; quomodo etiam in castitate uxores suas diligere, eisque utpote vasi infirmiori honorem debitum debeant impendere; et quod commixtio carnalis cum uxoribus, gratia fieri debeat prolis, non voluptatis; et qualiter a coitu prægnantium uxorum viris abstinendum sit, nec non et qualiter menstruo tempore viris ab uxoribus suis abstinendum sit; et quod nisi caussa fornicationis, ut Dominus ait, non sit uxor dimittenda, sed potius sustinenda; et quod hi qui caussa fornicationis dimissis uxoribus suis alias ducunt, Domini sententia adulteri esse notentur; sive etiam qualiter incesta Christianis cavenda sint, et quod loca Deo dicata frequentius devotiusque a fidelibus ad Deum exorandum sibique propitium faciendum sint adeunda; et quod in basilicis Deo dicatis non sit fabulis otiosis turpibusque et obscœnis sermocinationibus vacandum, et negotia secularia publicaque placita habenda; et quod qui hæc in Ecclesiis Dei faciunt, majora sibi peccata accumulent. De justo judicio judicando, et munerum acceptione cavenda. De falso testimonio vitando, et de detractione vitanda, nec non et de ceteris quæ longum est dinumerare. Sunt etiam alia plura flagitia pernecessario corrigenda; quæ nos ideo hic inserere non necessarium duximus quoniam satis evidenter in vestris Capitulis ea comprehensa esse scimus, quæ vos vestra auctoritate et fidelium consultu per strenuos Missos vestros corrigenda esse censuistis. Hæc nos fideles et devotissimi famuli et oratores vestri juxta parvitatem sensus nostri, prout brevitas temporis permisit, secundum sanctam ordinationem vestram, de his quæ ad nostram et consacerdotum subjectorumque nostrorum correctionem & emendationem pertinere perspeximus, nec non & de his quæ populis necessario annuntianda & admonenda prævidimus, illud etiam quod vestræ pietati deposcendum modo judicavimus, pauca de multis quæ in nostris conventibus gesta sunt excerpentes in unum redigendo succincte & ordinatim adnotavimus. Sed quamquam ordine præpostero de his quæ præmissa sunt, vestro ardentissimo desiderio prius satisfacere elegerimus, illud tamen quod in capite prius ponendum fuerat, & ad vestram specialiter personam ministeriumque pertinere cognovimus, nullatenus oblivioni tradidimus; sed potius vestræ saluti prospicientes, nonnulla capitula necessaria fideliter collegimus, & vobis familiariter admonitionis gratia porrigenda

da devovimus; ut aperte atque distincte inspiciendo, legendo, & audiendo vestra cognoscere possit sollertia de quibus & pro quibus in memoratis conventibus nostris, secundum virium possibilitatem nostrarum, fideliter egerimus.

De Regis vocabulo, & qualis esse debeat ipse.

XXIV. Ut quid Rex dictus sit, Isidorus in libro sententiarum scribit. Rex enim, inquit, a recte agendo vocatur. Si enim pie & juste & misericorditer agit, merito Rex appellatur. Si his caruerit, non rex, sed tyrannus est. Antiqui autem, ut idem Isidorus in libro etymologiarum scribit, omnes Reges tyrannos vocabant. Sed postea pie et juste et misericorditer regentes Regis sunt nomen adepti; impie vero, injuste, crudeliterque principantibus, non Regis, sed tyrannicum aptatum est nomen. Unde et beatus Gregorius ait in Moralibus: *Viros namque sanctos proinde Reges vocari in sacris eloquiis didicimus, eo quod recte agant, sensusque proprios bene regant, & motus resistentes sibi rationabili discretione componant. Recte igitur illi Reges vocantur qui tam semetipsos quam subjectos bene regendo pacificare noverunt.* Ad quid etiam constitutus sit Imperator, Fulgentius in libro de veritate prædestinationis et gratiæ scribit: *Clementissimus quoque Imperator non ideo est vas misericordiæ præparatum in gloria quia apicem terreni principatus accepit, sed si in imperiali culmine recta fide vivat, & vera cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis sanctæ religioni subjiciat, si magis in timore servire Deo quam in tumore dominari populo delectetur, si in eo lenitas iracundiam mitigat, ornat benignitas potestatem, si se magis diligendum quam metuendum cunctis exhibeat, si subjectis salubriter consulat, si justitiam sic teneat ut misericordiam non relinquat, si præ omnibus ita se sanctæ matris Ecclesiæ catholicæ meminerit filium, ut ejus paci atque tranquillitati per universum mundum prodesse suum faciat principatum. Magis enim Christianum regitur ac propagatur imperium dum ecclesiastico statui per omnem terram consulitur quam cum in parte quacunque terrarum pro temporali securitate pugnatur.* Unde et Isidorus scribit: *Principes namque seculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent ut per eandem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. Ceterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent nisi ut quod non prævalet sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc imperet per disciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cœleste regnum proficit; ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem & disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ utilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat.* Salomon in proverbiis: *Misericordia & veritas custodiunt Regem, & roborabitur clementia thronus ejus.*

De ministerio regali, quale sit.

XXV. Regale namque ministerium specialiter est populum Dei gubernare et regere cum æquitate et justitia, et ut pacem et concordiam habeant studere. Ipse enim debet primo defensor esse Ecclesiarum et servorum Dei, viduarum, orphanorum, ceterorumque pauperum, nec non et omnium indigentium. Ipsius enim terror et studium hujusmodi, in quantum possibile est, esse debet; primo, ut nulla injustitia fiat; deinde, si evenerit, ut nullo modo eam subsistere permittat, nec spem delitescendi sive audaciam male agendi cuiquam relinquat; sed sciant omnes quoniam si ad ipsius notitiam pervenerit quippiam mali quod admiserint, nequaquam incorrectum aut inultum remanebit, sed juxta facti qualitatem erit et modus justæ correctionis. Unde oportet ut ipse qui judex est judicum, caussam pauperum ad se ingredi faciat, et diligenter inquirat, ne forte illi qui ab eo constituti sunt, et vicem ejus agere debent in populo, injuste aut neglegenter pauperes oppressiones pati permittant. Scire autem et unumquemque, cujuslibet sit ordinis, oportet, quia si de otioso sermone Deo rationem redditurus est, multo magis de ministerio sibi divinitus commisso. De ministerio autem Regis ita Job loquitur: *Cumque sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator; auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi quod liberassem pauperem vociferantem & pupillum cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Justitia indutus sum, & vestivit me sicut vestimento & diademate judicio meo. Oculus fui cœco, & pes claudo. Pater eram pauperum & caussam quam nesciebam diligentissime investigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Salomon: *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Item idem in libro Sapientiæ: *Diligite justitiam qui judicatis terram: sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum.* Item ibi: *Audite ergo Reges & intelligite, discite judices finium terræ, præbete aures vos qui continetis multitudines & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est a Domino potestas vobis & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur; quoniam cum essetis ministri ejus, non recte judicastis neque custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende & cito apparebit vobis Dominus, quoniam judicium durissimum in his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia; potentes autem potenter tor-*

menta

menta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Dominus, nec reverebitur cujusquam magnitudinem: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter pro omnibus cura est illi. Extant & alia innumera sanctarum scripturarum testimonia regio nomini & officio convenientia; super quibus colligendis vestra sancta devotio idcirco magnum nobis ademit laborem, eo quod divina gratia adeo tot virtutum prærogativis vestrum repleverit animum & exornaverit dignitatem ut non sit necesse sacerdotibus Domini copiosioribus exemplis quolibet exaggeratione vestrum animum onerare: Quare Deo omnipotenti gratias uberrimas ac multiplices referimus, qui ita vos pia religione, sancta devotione, benigna humilitate, amore justitiæ, operibus misericordiæ, cæterarumque sanctarum virtutum perfectione sua gratuita pietate ditavit ut merito ab omnibus amandi & imitandi sitis. Verum quod si hæc vobis cœlitus adtributa non fuissent, cum temporali periculo propter auctoritatem ministerii nostri vos ad ea peragenda admonere, immo admonendo exigere a vobis quoquo modo debueramus, vos e contra, propter divinum amorem & honorem, & admonendo nos ad potiora provocatis, & pium opportunumque adjutorium nobis ferre devotissime curatis. Proinde humillimis precibus specialiter pietati vestræ suggerimus ut bonum quod cœpistis, Deo opitulante indesinenter perficere non gravemini, & in adimplendis operibus justitiæ & pietatis ac misericordiæ nullatenus deficiatis: quoniam non inchoantibus, sed perficientibus, præmium æternæ vitæ datur. Et juxta veritatis vocem: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Quod in eligendis & constituendis Ecclesiæ rectoribus Regem magnam vigilantiam adhibere oporteat.

XXVI. Iterum monendo magnitudini vestræ suppliciter suggerimus ut deinceps in bonis pastoribus rectoribusque in Ecclesiis Dei constituendis magnum studium atque sollertissimam adhibeatis curam. Quia si aliter factum fuerit, & ordo ecclesiasticus suam non habebit dignitatem, & religio Christiana in multis labefactando damna detrimenti sui patietur, & animæ vestræ, quod non optamus, periculum generabitur.

De Abbatissis constituendis.

XXVII. Similiter deposcimus ut in Abbatissis constituendis vestrum specialiter caveatis periculum, sicut vobis sæpe est admonitum, & per divinam auctoritatem crebrius manifestatum.

De adjutoribus reipublicæ & ministris eligendis.

XXVIII. Sed & hoc obsecramus, ut in eligendis adjutoribus vestris & reipublicæ ministris, qui vice vestra populum Dei regere & gubernare atque judicare debent, sollertissimam providentiam habeatis, semper illud attendentes quod in libro Exodi ad Moysem dicitur: *Provide*, inquit, *de omni populo viros prudentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis tribunos & centuriones & quinquagenarios, qui judicent populum omni tempore. Quicquid autem majus fuerit, referent ad te, & ipsi minora tantummodo judicent, leviusque tibi sit partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis imperium Domini, & præcepta ejus poteris sustentare.* Unde & in libro Deuteronomii: *Judices*, inquit, *& magistros constitues in omnibus portis tuis quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas, ut judicent populum justo judicio, nec in aliquam partem declinent.* Item ibi: *Dixique vobis in illo tempore: Non possum solus sustinere vos, quoniam Dominus Deus vester multiplicavit vos, & estis hodie sicut stellæ cœli plurimæ. Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia, & faciat vobis sicut locutus est. Non valeo solus vestra negotia sustinere & pondus & jurgia. Date e vobis viros sapientes & gnaros & quorum conversatio sit probata in tribubus vestris.* Sed & in libro Paralipomenon ita legitur: *Constituitque Rex Josaphat judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca. Et præcipiens judicibus: Videte, ait, quid facitis. Non enim hominis exercetis judicium, sed Domini; & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non enim est apud Dominum Deum vestrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Rogamus etiam vestram pietatem propter divinam misericordiam, vestramque salutem, ac totius populi utilitatem, nec non & regni honorem atque stabilitatem, ut vestra pietas sollertissimam vigilantiam adhibeat quatenus consiliarii & dignitatis vestræ ministri, custodesque animæ vestræ & corporis, qui debent esse intra regnum aliis decus & bonitatis exemplum, & in exteris nationibus bonæ opinionis condimentum, caritatem, pacem, atque concordiam, omni simulatione & calliditate postposita, adinvicem habeant; ut secundum Dei voluntatem & vestram honestatem atque totius regni profectum communiter decertent, & veri vobis adjutores in omnibus concorditer existant. Tunc etenim veri consiliarii verique adjutores vestri et totius regni salubriter esse poterunt, si unanimes extiterint et invicem dilectionem habuerint. Decet quippe ut sacra domus vestra cunctis spectabilis appareat et imitabilis existat, et fama suæ bonæ opinionis sive alios imperii vestri subjectos, sive exteras nationes abundantissime perfundat. Ubi igitur omnes dissensiones et discordiæ dirimendæ, et omnis militia imperiali aucto-

ritate eſt comprimenda, neceſſe eſt ut quod in aliis corrigere decernit, in ea minime reperiatur. Nam & hoc humiliter obſecrando admonemus, ut liberos veſtros, quos vobis divina pietas largiri voluit, in timore Dei jugiter diligenterque erudiatis, ſicuti & facitis, & ut in mutuæ dilectionis caritate & fraternitatis amore atque unanimitatis concordia viciſſim conſiſtant, ſedula paternaque admonitione inſiſtatis; & ne inlicitis actibus creatoris ſui offenſam incurrant, provida ſollertique circumſpectione nihilominus invigiletis; attendentes beatum Job, cujus ſtudium, ut Beatus Gregorius in Moralibus libris ſcripſit, circa filios erudiendos tale extitit ut non ſolum eos exterius perfectos opere & ſermone efficeret, verum etiam eorum corda ſacrificii oblatione mundaret. Attendite etiam & David inſtruentem Salomonem filium ſuum, de quo in primo libro Malachim legitur: *Ego*, inquit, *ingredior viam univerſæ terræ. Confortare, & eſto vir fortis, & obſerva cuſtodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus, & cuſtodias ceremonias ejus & judicia ejus & præcepta & teſtimonia, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi*. Et in libro Paralipomenon: *Tu autem, Salomon fili mi, ſcito Deum patris tui, & ſervi ei corde perfecto & animo voluntario*. Attendite etiam Tobi, de quo legitur quod cum factus eſſet vir, accepit uxorem Annam ex tribu ſua, & genuit ex ea filium, nomen ſuum imponens ei, quem ab infantia timere Deum docuit & abſtinere ab omni peccato. Item idem alloquens eundem filium ſuum: *Omnibus*, inquit, *diebus vitæ tuæ habeto Deum in mente, & cave ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Dei noſtri. Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere. Ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita eſto miſericors*: & cetera. Item paulo poſt; *Attende tibi, fili, ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nequaquam patiaris crimen ſcire. Superbiam nunquam in tuo ſenſu aut in corde dominari permittas. Ex ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio*. Et idem non poſt multa: *Conſilium ſemper a ſapiente perquire, omni tempore benedic Deo, & pete ab eo ut vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneant*. Item idem: *Audite ergo filii mei patrem veſtrum, ſervite Domino in veritate, & inquirite ut faciatis quæ ſunt placita illi; & filiis veſtris mandate ut faciant juſtitias & eleemoſynas, & ut ſint memores Dei, & benedicant eum* (1) *in omni tempore in veritate & in tota virtute ſua*. His omnibus prælibatis, noteſcimus vobis quod ea quæ in capitulis veſtris nobis tractanda commiſiſtis, ſcilicet quid a Principibus & reliquo populo vel ita ut divina auctoritas doceat aut aliter teneatur, vel quid inde ex parte aut ex toto dimiſſum ſit ut non teneatur, fatemur quia in his capitulis quæ ſuperius continentur, nec non & in his quæ præſenti anno (2) conſcribi & per Miſſos veſtros ob vitia comprimenda per imperium veſtrum direxiſtis, multa demonſtrata ſunt, quæ a paſtoribus Eccleſiarum & a Principibus & a reliquo populo hactenus neglecta extiterunt, & aliter quam divina auctoritas ſe habeat, in his eos egiſſe & agere novimus. Sed ſi hæc noſtra ſacerdotalis admonitio effectum Deo operante per veſtrum bonum ſtudium ab hinc obtinuerit, credimus quod multa quæ a multis aliter quam divina auctoritas ſe habeat dimiſſa ſunt, quæ non tenebant, corrigentur. Nam & illud quod in eiſdem capitulis continetur, ut manifeſtum fieret quæ cauſſæ id effecerint ut ſacerdotes & Principes a recto tramite deviaſſent, exceptis præmiſſis capitulis, in quibus, ſicut diximus, multa negligebantur, ſpecialiter tamen unum obſtaculum ex multo tempore jam inoleviſſe cognovimus, id eſt, quia & principalis poteſtas, diverſis occaſionibus intervenientibus, ſecus quam auctoritas divina ſe habeat, in cauſſas eccleſiaſticas proſilierit, & ſacerdotes partim negligentia partim ignorantia in cupiditate, in ſæcularibus negotiis & ſollicitudinibus ultra quam debuerant ſe occupaverint, & hac occaſione aliter quam divina auctoritas doceat, in utraque parte actum extitiſſe dubium non eſt. Sed quia, Deo miſerante, a progenitoribus & genitore veſtro & a vobis multa correcta gratulamur, ſi ea quæ admonemus proſperum ſucceſſum habuerint, credimus quod ad perfectionis ſtatum veſtra intentio noſtraque devotio, Deo coo-

(1) *Benedicant eum.*) Hæc eſt vera lectio, quam exhibet liber Tobiæ. Et tamen in codice Bellovacenſi legitur *Deum*. Antiqui librarii in hunc errorem quandoque incidebant. In capite primo regulæ Sancti Benedicti legitur: *Ammonitionem pii patris libenter excipe & efficaciter comple, ut ad eum per obedientiæ laborem redeas a quo per inobedientię deſidiam receſſeras*. Ubi Turrecremata legit, *ad Deum*. In tomo tertio Monaſtici Anglicani pag. 208. col. 2. ſcriptum eſt: *Dirivante autem ſanguine ejus, ait ad Deum*; ubi manifeſtum eſt legi debere, *ad eum*. Sic nos olim in Notis ad Lupum Ferrarienſem pag. 473. monuimus, apud eundem Lupum legendum eſſe *ſcire eum* pro eo quod editum eſt *ſcire Deum*. Apud Sanctum Gregorium lib. 9. Indict. 4. ep. 49. legitur in vulgatis editionibus: *Omnipotenti Deo gratias agite, & tanto vos Dei debitores eſſe cognoſcite quanto illæſi ab hujus morbi contagione eo cuſtodiente manſiſtis*. At in optimo codice Colbertino, itemque in Remenſi Sancti Remigii & in Puteano recte ſcriptum eſt, *& tanto ei vos debitores eſſe cognoſcite*. Sunt permulta iſtiuſmodi in epiſtolis Sancti Gregorii, quę ſuo tempore emendabuntur.

(2) *Præſenti anno.*) Id eſt anno DCCCXXIX. quo habitum eſt Concilium Pariſienſe. Attamen hæc quoque repetuntur in Concilio ſecundo Aquiſgranenſi habito anno DCCCXXXVI. ſed deſcripta ex iſto.

cooperante, pervenire possit. Veruntamen quia novimus statum hujus regni sub tali conditione & tenore crevisse atque dilatatum esse, & a prudentissimis sanctisque prædecessoribus vestris, sive scilicet ab Episcopis, sive a Principibus hanc caussam ex toto correctam non fuisse propter hæc quæ suo tempore dici possunt, & pondus tantæ considerationis parvitatis nostræ vires excessit, quoniam nec otium nec spatium temporis nec plenitudinem consacerdotum nostrorum, sicut ipsa necessitas exposcebat, habuimus, ideo hæc congruentiori & aptiori tempori, vita comite, si Deus ita annuerit, tractanda ac consideranda distulimus quoniam tantæ considerationis perfectio indiget assensu & adjutorio Principum & multitudine atque devotione nec non & studio sacerdotum & obedientia vel concordia populi & congruentia loci temporisque spatio. Porro de episcopali libertate, quam Deo annuente vestroque adminiculo suffragante adipisci ad Dei servitium peragendum cupimus, suo in tempore vobis dicenda atque vobiscum conferenda reservavimus, quatenus ita sit, ut & nosmet ipsos salvare, populoque nobis subjecto utiliter prodesse, atque pro vobis & stabilitate imperii vestri liberius valeamus exorare, & de vestris obsequiis & regni adjutorio solatium debitum minime subtrahatur, sed, si possibile fuerit, potius augeatur.

ADDITIO TERTIA.

HÆc capitula proprie sunt ad Episcopos vel ad ordines quosque ecclesiasticos pertinentia; quæ non solum observare, sed etiam sibi subjectis vel commissis facienda perdocere debent.

INCIPIUNT CAPITULA ET EORUM TEXTUS.

De rebus Ecclesiæ.

I. QUia juxta sanctorum patrum traditionem novimus res Ecclesiæ vota esse fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, cui non solum habita conservare, verum etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus; tamen ut ab ecclesiasticis de non dividendis rebus ullius Ecclesiæ suspicionem dudum conceptam penitus amoveremus, statuimus ut neque nostris neque filiorum & Deo dispensante successorum nostrorum temporibus, qui nostram vel progenitorum nostrorum voluntatem vel exemplum imitari voluerint, nullam penitus divisionem aut jacturam patiantur. *Supra I. c. 77.*

Ut Episcopi per electionem cleri & populi vitæ merito & sapientiæ eligantur.

II. Sacrorum canonum non ignari, ut in Dei nomine sancta Ecclesia suo liberius potiretur honore, adsensum ordini ecclesiastico præbuimus, ut scilicet Episcopi per electionem cleri & populi secundum statuta canonum de propria diocesi, remota personarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & sapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo sibi subjectis usquequaque prodesse valeant. *I. c. 78.*

De canonica professione a multis deturpata.

III. Quia vero canonica professio a multis, partim ignorantia, partim desidia, dehonestabatur, operæ pretium duximus, Deo annuente, apud sacrum conventum ut ex dictis sanctorum patrum, velut ex diversis pratis, quosdam vernantes flosculos carpendo tractando in unam regulam Canonicorum & Canonicarum congerere, & Canonicis vel sanctimonialibus servandam contradere, ut per eam canonicus ordo absque ambiguitate possit servari. Et quoniam illam sacer conventus ita etiam laudibus extulit ut usque ad unum iota observandam percenseret, statuimus ut ab omnibus in eadem professione degentibus indubitanter teneatur et modis omnibus sive a Canonicis sive a sanctimonialibus canonice degentibus deinceps observetur. Sed et de Ecclesiarum honore, quomodo, Deo adjuvante, quantum in nobis est, vigeat, similiter in subter adnotatis capitulis insertum esse dinoscitur. *I. c. 79.*

Quod Episcopi in Longobardia positi ab eis quos ordinabant sacramenta & munera exigere solerent.

IV. De Episcopis vero in Longobardia constitutis, qui ab his quos ordinabant sacramenta et munera contra divinam et canonicam auctoritatem accipere vel exigere soliti erant, modis omnibus inhibitum est ne ulterius fiat; quia, juxta sacros canones, uterque a gradu proprio talia facientes dejici debent. *I. c. 91.*

De capitulis quæ de incestis nuptiis & aliis caussis agenda essent.

V. Nonnulla vero capitula, sicut de incestis nuptiis, nec non & de Ecclesiis quæ inter coheredes dividuntur, & tali occasione proprio honore carent, sive de his Ecclesiis quæ nimium rebus propriis sunt adtenuatæ, vel certe de his rebus quæ nuper necessitate compellente a nonnullis Ecclesiis sunt abla-

tæ, & si qua sunt alia sive in ecclesiasticis sive in publicis rebus emendatione digna, quæ temporis brevitate efficere nequimus, in tantum differendum illud dignum judicavimus, donec, Domino favente, consulto fidelium facultas nobis id efficiendi ab eo tribuatur. Inventa vero, ut Deo opitulante effectum obtineant per tempora, hic inserenda censuimus. *I. c.* 104.

De caussa monachorum, quibus eligendi sibi Abbates licentia data sit ex se ipsis.

VI. Monachorum siquidem caussam qualiter, Deo opitulante, ex parte disposuerimus, & quomodo constitutum fuerit, ex se ipsis sibi eligendi Abbatis licentiam dederimus, & qualiter Deo opitulante quieti vivere propositumque suum indefesse custodire valeant ordinaverimus, in alia scedula diligenter adnotari fecimus, & ut apud successores nostros ratum foret & inviolabiliter conservaretur confirmavimus. *I. c.* 81.

De his qui a proprio Episcopo non accipiunt chrisma.

VII. Si quis de alio chrismate quam de illo novo quod proprii Episcopi largitione vel concessione accipit baptizare, nisi præoccupante morte, tentaverit, pro temeritatis ausu ipse in se suæ damnationis protulisse sententiam manifestatur.

Ut nullus nisi justo judicio expolietur.

VIII. Non est privilegium quo spoliari possit jam nudatus. Ideo, nisi justo judicio decernente, nullus expolietur.

De eo qui post veritatem repertam aliquid deinceps discutit.

IX. Quisquis enim post veritatem repertam aliquid ulterius discutit, mendacium quærit. Idcirco ab omnibus caute agendum est.

De caussis quæ lege non continentur a judicibus ecclesiasticis minime judicandis.

X. Ut nullæ caussæ a judicibus ecclesiasticis audiantur quæ legibus non continentur, vel quæ prohibitæ esse noscuntur.

De conversatione accusati vel accusatoris.

XI. Quærendum est in judicio cujus sit conversationis & fidei is qui accusat & is qui accusatur. *VII. c.* 110.

De his qui Christiani nominis honorem neglexerunt.

XII. Ut accusandi vel testificandi licentia denegetur qui Christianæ religionis & nominis dignitatem neglexerint. *VII. c.* 427.

Ut oblationes in domibus ab Episcopis vel Presbyteris non fiant.

XIII. Quod non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Episcopis vel a Presbyteris.

Quod posteriore pacto omne pactum dissolvatur.

XIV. Omne pactum posteriori dissolvitur pacto. Homo vero liber statum suum & pejorare & immeliorare potest. *Vide supra lib. 7. cap.* 335.

De accusatoribus de inimici domo prodeuntibus.

XV. Accusatoribus de inimici domo prodeuntibus non est credendum.

De fratrum provisione, ne inrationabiliter fiat.

XVI. Ita consulendum est fratribus ut non videamur destruere quod ædificatum est. Si enim quod ædificavi destruo, prævaricatorem me ipse constituo.

De Clericis qui in seditione arma volentes sumpserunt.

XVII. Clerici qui in quacunque seditione arma volentes sumpserint, reperti, amisso ordinis sui gradu, in monasterium pœnitentiæ contradantur. *VII. c.* 217.

Quod lex Imperatorum non sit supra legem Dei.

XVIII. Lex Imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus.

De confessione peccatorum in oratione Deo cotidie agenda.

XIX. Quod confessio peccatorum, excepta ea quæ sacerdotibus ad consilium accipiendum Deumque placandum fit, Deo frequenter in oratione sit facienda. *VII. c.* 385.

Quod spiritalis examinet omnia, & ipse a nullo examinetur.

XX. Spiritalis judicat omnia. Ipse autem a nemine judicatur.

Ut tempore menstruo ab uxoribus abstineatur.

XXI. Quod tempore menstruo omnino ab uxoribus sit abstinendum. *VI. c.* 235.

De his qui erga Episcopos vel erga actores Ecclesiæ aliquam querelam justam habuerint.

XXII. Si qui erga Episcopum vel actores Ecclesiæ quamlibet querelam habere justam se crediderint, non Primates aut alios adeant judices, priusquam ipsos conveniant familiariter, non semel, sed sæpissime, ut ab eis aut suam justitiam aut justam recipiant excusationem. Si autem secus egerint, ab ipsis & ab aliis communione priventur, tanquam Apostolorum patrumque aliorum contemptores, de quibus ait Propheta: *Erunt quasi non sint, & peribunt viri qui contradicunt vobis. VII. c.* 350.

De

De potestate ligandi atque solvendi concessa sacerdotibus a Christo.

XXIII. Quod nosse oporteat laicos sacerdotibus ligandi atque solvendi potestatem a Domino esse collatam, & quod eorum monitis parere atque excommunicationi humiliter subcumbere debeant.

Ut Presbyteri qui sine præcepto Episcoporum ad externas Ecclesias transierint, a communione suspendantur.

XXIV. Presbyteri qui sine jussione proprii Episcopi de Ecclesiis ad alias Ecclesias migraverint, tamdiu a communione habeantur alieni, quandiu ad easdem redierint Ecclesias in quibus primitus sunt instituti. *VI. c.* 85.

De eo qui sibi judicem contrarium senserit.

XXV. Si quis judicem pro quibuscunque caussis adversum sibi senserit, aut habuerit forte suspectum, vocem appellationis exhibeat. *VII. c.* 240. *& infra Addit. IV. cap.* 18. *& seq.*

De pace & concordia & unanimitate.

XXVI. Ut pax & concordia sit atque unanimitas in populo Christiano. Quia unum Deum patrem habemus in cœlis, & unam matrem Ecclesiam, unam fidem, unum baptismum, ideo in una pace & in unanimitate concorditer vivere debemus, si ad unam veram hereditatem regni cœlestis cupimus pervenire: quia non est dissensionis Deus, sed pacis, ut ipse ait: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. VI. c.* 373.

De potestate Episcoporum pro rebus ecclesiasticis, ac de convenientia Episcoporum cum laicis.

XXVII. Ut Episcopi potestatem habeant res ecclesiasticas prævidere, regere, & gubernare, atque dispensare secundum canonum auctoritatem. Volumus ut & laici in eorum ministerio obediant Episcopis ad regendas Ecclesias Dei, viduas & orphanos defensandos, & ut obedientes sint eis ad eorum Christianitatem servandam. Et Episcopi consentientes sint Comitibus & judicibus ad justitias faciendas. Et ut nullatenus per aliquorum mendacium, vel falsum testimonium, neque per perjurium, aut per præmium, lex justa in aliquo depravetur. *V. c.* 182.

De injuria Episcopi & letania subversa.

XXVIII. Si quis Episcopo vel aliis ministris intra Ecclesiam injuriam fecerit, jubemus eum tormentis subjectum in exilio mori. Sed & si ipsa sancta oratoria vel divina ministeria conturbaverit, vel letaniam everterit, capitali periculo subjaceat. Sin autem contumeliam tantum fecerit, tormentis & exilio tradatur. *VI. c.* 129.

De decimis.

XXIX. Admonemus atque præcipimus ut decima Deo omnino dari non neglegatur, quam Deus ipse sibi dari constituit: quia timendum est ut quisquis Deo suum debitum abstrahit, ne forte Deus per peccatum suum auferat ei necessaria sua. *V. c.* 154.

Ut Ecclesiæ pacem habeant.

XXX. Reum confugientem ad Ecclesiam nemo extrahere audeat, neque inde donare ad pœnam vel ad mortem, ut honor Dei & sanctorum ejus conservetur. Sed rectores Ecclesiarum pacem & vitam ac membra eis obtinere studeant. Tamen legitime componant quod inique fecerunt. *V. c.* 155.

De intestato Episcopo.

XXXI. Si quicunque ex gradu ecclesiastico sine testamento & sine cognitione discesserit, hereditas ejus ad Ecclesiam ubi servivit devolvatur. Similiter de sanctimonialibus.

Iterum de pace Ecclesiarum.

XXXII. Præcipimus ut in Ecclesiis aut in domibus Ecclesiarum vel atriis placita secularia minime fiant. *V. c.* 156.

De beneficiis ecclesiasticis.

XXXIII. Quicunque beneficium ecclesiasticum habent, ad tecta Ecclesiæ restauranda vel ipsas Ecclesias emendandas omnino adjuvent, & nonam & decimam reddant. *V. c.* 158. *& infra c.* 100.

De ordinibus sacris.

XXXIV. Lector, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, si clericatus honorem contempserint, curiali conditioni cum suis facultatibus subjiciantur. *VI. c.* 128.

De oblatione & pace in Ecclesia facienda.

XXXV. Oblationem quoque & pacem in Ecclesia facere jugiter admoneatur populus Christianus: quia ipsa oblatio sibi & suis magnum est remedium animarum, & in ipsa pace vera unanimitas & concordia demonstratur. *V. c.* 160.

Ut malum ebrietatis omnino vitetur.

XXXVI. Magnum malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, modis omnibus cavere præcipimus. Qui autem hoc vitare noluerit, excommunicandum esse decrevimus usque ad emendationem congruam. *V. cap.* 162.

De multitudine Clericorum.

XXXVII. Ne passim Episcopus multitudinem Clericorum faciat, sed secundum meritum vel reditum Ecclesiarum numerus moderetur. *VI. c.* 127.

De spiritualibus filiolis.

XXXVIII. Præcipimus ut unusquisque compater vel proximi spiritales filiolos suos catholice instruant. *V.* 163.

Ut canticum luxuriosum circa Ecclesias deseratur.

XXXIX. Canticum turpe atque luxuriosum circa Ecclesias agere omnino contradicimus: quod ubique vitandum est. *V. cap.* 164.

Quales sint Clerici.

XL. Nemo fiat Clericus, nisi qui bonum testimonium habet, & litteratus est. *VI. c.* 126.

De Episcopis, & Abbatibus, ut ante se joca turpia fieri non permittant.

XLI. Ut Episcopi & Abbates ante se joca turpia facere non permittant; sed pauperes & indigentes secum ad mensam habeant, & lectio divina ibi personet, & sumant cibum cum benedictione & laude Dei secundum Apostolum: *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in laudem Dei facite.*

De justis judiciis ab Episcopis agendis.

XLII. Ut Episcopi judices (1) judicia justa discernant. Quia sunt quædam modo judicanda, quædam Dei judicio reservanda. Scriptum est enim: *Nolite judicare ante tempus, quoadusque veniat Dominus, qui & inluminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Et tunc laus erit unicuique a Deo.* Et illud memores sint: *In quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis.*

De Clericis qui de Ecclesia desistunt.

XLIII. Clericis de Ecclesia desistentibus & aliis in loco revocatis, si redierint discessi, nil eis præstetur. Hoc vero quod discedentes reliquerunt, non in usu rectorum, sed succedentibus cedat. *VI. c.* 125.

De monachorum & Canonicorum militia cum consilio utiliter implenda.

XLIV. Ut monachi & Canonici pleniter consilium habeant qualiter Deo militare animasque eorum melius valeant custodire; ne propter aliquam necessitatem occasionem quærant vagandi, & inter ipsos propter hoc locus tentandi detur diabolo.

Viduas in delitiis non oportere vivere.

XLV. Ut viduæ non sint in delitiis, sed secundum Apostolum sub potestate Episcopi vivant, sicuti decet.

Ut Clerici non habeant actiones seculares.

XLVI. Clericus vel monachus neque exactor publicarum rerum, neque conductor, aut vectigalium, vel curationis domus, vel procurator litis, vel fidejussor in talibus caussis fiat. *VI. c.* 124.

De eo qui contra canonicum statutum egerit.

XLVII. Si quis contra hæc statuta fecerit, si Episcopus est, omnes res ejus ex quacunque caussa vel persona, sive ante episcopatum, sive postea ad eum pervenerint, Ecclesiæ suæ eas vindicare sancimus. Si vero Clerici ibi hoc fecerint, pœnam pecuniarum, quam Episcopus existimaverit exigere, Ecclesiæ vindicandam. Hi vero qui actiones suas eis commiserunt, vel fidejussores eos pro supradictis caussis acceperunt, nullam contra Ecclesiam vel administratores ejus, vel adversus ipsas personas quos crediderunt, habeant actionem. Si vero quis eos pro publico debito vel exactione crediderit, vel fidejussores receperit, de substantia fisci debitum compellatur exsolvere. *VI. c.* 124.

De eo qui res Ecclesiæ per falsam precariam vel fraudem adipiscitur.

XLVIII. Ut si quislibet hominum res Ecclesiæ per mendacia vel mala ingenia in precariam sibi adquirere & habere voluerit, & post factas precarias eadem mendacia ad aures ejusdem rectoris Ecclesiæ delata fuerint, ipsa Ecclesia res suas, quæ ei mendaciter abstractæ fuerunt, pleniter absque ullius contradictione omnimodis recipiat. Ille vero qui res suas per eadem mendacia, propter cupiditatem ipsius precariæ, eidem Ecclesiæ tradidit, simili modo in suam recipiat dominationem.

Quod antiquus mos pœnitendi, qui juxta canonicam auctoritatem agendus est, jam ab usu recesserit.

XLIX. Modo pœnitentiam agere juxta antiquam canonum institutionem in plerisque locis ab usu recessit, et neque excommunicandi neque reconciliandi antiqui moris ordo servatur; ut a Domno Imperatore impetretur adjutorium qualiter, si quis publice peccat, publica multetur pœnitentia, ut secundum ordinem canonum pro merito suo quis excommunicetur et reconcilietur.

De Clerico ad tutelam vocato.

L. Si Episcopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus ad tutelam vel curationem vocentur, tantum munus administrationis in hoc conceditur suscipere; si tamen intra quatuor menses per competentem judicem in scriptis manifestaverit quod hujusmodi munus sua sponte.

(1) *Ut Episcopi judices.*) Ita legitur in tribus antiquis exemplaribus. In Tiliano vero scriptum est: *Ut Episcopi & judices.* Sic etiam in Concilio Remensi, ex quo caput istud sumptum est, & apud Burchardum.

te recepit. Et tunc circa aliam tutelam præjudicium non patiatur.

De Ecclesiis in rebus propriis constitutis & inter heredes divisis.

LI. Perlatum ad nos est (1) quod inter heredes Ecclesiæ in rebus propriis constitutæ dividantur, et tanta per eandem divisionem simultas oriatur ut unius altaris quatuor partes fiant, et singulæ partes singulos habeant Presbyteros. Quod sine discordia et simultate nullo modo geri potest. Unde nobis visum est quod hujuscemodi Ecclesiæ inter heredes dividi non debeant. Et si in contentionem venerint, et simultates inter eos surrexerint, per quas sacerdos suo ibi officio fungi non possit, præcipiatur ab Episcopo civitatis, ut nullo modo ibi Missarum solemnia celebrentur donec illi ad concordiam redeant et pari voto atque consilio Ecclesia illa sacerdotem canonice habeat, qui libere suum ministerium ibi peragere possit.

De his qui bis aut ter ab Episcopis confirmantur, ignorantibus tamen eisdem Episcopis.

LII. Dictum nobis est quod quidam de plebe bis aut ter ab Episcopis, ignorantibus tamen eisdem Episcopis, confirmentur. Unde nobis visum est eandem confirmationem, sicut nec baptismum, iterari minime debere; quia qui bis vel amplius baptizantur aut confirmantur, non seculo sed soli Domino sub habitu regulari vel clericali religiosissime famulari decretum est.

De Clericis ad tabulas ludentibus.

LIII. Si quis Clericus ad tabulas ludat, vel spectaculis adtendat, per tres annos a sacro ministerio prohibeatur. Et si dignam pœnitentiam fecerit, reconcilietur.

De his qui servorum matrimonia dirimunt.

LIV. Dictum est nobis quod quidam legitima servorum matrimonia (2) potestativa (3) quadam præsumptione dirimant, non adtendentes illud evangelicum: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Unde nobis visum est ut conjugia servorum non dirimantur, etiamsi diversos dominos habeant; sed in uno conjugio permanentes, dominis suis serviant. Et hoc in illis observandum est ubi legalis conjunctio fuit & per voluntatem dominorum.

De his qui pleniter peccata non confitentur.

LV. Sed & hoc emendatione indigere perspeximus quod quidam, dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non plene id faciunt. Quia ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, anima videlicet & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena fiat confessio; scilicet ut ea confiteantur quæ per corpus gesta sunt, & ea quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus est itaque peccatorum suorum confessor ut de octo principalibus vitiis, sine quibus in hac vita difficile vivitur, confessionem faciat; quia aut cogitatione, aut, quod est gravius, opere, eorum instinctu peccavit. Odium etenim, invidia, superbia, vel certe hujuscemodi animæ pestes tanto periculosius lædunt quanto subtilius serpunt.

De sanctis Ecclesiis.

LVI. Nullus sub Romana ditione constitutæ Ecclesiæ, vel Sinodochiæ, vel monasteriorum rectores, earum rem immobilem nequaquam liceat alienare, id est, agrum, domum, mancipium, panes civiles, neque creditori obligare. (Alienatio enim est venditio, donatio, permutatio, emphyteuseos perpetuus contractus) omnes omnino convenit ut se ab hujuscemodi alienatione abstineant. Tabellio vero qui talia instrumenta conscripserit, perpetuo exilio tradatur, Magistratus vero judices, qui talia instrumenta consenserint, & dignitatem & facultates amittant. *II. c. 29.*

De his qui solummodo confiteri Deo peccata debere dicunt.

LVII. Quidam Deo solummodo (4) confiteri debere dicunt peccata, quidam vero sacerdotibus confitenda esse percensent. Quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam, ita duntaxat ut & Deo, a quo remissio est peccatorum, confiteamur peccata nostra, & cum David dicamus: *Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi. Dixi, confitebor adversus me injustitias meas Domino; & tu remisisti impietatem peccati mei.* Et secundum Apostoli institutionem confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro invicem ut salvemur. Confessio itaque quæ

Deo

(1) *Perlatum ad nos est.*) Burchardus caput istud, quod est synodi secundæ Cabilonensis, refert ex Concilio Mediomatricis. Vide Notas ad Reginonem.

(2) *Servorum matrimonia.*) V. Eginhardum epistola 53.

(3) *Potestativa.*) Lex Alamannorum cap. I. §. 2. supra *manus potestativa*. Charta S. Galli LXX. apud Goldastum: *manu potestativa*. Donationes Ecclesiæ Salisburgensis apud Canisium tomo VI. pag. 1660. *Ruther Comes & Gerbolt nobiles viri ac potestativi*. Et paulò post: *nobiles & potestativi homines*. Item pag. 1661. *ad viros nobiles & potestativos*.

(4) *Quidam Deo solummodo.*) Vide epistolam 71 Alcuini, quam recte Duchesnius monuit datam esse ad eos qui in provincia Gothorum habitabant; cum in editione Canisii legeretur *Scotorum*. Nam in codice Sancti Galli, ex quo Canisius illam edidit, diserte scriptum est *Gothorum*. De provincia Gothorum sive Gothia dictum est supra.

Deo fit, purgat peccata. Ea vero quæ sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgantur peccata. Deus namque salutis & sanitatis auctor & largitor plerunque hanc præbet suæ potentiæ invisibili administratione, plerumque medicorum operatione.

Quod personarum acceptio in omnibus cavenda sit judiciis.

LVIII. Quia igitur, Apostolo testante, non est personarum acceptio apud Deum, & in omnibus judiciis cavenda est, multo magis in hoc pœnitentiæ judicio præcaveri debet ut nullus sacerdotum umquam aut gratia aut odio alicujus personæ secus judicet quam quod in canonibus sacris invenerit, aut quod illi secundum sanctarum scripturarum auctoritatem & ecclesiasticam consuetudinem rectius visum fuerit. Si ergo medici, qui corporibus medicinam inferre conantur, nequaquam propter personæ cujuslibet acceptionem his quos sanare cupiunt, cauterio aut ferro aut duris aliis quibuslibet rebus parcunt, multo magis his observandum est, qui non corporum, sed animarum medici existunt. Neque pensanda est pœnitentia quantitate temporis, sed ardore mentis & mortificatione corporis. Cor autem contritum & humiliatum Deus non spernit.

De monachis & sanctimonialibus.

LIX. Nemo audeat monachum vel sanctimoniales feminas ad civile judicium accusare, sed ad Episcopum. Et ipse ex lege vel canonibus consentaniam sententiam proferat. Hæc omnes Episcopi custodiant, & omnes Præfecti Romani, & Prætores populi, & provinciarum Præsides, ut curent citius monachorum & sanctimonialium lites dirimere. Si quis hanc constitutionem violaverit, in magistratu positus, decem librarum auri pœna multabitur. Si exsecutor est, in catenis Ecclesiarum recludatur, pœnas luiturus, & officium perdat. *V. c.* 378.

Quod multi in pœnitentia delitiis indulgeant.

LX. Multi, quod non sine dolore dicendum est, in pœnitentia non tam peccati remissionem quam temporis constituti expectant expletionem. Et si carnium & vini usus eis interdictus est, mutata, non voluntate, sed ejusdem cibi aut potus perceptione, in tantum delitiis suis indulgent ut delitiosius, his interdictis, aliorum ciborum vel potionum appetitu vivere cognoscantur. Spiritalis autem abstinentia, quæ in pœnitentibus potissimum vigere debet, & quorundam ciborum ac potionum perceptiones & desiderium fugere debet. Ille inquam, ille magis parsimoniæ servire censendus est qui sibi non solum quarundam rerum perceptiones sed delectationes corporis penitus interdicit.

De his qui ex industria peccant.

LXI. Sed nec hoc prætereundum putamus, quod quidam ex industria peccantes, propter eleemosynarum largitionem (1) quandam sibi promittunt impunitatem. Eleemosyna enim extinguit peccata, juxta illud: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna extinguit peccata*, sed ea quæ aut necessitate, aut quæ casu, aut qualibet fiunt fragilitate. Ea vero quæ ex industria ad cujuslibet libidinem explendam idcirco fiunt ut eleemosynis redimantur, nequaquam eis redimi possunt: quia qui hoc perpetrant, videntur Deum mercede conducere, ut eis impune peccare liceat. Non ergo idcirco quis peccare debet ut eleemosynam faciat; sed ideo eleemosynam facere debet quia peccavit. Mentem enim & corpus, quæ libido traxit ad culpam, afflictio & contritio debet reducere ad veniam.

De monacho qui monasterium suum dimiserit.

LXII. Si monachus monasterium suum dimiserit, omnia bona ipsius, & quæ in monasterio introduxit, & quæ non introduxit, dominio monasterii sint, & ipse officio Præsidis servire cogatur. Si vero monachus ad alium monasterium migraverit, substantiam ejus prius monasterium possideat, & in alio monasterio ipse non recipiatur. *V. c.* 379.

Quod pœnitentia secundum canonum statuta agi debeat.

LXIII. Modus autem pœnitentiæ peccata sua confitentibus aut per antiquorum canonum institutionem (2), aut per sanctarum scripturarum auctoritatem, aut per ecclesiasticam consuetudinem, sicut superius dictum est,

(1) *Propter eleemosynarum largitionem.*) Sanctus Fulgentius in libro de Trinitate: *Nam qui sibi peccata impune videntur committere dum fortasse aliquas eleemosynas in pauperes faciunt, multum falluntur. Nesciunt enim quod opus misericordiæ primum sit se ipsum Deo offerre, & sic in alio misericordiam facere. Ergo faciendæ sunt eleemosynæ, sed ante sunt vitia relinquenda.* Insignis est locus ex homilia incerti auctoris in vetustissimo codice Ms. Sancti Galli. *Nam qui pro laude humana*, inquit ille, *eleemosynam facit, & testimonium inde quærit, & ei audire delectat, mercedem a Deo non spectet, quia in ista vita laudem recepit. Unde sunt alii perversi & iniqui qui contra animas suas & contra Domini mandatum prædicant ut nullus eleemosynam faciat nisi coram testibus. Et si aliquis sine testibus eleemosynam fecerit, in lege sua habere dicunt quod eam possent requirere. Absit, fratres, ista dementia ut se tollant a lege Christi, qui illos redemit, & contra Deum & contra animas suas faciant, & aliam legem plus quam istam teneant.* Vide Salvianum in libro primo adversus avaritiam pag. 230. in secunda editione nostra.

(2) *Per antiquorum canonum institutionem.*) Vide Concilium Parisiense sextum lib. 1. cap. 32. 34. & quæ supra a nobis adnotantur ad caput 379. libri septimi.

est, imponi debet, repudiatis ac penitus eliminatis libellis quos pœnitentiales vocant; quorum sunt certi errores, incerti auctores; de quibus rite dici potest: *Mortificabant animas quæ non moriebantur, & vivificabant animas quæ non vivebant.* Qui dum peccatis gravibus leves quosdam & inusitatos imponunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos, secundum propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.

Quod quidam Presbyteris absque consensu Episcoporum Ecclesias dent vel auferant.

LXIV. Inventum est quod multi arbitrii sui temeritate, &, quod est gravius, ducti cupiditate, Presbyteris quibuslibet absque consensu Episcoporum Ecclesias dant vel auferunt. Unde oportet ut, canonica regula servata, nullus absque consensu Episcopi cuilibet Presbytero Ecclesiam det. Quam si injuste adeptus fuerit, hanc non sine culpa sua coram Episcopo canonica severitate amittat.

De Scottis qui se Episcopos esse dicunt, & quosdam absque licentia dominorum suorum ordinant.

LXV. Sunt in quibusdam locis Scotti(1), qui se dicunt Episcopos esse (2), & multos neglegentes absque licentia dominorum suorum sive magistrorum Presbyteros & Diaconos ordinant. Quorum ordinationem, quia plerunque in Simoniacam incidit hæresem, & multis erroribus subjacet, modis omnibus irritam fieri debere omnes uno consensu decrevimus.

De monachis laicis.

LXVI. Si monachus laicus factus fuerit, honore & cingulo expolietur, & res ejus monasterio adjiciantur. Quod si monasticam vitam reliquerit, Præses provinciæ eum teneat, & taxeotas vel curiæ suæ connumeret.

De his qui in cœna Domini eucharistiam neglegunt.

LXVII. In cœna Domini a quibusdam perceptio eucharistiæ neglegitur. Quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis his quibus pro gravibus criminibus inhibitum est, percipienda sit, ecclesiasticus usus demonstrat; cum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & sanguinis dominici sacramenta reconciliat.

Quod infirmi & ægroti oleo benedicto perunguendi sint.

LXVIII. Secundum beati Jacobi Apostoli documentum, cui etiam decreta patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, a Presbyteris ungi debent. Sic enim ait: *Infirmatur aliquis in vobis. Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, unguentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus. Et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Non est itaque parvipendenda hujusmodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus.

De

---

(1) *Scotti.*) Concilium apud Celichuth cap. 5. *Ut nullus permittatur de genere Scottorum in alicujus diocesi sacrum sibi ministerium usurpare.* Capitula Theodori Archiepiscopi Cantuariensis in tomo nono Spicilegii Dacheriani pag. 59. cap. 80. *Qui ordinati sunt a Scotorum aut Britonum Episcopis, qui in Pascha & in tonsura adunati Ecclesiæ catholicæ non sunt, iterum ab Episcopo catholico manus impositione confirmentur.* Preceptum Ludovici Pii Imp. pro monasterio Landeveneci apud Bollandum tom. I. Martii pag. 260. *Cognoscentes quia ab Scotis sive de conversatione sive de tonsione capitum accepissent, dum ordo totius sanctę apostolicæ atque Romanæ Ecclesiæ aliter se habere dignoscitur.* Vide canones Hibernenses in eodem tomo Spicilegii editos lib. 50. cap. 6. simul cum laudato Theodori capitulo, ex quibus explicantur quæ hic Ludovicus ait de Scotis. Nova collectio formularum cap. 15. *ut Escotus mentit.*

(2) *Se dicunt Episcopos esse.*) Isti circumcelliones variis temporibus turbarunt ordinem in Ecclesia constitutum. Cosmas Pragensis in libro secundo chronicæ Bohemorum extremo narrat memorabilem historiam impostoris cujusdam nomine Ruperti, qui se dicebat Cavellonensem Episcopum, & plurimas ordinationes fecit in Bohemia. Cum is detectus fuisset, & falsum Episcopum esse constaret, Bohemi legatos miserunt ad Clementem III. Papam, *ejus consulentes auctoritatem quid sit opus facto rerum in discrimine tanto. Quibus ille remandans jussit Ecclesias ex integro reconsecrare, baptizatos chrismate pseudoepiscopi non rebaptizare, sed tantum confirmare, similiter ordinatos non reordinari, sed solummodo inter ordinandos stare ad ordinationem, & per solam manus impositionem recipere benedictionem.* Ævo Bonifacii VIII. cum quidam in Alamannia promotus esset ad sacros ordines a quodam pseudoepiscopo vagante, injunctum est alii Episcopo a Sede apostolica, ut si constaret ordinatorem non fuisse Episcopum, ei eosdem ordines conferret, *quia nec conferre ordinem nec ordinis characterem potuit qui pontificali officio minime fungebatur,* ut legitur in formulario pœnitentiariæ Benedicti XII. quod alias laudavimus ex codice Ms. bibliothecæ regiæ. Anno MCCCXC. in civitate Trajectensi quidam sacerdos de ordine fratrum Minorum, qui se dicebat Episcopum Lavarensem, per aliquot annos officia illic episcopalia complevit, *in eadem diocesi consecrando Ecclesias, altaria, calices, vestes sacras, etiam conferens ordines minores & majores. Tandem compertum est, Deo disponente, ipsum esse falsum Episcopum. Quapropter quidam sacerdotum & electorum ab eodem ordinatorum, dimittentes statum spiritualem, acceperunt uxores, & permanserunt in statu seculari. Ceteri vero, quibus status clericalis non displicuerat, ab aliis veris Episcopis recordinati sunt.* Hæc Joannes a Leidis refert in libro 31. Chronici Belgici cap. 43. Vide Cironium lib. 1. observationum juris canonici cap. 13. & Notas nostras ad Gratianum.

De sponso vel sponsa in monasterio ingressa.

LXIX. Si sponsus vel sponsa intraverit in monasterium, id quod arrarum nomine datum est, in simplum tantum reddatur.

De locis in quibus Missæ celebrandæ sunt.

LXX. In quibus locis & quo apparatu Missarum sollemnitates, exceptis basilicis, celebrari debeant, & utrum celebrari debeant, in Concilio Laodicensi ita scribitur: *Quod non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Episcopis vel Prebyteris.*

De his quæ ad aurium & oculorum pertinent oblectamentum, quæque sacerdotes vitare debent.

LXXI. Quæcunque ad aurium & ad oculorum pertinent inlecebras, unde vigor animi emolliri posse credatur, ut de aliquibus generibus musicorum aliisque nonnullis rebus sentiri potest, ab omnibus Dei sacerdotes se abstinere debent: quia per aurium oculorumque inlecebras vitiorum turba ad animum ingredi solet. Histrionum quoque turpium & obscœnorum insolentias jocorum & ipsi animo effugere ceterisque sacerdotibus effugienda prædicare debent.

De Ecclesia ædificanda.

LXXII. Nemo Ecclesiam ædificet antequam civitatis Episcopus veniat & ibidem crucem figat publice. Et ante præfiniat qui ædificare vult quid ad luminaria & ad custodiam & stipendia custodum sufficiat. Et facta donatione, sic domum ædificet. *V. c.* 382.

Ut sacerdotes a ludis secularibus se caveant.

LXXIII. Sacerdotibus non expedit secularibus & turpibus quibuslibet interesse jocis. Venationes quoque ferarum vel avium minime sectentur.

De Presbyteris & Diaconibus, ut Episcoporum suorum in bonis operibus vestigia sectentur.

LXXIV. Presbyteri quoque & Diaconi in omnibus bonorum operum exhibitionibus sui Episcopi vestigia sectentur, & in bonorum morum probitate, quæ Episcopo observanda sunt, eadem & sibi observanda esse cognoscant.

De eo qui in domo sua oratorium fecerit.

LXXV. Qui in domo sua oratorium habuerit, orare ibi potest. Tamen non audeat in eo sacras facere Missas sine permissu Episcopi loci illius. Quod si fecerit, domus illius fisci viribus addicatur. Præfectus prætorii, qui hoc cognovit, & non prohibuit, librarum auri multabitur. *V. c.* 383.

Quantam curam Episcopi circa indigos habeant.

LXXVI. Episcopi quidem maximam curam & sollicitudinem circa pauperes habeant, & res ecclesiasticas Ecclesiis collatas cauta circumspectione dispensent, quasi Dei ministri, non quasi turpis lucri gratia sectatores. Illis itaque utantur, non ut propriis, sed ut sibi ad dispensandum commissis.

De erogatione Episcopi in pauperibus & familia Ecclesiæ.

LXXVII. Quod liceat Episcopis, præsentibus Presbyteris & Diaconibus, de thesauro Ecclesiæ familiæ & pauperibus ejusdem Ecclesiæ secundum canonicam institutionem, juxta quod indiguerint, erogare.

De Diaconissa.

LXXVIII. Si Diaconissa nupserit, gladio ultoris sternatur, & facultas ejus Ecclesiæ ubi servivit addicatur. Corruptores earum similiter puniantur. Bona vero eorum fisci viribus vindicentur.

De Presbytero non ordinando ante legitimum tempus.

LXXIX. Presbyterum ordinari non debere ante legitimum tempus, hoc est, trigesimum ætatis annum. Sed priusquam ad consecrationem presbyteratus accedat, maneat in episcopio discendi gratia officium suum tam diu, donec possint & mores & actus ejus animadverti. Et tunc si dignus fuerit, ad sacerdotium promoveatur.

De Episcopis, qualiter parrochias suas diligenter perscrutentur.

LXXX. Ut unusquisque Episcoporum parrochiam suam diligenter perscrutari nitatur, ne aliquis Presbyter ab alterius parrochia in suam commigrans officium celebrare præsumat sine litteris commendatitiis, sicut olim multis in locis actum esse repertum est.

De religiosa muliere decepta.

LXXXI. Si quis rapuerit vel sollicitaverit vel corruperit religiosam feminam, bona amborum Ecclesia vindicet in qua talis mulier habitavit. Ipsi tamen periculo capitali subjiciantur. Quod si hæc mulier non consensit, cum suis rebus monasterii cautioni tradatur. Si vero liberos habet, pars legitima eis reservetur. Quod si intra annum post cognitum tale scelus a religiosis laicis non vindicetur, Comes privatarum hoc nostro fisco addicat. Si vero Præses provinciæ vindictam tali crimini imponere neglexerit, cingulo careat, & quinque libras auri fisci viribus dare compellatur. *V. c.* 385.

Ut decimæ semper consulto Episcoporum dispensentur.

LXXXII. Ut decimæ (1) quæ singulis da-

(1) *Ut decimæ.*) Constitutionem istam Rhabanus descripsit in Concilio Moguntino anni DCCCXLVII. c. 10.

dabuntur Ecclesiis, per consulta Episcoporum a Presbyteris ad usum Ecclesiæ & pauperum summa diligentia dispensentur.

Ne quilibet Presbyter de titulo minore ad majorem transeat.

LXXXIII. De titulo minori ad majorem migrare nulli Presbytero licitum sit, sed in eo permaneat ad quem ordinatus est. Quod si inventus fuerit contra statuta id facere, eadem feriatur sententia qua & Episcopus qui de minori ad majorem transmigraverit sedem.

De blasphemia in Deum.

LXXXIV. Si quis quolibet modo blasphemiam in Deum jactaverit, a Præfecto Urbis ultimo supplicio subjiciatur. Qui vero talem cognoscens non manifestaverit, similiter coerceatur. Si Præfectus Urbis hæc punire neglexerit, post Dei judicium nostram indignationem incurrat. *VI. c.* 101.

De viduis juvenibus ne cito velentur.

LXXXV. Ut juvenes viduæ cito nequaquam velentur, usque dum probetur illarum religio, & bona ab eis nota sit conversatio; ne forte de eisdem dici possit ab Apostolo: *Quæ autem in delitiis sunt, viventes mortuæ sunt.*

Ut Comites & judices Episcopis suis consentiant, ipsique eos honorifice recipiant.

LXXXVI. Comitibus, judicibus, reliquoque populo expedit ut suis sint Episcopis consentientes & obedientes propter Dei amorem suique gradus honorem, & semper ab eis utile quærant consilium, illorumque salubria non spernant monita, sed intenta cordis aure audiant. Similiter vero & Episcopi prædictas personas humiliter suscipiant, honorificeque erga eas in omnibus agant, & sic se mutuis sublevare studeant consolationibus.

De herede, si quippiam dispositione non implet.

LXXXVII. Si heredes jussa testatoris non impleverint, ab Episcopo loci illius omnis res quæ his relicta est auferatur cum fructibus et ceteris emolumentis, ut vota defuncti impleantur.

Ut Comites & judices viles personas non admittant ad testimonium.

LXXXVIII. Summopere admonendi sunt Comites et judices ne viles et indignas personas coram se permittant ad testimonium accedere; quoniam multi sunt qui perjurare pro nihilo ducunt, in tantum ut pro unius diei satietate aut pro quolibet parvo pretio ad juramentum conduci possint, animasque suas perjurio perdere minime formidant. Quam ob rem tales nequaquam ad quodlibet testimonium admittendi sunt. Et hoc notandum, quod non solum illi qui perjurant, sed etiam qui perjuris consentiunt, simili plectendi sunt damnatione.

Ut nullus Christianus munera exigat pro quolibet placito.

LXXXIX. Nullus Christianus pro quolibet placito vel judicio a qualibet persona munera exigere aut accipere debet, quoniam id divina scriptura multis in locis magna interdicit auctoritate, testante scriptura, quæ ait: *Munera excœcant oculos sapientium, & subvertunt verba justorum.*

De rebus quæ paganis non conceduntur.

XC. Non liceat Christianis Judæorum neque paganorum vel hæreticorum res emphyteoseos vel conductionis titulo habere, neque suornm similiter eis accommodare.

De placitis secularibus, ne in Ecclesia fiant.

XCI. Placita quidem secularia in Ecclesiis vel in atriis Ecclesiarum a Comitibus Vicariisque usque modo multis in locis habita ne ultra fiant interdicendum est cum auctoritate dominica, qui expulsis de templo negotiatoribus adserit debere domum Dei domum esse orationis.

De incestuosis, parricidis, atque homicidis.

XCII. Incestuosi, parricidæ, homicidæ multi apud nos, heu proh dolor, reperiuntur. Sed aliqui ex illis sacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommodare, volentes in pristinis durare criminibus: quos oportet per secularis potentiæ disciplinam a tam prava consuetudine coerceri, qui per salutifera sacerdotum monita noluerint revocari: quorum aliquos jam excommunicavimus. Sed illi hoc parvi pendentes, in eisdem perdurarunt criminibus. Quam ob rem vestra decernat mansuetudo quid de talibus deinceps agendum sit. *II. c.* 43.

De magicis artibus & incantationibus.

XCIII. Admoneant sacerdotes fideles populos ut noverint magicas artes incantationesque quibuslibet infirmitatibus hominum nihil posse remedii conferre, non animalibus languentibus, claudicantibusve, vel etiam moribundis quicquam mederi, non ligaturas ossuum vel herbarum cuiquam adhibitas prodesse, sed hæc esse laqueos & insidias antiqui hostis, quibus ille perfidus genus humanum decipere nititur.

Ne nomen Dei in vanum jurando assumatur.

XCIV. Omnes homines admonemus ne per singula verba, quasi ad confirmationem suæ assertionis, nomen Domini in vanum assumant, quod ipse Dominus interdicit faciendum, ubi ait: *Ne assumas nomen Dei tui in vanum.* In vanum etenim nomen Dei assumitur quando aliquis ad singula verba quibus vult ut sibi ab alio credatur,

Deum omnipotentem testem rei de qua ait invocat, eumque sibi ita esse adjutorem sicut ea vera sunt quæ loquitur. Nam & ipse Dominus in evangelio hoc modo prohibens omne genus juramenti, *Nolite*, inquit, *omnino jurare neque per cœlum, neque per terram, neque per caput tuum*. & cetera.

De laicis, ne munera a Presbyteris exigant.

XCV. Ut laici omnino a Presbyteris non audeant munera exigere propter commendationem Ecclesiæ: quia propter cupiditatem plerumque a laicis talibus Presbyteris Ecclesiæ dantur qui ad peragendum sacerdotale officium indigni sunt. *V. c.* 148.

De pace & concordia.

XCVI. De pacis bono atque concordia, ut ab omnibus omnino indisrupta teneatur inter Episcopos & Comites, inter Clericos & monachos, & omnem populum Christianum, ut beatus Apostolus Paulus docuit dicens: *Sectamini caritatem & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum*. Et idcirco quidquid illud est quod nos ad veræ pacis studium & caritatis perfectionem provocat, totis viribus nostris sectandum est; quicquid nos vero ab illa disjungit, ut venenum mortiferum a nobis cavendum est.

De Comitibus & judicibus, ut obedientes sint suo Episcopo.

XCVII. Ut Comites & judices reliquusque populus obedientes sint Episcopo, & invicem consentiant ad faciendas justitias, & munera pro judicio non accipiant, nec falsos testes, ne per hoc pervertant judicia justorum, quia scriptum est: *Justitia elevat gentem, injustitia vero miseros facit populos*. Et Psalmista: *Beati qui custodiunt judicium & faciunt justitias in omni tempore*.

Ut Episcopi semel in anno parrochias suas circumeant.

XCVIII. Unusquisque Episcopus semel in anno circumeat parrochiam suam. Noverint sibi curam populorum (1) & pauperum in protegendis ac defendendis impositam. Ideoque dum conspiciunt judices ac potentes pauperum oppressores existere, prius eos sacerdotali admonitione redarguant. Et si contempserint emendari, eorum insolentia Regis auribus intimetur; ut quos sacerdotalis admonitio non flectit ad justitiam, regalis potestas ab improbitate coerceat.

De chrismate a Presbyteris custodiendo sub sigillo.

XCIX. Ut Presbyteri sub sigillo custodiant chrisma, & nulli sub prætextu medicinæ vel sub cujuslibet rei donare præsumant. Genus enim sacramenti est, & non ab aliis nisi a sacerdotibus contingi debet. Quod si fecerint, honore priventur. *V. c.* 145. *Capit. I. a.* 813. *c.* 17.

De his qui beneficium habent de rebus Ecclesiæ.

C. Ut quisquis beneficium de rebus Ecclesiæ habet, ad tecta ejusdem Ecclesiæ restauranda vel ad ipsas Ecclesias ædificandas omnino adjuvent. *Supra c.* 33.

De eo qui infamis furto efficitur.

CI. Furti quocunque genere condemnatus infamis efficitur.

De eo qui absens fuerit minime damnando.

CII. Jubemus in caussa capitali ut absens nemo damnetur; quia neque absens per alium accusare aut accusari potest. *VII. c.* 204. 354.

De omnibus possessionibus a præceptore possessori reddendis.

CIII. Omnes possessiones & omnia sibi sublata, atque fructus cunctos ante litem contestatam præceptor possessori restituat.

* *In isto loco desunt quædam capitula.*

De incestis, quod non sint legitimi heredes.

CIV. Omnes nosse volumus quod incesti non sint legitimi heredes, sed infamia sint notatæ utræque personæ. Ideoque proximorum copula vel stupra, quasi quædam turpissima pestis, cavenda est: quoniam incesti usque ad canonicam separationem Ecclesiæque per publicam pœnitentiæ satisfactionem magis inter energumenos vel audientes quam inter Christianos catholicos utrique cum omnibus suis sunt habendi. *VI. c.* 410.

Ut liceat litigatori vitiatam caussam appellationis remedio sublevare.

CV. Judices observare debent ut liceat litigatori vitiatam caussam appellationis remedio sublevare, & appellatores nec in carcerem redigant nec a militibus faciant custodiri. Sed agendum negotium suum liberi observent; nec etiam in supplicium destinatis appellandi vox denegetur. *VII. c.* 251.

De

(1) *Populorum.*) Hæc lectio constans est in veteribus libris & in Concilio Arelatensi VI. ex quo caput istud descriptum est. Arbitror tamen legi debere *pupillorum*. Simile mendum extat in capite 36. legis Alamannorum §. 3. ubi pro eo quod antiqui codices & editiones recte habent, *nec maledicant Ducem nec populum terræ*, in codice Puteano scriptum est *pupillum terræ*. In codice Burchardi Talonico lib. 19. cap. 28. legitur *pupillos* pro *pulvillos*. Alibi vidimus *Apostolos* positum fuisse pro *populos*. Quod ideo observamus ut hinc colligi possit voces istas frequentibus mutationibus fuisse obnoxias.

De oratione obedientis.

CVI. Sciendum sane est omnibus quia citius exauditur una obedientis oratio quam decem millia contemptoris.

Ut unaquæque provincia a judicibus propriis judicetur.

CVII. Præcipimus ut non degradetur unaquæque provincia, sed apud semetipsam habeat judices Episcopos. Et quicunque caussam habuerit, a suis judicibus judicetur, & non ab alienis, id est, a suæ justis judicibus provinciæ, & non ab externis, nisi fuerit appellatum.

Quod unumquemque juste & pie vivere oporteat.

CVIII. Notum esse omnibus volumus quam juste, sobrie, quam etiam pie vivere debeant. Juste enim vivere oportet secundum sermonem dominicum præcipientem: *Luceat*, inquit, *lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Hoc est. Sic juste vivite ut filii lucis nominari valeatis. Quod vero sobrie vivere debeat quisque monet evangelium dicens: *Videte ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate & curis hujus vitæ.* Pie etiam vivere vel patienter monet Paulus exhortando dicens: *In omni patientia & doctrina.* Et cum pietate regere domum monet. Et ne ipsa pietas indiscreta videatur, præmittit sententiam dicens: *Argue cum omni imperio*,

De grafiæ prolatore, ut eam adfirmet.

CIX. Statutum est ut scripturam prolator adfirmet. Nam si is qui scripturam protulit, ejus non adstruxerit veritatem, ut falsitatis reum esse retinendum. *VII. c.* 254.

Quod sacerdos in habitu religionis persistere debeat.

CX. Studendum sane omnibus est ut in habitu religionis quisque sacerdos permaneat, & ore prophetico sibimet præcipi constat dicente: *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam.* Quando dixit, *Clama, ne cesses*, omne tempus exclusit; quod nemo potest excusare. Etenim de libris officialibus, ut novimus, patet ratio: quia nequaquam corporeo usu hæc requirenda ab illis erant qui spiritaliter vivebant, dicente graphopsalmo: *In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi.* Nos tamen, qui in medio positi sumus, scilicet inter spiritalem & corporalem intellectum, in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, ut non vituperetur ministerium nostrum, & propheticum sermonem impleamus dicentem: *Justitiam discite qui habitatis terram.* Et, quod avertat Deus a nobis, idem Propheta dicit: *Zelus adprehendit populum ineruditum.* Et iterum alius Propheta: *Sacerdotes ignoraverunt intelligentiam.* Et idem Propheta: *Sacerdotes non dixerunt, ubi est Dominus? & tenentes leges meas, nescierunt me.* Qua ergo fronte, qua conscientia sacerdotem nominari se fatetur quem Dominus per Prophetam nescire se dicit?

De eo qui caussam habuerit, ut a propriis Episcopis judicetur.

CXI. Quicunque caussam habuerit, a propriis judicibus judicetur; & non ad alienos caussa vagandi & protervíæ, dimittens suam patriam, transeat; sed apud Metropolitanum & reliquos Episcopos suæ provinciæ judicetur.

De Canonicis Clericis qui in civitatibus vel in monasteriis degunt.

CXII. Volumus atque præcipimus, sicut synodali atque canonica auctoritate a pastoribus sanctæ Ecclesiæ sæpissime admoniti sumus, ut Canonici Clerici, qui in civitatibus vel in monasteriis degunt, qui beneficia habent unde victum & vestitum habere possunt, ut hoc juxta Apostolum contenti sint, & stipendia fratrum, unde pauperiores & hi qui assidue in prædictis locis Domino famulantes excubant, atque ibi assiduum divinum explent officium, nequaquam assumant aut in suis usibus convertant. Scimus enim quia absque periculo atque dispendio animarum suarum hoc nullatenus facere possunt. Si quis hæc statuta contempserit, utrisque careat, id est, & beneficio & præbenda (1); atque si gra-

(1) *Præbenda.*) Præceptum Ludovici Pii pro monasterio S. Dionysii apud Doubletum pag. 740. *ad præbendam famulorum illis servientium de secale modia nongenta.* Charta Caroli Calvi ibidem pag. 782. *villulas quasdam ad præbendas illorum Canonicorum ibi Deo servientium.* Alia ejusdem pag. 798. *ad præbendas famulorum sibi servientium.* Charta LXX. Sancti Galli apud Goldastum, data regnante in Germania Ludovico Pii filio: *Et si illa Diotpirt illam traditionem sibi placitatam dimittere voluerit, tunc ad cellam Ratpoti locum & præbendam quasi unus monachus juxta facultates loci illius habeat.* Hincmarus apud Flodoardum lib. 3. cap. 28. scribit Lantardo cuidam sacerdoti, quod si ad locum suum redire voluerit, ei, mox ut venerit, *canonicam præbendam & ordinem pristinum inter fratres* concedet, id est, *suæ canonicæ locum*, ut legitur in epistola Hincmari Laudunensis ad Remensem quæ edita est in tomo secundo operum Remensis pag. 340. Polypticus Sancti Remigii scriptus, ut opinor, tempore Hincmari: *Facit suo seniori tempore messis dies tres cum præbenda sibi data.* In Capitulari Caroli M. de villis suis cap. 50. *de dominica accipiat provendam.* Hinc provendarii in statutis antiquis Abbatiæ Corbejensis, quos tamen vir clarissimus Dacherius interpretatur eos esse qui Gallice *Pourvoyeurs* dicuntur a providendo. Provendarii inquam dicti sunt a provenda sive præbenda.

Quod

si gradibus fruitur ecclesiasticis, ipsis privetur.

De communicatione Ecclesiæ cum nihil habentibus.

CXIII. Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune; nec aliquid inde eis qui sibi de suo sufficiunt convenit erogare; quando nihil aliud sit habentibus dare quam perdere.

De his qui sua possident, & sibi aliquid dari volunt.

CXIV. Nec illi qui, sua possidentes, dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo unde pauper victurus erat accipiunt.

De damnatis nuptiis.

CXV. Si quis viduam uxorem duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit, seu duabus sororibus nupserit, aut si qua duobus fratribus nupserit, seu cum patre & filio, tales copulationes anathematizari, nec unquam amplius conjugio copulari, sed sub magna districtione fieri. *VI. c. 168.*

Ne proprius filius de baptismo suscipiatur.

CXVI. Nullus igitur proprium filium vel filiam de fonte baptismatis suscipiat, nec filiolam nec commatrem ducat uxorem, nec illam cujus filium aut filiam ad confirmationem tenuerit. Ubi autem factum fuerit, separentur. *V. c. 167.*

De subintroductis mulieribus.

CXVII. Omnibus igitur Clericis feminam secum in domibus suis habere ultra licentiam canonum firmiter sit contradictum.

Iterum de pace Ecclesiarum.

CXVIII. Præcipimus ut in Ecclesiis aut in domibus Ecclesiarum vel atriis placita secularia minime fiant. *Supra lib. 4. cap. 28. & Add. III. c. 32.*

De fugitivis Clericis.

CXIX. Unusquisque Episcopus in sua parrochia diligenter Presbyteros vel Clericos inquirat unde sint. Et si aliquem fugitivum invenerit, ad suum Episcopum redire faciat. *V. c. 149.*

Quid sint letaniæ.

CXX. Letaniæ autem Græco nomine appellantur, quæ Latine dicuntur Rogationes. Inter letanias autem & exomologesim hoc differt, quod exomologesis pro sola peccatorum confessione aguntur; letaniæ vero, quæ indicuntur propter rogandum Deum & impetrandam in aliquo misericordiam ejus. Sed nunc jam utrumque vocabulum sub una designatione habetur.

De Clericis injuste tonsoratis.

CXXI. De Clericis vero hoc statuimus, ut hi qui hactenus inventi sunt sive in canonico sive in monachico ordine tonsorati sine eorum voluntate, si liberi sunt, ut ita permaneant. Et deinceps cavendum est ut nullus tondatur nisi legitima ætate spontaneaque voluntate, vel cum licentia domini sui.

De eo quid sit relinquere mundum.

CXXII. Seculum autem relinquere est, sicut Gregorius dixit, seculi voluptatibus contraire. Hinc Paulus admonet dicens: *Qui emunt, tanquam non possidentes; & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* Et Gregorius in libro pastorum: *Sic vobis ea quæ suppetunt exterius serviant quatinus a supernæ dilectionis studio animum non flectant.*

Quod incestum committit qui se consanguineæ suæ usque affinitatis lineam conjungit.

CXXIII. Nullus fidelium usque affinitatis lineam, id est, usque in septimam progeniem, consanguineam suam ducat uxorem, vel eam quoquo modo incesti macula polluat. Si quis vero hoc scienter temerare præsumpserit, si liber fuerit, bannum nostrum, id est, sexaginta solidos fisco nostro persolvat, & insuper canonice ut incestus luat, ac publice juxta canonicos gradus pœniteat. Si autem servus vel ecclesiasticus fuerit, publice flagelletur ac decalvetur, & juxta Episcopi proprii jussionem pœnitentiam publice & canonice gerat. Quod si aliquis tam liber quam servus aut ecclesiasticus vel fiscalinus Episcopo proprio vel suo sacerdoti aut Archidiacono inobediens vel contumax sive de hoc sive de alio quolibet scelere extiterit, omnes res ejus a Comite & a Misso dominico ei contendantur usque dum Episcopo suo obediat, ut canonice pœniteat. Quod si nec se ita correxerit, & ad Episcopum & canonicam pœnitentiam venire distulerit, a Comite comprehendatur, & in carcerem sub magna ærumna retrusus teneatur, nec rerum suarum potestatem habeat, quousque Episcopus jusserit. Quod si Comes vel ejus minister hoc adimplere distulerint, canonice ab Epi-

---

Quod colligitur manifeste vel ex ipso initio eorundem statutorum: *Isti sunt provendarii qui omni tempore æqualiter & pleniter in nostris diebus esse debent. Et si unus ex eis mortuus fuerit, statim alter restituendus est, ut ille numerus semper sit plenus, & nullus amplius in illo numero addatur.* Statuitur itaque illic de certo numero Canonicorum, qui ultra centesimum & quinquagenarium excrescere non poterat. Quis autem existimare posset centum quinquaginta viros ea tempestate fuisse in monasterio Corbejensi, quibus unica cura esset ut providerent & administrarent ceteris quæ necessaria essent ad victum?

Episcopo suo vel a suo ministro excommunicetur; & usque dum hæc pleniter adimpleat, semper communione catholicorum careat, usque dum ipsi Episcopo humanius erga eum aliquid agere placuerit. Si vero, quod non optamus, ipse Comes aut de prædictis caussis aut de ipsa excommunicatione inobediens aut neglegens apparuerit, honore comitatus pariter & communione careat, usque dum ambo in nostram præsentiam veniant, ut nos illum episcopali auctoritate atque imperiali metu ita corrigamus ut ceteri timorem habeant, ne deinceps talia committere ullatenus audeant. *VII. c.* 432.

Ut incesti, quandiu in scelere manent, non fidelium Christianorum, sed tantum aut gentilium aut catechumenorum vel energumenorum locum teneant.

CXXIV. Incesti, dum in ipso detestando atque nefando scelere manent, non inter fideles Christianos, sed inter gentiles aut catechumenos vel energumenos habeantur, id est, cum Christianis non cibum sumant, non potum, non in eodem vasculo edant aut bibant, sed soli hæc faciant. Non osculentur aut salutentur ab eis. Sed si suis sacerdotibus inobedientes extiterint, & a tam nefandissimo scelere se segregare atque ad publicam pœnitentiam redire noluerint, inter eos habeantur qui spiritu periclitantur immundo, vel etiam inter eos de quibus ipsa per se Veritas ait: *Si te non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*. Nam cum fidelibus non debent orare, nec in Ecclesiam intrare, sed ante januam Ecclesiæ excubare, & intrantibus in eam atque exeuntibus ex ea, vultu in terra prostrato, veniam postulare, & ut pro se orare non dedignentur flagitare; & lacrymis perfusi, vultu contrito, atque humiliato spiritu semper omnibus apparere usque ad satisfactionem Ecclesiæ & proprii Episcopi canonicam reconciliationem, & ad pristinum incestum nunquam redire, nec secularia negotia exercere, nec placitis aut accusationibus vel testimoniis interesse, sed crebris sacerdotum precibus manusque Pontificis proprii impositionibus, & eleemosynarum largitionibus, atque ceterorum bonorum operum exhibitionibus eos purgari sanarique oportet. *VII. c.* 433.

ADDITIO QUARTA.

SEquentia quædam Capitula ex sanctorum patrum decretis & Imperatorum edictis colligere curavimus, atque inter nostra capitula lege firmissima tenenda generali consultu Erchembaldo Cancellario (1) nostro inserere jussimus.

Cl. Baluzius ex Codice Bellovac.

Hic desunt quædam capitula quæ in aliis libris inveniuntur. Quæ ideo prætermisimus quia in fine septimi libri superius habentur inserta.

Ex sacrarum institutione legum, libro XII. capitulo X.

I. QUam sit extraneus a Christianæ fidei regula qui se defensorem veritatis insimulat, & veritatem ipsam munerum acceptione commaculat, audiat contra se Prophetam dicentem: *Pro eo quod vendidistis argento justum & pauperem pro calciamentis, ecce ego stridebo super vos sicut stridet plaustrum onustum fœno; & peribit fuga a veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non salvabit animam suam, & robustus corde inter fortes nudus effugiet. VII. cap.* 475.

Ex eodem libro, titulationis tertiæ capitulo XV.

II. Nulli Christianorum vel (2) Judæorum in utroque sexu permittimus ex propin-

(1) *Erchembaldo Cancellario.*) Fuit primo notarius sive Cancellarius palatii sub Radone Archicancellario, deinde Archicancellarius, uti jam observatum est ab aliis. Anno DCCXCVII. subscripsit præcepto Caroli M. quo Theobolddum Comitem absolvit a suspicione criminis læsæ majestatis, quod a Mabillonio editum est post Acta Sanctorum ordinis Sancti Benedicti tom. VI. pag. 623. Leo III. in epistola IX. ad Carolum M. *Potestis interrogare fratrem nostrum Hildibaldum Archiepiscopum & Ercanbaldum Cancellarium.* Plura de Cancellario isto si quis scire desiderat, consulat Bernardum a Mallinckrot in libro de Archicancellariis sacri Romani Imperii pag. 11. & Philippum Labbeum in elogiis historicis Regum Franciæ pag. 88. Alius istius nominis Cancellarius fuit in palatio Lotharii Imperatoris, ut patet ex præcepto ejus apud Doubletum in antiquitatibus monasterii Sancti Dionysii pag. 775. & ex duobus præceptis ejusdem Lotharii pro Agilmaro Archiepiscopo Viennensi, quæ leguntur in chartulario Ecclesiæ Viennensis. Is vero Ercamboldus idem haud dubie est qui Cancellarius fuit in palatio Lotharii Regis Burgundiæ, cujus præceptum extat in Notitia Ecclesiarum Belgii pag. 59.

(2) *Christianorum vel.*) Hæc non habentur in codice legis Wisigothorum, & sunt superflua.

quitate sanguinis sui vel uxoris suæ atque etiam virorum, juxta legem (1) quæ in Christianis est lata, usque ad septimi (2) generis gradum connubia ducere vel incesti maculam operari. Hujus igitur permixtionis inlecebra tali multabitur pœna, ut separati ab invicem, & centena publice decalvati flagella suscipiant, & exilio religati, sub publica pœnitentia maneant, eorumque bona ad filios quos de præcedenti conjugio habuerint redeant; si tamen & ipsos aut in nullo Judaicæ prævaricationis maculaverit noxa, aut nulla incestivæ nationis sordidaverit macula. Quod si aut nullos habuerint filios, aut habitos, ut dictum est, vel Judaicus involverit error, vel incesti fœdaverit natio, tunc facultas prædictorum omnimoda in Principis potestate consistat, qualiter principali discretione res ipsa aut in Christianis eorumve heredibus concessa permaneat. Quod si heredes hujusmodi dignitatis defuerint, fisco nostro sociata deserviat. Illud tamen modis omnibus observandum fore præcipimus, ut si quis Christianus vel Christiana (3), aut Judæus vel Judæa, noviter nuptiale festum celebrare voluerint, non aliter quam cum præmisso dotis titulo, quo in Christianis salubri institutione præceptum est, vel sacerdotali benedictione intra sinum sanctæ Dei Ecclesiæ percepta, conjugium cuiquam ex his adire permittimus. Quod si absque benedictione sacerdotis quisquam Christianorum vel Hebræorum noviter conjugium duxerit, vel sollemnitatem legis pro dotali titulo in quocunque transcenderit, aut centum Principi solidos coactus exsolvat, aut centum publice verberatus flagella suscipiat. Hæc scilicet damna vel verbera singillatim unusquisque percipiat, videlicet tam ille qui nupsit quam ea quæ nupta est, vel etiam consentanei parentes eorum, unusquisque pro se jacturam legis hujus suscipiat.

In libro VII. tripertitæ historiæ capitulo XII.

III. Igitur Valentinianus, cum ita saperet sicut Nicæni patres, similia profitentibus proderat, aliter vero sapientibus non erat importunus. Qui dum initio regni de urbe Constantinopolitana per Thracias properaret ad Romam, tunc Episcopi recte sapientes legatum miserunt Hicpaucianum Episcopum, quatinus dignaretur ad emendationem dogmatis interesse (4). Is cum adisset Imperatorem, & Episcoporum legationem intimasset, respondens Imperator ait: Mihi quidem, cum unus de populo (5) sim, fas non est talia perscrutari (6). Verum sacerdotes, quibus hæc cura est, apud semetipsos congregentur ubi voluerint. Cum hæc itaque respondisset Princeps, in Lampsacum convenerunt Episcopi. Cumque per duos menses tractassent, inter cetera, juxta priores canones, Episcopos ejectos atque suis rebus expoliatos sedes proprias recipere & primo sua omnia eis reddi (7) decreverunt. Et si quis post hæc eos accusare vellet, eos periculo facere sanciverunt, judices esse decernentes Episcopos recte sapientes in Ecclesiam convenientes, ubi testes essent singulorum qui dicebantur oppressi. & reliqua.

Ex Epistola Leonis Papæ Chalcedonensi Concilio directa.

IV. Plurimos fratres sedibus suis pulsos & in exilia audivimus deportatos, atque in locum superstitum alios substitutos. His primitus vulneribus adhibeatur medicina justitiæ, ne quisquam ita careat propriis ut alter utatur alienis. Quem errorem ita omnes relin-

---

(1) *Juxta legem.*) Respicit ad legem Recaredi Gothorum Regis, quæ extat in libro tertio legis Wisigothorum tit. 5. cap. 1. in qua statuitur, *ut usque ad sextum generis gradum nulli liceat sanguinis propinquitatem libidinose fœdare vel in conjugio appetere.* Falluntur ergo qui putant hic agi de lege Judæorum, sive de Misna.

(2) *Septimi.*) In lege Wisigothorum legitur *sextum*, quod melius est. Sed puto hic positum *septimi* propter constitutionem Gregorii III. quæ habetur infra cap. 75. istius additionis.

(3) *Christianus vel Christiana.*) Hæc etiam desunt in lege Wisigothorum. Item paulo post vox *Christianorum* deest in eadem lege. Deest etiam vox *consentanei*.

(4) *Ad emendationem dogmatis interesse.*) Hæc melius cohærere videntur cum his quæ sequuntur quam versiones Christophorsoni & Valesii. Et Christophorsonus quidem ita vertit. *Mittunt ad eum pro se legatum Hypatianum Heracleæ, quod est oppidum Perinthi, Episcopum oratum ut sibi de doctrina fidei rite constituenda in unum conveniendi potestas permitteretur.* Valesius vero sic: *Hypatianum Heracleæ Perinthi Episcopum elegerunt, qui suscepta proipsis legatione peteret ad Imperatore ut ad corrigendam fidei doctrinam convenire permitterentur.* Hæc inquam melius cohærere videntur cum responsione Valentiniani. Ridicula enim esse videretur illius responsio si non rogatus ut se fidei negotiis immisceret, sed tantum ut Episcopis licentiam daret celebrandi synodum, respondisset sibi, quod laicus esset, non licere se immiscere rebus fidei. Melius Epiphanius scholasticus, ut dixi.

(5) *Unus de populo.*) Vetus exemplar historiæ tripartitæ in blibiotheca Colbertina habet *minimus de populo*. Sed hæc lectio bona non est.

(6) *Fas non est talia perscrutari.*) Tolerari potest hæc interpretatio. Veriorem tamen puto eam quæ est Christophorsoni, quæ sic habet: *Sibi, qui unus e laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere.*

(7) *Primo sua omnia eis reddi.*) Hæc non extant in historia tripartita, neque apud Sozomenum. Addita ergo videntur ex capitulis Angilramni, apud quem extant. Stabilito igitur hoc jure, Hincmarus apud Flodoardum lib. 3. cap. 28. scripsit Sigloardo Archipresbytero, cui inquisitionem facere de quodam Presbytero jusserat, *ut quoniam audierat eundem Presbyterum suis quibusdam facultatibus contra leges expoliatum, suis omnibus revestiretur antequam suis accusatoribus respondere cogeretur.* Vide infra cap. 4. 5. & 17. istius additionis.

relinquant sacerdotes ut nemini quidem perire honor debeat; sed illis qui pro fide laboraverunt prius cum omni privilegio suo oportet jus proprium reformari. & reliqua. *VI. c.* 337.

Ex Epistola Stephani Papæ scripta generaliter omnibus Episcopis.

V. Quicquid in sacratis Deo rebus & Episcopis injuste agitur, pro sacrilegio deputabitur; quia sacra sunt, & violari a quoquam non debent. Nullus enim Episcoporum, dum suis fuerit rebus expoliatus, aut a sede propria qualibet occasione pulsus, debet accusari, aut a quoquam ei post crimen objici, priusquam integerrime restauretur, & omnia quæ ei ablata quocunque sunt ingenio legibus redintegrentur, & ipse propriæ sedi & pristino statui regulariter reddatur, ita ut omnes possessiones & cuncta sibi injuste sublata atque fructus omnes ante cœptam accusationem per Primates & Synodi Episcopos funditus restituantur. Quia hoc non solum ecclesiasticæ sed etiam seculi leges fieri docent.

Augustinus ad Bonifacium de lapsorum restitutione.

VI. Ut enim constitueretur in Ecclesia ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ sed rigore factum est disciplinæ. Alioquin contra claves datas Ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est: *Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo.* Sed ne forsitan etiam de ceteris criminibus spe honoris ecclesiastici animus intumescens superbe ageret pœnitentiam, severissime placuit ut post actam de crimine damnabili pœnitentiam nemo sit Clericus; ut desperatione temporalis altitudinis medicina major & verior esset humilitas. Nam & sanctus David de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore superstitit. Et beatum Petrum, quando amarissimas lacrymas fudit, utique Deum negasse pœnituit; & tamen Apostolus mansit. Sed non ideo supervacua putanda est posterorum diligentia, quia ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutius muniretur, experti, credo, aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias. Cogunt enim multas invenire medicinas multorum experimenta morborum.

Ex Epistola Leonis Papæ Aquilejensi Episcopo directa.

VII. Illam partem ecclesiasticæ disciplinæ, qua olim a sanctis patribus & a nobis sæpe decretum est ut nec in presbyteratus gradu nec in diaconatus nec in subsequenti ordine Clericorum ad aliam Ecclesiam transire cuiquam sit liberum, ut in integrum revoces admonemus, ut unusquisque, non ambitione inlectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ubi ordinatu est perseveret; ita ut si quis, sua quærens, non quæ Jesu Christi, ad plebem & ad Ecclesiam suam redire neglexerit, & ab honoris privilegio & a communionis vinculo habeatur extraneus.

Ut nullus derogetur aut temere accusetur Episcopus, nec a Primatibus facile eorum suscipiatur accusatio: quia injuria Episcoporum ad Christum pertinet; cujus vice legatione funguntur. Ex decretis Anastasii Papæ capitulo VI.

VIII. Placuit ut nullus temere accuset Episcopum, neque a Primatibus passim aut indifferenter super quibuslibet impetitionibus audiatur, dicente Domino: *Non suscipias vocem mendacii.* Et ipsa veritas ait: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne facias.* & reliqua. Et alibi scriptum est: *Quid prodest illi suo errore non pollui qui consensum præstat erranti? Procul dubio contra mandata dimittit qui habet peccatum proprium & qui sequitur alienum.* & reliqua. Sed si quis in Episcopum caussam habuerit, primitus eum caritative conveniat, & ei aut suam inculcet injuriam, aut ejus correptionem, dicente Domino: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum. Si autem te non audierit, adhibe denuo duos aut tres tecum.* & reliqua. Prius ergo quam hæc fiant nemo præsumat Episcopum manifeste accusare; quia nemo contra evangelium vel contra Apostolum aut decreta patrum facit absque periculo. Paulus quoque Apostolus præcipit dicens: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Et alibi scriptum est: *Si quis fidelis est, videat ne falsa aut nociva loquatur, aut cuiquam insidias ponat.* Et alibi: *Sapiens non est qui nocet.* Et Dominus in lege: *Non facias calumniam proximo tuo.* Et idem: *Non eris criminator aut susurro in populis: Non stabis contra sanguinem proximi tui. Leges meas custodite. Ego Dominus.* Si hæc de omnibus hominibus dicta sunt, quanto magis super Episcopos sunt custodienda; de quibus Salvator ait: *Qui vos contristavit, me contristavit. Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* & cetera. Item: *Qui facit injuriam eis, recipiet id quod inique gessit.* Et in Daniele legitur; *Confundantur omnes qui ostendunt servis tuis mala. Confundantur in omnipotentia & robur eorum conteratur, ut sciant quia tu es Dominus Deus solus & gloriosus super orbem terrarum.* Et juxta antiquæ institutionis edictum plus erga corrigendos agere debet benevolentia quam severitas, plus cohortatio quam commotio, plus caritas quam potestas. Et Dominus per Prophetam monet dicens: *Cohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diverte quoque a malo,*

le, & fac bonum. Nemo enim bonum faciens, alteri verbo aut facto nocere vult. Si quis hæc non observaverit, hostis est animæ suæ. Si quidem Clerici fuerint, gradu proprio decidant. Si vero laici vel monachi fuerint, amplius pelli debent, vel extorres fiant.

Ut quicunque habens querelam in Episcopum vel in actores Ecclesiæ, non prius adeat judices eorum quam ipsos quibus aliquid opponit familiariter conveniat, ut ab eis caritative aut emendationem aut rationabilem recipiat excusationem.

IX. Placuit ut si quæcunque persona contra Episcopum vel actores Ecclesiæ se proprium crediderit habere negotium, prius ad eum recurrat caritatis studio; ut familiari colloquio commonitus ea sanare debeat quæ in querimoniam deducuntur. Quam rem si differre voluerit, sententiam suscipiat excommunicationis. *VI. c.* 381.

Ut non accusetur Episcopus apud judicem secularem.

X. Ut nullus Episcopum apud judices seculares accusare præsumat, sed apud summos Primates. *VI. c.* 381.

Ut si quis se gravari putaverit, vocem appellationis exhibeat.

XI. Placuit ut accusato, si judicem suspectum habuerit, liceat appellare: quia non oportet negari audientiam roganti. *VII. c.* 323.

De retractanda comprovinciali synodo per Apostolici legatos.

XII. Ut provincialis synodus retractetur per vicarios urbis Romæ Episcopi, si ipse decreverit. *VII. c.* 349.

Ut nullus criminosus accuset Episcopum.

XIII. De his qui in accusationem majoris natu veniunt. Placuit ut Episcopum nulli criminoso liceat accusare. *V. c.* 187.

Ut criminalia negotia non per procuratores sed per ipsos agantur.

XIV. Si quando in caussa capitali vel in caussa status interpellatum fuerit, non per procuratores sed per ipsos est agenda. *VII. c.* 357.

De majore judicum appellatione.

XV. Placuit ut a quibuscunque judicibus ecclesiasticis ad alios judices ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, audientia non negetur. *Vide supra. lib.* 7. *c.* 121.

Ut nullus Metropolitanus sine ceterorum omnium provincialium Episcoporum præsentia aut consilio, nisi quantum ad suam propriam pertinet parrochiam, quicquam agere præsumat. Similiter & reliqui Episcopi agant circa eum. Ex Synodo Romana quinta.

XVI. Si quis metropolitanus Episcopus, nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parrochiam, sine consilio & voluntate omnium comprovincialium Episcoporum extra aliquid agere tentaverit, gradus sui periculo subjacebit, & quod egerit, irritum habeatur & vacuum. Sed quicquid de comprovincialium coepiscoporum caussis suarumque Ecclesiarum & Clericorum atque secularium necessitatibus agere aut disponere necesse fuerit, hoc cum omnium consensu comprovincialium agatur Pontificum, non aliquo dominationis fastu, sed humillima & concordi administratione, sicut Dominus ait: *Non veni ministrari, sed ministrare*. Et alibi: *Qui major est vestrum, erit minister*, & reliqua. Similiter & ipsi comprovinciales Episcopi cum ejus consilio, nisi quantum ad proprias pertinet parrochias, agant juxta sanctorum constituta patrum ut uno animo, uno ore, concorditer sancta glorificetur Trinitas in secula. *VII. c.* 358.

Qualiter Episcopus ad synodum convocetur, & qualiter in ea de illo agatur.

XVII. Sancta Synodus Romana (1) dixit. Hæc sunt quæ deinceps propter malorum hominum insidias, qui in Ecclesiam & in ecclesiasticos indifferenter sæviunt viros, conservari firmissime volumus in secula. Si quis Episcopus ab illis accusatoribus qui recipiendi sunt fuerit accusatus, postquam ipse ab eis caritative conventus fuerit ut ipsam caussam emendare debeat, & eam corrigere noluerit, non olim, sed tunc ad summos Primates caussa ejus canonice deferatur; qui in congruo loco infra ipsam provinciam, tempore in canonibus præfixo Nicænis, Concilium canonice convocare debebunt, ita ut ab omnibus ejusdem provinciæ Episcopis in ea audiatur; in quam & ipse canonice convocatus, si eum aut infirmitas aut alia gravis necessitas non detinuerit, adesse debebit; quia ultra provinciæ terminos accusandi ante licentia non est quam audientia rogetur. Nam si suis fuerit rebus expoliatus, quod absit, aut, quod alienum ab omnibus esse debet fidelibus, a sede propria ejectus, aut in detentione aliqua a suis ovibus fuerit sequestratus, tunc canonice, antequam in pristinum restituatur honorem, & sua omnia, quæ ab insidiis inimicorum suorum ei ablata fuerint, redintegrentur, nec convocari nec judi-

(1) *Synodus Romana.*) Id est, capitula Angilramni, quæ nonnulli tum putabant ab Hadriano Papa collecta & transmissa fuisse ad Angilramnum, ut patet ex Hincmaro.

judicari poterit, nisi ipse pro sua necessitate, minime tamen judicandi, advenire sponte elegerit. Nec omnino a quoquam respondere rogetur (1) antequam integerrime omnia quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, potestati ejus ab honorabili Concilio redintegrentur, & præsul prius statui pristino reddatur. Et ipse, dispositis ordinatisque libere ac secure suis, tunc canonice convocatus ad tempus, synodo in legitima & canonica, veniat ad caussam. Et si ita juste videtur, accusantium propositionibus respondeat. Nam hoc summopere providendum est, ne antequam omnia hæc fiant coactus respondeat; quia contentio semper vitanda est. Adimi namque Episcopo episcopatum, antequam caussæ ejus exitus appareat, nulli Christiano videri jure potest. Quod si ægrotans fuerit Episcopus, aut aliqua eum gravis necessitas detinuerit, pro se legatum ad synodum mittat. Nec a communione suspendatur cui crimen intenditur nisi ad caussam suam dicendam electorum judicum die statuta litteris evocatus minime occurrerit; hoc est, nisi alia præoccupaverit necessitas, infra spatium duorum vel trium mensium, & eo amplius, prout caussa dictaverit. Quod si ex utraque parte ad caussam dicendam venerint, quia unus absque altero audiri non debet, quærendum est in judicio cujus sint conversationis & fidei atque suspicionis accusatores, aut qua intentione hoc faciant: quia ad hoc admitti non debent nisi bonæ conversationis & rectæ fidei viri, & qui omni suspicione careant, & bona vita clareant, neque infames existant. Quod si accusatorum personæ in judicio Episcoporum culpabiles apparuerint, ad arguendum non admittantur, nisi proprias caussas, non tamen criminales vel ecclesiasticas, objecerint. Infamis enim persona nec procurator potest esse nec cognitor. Absente vero adversario non audiatur accusator; nec sententia absente parte alia a judice dicta ullam obtinebit firmitatem. Neque absens per alium accusare aut accusari potest, nec affinis testis admitti. Neminem ergo exhiberi de provincia ad provinciam vel ad comitatum oportet, nisi ad relationem judicis ad quem fuerit appellatum, id est, ut actor semper rei forum sequatur. Si quis autem judicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat, quam nulli oportet negari. & reliqua.

Ut accusatio Clericorum intra provinciam fiat, nisi forte accusatus majorem appellaverit auctoritatem.

XVIII. Si quis Clericus super quibuslibet criminibus pulsatus fuerit, in provincia qua consistit ille qui pulsatur suas exerat actiones; nec æstimet eum accusator suus alibi aut longius pertrahendum ad judicium. Ille vero qui pulsatus fuerit, si judicem suspectum habuerit, liceat appellare.

Ut peregrina judicia non fiant.

XIX. Peregrina judicia generali sanctione inhibemus: quia indignum est ut ab externis judicetur qui provinciales a se electos debet habere judices. *VII. c. 309.*

Ut nullus Metropolitanorum aliquorum Pontificum suorumque Clericorum aut Ecclesiarum caussas audiat absque omnium comprovincialium Episcoporum præsentia. Ex Synodo Romana tertia capitulo VI.

XX. Nullus metropolitanus Episcopus absque ceterorum omnium comprovincialium Episcoporum instantia aliquorum audiat caussas Episcoporum; quia irritæ erunt. Immo nec suorum sacerdotum caussas audiat absque præsentia Clericorum suorum: quia irrita erit sententia Episcopi, nisi præsentia Clericorum confirmetur. *VII. c. 106.*

De rimanda accusatoris persona. Ex decretis Sixti Papæ capitulo VIII.

XXI. Placuit ut semper primo in accusatione Clericorum persona, fides, conversatio, & vita blasphemantium perscrutetur. Nam fides omnes actus hominis debet præcedere; quia dubius in fide, infidelis est. Nec eis omnino esse credendum qui veritatis fidem ignorant, nec rectæ conversationis vitam ducunt; quoniam tales facile & indifferenter lacerant quoque, & criminantur recte & pie viventes. Ideo suspicio eorum discutienda est primo, & corrigenda.

De personis & accusationum querelis non recipiendis. Ex sexta Synodo Romana capitulo XI. cum qua Nicæna synodus & decreta Julii & Symmachi Papæ & alia Synodica concordant.

XXII. Accusatores & accusationes quas leges seculi non adsciscunt, & nos submovemus. *VI. c. 381. VII. c. 108.*

Ut nullus Episcopus alterius parrochianum retinere, ordinare, aut judicare præsumat. Ex decima Synodo Romana capitulo VII. cum qua concordat Antiochenum Concilium capitulo XXII.

XXIII. Nullus Episcopus alterius parrochianum præsumat retinere aut ordinare absque ejus voluntate vel judicare: quia sicut irrita erit ejus ordinatio, ita & dijudicatio. Quoniam censemus nullum alterius judicis nisi sui sententia teneri. Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare ullatenus poterit. *VII. c. 308.*

De

(1) *Respondere rogetur.*) Id est, *negatur*. Infra: *ne antequam omnia hæc fiant coactus respondeat*. Vide Notas ad caput 72. libri tertii.

De primatu sedis apostolicæ, cui Episcoporum finitiva judicia & congregandarum synodorum privilegia sunt reservata. Et de canonica Episcopi vocatione. Ex synodis Romanis capitulo XLIX. & ex decretis Julii Papæ.

XXIV. Nullus Episcopus, nisi canonice vocatus, & in legitima synodo suo tempore apostolica auctoritate convocata, cui jussione Domini & meritis beati Petri Apostoli singularis congregandorum Conciliorum auctoritas & sanctorum canonum ac venerandorum patrum decretis multipliciter privata tradita est potestas, super quibuslibet criminibus pulsetur, id est, judicetur, audiatur, vel impetatur. Sin aliter præsumptum a quibuslibet fuerit, in vanum deducatur quod egerint; nec inter ecclesiastica ullo modo reputabitur, nec ullas habebit vires quicquid ei obviaverit: quoniam eadem sedes, testante veritatis voce, primum primatum obtinuit. Nec prima diceretur si aliam super se haberet; quæ etiam caput est omnium Ecclesiarum, a qua omnes sumpsere originem. Primatum enim non synodalibus aut aliquibus commentis meruit institutis, sed Domino largiente, qui ait: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. & reliqua talia & his similia. Quibus si aliquis superbo spiritu obviaverit præceptionibus, non exeat impunitus, sed gradus sui periculo subjacebit. *VI. c.* 381.

Ut si quis Metropolitanum suspectum habuerit, apud Primatem audiatur. Ex Concilio Chalcedonense capitulo XVII.

XXV. Si quis putaverit se a proprio Metropolitano gravari, apud Primatem dioceseos aut apud Constantinopolitanæ civitatis sedem agat judicium. et reliqua. *VII. c.* 83. 321.

De accusationis ordine, & ut non facile quisquam accusetur. Ex sexta synodo Romana capitulo IX. cum qua & aliæ sanctiones Imperatorum & synodalium Episcoporum concordant.

XXVI. Accusationis ordinem dudum canonicis institutum decretis servare jubemus; ut si forte aliquis Clericorum in civili aut criminali caussa pulsatur, vel in crimine capitis arcessitur, non statim reus æstimetur qui accusari potuit, ne subjectam innocentiam faciamus. Sed quisquis ille est qui crimen intendit, in judicium veniat, nomen rei indicet, vinculum inscriptionis arripiat, custodiat similitudinem, habita tamen dignitatis æstimatione patiatur. Nec sibi fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii. *VII. c.* 436.

Ut accusato Episcopo liceat appellare apostolicam sedem, si voluerit. Ex edictis synodalibus sub Theodosio decretis Imperatore; ejusque auctoritate roboratis: quæ si quis quæsierit, in suis inveniet epistolarum libris.

XXVII. Placuit ut si Episcopus accusatus appellaverit Romanum Pontificem, id statuendum quod ipse censuerit. *VII. c.* 315.

De accusato vel judicato Episcopo, si bonam putaverit habere caussam, & voluerit a Romano audiri Pontifice, a nullo prohibeatur, sed libere hoc ei & absque ullo impedimento concedatur. Ex quibus supra, cum quibus & Sardicense Concilium & alia decreta canonum & sanctorum patrum concordant.

XXVIII. Ut accusato vel judicato in aliqua causa Episcopo liceat iterare judicium &, si necesse fuerit, aut ipse voluerit, absque ulla detentione aut impeditione Romanum adire Pontificem. Et dum iterato judicio Pontifex caussam suam agit, sua non privetur sede aut dignitate; quoniam dudum a sanctis patribus statutum est ut accusati nullus usurpet sedem Episcopi. Et alibi: * Adimi Episcopo episcopatum, antequam caussæ ejus exitus appareat, nulli Christiano videri jure potest. & reliqua. *VII.* 323.

* *VII.* 87.

Ut dum accusatus vel judicatus Episcopus Romanum appellaverit Pontificem, nulla ei læsio fiat, neque aliquis ejus arripiat sedem aut in ejus loco ordinetur Episcopus, antequam ejus caussa Romani Papæ sit terminata judicio. Ex quibus supra, cum quibus & multa sanctorum patrum & canonum decreta consentiunt.

XXIX. Placuit ut accusatus vel judicatus a comprovincialibus in aliqua caussa Episcopus licenter appellet & adeat apostolicæ sedis Pontificem; qui aut per se aut per vicarios suos ejus retractari negotium procuret. Et dum iterato judicio Pontifex caussam suam agit, nullus alius in ejus loco ponatur aut ordinetur Episcopus: quoniam quamquam comprovincialibus Episcopis accusati caussam Pontificis scrutari liceat, non tamen definire inconsulto Romano Pontifice permissum est, cum beato Petro Apostolo non ab alio quam ab ipso Domino dictum est: *Quæcunque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cælis. Supra c.* 28.

De Episcoporum appellatione ad Romanam Ecclesiam, quoties necessitas exposcerit, cui Episcoporum & summa negotia singulari privilegio a patribus reservata sunt. Ex quibus supra, cum quibus maxime cuncta canonum & sanctorum patrum decreta concinunt.

XXX. Ut omnes Episcopi qui in quibusdam

dam gravioribus pulsantur vel criminantur caussis, quoties necesse fuerit, libere apostolicam appellent sedem atque ad eam quasi ad matrem confugiant, ut ab ea; sicut semper fuit, pie fulciantur, defendantur, & liberentur, cujus dispositioni omnes majores ecclesiasticas caussas & Episcoporum judicia antiqua Apostolorum eorumque successorum atque canonum auctoritas reservavit. Quoniam culpantur Episcopi qui aliter erga fratres egerint quam ejusdem sedis Papæ fieri placuerit; canonibus quippe jubentibus in talibus absque Romano nihil decerni Pontifice, nec ad synodum Episcopum convocari debere, & quicquid ex his eo inconsulto præsumptum fuerit, viribus carere.

De caussa Lupicini Episcopi. Ex epistola Leonis Papæ Africanis Episcopis directa.

XXXI. Caussam Lupicini (1) Episcopi, quia sic nobis placuit (2), illic jubemus audiri; cui multum & sæpius postulanti communionem hac ratione reddidimus, quoniam cum ad nostrum judicium provocasset, immerito eum pendente negotio (3) a communione videbamus fuisse suspensum. Adjectum etiam illud est, quod huic temere superordinatus esse cognoscitur; qui non debuit ordinari antequam Lupicinus in præsenti positus aut confutatus aut certe confessus justæ possit subjacere sententiæ; ut vacantem locum, quemadmodum disciplina ecclesiastica exigit, is qui consecrabatur acciperet. Si quæ vero aliæ emerserint caussæ quæ ad statum Ecclesiarum & ad concordiam pertineant sacerdotum, illic ob timorem Domini volumus ut modo ventilentur, & de componendis atque compositis omnibus ad nos relatio plena mittatur; ut ea quæ juxta ecclesiasticum morem juste & rationabiliter fuerint definita, nostra quoque sententia roborentur (4). Ex his enim (5) possumus cognoscere qualiter de ceteris agatur, qualiter nos nil contra statuta majorum egisse pœniteat. Data IV. Idus Augusti.

De laicis præsumentibus disputare de religione. Ex synodalibus statutis & Imperatorum edictis, ex libro XVI. Theodosii Imperatoris, de his qui super religione contendunt.

XXXII, Imperatores Valentinjanus, Theodosius, & Arcadius AAA. una cum decreto Episcoporum (6) Tatiano Præfecto præto-

(1) *Caussam Lupicini.*) Hunc locum, qui sumptus est ex epistola Sancti Leonis ad Episcopos Mauritaniæ Cæsariensis, vir clarissimus Paschasius Quenellus putat suppositum illi fuisse & Dionysii Exigui collectioni insertum ævo Caroli Magni: quædam enim illic legi quæ & veteribus institutis repugnant & modestiæ Sancti Leonis, Ego sane non statui refellere argumentationes viri docti. Illud tantum dicam, magni apud me ponderis esse quod caput istud reperitur in omnibus antiquis Dionysii codicibus, & quod nihil hic video bonis moribus adversum & disciplinæ tum in Ecclesia Romana receptæ contrarium. Una certe res falsi suspicionem injicere merito posset, mentio nimirum appellationis Lupicini ad apostolicam Sedem, cum constet Afros multum abhorruisse ab appellationibus transmarinis, ut recte observat idem vir eruditus. Verum ea res minimum habet difficultatis. Appellationes quidem illas respuebant Afri; sed nihilo minus Romani Pontifices existimabant posse eum qui a synodo suæ provinciæ damnatus Sedem apostolicam appellasset, communioni restituere, ut patet ex epistola Concilii Africani ad Cælestinum Papam & ex Actione prima Concilii Chalcedonensis in causa Theodoreti. Itaque ex eo saltem capite salva est auctoritas istius epistolæ.

(2) *Quia sic nobis placuit.*) Hæc non extant in epistola Sancti Leonis, neque apud Dionysium Exiguum. Addita vero sunt haud dubie ævo Caroli Magni.

(3) *Pendente negotio.*) Non dubito quin Leo respiciat ad canonem quartum Sardicensem, in quo ad suggestionem Gaudentii Episcopi decretum est, ut cum aliquis Episcopus depositus fuerit eorum Episcoporum judicio qui vicinis locis commorantur, & proclamaverit agendum sibi negotium in urbe Roma, alter Episcopus in ejus cathedra post appellationem ejus qui videtur esse depositus, omnino non ordinetur, nisi causa fuerit in judicio Episcopi Romani determinata, id est, pendente negotio. Ea fuit Leonis mens. Scio Afros contra sensisse & huic Romanorum Pontificum dogmati multum pro sua sapientia restitisse. Verum ex hac illorum perseverantia colligi nullo modo potest non licuisse Leoni illis objicere constitutionem ecclesiasticam, de cujus auctoritate & æquitate ipsi Sedique apostolicæ constabat. Vide porro Marcam lib. 7. de concordia cap. 17. §. 9.

(4) *Nostra sententia roborentur.*) Hanc sibi auctoritatem non arrogat sanctissimus Pontifex, quemadmodum viro docto visum est, ut post relationem Episcoporum Africanorum licere sibi putet eorum definitiones infirmare aut confirmare. Illud tantum vult, ut de rebus in Africa constitutis quæ ad publicam Ecclesiæ concordiam pertinent, relatio ad se plena mittatur, ut ipsius quoque sententia roborentur ea quæ juxta ecclesiasticum morem juste & rationabiliter fuerint definita. Hæc vero nihil præjudicant adversus auctoritatem Conciliorum Africanorum.

(5) *Ex his enim.*) Integra hæc clausula deest in epistola Sancti Leonis & apud Dionysium Exiguum. Addita ergo fortassis est ex scrinio Ecclesiæ Moguntinæ, in quo recondita a Riculfo Metropolitano fuisse capitula a se collecta docet Benedictus Levita.

(6) *Una cum decreto Episcoporum.*) Hinc Jacobus Gothofredus ad legem 2. Cod Theod. *de his qui super relig. contendunt* collegit hanc legem constitutam fuisse ad decretum aliquod synodale Episcoporum, quod & ipsum Theodosius huic constitutioni indiderit. Istam autem opinionem facilius concepisset, si Pithœus lemma istius capitis edidisset integrum ut in antiquis exemplaribus invenitur, ubi caput istud dicitur sumptum *ex synodalibus statutis & Imperatorum edictis*. Qui additionis istius auctor est, cuncta ad auctoritatem ecclesiasticam referebat, etiam cum periculo veritatis. Sic supra synodo Romanæ tribuit unum ex capitulis Angilramni, uti diximus. Sic infra cap. 74. extremo refertur caput quoddam *ex dictis Episcoporum & Imperatorum Theodosii & aliorum*, cum tamen constet sumptum esse ex libro quarto sententiarum Pauli.

torii. Nulli egreſſo ad publicum diſceptandi de religione vel tractandi vel conſilii aliquid deferendi pateſcat occaſio. Et ſi quis poſthac auſu gravi atque damnabili contra hujuſmodi legem veniendum eſſe crediderit vel inſiſtere motu peſtiferæ perſeverationis audebit, competenti pœna & digno ſupplicio coerceatur. Data XVI. Kal. Julii Theodoſio Auguſto bis (1) & Quinegio (2) Conſſ. *VII.* 195.

Nullus monachus, præter Domini ſacerdotes, audeat prædicare. De epiſtola Leonis Papæ ad Theodoritum Cyri Epiſcopum directa.

XXXIII. Illud quod nobis (3) propter improbitatem quorundam monachorum verbo mandaſti, ſpecialiter prædictorum patrum ſtatuta firmantes, ſtatuimus ut præter Domini ſacerdotes, ab Epiſcopo ejuſdem videlicet loci electos (4), nullus audeat prædicare, ſive ſit monachus, ſive laicus, qui cujuslibet ſcientiæ nomine glorietur.

De delatoribus. Ex Concilio Heliberritano.

XXXIV. Delator ſi quis extiterit fidelis, & per delationem ejus aliquis fuerit præſcriptus (5) vel interfectus, placuit eum nec in finem accipere communionem. Si levior quoque cauſſa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem. Si catechumenus (6) fuerit, per quinquennii tempora admittatur ad baptiſmum. *VI. c.* 317. *VII. c.* 205.

Clerici accuſatores fratrum ad communionem recipiantur, non ad clerum. Ex Concilio Carthaginis.

XXXV. Ut Epiſcopi accuſatores fratrum excommunicent. Et ſi emendaverint vitium recipiant eos ad communionem, non ad clerum.

De præſidibus vel ceteris rempublicam agere volentibus, ne ſine litteris Epiſcopi ſui communicent. Et cum contra diſciplinam egerint, excommunicentur. Ex Concilio Arelatenſe.

XXXVI. De præſidibus qui fideles ad præſidatum proſiliunt ita placuit, ut cum promoti fuerint, litteras accipiant eccleſiaſticas, id eſt, communicatorias; ita tamen ut in quibuſcunque locis geſſerint, ab Epiſcopo ejuſdem loci cura illis agatur; ut cum cœperint contra diſciplinam publicam agere, tum demum a communione excludantur. Similiter & de his qui rempublicam agere volunt.

Ut Clerici vel laici in aliena Eccleſia non communicent ſine litteris Epiſcopi ſui. Ex Concilio Carthaginis.

XXXVII. Caſſianus Velenenſis Epiſcopus dixit. Statuat gravitas veſtra ut unuſquiſque Clericus vel laicus non communicent in alia plebe ſine litteris Epiſcopi ſui. *VII. c.* 456.

Item ex Capitulis Domni Karoli Imperatoris.

XXXVIII. Si quis ſecularium tam majoris ordinis quam & inferioris peccatum egerit, & vocatus ſui Epiſcopi auctoritate ad emendationem ac pœnitentiam venire diſtulerit, tamdiu ſit ab Eccleſia extorris & a catholicorum conſortio ſequeſtratus quouſque quod inlicite commiſit emendet, ac reatum ſuum uſque ad ſatisfactionem canonice diluat, atque reconciliatione proprii Epiſcopi divinis precibus indulgentiam conſequatur & veniam, Eccleſiæque gremio, a cujus utero deviaverat, peracta ſatisfactione, ab eodem per ſatisfactionem emendatus Epiſcopo canonice reddatur. *VI. c.* 88. *VII. c.* 397.

De honore & pace ſanctæ Eccleſiæ.

XXXIX. Ut honor & pax atque juſtitia ſanctæ Dei Eccleſiæ & ſervorum ejus inlæſus ab omnibus conſervetur. *I. c.* 90.

De Dei ſacerdotibus & miniſtris altaris.

XL. Ut Dei ſacerdotibus & miniſtris altaris contra canonicam auctoritatem nulla læſio a quoquam fiat.

De concordia Epiſcoporum & Comitum.

XLI. Ut Epiſcopi & Comites concordes ſint. Et Comites eorumque miniſtri Epiſcopis

---

(1) *Theodoſio Auguſto bis.*) Pro his hæc tantum habentur in vulgatis editionibus Codicis Theodoſiani, *Stobis*; ubi Gothofredus iſta adnotat: *Stobis, Macedoniæ urbs, cujus apud Ptolomæum & in Itiner. Peutinger. & alibi mentio. Ibidem data hoc ipſo menſe l. 15. infr. de hæreticis.* Antiqua Capitularium exemplaria habent uti nos edidimus. In exemplari vero Codicis Theodoſiani quod fuit Pithœi, ipſe jugulavit vocem *Stobis*, & in margine monuit legendum eſſe *Theodoſio Aug. bis.*

(2) *Quinegio.*) Ita vera iſtius additionis exemplaria. Pro quo legendum eſt *Cynegio*, qui Conſulatum cum Theodoſio geſſit anno Chriſti CCCLXXXVIII.

(3) *Illud quod nobis.*) Caput iſtud re vera ſumptum eſt ex epiſtola Sancti Leonis ad Theodoritum; ſed valde mutatum & interpolatum fuit ab auctore iſtius additionis.

(4) *Ab Epiſcopo .... electos.*) Hæc ſunt ex gloſſemate, & tamen vera.

(5) *Præſcriptus.*) Ita vetera exemplaria. Sic etiam habet canon Eliberitanus in vetuſtiſſimo codice Eccleſiæ Lugdunenſis, itemque Burchardus. At editiones Concilii Eliberitani, Ivo, & Gratianus legunt *proſcriptus*.

(6) *Catechumenus.*) Veteres libri habent *catecuminus*, non ſolum in hoc loco, ſed etiam alibi apud omnes auctores fere ſemper. Ac ne quis putet erratum hic eſſe a ſcriptoribus, ne quis exiſtimare poſſit hanc depravationem eſſe novam & vetuſtis Eccleſiæ ſæculis ignotam, prohibet auctoritas Commodiani, ex cujus acroſtichis verſibus conſtat hoc vocabulum ita ſcriptum vulgo fuiſſe ævo Commodiani, ut illic recte obſervat Rigaltius.

pis atque eorum ministris in omnibus adjutores existant. *II, c. 6.* 10.

De incendio & rapina.

XLII. Ut incendium vel rapinam in regnö nostro nullus faciat. Et fures vel raptores fortiter constringantur ut non ulli sua auferre audeant, nisi gratis tribuantur, aut justo censu exigantur.

De pace custodienda.

XLIII. Ut pax in regno nostro secundum morem parentum nostrorum omnibus conservetur.

De puella virgine vel vidua.

XLIV. Ut puellam virginem vel viduam nullus rapiat, nec facere volentibus consentiat.

De banno persolvendo.

XLV. Ut ex his singulis bannus noster persolvatur si a quoquam frustrata hæc fuerint; & fidejussores usque ad nostram præsentiam fidissimos Comitibus vel Missis nostris horum corruptores singuli tribuant, ut juxta Romanam legem hæc corrigantur.

De negotio seculari.

XLVI. Ministri autem altaris Domini vel monachi nobis placuit ut a negotiis secularibus omnino abstineant. Multa sunt ergo negotia secularia. De his tamen pauca perstrinximus. Ad quæ pertinet omnis libido, non solum in immunditia carnis, sed etiam in omni carnali concupiscentia. Quicquid plus justo appetit homo, turpe lucrum dicitur. Munera injusta accipere vel etiam dare, pro aliquo seculari conquestu pretio aliquem conducere, contentiones & lites vel rixas amare, in placitis secularibus disputare, excepta defensione orphanorum aut viduarum, conductores aut procuratores esse secularium rerum, turpis verbi vel facti joculatorem esse, vel jocum secularem diligere, aleas amare, ornamentum inconveniens proposito suo quærere, in delitiis vivere velle, gulam & ebrietatem sequi, pondera injusta vel mensuras habere, negotium injustum exercere, (Non tamen justum negotium est contradicendum, propter necessitates diversas; quia legimus sanctos Apostolos negotiasse. Et in Regula sancti Benedicti præcipitur prævidere per quorum manus negotium monasterii transeat) canes & aves sequi ad venandum, in omnibus quibuslibet sit caussis superfluum esse. Ecce talia & his similia ministris altaris Domini nec non & monachis omnino contradicimus; de quibus dicit Apostolus: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.*

De imitatione apostolica.

XLVII. Apostolus ait: *Imitatores mei estote, & observate eos qui ita ambulant sicut habetis formam nostram. Non observetis eos qui sunt inimici crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra autem conversatio in cœlis est.* Sicut Hieronymus in epistola ad Galatas ait: *Æmulantur*, ait, *bene quicunque videant vel audiant esse in aliquibus gratias, dona, virtutesque, ipsi tales esse desiderant, & fidem, vitam, atque industriam eorum, per quæ illa meruerint, nituntur imitari, ut possint ea quoque bona æmulatione digna consequi*, magis quærentes spiritalia quam carnalia, ut perseveranti gradu ad finem boni operis pervenire possint. Augustinus in libro primo de agone Christianorum, hanc sententiam interpretans ait: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Quare intelligendum est etiam ipsum Apostolum in semetipso triumphasse de potestatibus hujus mundi, sicut de Domino dixerat, cujus se imitatorem esse profitetur. Imitemur ergo & nos illum, sicut hortatur, & castigemus corpus nostrum, & in servitutem redigamus, si mundum volumus vincere. Aliquando quidem suo exemplo Christi nos fieri imitatores jubet dicendo: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Aliquando quidem de se resipscens ad Deum, ad ipsius nos imitationem hortatur dicens: *Estote imitatores Dei, sicut filii carissimi.* Jam vero demonstrans quia nihil ita hanc imitationem pariat, quam si ita vivat aliquis ut bonum ejus in commune proficiat, atque universis utiliora prævideat, adjunxit: *Ambulate in caritate.* Ideo cum dixisset, *Imitatores mei estote*, continuo de caritate disseruit, quia hæc præcipue virtus homines Deo proximos facit.

De Canonicis Clericis, ut canonice vivant.

XLVIII. In omnibus igitur, quantum humana permittit fragilitas, decrevimus ut Canonici Clerici canonice vivant, observantes divinæ scripturæ doctrinam & documenta sanctorum patrum, & nihil sine licentia Episcopi sui vel magistri eorum composite agere præsumant. *V. c.* 185.

De his qui servos suos extra judicem necant.

XLIX. Si quis servum proprium sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione vel pœnitentia biennii reatum sanguinis emundabit.

De his qui ad pacem non revertuntur.

L. Placuit ut, sicut plerumque fit, quicunque odio aut longinqua inter se lite discesserint, & ad pacem revocari diuturna intentione nequiverint, a civitatis primitus sacerdotibus arguantur. Qui si inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint, de Ecclesiæ cœtu justissima excommunicatione pellantur.

De

De his qui intrant in Ecclesiam, & propter nimiam luxuriam suam a sacramento se abstinent.

LI. Si quis intrat in Ecclesiam Dei, & sacras scripturas non audit (1), & pro luxuria sua avertit se a communione sacramenti, & in observandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ, istum talem projiciendum de Ecclesia catholica esse decernimus donec pœnitentiam agat & ostendat fructum pœnitentiæ suæ, ut possit, communione percepta (2), indulgentiam promereri.

De Clericis vel laicis.

LII. De Clericis vel laicis a communione summotis ab aliis non recipiendis Episcopis.

De Clericis adversus invicem negotia propria habentibus.

LIII. Non oportet Clericos habentes adversus invicem negotia proprium Episcopum relinquere & ad secularia judicia convolare. *I. c.* 28. *V. c.* 22.

De eo qui excommunicatus ante audientiam communicare præsumpserit.

LIV. Si quis excommunicatus ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationem protulit. *V. cap.* 30. *VII. cap.* 26.

De potente qui aliquem expoliaverit.

LV. Si quis potentum quemlibet expoliaverit, & admonente Episcopo non reddiderit, excommunicetur. *V. c.* 319. *VII. c.* 209.

Quod Ecclesiarum omnium dotes ad Episcopi ordinationem debeant pertinere.

LVI. Multi contra canonum constituta sic Ecclesias quas ædificaverint postulant consecrari ut dotem quam ejus Ecclesiæ contulerint censeant ad Episcopi ordinationem non pertinere. Quod factum & in præterito displicet, & in futuro prohibetur. Sed omnia secundum constitutionem antiquam ad Episcopi ordinationem & potestatem pertineant. *VII. c.* 292.

De his quæ a fidelibus in parrochianis basilicis offeruntur.

LVII. De his quæ parrochiis (3) in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis quæcunque fideles obtulerint, antiquorum canonum instituta serventur, & omnia in Episcopi potestate consistant. De his tamen quæ in altario accesserint, tertia fideliter Episcopis deferatur.

De quatuor portionibus ecclesiasticis.

LVIII. Quod in unaquaque Ecclesia cui Episcopus præest quatuor tam de reditibus quam de oblationibus fidelium fieri debeant portiones; ut una sit Episcopi, alia Clericorum, tertia pauperum, & quarta fabricis ecclesiasticis adplicetur.

De eo qui anathematis pœnam parvi duxerit. Ex epistola Papæ Gelasii.

LIX. Ut si quis anathematis pœnam parvi duxerit, etiam documento quo se putat prædium possidere frustretur. Liceatque cuilibet ecclesiasticæ personæ vocem contradictionis afferre, & cum fructibus præteriti temporis eadem prædia alienata reposcere.

De his laicis qui contemptores canonum extiterint.

LX. Ut laici contemptores canonum excommunicentur, Clerici honore priventur. *VII. c.* 457.

Ut populus ante completam Missam & benedictionem acceptam egredi non præsumat.

LXI. Cum ad celebrandas Missas in Dei nomine convenitur, populus non ante discedat quam Missæ sollemnitas compleatur. Et ubi Episcopus fuerit, benedictionem accipiant sacerdotis. Sacerdote autem verbum in Ecclesia faciente, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur. *VII. c.* 277.

De his qui ecclesiastica jejunia absque necessitate dissolvunt.

LXII. Si quis eorum qui continentiæ student, absque necessitate corporea tradita in commune jejunia & ab Ecclesia custodita superbiendo dissolvit, stimulo suæ cogitationis impulsus, anathema sit.

Ut sacramentum catechumenis non præbeatur.

LXIII. Item placuit ut etiam per solemnissimos paschales dies sacramentum corporis & sanguinis Domini catechumenis non detur, nisi solitum salis: quia si fideles per illos dies sacramenta non mutant, nec catechumenos oportet mutare. Quæ forma etiam a publice pœnitentibus omnino sequenda est. *VII. c.* 263.

De his qui rebaptizati vel reconfirmati sunt quid sit agendum.

LXIV. De his qui rebaptizati sine aliqua necessitate vel tormento lapsi sunt, placuit ut circa eos illa Nicænæ synodi statuta serven-

(1) *Sacras scripturas non audit.*) Hæc est lectio quæ extat in capite 83. Martini Bracarensis in vetustissimo codice Ms. Ecclesiæ Lugdunensis & in editione Loaisæ. Quo etiam modo legendum esse monuerat Crabbus in margine tomi secundi Conciliorum. Negatio tamen deest in reliquis editionibus canonum Martini & in canone secundo synodi Antiochenæ, qui est fons istius capitis.

(2) *Communione percepta.*) Ita legitur in editione Merlini. At Loaisa maluit *communionem percepta indulgentia promereri*. Vide Notas Correctorum Romanorum ad Gratianum dist. 2. de consecrat. cap. 18. *Si quis intrat.*

(3) *De his quæ parrochiis.*) Vide supra lib. 6. cap. 407. & quæ illic a nobis adnotata sunt.

ventur quæ de prævaricatoribus constituta esse noscuntur; id est, ut septem annis inter catechumenos orent, & duobus inter catholicos; & postea, moderatione & clementia Episcopi, fidelibus in oblatione & eucharistia communicent. Quam formam (1) sequantur & reconfirmati.

De Clericis qui ad secularium defensionem confugiunt propter districtionem Episcopi.

LXV. Placuit ut Clericus, si relicto officio suo propter districtionem ad secularem fortasse confugerit, & is ad quem recurrit solatium ei defensionis impenderit, cum eodem de Ecclesiæ communione pellatur. *VI. c.* 145.

De turpiloquiis.

LXVI. Clericos scurriles & verbis turpibus joculares ab officio detrahendos.

De Clericis qui in convivio cantare præsumpserint.

LXVII. Clerici inter epulas cantantes supradictæ sententiæ severitate coerceantur.

Ne Clericus per creaturas juret.

LXVIII. Clericum per creaturas jurantem acerrime objurgandum. Si perstiterit in vitio, excommunicandum.

Ne ante horam diei tertiam quis ad convivium pergat, nec ante benedictionem manducet.

LXIX. Non oportet Clericos vel laicos religiosos ante sacram horam diei tertiam inire convivia, neque aliquando Clericos nisi hymno dicto edere panem, & post cibos gratias auctori Deo referre.

Ut Presbyter, si inconsulto Episcopo agendam celebraverit, honore privetur. Ex Concilio Carthaginis.

LXX. Numidius Episcopus (2) Massilitanus dixit. In quibusdam locis sunt Presbyteri qui aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audacter, præsente & inconsulto Episcopo, cum pluribus in domiciliis agunt agendam. quod disciplinæ incongruum esse cognoscit sanctitas vestra. Genilius Episcopus dixit. Fratres & coepiscopi nostri dignæ suggestioni tuæ respondere propter ignorantiam (3) non morantur. Ab universis Episcopis dictum est. Quisquis Presbyter inconsulto Episcopo agendam in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit. *VI. c.* 306.

Ne Presbyter benedictionem vel pœnitentiam in Ecclesia dare præsumat.

LXXI. Benedictionem super plebem in Ecclesia fundere aut pœnitentem in Ecclesia benedicere Presbytero penitus non licebit.

Judicio multitudinis ordinationes fieri non debere.

LXXII. Quod non sit permittendum turbis electiones eorum facere qui sunt ad sacerdotium provehendi. *VII. c.* 79.

Si qui Clerici ab Episcopis suis promoti contempserint, nec illic maneant unde recedere noluerint. Ex Concilio Carthaginis.

LXXIII. Placuit ut quicunque Clerici vel Diaconi pro necessitatibus Ecclesiarum non obtemperaverint Episcopis suis volentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promovere, nec illic ministrent in gradu suo unde recedere noluerunt.

Ex decretis Papæ Gregorii junioris. De incestis.

LXXIV. Si quis consobrinam duxerit in conjugium, anathema sit. *Et paulo post infert.* Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit. Et Dominus in lege divina ait: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus.* Et paulo post: *Nec accedat ad uxorem ejus qui sibi affinitate conjungitur.* Item unde supra, *Nullus certi gradus consanguineam in conjugium accipiat aut sibi sceleratis nuptiis desideret copulari.* Item ex dictis Episcoporum & Imperatorum Theodosii & aliorum: *In septem gradibus omnia propinquitatum nomina continentur, ultra quos nec adfinitas invenitur, nec successio potest amplius prorogari.*

Item de incestis. Ex epistolis Gregorii Papæ Bonifacio Mogontiæ Archiepiscopo missis.

LXXV. Progeniem suam unumquemque usque ad septimam observare decernimus generationem, & quandiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad hujus copulæ non accedere societatem. Et in sanctis canonibus spiritu Dei conditis de incestis habetur insertum: *Incestis conjunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint.* Incestos vero nullo conjugii nomine appellandos sancimus. Sed quibus inlicita conjunctio interdicitur, nisi hi sunt quos sanctorum patrum decreta conjugio

(1) *Quam formam.*) Hæc clausula non habetur in Concilio Ilerdensi, ex quo caput istud sumptum est.

(2) *Numidius Episcopus.*) Caput istud sumptum est ex canone nono Concilii Carthaginensis secundi, quod sub Genethlio Episcopo habitum est, qui isthic mendose Genilius vocatur. Vide breviationem Ferrandi cap. 90.

(3) *Propter ignorantiam.*) Hæc verba non extant in Concilio Carthaginensi.

gio copulari prohibent, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem. *VI. c.* 80.

De sacramento catechumenis non dando in diebus solemnibus Paschæ.

LXXVI. Ut per sollemnissimos paschales dies sacramentum catechumenis non detur, nec eis qui a liminibus Ecclesiæ sunt exclusi, neque eis, ante canonicam reconciliationem, qui publicam gerunt pœnitentiam, nisi benedictione salis. *Supra c.* 63.

De his qui solo convivio gentilium vel escis immolatitiis usi sunt. Aut quod hi qui homicidia vel alia capitalia perpetrant flagitia, nonnisi per publicam pœnitentiam sanari possunt.

LXXVII. Qui convivio solo gentilium & escis immolatitiis usi sunt, possunt jejuniis & manus impositione purgari, ita ut deinceps ab idolothytis abstinentes, sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut idola adoraverunt, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos nisi per pœnitentiam publicam non oportet admitti. *V. c.* 126. 133.

De familiaritate extranearum mulierum.

LXXVIII. Ut nullus familiaritatem (1) extranearum mulierum præsumat habere. Et qui inventus fuerit, severius corrigatur.

Ne mulieres monasterium monachorum ingrediantur.

LXXIX. Ut mulieres monasterium monachorum nullatenus ingrediantur.

Ut omnibus vespertinis & matutinis horis oratio dominica dicatur.

LXXX. Placuit ut omnibus diebus post Matutinas & Vesperas oratio dominica a sacerdote proferatur.

De his qui sibi quacunque negligentia mortem inferunt, ut eorum commemoratio in oblatione non fiat. Similiter & de his qui pro suis sceleribus puniuntur.

LXXXI. Placuit ut hi qui sibi ipsis aut ferro aut veneno aut præcipitio aut suspendio vel quolibet modo violenter inferunt mortem, nulla illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur. Multi enim sibi per ignorantiam usurparunt. Similiter & de his placuit qui pro suis sceleribus puniuntur.

De verbo otioso.

LXXXII. Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines si reddent Deo rationem in die judicii, multo magis damnantur noxia verba loquentes. Otiosum quippe verbum est quod aut utilitate rectitudinis aut ratione justæ necessitatis caret. Attamen in die judicii de eo ratio reddetur.

De eo qui hominem peremerit.

LXXXIII. Qui occiderit hominem, juxta canonicam pœniteat sanctionem, & ab Ecclesia prius projiciatur; ubi prostratus in terram, in cinere & cilicio, in introitum & exitum populi semper jaceat, humiliter postulans ut pro se orare non dedignentur. Et hoc usque ad satisfactionem Ecclesiæ & sacerdotum agat, pane tantum & aqua fruens, nisi humanius erga eum Episcopo agere placuerit cujus ditioni subsistit.

De sartatectis Ecclesiarum quæ ex donis fiunt eisdem conlatis, ut in potestate Episcopi revocentur quæcunque conligata fuerint.

LXXXIV. Quæcunque pro sartatectis Ecclesiis fuerint conligata, in potestate Pontificis aut Presbyteri vel servientium sanctorum locorum, secundum voluntatem conferentis, ad se debeant revocare. Quod si aliquis hæc inde abstraxerit, rapuerit, furatusve fuerit, vel ea fraudaverit, aut vastaverit, seu quocunque commento alienaverit, sciat se esse canonice excommunicatum quousque ea quæ abstulerit studeat reformare.

Ne Presbyterum, Diaconum, aut Clericum aliquem ullus judex secularis absque consensu Episcopi sui distringat.

LXXXV. Ut nullus judex neque Presbyterum neque Diaconum aut Clericum aut juniorem Ecclesiæ sine scientia Pontificis per se distringat aut condemnare præsumat. *VI. cap.* 156.

De libertis, ut a sacerdotibus defensentur.

LXXXVI. Liberti quorumcumque ingenuorum a sacerdotibus defensentur, nec ad publicum ullatenus revocentur.

Ne aliquis Clericus pro quacunque occasione extraneam mulierem in domo sua habeat.

LXXXVII. Nullus ergo deinceps Clericorum, pro occasione necessitatis vestes faciendi, aut caussa ordinandi domus, extraneam mulierem in domo sua habere præsumat.

De viduis. Ex epistola beati Gregorii Papæ Bonifacio Archiepiscopo missa, in qua inter cetera ita legitur decretum.

LXXXVIII. Viduas a proposito discedentes viduitatis, super quibus nos consulere voluit dilectio tua, frater carissime, credo te nosse a sancto Apostolo Paulo & a multis san-

(1) *Ut nullus familiaritatem.*) In veteri collectione canonum Andegavensi caput istud sic habet inter canones Augustodunenses: *Ut compatres nullus monachorum audeat habere, nec familiaritatem extranearum mulierum. Et qui inventus fuerit, severius corrigatur.*

sanctis patribus, nisi convertantur, olim esse damnatas; quas & nos apostolica auctoritate damnandas & a communione fidelium atque a liminibus Ecclesiæ arcendas fore censemus usque quo obediant Episcopis suis, & ad bonum quod cœperunt, invitæ aut voluntariæ revertantur. De virginibus autem non velatis, si deviaverint, a sanctæ memoriæ prædecessore nostro Papa Innocentio taliter decretum habemus, *Hæ vero quæ nec dum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulaverunt permanere, licet velatæ non fuerint, si nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est; quia sponsio earum a Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solvi sine vindicta non poterit*. & cetera. Nam si virgines nondum velatæ taliter pœnitentia publica puniuntur, & a cœtu fidelium usque ad satisfactionem excluduntur, quanto potius viduæ, quæ perfectioris ætatis & maturioris sapientiæ atque consilii existunt, virorumque consortio multotiens usæ sunt, & velari se permiserunt, habitumque religionis assumpserunt, & demum apostataverunt, atque ad priorem vomitum sunt reversæ, a nobis & ab omnibus fidelibus a liminibus Ecclesiæ & a cœtu fidelium usque ad satisfactionem sunt eliminandæ & carceribus tradendæ; qualiter, juxta beatum Apostolum Paulum, tradentes hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fit in die Domini. De talibus enim & Dominus per Moysen loquitur dicens: *Auferte malum de medio vestri*. De quibus & per Prophetam ait: *Lætabitur justus cum viderit vindictam. Manus suas lavabit in sanguine peccatoris*. De talibus namque eorumque similibus atque eisdem consentientibus (quia non solum qui faciunt, sed etiam qui facientibus consentiunt, rei sunt) Dominus per eundem Prophetam David loquitur dicens: *Videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas*. Et multa talia eorumque similia. Tales vero personæ indubitanter adulteræ esse manifestantur; quoniam, relicto immortali sponso, ad anteriorem ut canes ad proprium reversæ sunt vomitum, & apostatæ factæ, inlicita ac sacrilega se contagione polluentes, viris mortalibus se conglutinaverunt: quæ etiam, juxta eundem Apostolum Paulum, eo quod viduitatis propositum dimiserunt, & fidem quam cum Deo pepigerunt frangere præsumpserunt, atque primam fidem prævaricaverunt, sunt damnandæ a nobisque & a vobis atque a reliquis nostri ordinis viris, a singulis videlicet sua in diocesi, a liminibus Ecclesiæ & a cœtu fidelium usque ad satisfactionem, ut prædictum est, sunt eliminandæ. A talium autem consortio & societate omnes fideles in omnibus abstinere mandamus. Super quibus etiam placuit, quousque in ipso detestando & inlicito atque sacrilego carnis contubernio perseverant, ut nullus Christianorum, nisi quibus proprius studio corrigendi jusserit Episcopus, cum eis in quoquam communicet, aut ad domum in qua sunt accedat; cum quibus etiam, ut jamdictus sanctus præcipit Apostolus, nulli fidelium cibum sumere licet. Quod si quis ex his quicquam tentare aut temerare præsumpserit, pari cum eis excommunicationis sententia feriatur. & cetera.

De decimis quæ Ecclesiis dantur, ne eas Presbyteri vendere præsumant.

LXXXIX. Ut non præsumant Presbyteri decimas vendere quæ in pauperum & in Ecclesiarum usibus dantur, sicut hactenus, mirabile dictu, in horreis veteratæ, ad thesaurorum cumulum: in cujus rei testimonio multi pauperum de manibus sacerdotum requirendi moriuntur. Sed ubi Deo largiente abundaverint, ad sustentationem pauperum parentur tali in tempore.

De pauperibus a Presbyteris colligendis.

XC. Ut Presbyteri cotidie duos vel tres pauperes colligant ad lavandos pedes.

De prædiis quæ Presbyteri post ordinationem suam emerint.

XCI. Ut Presbyteri post ordinationem suæ paupertatis prædia comparantes, testamenta Ecclesiis confirment. Sin aliter, ut fraudatores removeantur. *Capitular. a.* 744. *c.* 11.

Ut Presbyteri ad tractanda eorum ministeria ad civitatem veniant.

XCII. Ut Presbyteri singillatim sub dispositione Episcopi in civitatibus veniant ad tractanda ministeria.

De his qui communicaverint, ut tribus horis suspendantur, propter cibi commixtionem.

XCIII. Ut doceantur communicantes duabus vel tribus suspendere horis, propter admixtionem cibi. *Infra c.* 150.

De satisfactione cotidiana sacerdotum.

XCIV. Ut sicut sine culpa nemo cotidie existit, ita sine cotidiana satisfactione nullus esse debet, etiam sacerdotum vel Christianorum.

De eo qui sine consensu Episcopi Presbyterum de Ecclesia ejecerit vel constituerit.

XCV. De his qui sine consensu Episcopi Presbyteros in Ecclesiis suis constituunt, vel de ecclesiis ejiciunt, & ab Episcopo vel a quolibet Misso dominico admoniti obedire noluerint, ut bannum nostrum reuvadiare cogantur, & per fidejussores ad placitum nostrum venire jubeantur. Et tunc nos decernamus utrum nobis placeat ut aut illum bannum persolvant, aut aliam harmiscaram sustineant. *V. c.* 98.

De Ecclesiis inter heredes divisis.

XCVI. De Ecclesiis quæ inter coheredes divisæ sunt consideratum est quatinus si secundum providentiam & admonitionem Episcopi ipsi coheredes eas voluerint tenere, & honorare faciant. Sin autem hoc contradixerint, ut in Episcopi potestate maneat utrum eas ita consistere permittat, aut reliquias exinde auferat. Et ubi ad nostrum beneficium Ecclesiæ pertinentes ita divisæ inventæ fuerint, ut describatur, & nobis renuntietur. *V. c. 99.*

De destructione Ecclesiarum.

XCVII. De Ecclesiis destructis, ut Episcopi & Missi inquisitionem faciant utrum per neglegentiam aut impossibilitatem destructæ sint. Et ubi neglegentia inventa fuerit, episcopali auctoritate emendare cogantur qui eas restaurare debuerant. Si vero per impossibilitatem contigit, ut aut pluriores sint quam necesse sit, aut majoris magnitudinis quam ut ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, Episcopus modum inveniat qualiter congrue emendari & consistere possint. *V. c. 275.*

Ne de manso Ecclesiæ dato contra sancita servitium exigatur.

XCVIII. De uno manso ad Ecclesiam dato, de quo aliqui homines contra statuta sibi servitium exigunt, quicunque pro hac caussa accusatus fuerit, Comes vel Missi hoc quod inde subtractum est Presbyteris cum sua lege restitui faciant. *V. c. 100. & infra cap. 163.*

De nonis & decimis quas quidam dare neglegunt.

XCIX. De his qui nonas & decimas jam per multos annos aut ex parte aut ex toto dare neglexerunt, volumus ut per Missos nostros constringantur ut secundum Capitularem priorem solvant unius anni nonam & decimam cum sua lege, & insuper bannum nostrum. Et hoc eis denuntietur, quod quicunque hanc neglegentiam iteraverit, beneficium unde hæc nona & decima persolvi debuit amissurum se sciat. Ita enim continetur in Capitulare bonæ memoriæ genitoris nostri in libro primo capitulo CLVII. *Ut qui Ecclesiarum beneficia habent, nonam & decimam ex eis Ecclesiæ cujus res sunt donent. Et qui tale beneficium habent, & ad medietatem laborant, ut de eorum portione proprio Presbytero decimas donent.* Item in Capitulari nostro in lib. II. cap. XXI. de eadem re: *De nonis quidem & decimis, unde & genitor noster & nos frequenter & in diversis placitis admonitionem fecimus, & per Capitularia nostra qualiter hæc observentur ordinavimus, volumus atque jubemus ut de omni conlaborato & de vino & fœno fideliter & pleniter ab omnibus nona & decima persolvatur. De nutrimine vero pro decima, sicut hactenus consuetudo fuit, ab omnibus observetur. Si quis tamen Episcoporum fuerit qui argentum pro hoc accipere velit, in sua maneat potestate, juxta quod ei & illi qui hoc persolvere debet convenerit. V. c. 276.*

De eo qui decimam dare neglexerit Ecclesiæ cujus esse debet, alterique Ecclesiæ eam dederit.

C. Quicunque decimam abstrahit de Ecclesia ad quam per justitiam dari debet, & eam præsumptiose vel propter munera aut amicitiam vel aliam quamlibet occasionem ad alteram Ecclesiam dederit, a Comite vel a Misso nostro distringatur ut ejusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat. *V. c. 276. Capitular. a. 829. tit. 1. c. 6. Infra c. 166.*

De decimis a populo dandis.

CI. De decimis quæ populus dare non vult nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est ne fiat. Et si quis contemptor inventus fuerit, ut nec Episcopum nec Comitem audire velit, si noster homo fuerit, ad præsentiam nostram venire compellatur; ceteri vero distringantur ut inviti Ecclesiæ restituant qui voluntarie dare neglexerunt. *V. c. 101. Infra c. 167.*

De his qui Ecclesias restaurare neglegunt de rebus earum quas in beneficium habent.

CII. Quicunque de rebus Ecclesiarum, quas in beneficium habent, restaurationes earum facere neglexerint, juxta Capitularem anteriorem, in quo de operibus ac nonis & decimis constitutum est, sic de illis adimpleatur, id est, in libro quarto capitulo XXXVIII. *De opere namque & restauratione Ecclesiarum consideratum est ut de frugibus terræ & animalium nutrimine una cum aliis rebus omnibus pleniter persolvantur, ut fiat secundum præceptum evangelicum, ubi ait: Decimas do omnium quæ possideo. & reliqua. De opere vero vel restauratione Ecclesiarum Comes & Episcopus sive Abbas una cum Misso nostro, quem ipsi sibi ad hoc elegerint, considerationem faciant ut unusquisque eorum tantum inde accipiat ad operandum & restaurandum quantum ipse de rebus Ecclesiarum habere cognoscitur. Similiter & Vassi nostri aut in commune tantum operis accipiant quantum rerum Ecclesiarum habent, vel unusquisque per se juxta quantitatem quam ipse tenet. Aut si inter eos convenerit ut pro opere faciendo argentum donent, juxta æstimationem operis in argento persolvant. cum quo pretio rector Ecclesiæ ad prædictam restaurationem operarios conducere & materiam emere possit. Et qui nonas & decimas dare neglexerit, primum quidem illas cum lege sua re-*

restituat, insuper & bannum nostrum solvat; ut ita castigatus caveat ne, sæpius iterando, beneficium amittat. V. c. 277.

De his qui agros dominicatos excolere negle-gunt, ne nonas ex eis persolvant.

CIII. De illo qui agros dominicatos propterea neglexit excolere ut nonas & decimas exinde non persolvat, & alienas terras ad excolendum propter hoc accipit, volumus ut de tribus annis ipsam nonam cum sua lege persolvat. Et si quis contemptor aut Missorum (1) nostrorum propter hoc extiterit, per fidejussores ad palatium venire compellatur. *V. c. 278. & infra c. 169.*

De beneficiis destructis.

CIV. De beneficiis destructis (2) hoc observetur quod in Capitulare priori continetur, id est, in libro IV. capitulo XXXVI. de eo qui beneficium desertum fecerit: *Quicunque beneficium suum occasione proprii desertum habuerit, & intra annum postquam ei a Comite vel Misso nostro notum factum fuerit, illud emendatum non habuerit, ipsum beneficium amittat. IV. c. 38. Capitular. a. 829. tit. 2. c. 1.*

De malis Scabinis ejiciendis.

CV. Ut Missi nostri, ubicunque malos Scabinos inveniunt, ejiciant, & totius populi consensu in locum eorum bonos eligant. Et cum electi fuerint, jurare faciant ut scienter injuste judicare non debeant. *Capit. a. 829. tit. 2. c. 2.*

De melioribus & veracibus eligendis.

CVI. Ut in omni comitatu hi qui meliores & veraciores inveniri possunt eligantur a Missis nostris ad inquisitiones faciendas & rei veritatem dicendam; & adjutores Comitum sint ad justitias faciendas. *Ibid. c. 3.*

De Scabinis qui propter munera aut amicitiam injuste judicaverint.

CVII. Volumus ut quicunque de Scabinis deprehensus fuerit propter munera aut propter amicitiam vel inimicitiam injuste judicasse, ut per fidejussores missus ad præsentiam nostram veniat (3). De cetero, omnibus Scabinis denuntietur ne quis deinceps etiam justum judicium vendere præsumat. *Ibid. c. 4.*

De legitimis & rationabilibus commutationibus Ecclesiarum Dei.

CVIII. Ubi commutationes tam tempore nostro quamque genitoris nostri legitimæ & rationabiles atque utiles Ecclesiis factæ sunt, permaneant. Ubicunque vero inutiles & incommodæ atque irrationabiles factæ sunt, dissolvantur; & recipiat unusquisque quod dedit. Ubi vero mortua manus interjacet, aut alia quælibet caussa, quæ rationabilis esse videatur, inventa fuerit, diligenter describatur, & ad nostram notitiam perferatur. *V. c. 110.*

De eo qui comprobatus fuerit testes in perjurium scienter induxisse.

CIX. Quicunque comprobatus fuerit de eo quod scienter testes in perjurium induxisset (4), sub fidejussione ad palatium nostrum venire compellatur, ut ibi cum fidelibus nostris consideremus quid de tali homine faciendum sit. *Capit. a. 829. tit. 2. c. 6.*

Ut nummos bonos nullus respuat.

CX. De bonis denariis, quos populus recipere non vult, volumus ut hoc observetur & teneatur quod in priori Capitulare nostro conscriptum est, id est, in libro quarto capitulo XXX. * *Quicunque liber homo vel in emptione vel in debiti solutione denarium merum & bene pensantem recipere noluerit, bannum nostrum, id est, sexaginta solidos, componat. Si vero servi ecclesiastici aut fiscalini nostri aut Comitum aut Vassallorum nostrorum hoc facere præsumpserint, sexaginta ictibus vapulent. Et si actores nostri aut aliorum vel Advocati eos Missis nostris vel Comitibus jussi præsentare noluerint, prædictum bannum, id est, sexaginta solidos, componant.* Et ad hanc constitutionem nostram adimplendam Episcopi & Abbates, sive reliqui qui beneficia nostra habent, adjuvent Comites in suis hominibus distringendis. Et si Comites hanc nostram constitutionem neglexerint, hoc per Missos nostros ad nostram notitiam perferatur. *Ibid. c. 7.*

* *IV. c. 32.*

De collectis malis omnimodis inhibendis.

CXI. Collectæ ad male faciendum fieri omnimodis prohibeantur. Et ubicunque hujusmodi præsumptiones factæ fuerint, digna emendatione corrigantur. Et si per negligentiam Comitis vel factæ sunt vel inemendatæ remanserunt, hoc ad nostram notitiam per-

(1) *Contemptor aut Missorum.*) Leg. *contemptor aut Comitum aut Missorum.* In capite 278. libri quinti legitur *Vassalorum* pro *Missorum*; quod idem est. Vide infra, cap. 169.

(2) *De beneficiis destructis.*) Caput istud sumptum est ex Capitulari anni DCCCXXIX. tit. 2. cap. 1.

(3) *Ad præsentiam nostram veniat.*) Vetus nota marginalis in codicibus regiis legis Longobardorum: *Hæc videtur rumpere legem Rachis* Cognovimus; *quia illa faciebat honorem amittere & guidrigilt componere, ista vero facit ad Regis præsentiam venire. Sed non rumpit, quia postquam ad Regem venerit, debet ut illa præcipit condemnari.*

(4) *In perjurium induxisset.*) Vide epistolam 56. Hincmari, quæ est ad Engilgarium virum illustrem, extatque apud Flodoardum lib. 3. cap. 26.

perferatur. Auctor vero facti, si fuerit Præpositus vel Advocatus sive Centenarius vel qualibet alia dignitate prædita libera persona, post legalem emendationem in loco factam, sub fidejussoribus ad nostram præsentiam veniat. Multitudo vero, sive de servis sive de liberis sit, legitima emendatione multetur. *Capitular. a.* 829. *tit.* 2. *c.* 10.

Ut pontes publici, qui destructi fuerint, iterum extruantur.

CXII. De pontibus publicis destructis placuit nobis ut hi qui jussionem nostram in reparandis pontibus contempserunt, volumus ac jubemus ut omnes homines nostri in nostram veniant præsentiam rationes reddere cur nostram jussionem ausi sunt contemnere. Comites autem reddant rationem de eorum pagensibus, cur eos aut non constrinxerunt ut hoc facerent, aut nobis nuntiare neglexerunt. Similiter & de injustis teloneis, ubicunque accipiuntur, sciant se exinde nobis rationem reddituros. *Ibid. c.* 11.

De examine aquæ frigidæ.

CXIII. Ut examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, a Missis nostris omnibus interdicatur ne ulterius fiat. *Ibid. c.* 12.

De reversione Comitis & pagensium de hostili expeditione, ut ex eo die super quadraginta dies sit bannus resisus.

CXIV. Postquam Comes & pagenses de qualicunque expeditione hostili reversi fuerint, ex eo die super quadraginta noctes sit bannus resisus, quod lingua Theodisca scatslegi (1), id est, armorum depositio, vocatur. *Ibid. c.* 13.

De audientia Regis. Et ut Comites & Missi dominici maximam curam habeant pauperum.

CXV. Hoc Missi nostri (2) notum faciant Comitibus & populo quod nos in omni hebdomada unum diem ad caussas audiendas & judicandas sedere volumus. Comites autem & Missi nostri magnum studium habeant, ne forte propter eorum neglegentiam pauperes crucientur, & nos tædium propter eorum clamores patiamur, si nostram gratiam habere velint. Populo autem dicatur ut caveat de aliis caussis se ad nos reclamare nisi de quibus aut Missi nostri aut Comites eis justitias facere noluerint. *Ibid. c.* 14.

De inferenda a Vicariis vel aliis Missis Comitum exigenda.

CXVI. Quicunque Vicarii vel alii ministri Comitum tributum quod inferenda (3) vocatur majoris pretii a populo exigere præsumpserit quam a Missis bonæ memoriæ genitoris nostri constitutum fuit, hoc est, duos solidos pro una vacca, hoc quod injuste superposuit atque abstulit sibique retinuit, his quibus hoc tulit cum sua lege restituat, & insuper fredum nostrum componat, & ministerium amittat. *Ibid. c.* 15.

De eo qui propter cupiditatem rerum quemcunque propinquorum suorum interfecerit.

CXVII. Quicunque propter cupiditatem rerum patrem, aut matrem, aut fratrem, aut sororem, vel nepotem, vel alium propinquum suum interfecerit, hereditas interfecti ad alios suos legitimos heredes perveniat. Interfectoris vero hereditas in fiscum redigatur. Ipse vero, ordinante Episcopo, publicæ pœnitentiæ subdatur. *Ibid. tit.* 3. *c.* 2.

De cujuslibet propria uxore dimissa, vel sine culpa interfecta.

CXVIII. Quicunque propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit, armis depositis, publicam agat pœnitentiam. Et si contumax fuerit, comprehendatur a Comite, & ferro vinciatur, & in custodiam mittatur, donec ad nostram notitiam deducatur. *V. c.* 300. *Infra c.* 161.

De eo qui res alienas cuilibet homini vendiderit.

CXIX. Quicunque res alienas cuilibet homini vendiderit, & ipse homo easdem res alicui alteri dederit sive vendiderit, & ipse qui tunc easdem res comparatas habet per malum ingenium proprio filio aut alteri cuilibet necdum legitimos annos habenti justitiæ tollendæ caussa tradiderit, volumus atque firmiter præcipimus ut si pater ejusdem par-

(1) *Scatslegi.*) Hæc est vera lectio, pro qua in codice Legis Longobardorum male legitur *berisliz*.

(2) *Hoc Missi nostri.*) Vide Joannem Isacium Pontanum lib. 6. originum Francicarum cap. 16.

(3) *Inferenda.*) Gesta Dagoberti I. cap. 31. *Attamen Saxones tributum quod reddere consueverant, per præceptionem Dagoberti hactenus habent indultum. Quingentas enim vaccas inferendales annis singulis a Clothario seniore censiti reddebant; quod tunc a Dagoberto Rege cassatum est.* Item infra cap. 37. *Super hæc vero centum vaccas inferendales, quæ ei de ducatu Cinomannico annis singulis solvebantur, fratribus inibi* (id est, in monasterio Sancti Dionysii) *Deo servientibus per proprii præcepti subscriptionem visus est omni futuro tempore annuatim concessisse.* Donum illud postea confirmavit Chilpericus Rex anno DCCXVI. ut patet ex ejus præcepto quod vir clarissimus Joannes Mabillonius edidit in calce tomi quarti Actorum ordinis Sancti Benedicti pag. 623. in quo hæc leguntur: *Chillardus Abba de baselica peculiaris patroni nostri Domni Dionysii clementiæ regni nostri suggessit eo quod bonæ memoriæ proavus noster Dagoberchthus quondam Rex per sua auctoritate manu sua roborata cartas cento soldaris quod in inferenda de pago Cinomanneco in fisci dictionebus sperabatur, ad ipsa Sancta baselica annis singulis concessisit.* Ubi vides pro *cartas cento* legendum haud dubie esse *vaccas centum*. Vide glossarium Francisci Pithœi ad Capitularia.

parvuli vixerit, ipse intret in caussam rationem reddendi pro filio suo. Si autem pater mortuus est, tunc legitimus ejus propinquus, qui juste ei tutor aut defensor esse videtur, pro ipso rationem reddere compellatur. Similiter de aliis omnibus justitiis ad eum pertinentibus; excepta sua legitima hereditate, quæ ei per successionem parentum suorum legitime evenire debuit. Quod si quis hanc nostram jussionem contempserit vel neglexerit, sicut de ceteris contemptoribus, ita de eo agatur. Is vero qui easdem res primus invaserit & injuste vendidit, nec non & emtores, excepta sola persona parvuli, hoc quod fraudulenter admiserunt, intra patriam emendare cogantur. Et postea, sicut contemptores jussionis nostræ, sub fidejussoribus ad nostram præsentiam venire compellantur. *Capitul. a. 829. tit. 3. c. 4. Infra c. 162.*

Anno feliciter XI. regni Domini nostri Karoli gloriosissimi Regis, in mense Martio, qualiter congregatis in unum Synodali Concilio Episcopis, Abbatibus, virisque inlustribus, una cum Comitibus, secundum Dei voluntatem, pro caussis opportunis censentur utiliter esse decreta.

De Metropolitanis.

CXX. De Metropolitanis, ut Episcopi suffraganei eis adjutores sint, & ea quæ erga ministerium illorum emendanda cognoscunt, libenti animo emendent atque corrigant. *Capitul. a. 779. c. I.*

De Episcopis ordinandis.

CXXI. De Episcopis. Ubi in præsens Episcopi ordinati non sunt, sine tarditate ordinentur. *Ibid. c. 2.*

De monasteriis sub regula constitutis.

CXXII. Ut monasteria quæ sub regula fuerint, sub regula vivant. Similiter & monasteria puellarum ordinem sanctum custodiant. Et unaquæque Abbatissa in suo monasterio sine intermissione resideat. *Ib. c. 3.*

De potestate Episcoporum super Presbyteros & Clericos.

CXXIII. Ut Episcopi de Presbyteris & Clericis infra illorum parrochiam potestatem habeant secundum canones. *Ibid. c. 4.*

De incestuosis hominibus.

CXXIV. Ut Episcopi incestuosos homines emendent, & magnam diligentiam habeant ex eis. Sed & de viduis infra suam parrochiam potestatem habeant ad corrigendum. *Ibid. c. 5.*

De alterius Clerico Episcopi non recipiendo nec ordinando.

CXXV. Ut non liceat alterius Clericum recipere nec ordinare ad aliquem gradum. *Ibid. c. 6.*

De homicidis qui secundum legem mori debent.

CXXVI. Ut homicidæ vel ceteri rei qui legibus mori debent, si ad Ecclesiam confugerint, non excusentur. Et si se emendare noluerint, nullus eis victus detur. *Ibid. cap. 8.*

De decimis dandis.

CXXVII. De decimis. Ut unusquisque suam decimam donet, atque per jussionem Episcopi dispensetur. *Ibid. c. 7.*

De latronibus ad placitum Comitis exhibendis.

CXXVIII. Ut latrones de infra emunitatem illi judices in Comitis placitum præsentent. Et qui hoc non fecerit, beneficium & honorem perdat. Similiter Vassi nostri, si hæc non adimpleverint, beneficium & honorem perdant. Et qui beneficium non habent, bannum solvant. *Ibid. c. 9.*

Ut perjuria quis faciens manum perdat.

CXXIX. De eo qui perjurium fecerit, ut nullam redemptionem solvat, sed manum perdat. Quod si accusator contendere voluerit de ipso perjurio, stent ad crucem. Et si jurator vicerit, lege sua accusator emendet. Hoc vero de minoribus caussis observandum. De majoribus vero rebus, aut de statu ingenuitatis, secundum legem custodiant. *Ibid. c. 10. V. c. 196.*

De vindicta & judicio latronum.

CXXX. De vindicta & judicio in latrones facto, testimonio Episcoporum, absque peccato Comitis esse dicunt, ita tamen ut absque invidia aut occasione mala nihil aliud ibi interponatur nisi vera justitia ad perficiendum. Quod ipse qui per odium vel malum ingenium, nisi præ justitia faciendo, hominem punierit, honorem suam perdat, & legibus contra quem injuste fecit, secundum pœnam quam intulit emendet. *V. c. 197.*

Ut regia sancita inviolate custodiantur.

CXXXI. Ea vero quæ bonæ memoriæ genitor noster in suis placitis & synodis constituit conservare volumus. *V. c. 305.*

De rebus Ecclesiarum, de quibus census exeunt, decimæ & nonæ solvantur.

CXXXII. De rebus vero Ecclesiarum, unde nunc censa exeunt, decimæ & nonæ cum ipso censo (1) solvantur. Et unde antea non exierunt, similiter nonæ & decimæ dentur. De casatis vero sexaginta solidi quinque,

(1) *Censo.* Pro *censu*, ut supra lib. 5. cap. 198. Charta Constantii Presbyteri pro Ecclesia Viennensi: *Ad censo concedere debeatis.* Infra: *Cum ipso censo dare vel adimplere potuero.*

que, de triginta solidi duo & dimidius, de quindecim transmissi quatuor. Et precariæ modo renoventur. Et ubi non sunt scriptæ, fiat descriptio inter conventores de verbo nostro. Et qui prædicta (1) facere noluerint, & spontanea voluntate hæc tria persolvere & precarias accipere citissime distulerint, perdant beneficia quæ habebant; quæ tamen Ecclesia unde erant absque ullius contradictione vel impedimento in perpetuum sibi vindicet. *V. c.* 198.

Ut de cerariis ita fiat sicut constitutum est.

CXXXIII. De cerariis & tabulariis ac chartelariis ita fiat sicut tempore longo decretum est. *V. c.* 199.

Ne aliquis pro gildoma sacramentum facere audeat.

CXXXIV. De sacramentis pro gildoma invicem conjurantibus, ut nemo facere præsumat. Alio vero modo de illorum eleemosynis, aut de incendiis, aut de naufragiis quamvis conhibentiam faciant, nemo in hoc jurare præsumat. *V. c.* 200.

Ut ad palatium pergentes nemo adsallire audeat.

CXXXV. De iterantibus qui ad palatium aut aliubi pergunt, ut eos per collectam nemo sit ausus adsallire. Et nemo herbam alterius, defensionis tempore, præsumat tollere, nisi in hostem pergat, aut Missus noster sit. *V. c.* 201.

De teloneis sicut a longo decretum est servetur.

CXXXVI. De teloneis, qualiter antea forbanniti fuerunt, observetur ut nemo tollat nisi quod ab antiquo tempore statutum erat. *V. c.* 202.

De mancipiis non vendendis nisi in præsentia rectorum.

CXXXVII. De mancipiis, ut non vendantur nisi aut in præsentia Episcopi vel Comitis, aut in præsentia Archidiaconi, aut Centenarii, aut Vicedomini, aut judicis Comitis, aut ante bene nota testimonia. Et ut foris marcam nemo mancipia vendat. Et qui hoc fecerit, tantas vices bannum solvat, quanta mancipia vendidit. Et si non habet pretium, in gaudium pro servo semetipsum Comiti donet usque dum ipse bannum solvat. *V. c.* 203.

De loricis extra regnum non vendendis.

CXXXVIII. De bruniis, ut nullus foras vestro regno vendere præsumat. *Capitul. a.* 779. *c.* 20.

De Comite justitias non faciente.

CXXXIX. Si Comes in suo ministerio justitias non fecerit, Missis nostris de suis exeniis serviat usque dum justitiæ ibi factæ fuerint. Et si Vassus noster justitias non fecerit, tunc & Comes & Missus noster ad ipsius casam sedeant, & de suo vivant usque justitias faciat. *V. c.* 204.

De eo qui pro faida pretium recipere noluerit.

CXL. Si quis pro faida pretium recipere non vult, tunc ad nos transmittatur, ut nos ipsum dirigamus ubi damnum nemini facere possit. *V. c.* 205.

De eo qui pro faida pretium solvere noluerit.

CXLI. Simili modo qui pro faida pretium solvere non vult & justitiam exinde facere, in talem locum illum mittere volumus ut pro eodem majus damnum non crescat. *Capitul. a.* 779. *c.* 22.

Quid agendum sit de latronibus.

CXLII. De latronibus ita præcipimus observandum, ut pro prima culpa non moriatur, sed unum oculum perdat; de alia vero culpa, nasus ipsius latronis truncetur; de tertia culpa, si se non emendaverit, moriatur. *V. c.* 206.

Qualiter pro Rege & exercitu ejus hac instanti tribulatione a fidelibus in orationibus & eleemosynis Deo supplicandum sit.

CXLIII. Capitulare qualiter institutum est in hoc Episcoporum consensu. Id est. Ut unusquisque Episcopus tres Missas & tria psalteria, unum pro Domno Rege, & aliud pro exercitu Francorum, tertium pro præsenti tribulatione. Presbyter unusquisque Missas tres. Monachi & monachæ & Canonici, unusquisque psalteria tria. Et biduanas omnes faciant tam Episcopi quamque monachi & monachæ & Canonici. Sed & eorum infra casatum homines, vel qui potentes sunt. Et unusquisque Episcopus, Abbas, & Abbatissa, qui hoc facere potest, libram donet de argento aut valente in eleemosyna; mediocres vero mediam libram; minores vero solidos quinque. Episcopi, Abbates, et Abbatissæ pauperes famelicos quatuor pro ista stricitate nutrire debeant usque ad tempora messium. Et qui tantum non possunt, juxta quod possibilitas est, ut tres, vel duos, aut unum. Comites fortiores libram de argento aut valente donent in eleemosyna, mediocres vero dimidiam libram, de casatis centum solidos quinque, de quinquaginta unciam unam. Et faciant biduanas, et eorum ho-

(1) *Et qui prædicta.*) Hæc & reliqua quæ sequuntur desunt in Capitulari anni DCCLXXIX. & in libro quinto Capitularium. Omissa etiam sunt in vulgatis editionibus, studio brevitatis.

homines, atque eorum casatus, vel qui hoc facere possunt. Et qui redimere ipsam biduanam voluerit, fortiores Comites uncias tres, minores denarios triginta, minores solidum unum. Et de pauperibus famelicis sicut scriptum est ipsi faciant. Hæc omnia, si Domino placuerit, pro Domno Rege & exercitu Francorum & pro præsente tribulatione Missa sancti Johannis sint completa. *V. cap.* 207.

Ne Presbyter vel reliqui Clerici aut ullus fidelium præsumat decimas vendere, vel donare, aut pignorare, Ecclesiæque quoquo modo alienare.

CXLIV. Nullus Presbyter aut Diaconus, vel quilibet Clericus aut laicus, decimas vendere, aut dare, vel pignorare, aut indebitare præsumat antequam eas cum omni integritate fideliter collectas habeat, & infra septa Ecclesiæ, cui jure debentur, in suis utiliter graneis collectas habeat, & postea juxta præceptum proprii Episcopi secundum canonicas sanctiones atque decreta beati Gelasii Papæ eas dispenset. Si quis autem hæc parvipenderit vel infringere tentaverit, si quidem Clericus fuerit, gradus sui periculo subjacebit. Si vero monachus vel laicus fuerit, communione privetur. *VII. c.* 214.

De providentia Episcopi circa Archidiaconos.

CXLV. Ut prævideant Episcopi ne cupiditas Archidiaconorum culpas nutriat sacerdotum; quia multis modis mentitur iniquitas sibi. *Capitul. a.* 744. *c.* 12.

De non ejiciendis de sepulchris ossibus mortuorum.

CXLVI. Ut nullus ossa mortuorum de sepulchris audacter ejiciat. *VI. c.* 198.

De non jurando.

CXLVII. Ut unusquisque caveat jurare: quia perjuri regnum Dei non possidebunt, sicut nec adulteri. *VI. c.* 374.

De prædiis a Presbyteris emptis, Ecclesiis propriis confirmandis.

CXLVIII. Ut Presbyteri pauperes ordinati, prædia comparantes, Ecclesiis confirment. *V. c.* 52.

De satisfactione cotidianorum delictorum.

CXLIX. Ut sicut sine culpa nemo cotidie, ita sine cotidiana satisfactione nullus esse debet, etiam sacerdorum.

De communicantium suspensione.

CL. Ut doceantur communicantes duabus vel tribus se suspendere horis, propter admixtionem cibi. *Supra c.* 93.

De conventu Presbyterorum ad civitatem caussa discendi.

CLI. Ut Presbyteri singillatim sub dispositione Episcopi in civitates veniant sua ad tractanda ministeria. *V. c.* 2. *VII. c.* 130. 147.

De pauperum collectione a Presbyteris.

CLII. Ut Presbyteri cotidie duos vel tres pauperes colligant ad lavandos pedes.

De non vendendis Ecclesiarum decimis.

CLIII. Ut ulterius non præsumant Presbyteri decimas vendere, quæ in pauperum & Ecclesiarum usibus dantur, sicut hactenus, mirabile dictu, horreis veteratæ sunt, ad thesaurorum cumulum. in cujus rei testimonio multi pauperum de manibus sacerdotum requirendi moriuntur. Sed ubi Deo largiente abundaverint, ad sustentationem pauperum parentur famis tempore.

De formatis faciendis. Et ut sine formata nullus proficiscatur Clericus. Ex Concilio Africano vel Milevitano capitulo XX. Ut sine formatis nemo ad comitatum proficiscatur, vel qualiter fiant formatæ.

CLIV. Placuit ut quicunque Clericus propter necessitatem suam alicubi ad comitatum ire voluerit, formatam ab Episcopo suo accipiat. Quod si sine formata voluerit pergere, a communione removeatur. Quod si alicubi ei repentina necessitas orta fuerit ad comitatum pergendi, alleget apud Episcopum loci ejus ipsam necessitatem, & de hoc scripta ejusdem Episcopi deferat. Formatæ autem quæ a Primatibus vel a quibuscunque Episcopis Clericis propriis dantur, habeant diem Paschæ. Quod si adhuc ejusdem anni Paschæ dies incertus est, ille præcedens adjungatur, quomodo solet Post consulatum (1) in publicis gestis adscribi.

De

(1) *Post consulatum.*) Hæc verba, quæ Concilii secundi Milevitani sunt, plane ostendunt vulgatissimam rem Theodosii Honoriique principiatu in Africa fuisse ut gestis publicis adscriberetur *Post consulatum*, tametsi annus quo gesta illa conscribebantur suos Consules ordinarios haberet. Quod non solum in Africa sed etiam in ceteris Romani Imperii partibus obtinuisse observat Baronius ad annum Christi cccx. ubi scribit accidisse plerunque ut etiam cum certi essent alicujus anni Consules, tamen acta publica post consulatum anni superioris Consulum consignata habeantur. Sed quoniam viro docto Paschasio Quenello nuper placuit id factum aliquando a Conciliis Africanis fuisse præter notarum consularium morem, annos enim computatos olim fuisse per uniuscujusque anni Consules ordinarios quandiu dignitas consularis perseveravit, & usum scribendi *Post consulatum* tunc solummodo introductum fuisse cum ordinarii Consules non erant designati, istam porro annos numerandi rationem longe post Rustici Narbonensis Episcopi tempora iniri cœptam, adeoque hinc juvari non posse interpretationem, quam nos adhibuimus antiquæ inscriptioni quæ initia demonstrat Episcopatus ejus-

De Clericis neglegentibus, Ex Concilio Agathensi capitulo II. De contumacibus Clericis & ad officium tardis.

CLV. Contumaces vero Clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur. Et si qui prioris gradus elati superbia communionem fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio

---

ejusdem Rustici; res poscere videtur ut testimoniis approbemus sententiam Baronii nostramque esse veram & usum notandorum annorum per Consules anni superioris diu ante Valentiniani III. ac Rustici tempora cœpisse. Utar autem in primis auctoritate patris fastorum Onuphrii Panvinii, quam scio plurimum valituram apud eundem virum doctum. Onuphrius ergo in commentariis ad librum secundum fastorum A. V. C. MLXI. qui in annum Christi CCCIX. incidit, hæc adnotat: *Quum deinceps frequens mentio futura sit annorum sine Cos. quos per hæc tempora post consulatus appellabant, non alienum ab re erit pauca quædam de his annis tradere.* Annus enim CCCIX. & sequens notati a Cassiodoro reperiuntur post consulatum Diocletiani X. & Maximiani VII. cum tamen ut idem Onuphrius & Baronius observatum reliquerunt, anno CCCIX. Maxentius & Maximus gesserint consulatum. Anno Christi CCCLI. Maguentius & Gaiso Consules fuerunt, ut notat auctor libri de Præfectis apud Onuphrium. Et tamen liber Cuspiniani, Cassiodorus, & Socrates lib. 2. cap. 26. hic ipso anno adscribunt post consulatum Sergii & Nigriniani, qui superiore anno gesserant consulatum. Annus Christi CCCLXXV. in fastis inscribitur post consulatum Gratiani Aug. III. & Equitii. Anno Christi CCCXCVIII. Concilium Carthaginense quintum dicitur celebratum post consulatum Cæsarii & Attici, cum tamen eo anno Honorius IV. & Eutychianus Consules notentur in fastis. Sequenti anno Manlius Theodorus & Flavius Eutropius erant Consules. Et tamen Concilium Africanum, quod eo anno habitum est, celebratum scribitur P. C. Honorii Aug. IV. & Eutychiani. Deinde anno Christi quadringentesimo Stilico & Aurelianus consulatum gesserunt; annoque sequenti, quo Vincentius & Fravita Consules fuerunt, Concilium Africanum secundum notatur esse congregatum P. C. Flavii Stiliconis. Annus postea CCCCIX. inscriptus reperitur consulatu Honorii VIII. & Theodosii III & post consulatum eorum legitur habitum Concilium Africanum VIII. eo tempore quo Varanes erat Consul; post cujus consulatum, anno nimirum sequenti, habita est collatio Carthaginensis inter Catholicos & Donatistas, tametsi tum Theodosius Aug. gereret quartum consulatum. Annus CCCCXVIII. Consules habuit Honorium XII. & Theodosium VIII. quibus anno sequenti substituti sunt Monaxius & Plinta. Istorum tamen mentionem non faciunt gesta duorum Conciliorum apud Carthaginem congregatorum anno CCCCXIX. quæ habita dicuntur P. C. Honorii XII. & Theodosii VIII. Sed nihil illustrius in hoc argumento proferri potest quam acta Concilii Ephesini, quę notant habitum illud fuisse post consulatum Theodosii Imperatoris XIII. & Valentiniani III. cum tamen constet eodem anno Consules creatos esse Bassum & Antiochum, sub quibus Prosper ait congregatam apud Ephesum fuisse synodum plus ducentorum Episcoporum adversus Nestorium. In actione nona & decima Concilii Chalcedonensis referuntur acta synodorum in Tyro & Beryto celebratarum anno CCCCXLVIII. in causa Ibæ Episcopi Edesseni, in quibus scriptum est illas fuisse habitas post consulatum Flavii Zenonis & Posthumiani. Scio illustrissimum Cardinalem Baronium admonuisse erratum utrobique fuisse in consignanda synodorum istarum epocha, & auctores Romanæ Conciliorum editionis in margine nonæ actionis Chalcedonensis ista adnotasse: *Hi duo Episcoporum conventus habiti sunt his Consulibus, non post eorum consulatum, & hic annus est CCCCXLIII. ab ortu Christi. Quare aut alia numerandi ratio servata est & ab alio principio ducta, aut mendum in numeris irrepsit. Sed cum omnes codd. Mss. quos habuimus, tam Græci quam Latini, sic legant, nihil mutare voluimus.* Ergo hic non disputo utrum acta illa mendosa in hoc loco sint, neque utrum legitima sit Baronii & editorum Romanorum emendatio. Satis mihi est quod omnes antiqui codices Græci & Latini præferunt lectionem quæ in vulgatis editionibus reperitur. Ex his ergo quæ dicta hactenus sunt manifestum est rationem numerandi annos post consulatum longe ante Rustici Narbonensis Episcopi tempora cœpisse & ævo ejus maximo in usu fuisse, Itaque rem minime insolentem is fecit quum tempus conlocati liminis in Ecclesia Narbonensi notavit in anno quarto post sextum Valentiniani consulatum, tametsi tum Posthumiani Zenonisque consulatus vigeret. Quod enim idem vir eruditus, his difficultatibus victus quas ipse sibi fecit, putat aliam ineundam esse Rusticianæ inscriptionis explicandæ viam, & quartum illum annum non a consulatu sexto Valentiniani sed a jactis basilicæ fundamentis numerandum censet, ingeniosa quidem conjectura est, sed quæ nulla probabili ratione, nullo simili exemplo nititur, & quam vel solus ordo verborum refellit quæ in prima inscriptionis linea leguntur. Nam si de anno quarto a jactis basilicæ fundamentis intelligenda illa sunt, cur Rusticus annum illum quartum non conjunxit potius cum die, quo limen collocatum est, quam cum sexto Valentiniani consulatu? Præterea certum est limen illud non esse collocatum anno quarto a jactis basilicæ fundamentis, sed quinto. Etenim si verum est, uti profecto ambigi non potest quin verum sit, jacta fundamenta fuisse trigesima septima die a deposito pariete Ecclesiæ dudum exustæ, id est, die XVIII. mensis Novembris anni XV. episcopatus Rustici, certum quoque esse debet ab eo die usque ad tertium Kalendas Decembris anni XIX. episcopatus ejusdem Rustici superesse duodecim aut tredecim dies super quatuor annos, adeoque limen Ecclesiæ Narbonensis positum non esse anno quarto a jactis basilicæ fundamentis, sed quinto. Sane quæ contra ab eodem viro docto afferuntur de paucis diebus super quatuor annis additis & de numero rotundo quatuor annorum, ea leviora sunt quam ut existimare oporteat eum credidisse magni illa momenti esse ad constituendam novam suam opinionem de initiis episcopatus Rustici. Quemadmodum enim apud Jurisconsultos extra controversiam est annum inchoatum seu cœptum sæpius pro completo seu pleno accipi, ita verum est duodecimum, exempli causa, annum esse cum quantumlibet ex duodecimo anno venerit aut præterierit, ut docet Pomponius in l. 41. ff. deo manumiss. testam. *Ita loqui solemus*, inquit, *duodecimus annus est, cum quantumlibet ex duodecimo anno venisset aut præteriisset.* Hinc apud Socratem lib. 2. cap. 26. & Sozomenum lib. 4. cap. 1. consulatus Sergii & Nigriniani ac cædes Constantii Imperatoris, quę anno illo facta est mense Martio apud Helenam oppidum

nio tribuatur; ita ut cum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula, gradum suum dignitatemque recipiant. *VII. c.* 237. 311.

De non pergendum Clericis sine permissu Episcopi ad judices seculares. Ex Concilio Agathensi capitulo XXXII. Ut Clericus inconsulto Episcopo ad judicem secularem non pergat.

CLVI. Clericus nequaquam præsumat apud secularem judicem, Episcopo non permittente, pulsari. Sed si pulsatus fuerit, non respondeat. Nec audeat criminale negotium in judicio seculari proponere. Si quis vero secularium per calumniam Ecclesiam aut Clericum fatigare tentaverit, & victus fuerit, ab Ecclesiæ liminibus & a catholica communione, nisi digne pœnituerit, coerceatur. *VI. c.* 157. *& seq.*

Ne

---

dum pagi Ruscinonensis, conferuntur cum anno quarto post habitum Sardicense Concilium, qui in initiis omnino suis erat. Quippe Concilium Sardicense congregatum est anno CCCXLVII. & Sergius ac Nigrinianus creati sunt Consules anno trecentesimo quinquagesimo. Adeo autem proclive est annos ita vulgo numerare, ut cum Baronius in actione undecima Concilii Chalcedonensis ista legisset, *Hodie quatuor anni sunt & Romanus Episcopus eum deposuit*, quæ verba sunt Stephani Episcopi Ephesini adversus Basianum adversarium suum, tempus depositionis istius rejecerit in annum CCCCXLVIII. a die videlicet IV. Kal. Novembris anni CCCCL. numerando retrogrado ordine. Itaque ut ad rem nostram redeamus, puto ex his quæ huc usque dicta sunt liquere morem notandi tempora annosque distinguendi post consulatum diu ante Rustici Narbonensis Episcopi ætatem introductum fuisse; inscriptionem porro, quæ istius controversiæ occasio fuit, positam esse anno CCCCXLVIII. qui erat quartus post sextum Valentiniani III. consulatum, adeoque Rusticum ordinatum fuisse Episcopum anno CCCCXXX. uti nos contendimus. Neque est quod quis hic mihi objiciat insolentem esse hanc scribendi rationem, ut cum quis significare vult annum quartum post consulatum, dicat anno quarto Consule tali. Quamvis enim non admodum gravate fatear id factum esse extra vulgarem scribendi modum, non inde tamen colligi potest annum illum quartum non esse explicandum de anno quarto post sextum Valentiniani consulatum, præsertim cum ostenderimus referri illum non posse ullo modo ad annum quartum a jactis basilicæ fundamentis. Neque vero exemplis adeo destitutus est iste loquendi modus quin auctoritate quoque antiquitatis confirmari possit. Extat post Novellas Justiniani Imp. apud Julianum Antecessorem constitutio Justini junioris, in cujus calce adnotatum est eam datam esse Indictione tertia, anno quinto imperii & anno secundo post consulatum ejus, mendose tamen, cum Indictio tertia & annus quintus imperii non conveniant anno secundo post consulatum Justini, sed quarto. Marii porro chronicon habet *Anno IV. Cons. Justini Jun. Aug.* pro eo quod in constitutione ipsa legitur *post consulatum*; eodemque postea modo designatus est annus secundus post consulatum Tiberii. Sed ut lector de toto isto negotio facilius judicare possit, recudenda hic est inscriptio Narbonensis, quæ istius disputationis fundus est. Sic ergo habet.

DO. ET. XPO. MISERANTE. LIM. HOC. C. L. K. T. E. ANNO. IIII. CS.
VALENTINIANO. AVG. VI. IIIKL. D. XVIIII. ANNO. EPTVS. RVSTI. ...

RVSTICVS. EPS. EPI. BONOSI FILIVS
EPI. ARATORIS. DE SORORE NEPVS
EPI. VENERISOCI. IN MONASTERIO
CONPRB. ECCLE. MASSILIENS.
ANNO. XV. EPTVS. SVI. D. ANN. V. III. ID. OCTB
C. VRSoPRBo. HERMETE. DIACo. ET EOR. SEQ. TIB.
COEP. DEPON. PARIET. ECCL. DVD. EXVSTAE
XXXVII. D. QVAD. INFVNDAM. PONI. COEPI.
ANNO. II. VII. ID. OCTB. ABSID. P. F. MoNTANVS. SVBD.
MARCELLVS. GALL. PREF. DI. CVLTOR. PRECE
EXEGIT. EPM. HOC. ONS. SVSCIP. INPENDIA
NECESSAR. REPROMITENS. QVAE PER
BIENN. ADMINIST.
SVAEPREBV. ARTIFI. B.
MERCED. SOL. ∂C
ADOPER. E CETER. SOL. I. ∂

HINC. OBLAT. SCI
EPI. VENERI SOL. C....
EPI. DYNAMI. L....
ORESI. CC....
AGROECI. I....
ET DECONIÆ.....
SALVTI............

Ne Clericus vel monachus sine licentia Episcopi sui proficiscatur. Ex Concilio Agathensi capitulo XXXVIII. Ut sine epistola Episcopi sui non liceat Clerico vel monacho proficisci.

CLVII. Clericis sine commendatitiis epistolis Episcopi sui licentia non pateat evagandi. In monachis quoque præsentis sententiæ forma servetur. Quod si verborum increpatione non emendaverit, etiam verberibus statuimus eum coerceri. *VII. c. 269.*

Ne Clericus sine permissu Episcopi sui proficiscatur. Ex Concilio Agathensi capitulo LII. De Clericis qui sine epistola Pontificis sui proficiscuntur.

CLVIII. Presbyter aut Diaconus vel Clericus sine antistitis sui epistolis ambulans, communionem ei nullus impendat. *VI. cap.* 154.

De his qui in propriis provinciis non communicant. Ex Concilio Africano capitulo XVIII.

CLIX. Placuit ut quicunque non communicans in propria provincia, in aliis provinciis vel transmarinis partibus ad communicandum obrepserit, jacturam communionis vel clericatus excipiat.

De patratoribus diversorum malorum.

CLX. Sunt sane diversorum malorum patratores, quos & lex divina improbat & condemnat; pro quorum etiam diversis sceleribus & flagitiis populus fame & pestilentia flagellatur, & Ecclesiæ status infirmatur, & regnum periclitatur. Et quamquam hæc in sacris eloquiis satis sint exsecrata, nos necessarium prævidimus iterum nostra admonitione & exhortatione atque prohibitione præcaveri omnino oportere; sicut sunt diversarum pollutionum patratores, quas cum masculis & pecoribus nonnulli diversissimis modis admittunt; quæ incomparabilem dulcedinem piissimi creatoris ad amaritudinem provocantes, tanto gravius delinquunt quanto contra naturam peccant: pro quo etiam scelere igne cœlesti conflagratæ infernique hiatu quinque absorptæ sunt civitates, nec non & quadraginta & eo amplius millia stirpis Beniamineæ mucrone fraterno confossa sunt. Hæc porro indicia & evidentes vindictæ declarant quam detestabile & exsecrabile apud divinam majestatem hoc vitium extet. Scimus enim quoniam (1) talium criminum patratores lex Romana, quæ est omnium humanarum mater legum, igne cremari jubet. Vobis ergo omnibus terribiliter denuntiamus, vestrisque cunctis ac vobis famulantibus atque subditis una vobiscum sub Dei districto judicio atque fidelitate nostra præcipimus ab his caveri, & hæc facientibus nec verbis nec factis ullo modo consentire: quoniam qui talia agunt, Apostolo pollicente, regnum Dei non consequentur. Tempus namque est ut multitudini pereuntis populi parcatis, quæ sequendo exempla peccantis Principis cadebat in puteum mortis. Quia quantoscunque vel per bona exempla ad vitam cœlestis patriæ contrahimus, vel per mala exempla ad perditionem sequentes præimus, de tantis procul dubio ab æterno judice vel pœnas vel præmia accepturi sumus. Si enim gens nostra, sicut per istas provincias divulgatum est, & nobis in Francia & in Italia improperatur, & ab ipsis paganis improperium est, spretis legalibus connubiis, adulterando & luxuriando ad instar Sodomitanæ gentis fœdam vitam duxerit, de tali commixtione meretricum æstimandum est degeneres populos & ignobiles & furentes libidine fore procreandos, & ad extremum universam plebem ad deteriora & ignobiliora vergentem, & novissime nec in bello seculari fortem, nec in fide stabilem, & nec honorabilem hominibus nec Deo amabilem esse venturam. Sicut aliis gentibus Hispaniæ & Provinciæ & Burgundionum populis contigit, quæ sic a Deo recedentes fornicatæ sunt, donec judex omnipotens talium criminum ultrices pœnas per ignorantiam legis Dei, & per Sarracenos venire & servire permisit. Et notandum quod in illo scelere aliud immane flagitium subterlatet, id est, homicidium. Quia dum illæ meretrices, sive monasteriales, sive seculares, male conceptas soboles in peccatis genuerunt, sæpe maxima ex parte occidunt; non implentes Christi Ecclesias filiis adoptivis, sed tumulos corporibus, & inferos miseris animabus satiant. Absit enim ut pro talibus pereatis (2) & nos simul cum regno cadamus, gloriaque totius regni pereat: quoniam ex præcedentibus agnovimus quæ secuturis, nisi prævisa fuerint, possunt evenire. Satius est quoque nobis talibus carere quam cum his ruere, regnumque ab ethnicis atque ejus popularibus futuro tempore adnullari vel possideri. Scire enim vos cupimus quia quicunque super his aut faciens aut libenter consentiens inventus fuerit, nos eum juxta prædictam Romanam legem velle punire.

De eo qui propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam ducit.

CLXI. Quicunque propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit, armis depositis, publicam agat pœnitentiam. Et si contumax fuerit, comprehendatur

(1) *Scimus enim quoniam.*) Hæc non extant in Concilio Parisiensi, ex quo prima capitis istius pars sumpta est. Addita itaque constitutioni synodali sunt a Ludovico Imperatore.

(2) *Pereatis.*) Leg. forte *peccatis.*

tur a Comite, & ferro vinciatur, & in custodia mittatur, donec res ad nostram notitiam deducatur. *Supra c.* 118.

De eo qui res alienas malo ingenio emptas filio suo aut cuilibet personæ legitimos annos non habenti tradiderit.

CLXII. Quicunque res alienas cuilibet homini vendiderit, & ipse homo easdem res comparatas habet per malum ingenium, proprio filio aut alteri cuilibet necdum legitimos annos habenti justitiæ tollendæ caussa tradiderit, volumus atque firmiter præcipimus ut si pater ejusdem parvuli vixerit, ipse intret in caussam rationem reddendi pro filio suo. Si autem ipse pater mortuus est, tunc legitimus ejus propinquus, qui juste ei tutor aut defensor esse videtur, pro ipso rationem reddere compellatur. Similiter de aliis omnibus justitiis ad eum pertinentibus; excepta sua legitima hereditate, quæ ei per successionem parentum suorum legitime evenire debuit. Quod si quis hanc nostram jussionem contempserit vel neglexerit, sicut de ceteris contemptoribus, ita de eo agatur. Is vero qui easdem res primus invasit & injuste vendidit, necnon & emptores, excepta sola persona parvuli, hoc quod fraudulenter admiserunt, intra patriam emendare cogantur, & postea, sicut contemptores jussionis nostræ, sub fidejussoribus ad nostram præsentiam venire compellantur. *Supra c.* 119.

Ut de uno manso ad Ecclesiam dato nullum humanum exigatur servitium. Quod qui fecerit, cum sua lege emendet.

CLXIII. De uno manso ad Ecclesiam dato, de quo aliqui homines contra statuta sibi servitium exigunt, quicunque pro hac caussa accusatus fuerit, Comes vel Missi hoc quod inde subtractum est Presbyteris cum sua lege restitui faciant. Et quicunque de uno manso ad Ecclesiam dato præter ecclesiasticum exegerit servitium, Episcopo vel Comite distringente, hoc legibus emendet, *V. c.* 100.

De his qui nonas & decimas vel restaurationes aut census dare neglegunt, ut hoc legibus emendent, & insuper bannum nostrum persolvant.

CLXIV. De his qui nonas & decimas jam per multos annos aut ex parte aut ex toto dare neglexerunt, volumus ut per Missos nostros constringantur ut secundum Capitularem priorem solvant unius anni nonam & decimam cum sua lege, & insuper bannum nostrum. Et hoc eis denuntietur, quod quicunque hanc neglegentiam iteraverit, beneficium unde hæc nona & decima persolvi debuit amissurum se sciat. Ita enim continetur in Capitulare bonæ memoriæ genitoris nostri in libro I. capitulo CLVII. ut nonæ & decimæ legibus reuvadientur, & insuper bannus dominicus a neglegente persolvatur. *V. c.* 276.

Ut qui Ecclesiarum beneficia habent, nonam & decimam ex eis Ecclesiæ cujus res sunt donent. Et de nonis & decimis non redimendis, nisi Episcopo placuerit.

CLXV. Qui tale beneficium habent, & ad medietatem laborant, ut de eorum portione proprio Presbytero decimas donent. Item in Capitulari nostro in libro II. capitulo XXI. de eadem re. *De nonis quidem & decimis, unde & genitor noster & nos frequenter & in diversis placitis admonitionem fecimus, & per Capitularia nostra qualiter hæc observentur ordinavimus, volumus atque jubemus ut de omni conlaborato & de vino & de fœno pleniter & fideliter ab omnibus nona & decima persolvatur. De nutrimine vero quod in decima dandum est, sicut hactenus consuetudo fuit, ab omnibus observetur. Si quis tamen Episcoporum fuerit qui argentum pro hoc accipere velit, in sua maneat potestate, juxta quod ei & illi qui hoc persolvere debet convenerit. I. c.* 157.

De his qui decimam Ecclesiæ injuste, non secundum dispositionem Episcopi, cui debetur auferunt, & aliubi aut propter amicitiam aut propter munera dare præsumunt.

CLXVI. Quicunque decimam abstrahit de Ecclesia ad quam per justitiam dari debet, & eam præsumptiose vel propter munera aut amicitiam aut aliam quamlibet occasionem ad alteram Ecclesiam dederit, a Comite vel a Misso nostro distringatur ut ejusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat. *V. c.* 276.

De his qui decimas, nisi a se quoquo modo redimantur, dare neglegunt, ut firmiter adstringantur, qualiter vel inviti hoc emendent.

CLXVII. Decimas quæ populus dare non vult nisi quo vult modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est ne fiat. Et si quis contemptor inventus fuerit, ut nec Episcopum nec Comitem audire velit, si noster homo fuerit, ad nostram præsentiam venire compellatur. Ceteri vero distringantur, ut inviti Ecclesiæ restituant qui voluntarie dare neglexerunt. *V. c.* 101.

De his qui restaurationes Ecclesiarum earumque domorum facere vel decimas & nonas dare neglegunt, si se non correxerint, ut beneficia perdant.

CLXVIII. Quicunque de rebus Ecclesiarum, quas in beneficium habent, restaurationes earum facere neglexerint, juxta Capitularem anteriorem, in quo de operibus ac nonis & decimis constitutum est, sic de illis adimpleatur, id est, in libro quarto capitulo XXXVIII. *De opere vero vel restauratione Ecclesiarum Comes & Episcopus sive Abba una cum Misso nostro, quem ipsi sibi ad*

ad hoc elegerint, considerationem faciant, ut unusquisque eorum tantum inde accipiat ad operandum & restaurandum quantum ipse de rebus Ecclesiarum habere cognoscitur. Similiter & Vassi nostri aut in commune tantum operis accipiant quantum rerum ecclesiasticarum habent, aut unusquisque per se juxta quantitatem quam ipse tenet. Aut si inter eos convenerit ut pro opere faciendo argentum donent, juxta æstimationem operis in argento persolvant: cum quo pretio rector Ecclesiæ ad prædictam restaurationem operarios conducere & materiam emere possit. Et qui nonas & decimas dare neglexerit, primum quidem illas cum lege sua restituat, insuper & bannum nostrum solvat; ut ita castigatus caveat ne, sæpius iterando, beneficium amittat. V. c. 277. Capitul. a. 829. tit. 1. c. 9.

Ut hi qui terras dominicatas propterea excolere nolunt ut nonas & decimas inde solvant, pleniter constringantur ut hæc de tribus annis legibus persolvant.

CLXIX. De illis qui agros dominicatos propterea neglegunt excolere ut nonas & decimas exinde non persolvant, et alienas terras ad excolendum propter hoc accipiunt, volumus ut de tribus annis ipsam nonam et decimam cum sua lege persolvant. Et si quis contemptor aut Comitis aut Missorum nostrorum propter hoc extiterit, per fidejussores ad palatium venire compellatur. *V. cap. 278. Supra c. 103.*

De teloneis, ubi non exigantur.

CLXX. Statutum est ut ubi tempore avi nostri Domni Pippini consuetudo fuit teloneum dare, ibi et in futurum detur. Nam ubi noviter inceptum est, ulterius non agatur. Et ubi necesse non est fluvium aliquem ponte transmeare, vel ubi navis per mediam aquam et sub ponte ierit, et ad ripam non adpropinquaverit, nec ibi aliquid emptum vel venundatum fuerit, ulterius teloneum non detur. Et nemo cogat alium ad pontem ire ubi juxta pontem aquam transmeare potest. Et qui ulterius in talibus locis vel de his qui ad palatium seu in hostem pergunt, teloneum exactaverit, cum sua lege ipsum teloneum reddat, et bannum nostrum, id est, sexaginta solidos componat. *IV. c. 31.*

De rebus Ecclesiæ quæ absque ulla repetitione ab eadem Ecclesia per triginta annos possessæ sunt, ut nulla testimonia super hanc deinceps possessionem recipiantur.

CLXXI. Ut de rebus (1) Ecclesiarum, quæ ab eis per triginta annorum spatia sine ulla interpellatione possessæ sunt, testimonia non recipiantur; sed eo modo contineantur sicut res ad fiscum nostrum pertinentes contineri solent. *Capitul. a. 829. tit. 1. c. 8.*

(1) *Ut de rebus.*) Certum est hanc constitutionem esse Ludovici Pii, cui etiam tribuitur a Reginone. Et tamen Burchardus eam refert *ex Concilio Matiscensi cap. 7.*

Capitularium Regum Francorum Finis.

FRAN-

FRANCISCI PITHŒI GLOSSARIUM AD LIBROS CAPITULARIUM.

Numerus Romanus Librum, Arabicus Capitula deſignat.

Admonitum quoque Lectorem velim, quod cum citentur tres Appendices, eas inveniet in fine Libri IV.

A

A*Bſis.*) V. 117. Canone 32. ſynodi Carthaginenſis tertię. Veteres Gloſſæ: *Abſida, ſedes Epiſcoporum.* B. Auguſtinus Albinæ: *Ad noſtra ſubſellia relicta turba redieram.* & paulo poſt: *Dicebam ego quibus poteram, qui ad nos in abſidem honoratiores & graviores aſcenderant.* Idem Maximino Epiſcopo Donatiſtæ: *Tranſit honor hujus ſeculi, tranſit ambitio. In futuro Chriſti judicio nec abſidæ gradatæ, nec cathedrę velatæ nec ſanctimonialium occurſantium atque cantantium greges adhibebuntur ad defenſionem.* Evodius lib. 1. de miraculis B. Stephani cap. 3. & lib. 2. cap. 2. Paulinus ad Severum: *In quo æque abſidem factam indicavit. Sed de hoc, abſidam aut abſidem magis dicere debuerim, tu videris; ego neſcire me fateor, quia hoc verbi genus nec legiſſe reminiſcor:* Sic veteres. Iſidor. 15. orig. cap. 8, Hincmarus Rhemenſis de geſtis habitis pro divortio Thietbergæ: *Et ſacri canones jubent ut pœnitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impoſituram manuum & cilicium ſuper capita a ſacerdote, ſicut ubique vulgatum eſt, ante abſidam accipiant, quod unuſquiſque publice pœnitens ab Epiſcopo ſuo, de cujus parochia eſt, debet ſuſcipere.*

Actor dominicus.) IV. 44. *actor rei dominicæ Rationalis.* l. 11. C. Th. de juriſdiction. omn. Judic. l. 4. de conlation. fundor. patrim. Significatur & actionis nomine quodlibet officium. Victor perſec. African. 2. Juſtinian. pragmat. Gregor. Turon. 4. hiſt. Franc. cap. 36. de gloria martyr. 2. 16. Marculfus: *Ideo actionem comitatus, ducatus, patriciatus, in pago ill. quam anteceſſor tuus ill. videtur egiſſe, tibi ad agendum regendumque commiſimus.*

Acupictile.) I. 75. *Phrygium opus.* Iſidor. 9. origin. cap. 19. Servius in illud Virgil. *Et Phrygiam Aſcanio chlamydem.*

Adnuntiatio.) Append. II. 9. Sic *Adnuntiatio Karoli & nepotis ejus Lotharii apud S. Quintinum &c. Volumus vos ſcire quod fecit noſter conventus.* & alibi: *Adnuntiatio Karoli apud Piſtas.* Item: *Adnuntiatio Ludovici Regis apud Confluentem.*

Adrhamire ſacramenta.) III. 58. IV. 28. *jurare. Arramir* Francis.

Molt les cyſſez arramir
Serement faire & foy plevir
Que par morir ne s'y falleront.
Tel fra comm' il fera feront.

Adrhamire ſe.) III 58. IV. 29. Marculfus: *Veniens ante nos homo ille ibi in palatio noſtro, placitum ſuum legibus cuſtodivit quod habebat apud hominem nomine illo, quod ipſe vel per ſuam feſtucam ante nos viſus fuit adrhamiſſe. Sed nuncupatus ille nec ad placitum ſuum venit, nec ipſum ſacramentum juravit.*

Advenæ.) III. 18. *Aubains. Albani.* Nam Scotivagi. Vide, *Scotorum hoſpitalia.* Sic a Sclavis *Eſclaves.* In vita Bonifacii Moguntini: *Ut a Sclavis Chriſtianorum terras habitantibus tributum exigatur, ne ſibi proprium vindicent quod colunt.* In duplomate Hlotharii & Hludouvici ad petitionem Eliſiardi Epiſcopi Pariſienſis: *Nec de liberis hominibus albaniſque ac colonis in ſupradicta terra commanentibus aliquem cenſum vel aliquas redhibitiones accipere.*

Advocati.) IV 3. *Advoez. Defenſores ſive protectores.* Ex Canone 99. Africanæ ſynodi poſt conſulatum Stiliconis inducta eſt advocatorum defenſio pro cauſis Eccleſiæ. Vide privilegium quod monaſterio Uttenburrhano conceſſit Carolus Magnus apud Bruſchium. In Edicto Cariſiacenſi Karoli Calvi anni DCCCLXIV. *Et ipſe ſic mallum ſuum teneat ut barigildi ejus & advocati, qui in aliis comitatibus rationes habent, ad ſuum mallum occurrere poſſint.* Chronicon Beſuenſe: *Anno octavo regni ſui Clotharius Rex defenſorem & advocatum Gengulfum virum illuſtriſſ. monaſterio Beſuenſi inſtituit. quod ejus litteræ indicant, Petiit a nobis ut illuſt. vir Gengulfus omnes cauſas ipſius monaſterii ad proſequendum & redintegrandum deberet recipere.*

Agenda.) V. 55. VI. 306. Synodus Karthaginenſis ſecunda cap. IX. *Agenda mortuorum* in lectionario B. Hieronymi. *Agenda veſpertina vel matutina* in regula B. Benedicti. Beda in vita Auguſtini: *Per omne ſabbathum a Presbytero loci illius agendæ eorum ſollenniter celebrantur.*

Aggeres Ligeris.) IV. 10. *Turcis & levees de Loire.* Gloſſ. *Agger, prata, via publica.* Hieronymus in chronico: *Propter inundationem aggeres conſtruxit.*

Alode.) I. 120. Gallicum vocabulum. Plin. 11. 37. Sueton. in Julio cap. 24. *Res mancipi* Sigeberto dicitur Cap. 20. lib. 3. hic. Can. 42. ſy-

synodi Meldensis. Karolus in capitulis quæ constituta sunt apud Suessionas anno 853. *Et postea in alodem data sunt, ut describant quæ sint, & a quo vel a quibus in proprietatem data sunt.* Et in adnuntiatione Hludovici Regis: *Et illorum alodes de hereditate, & de conquisitu, & quod de donatione nostri senioris habuerunt.* Ibidem: *Ut Missi nostri his qui firmitatem fecerunt, alodes illorum quos de hereditate & de tali conquisitu qui de nostra donatione non venit &c.* Hereditas Reginoni: *Ut perderent ingenuitatem & hereditatem.* Ado: *Baptizatis Saxonibus, ex ingenuitate & alode firmitas roborata.* Flodoardus ex Hincmaro: *Cupiens cavere ne census ipse deperiret, & villa in alodem verteretur, & ecclesiastica mancipia in servos & ancillas dispertiantur.*

Ἀλογευθεῖσαι.) VII. 356. κτηνοβατῶσι Harmenopulo.

Ambo.) I. 82. *Pulpitum.* Beatus Cyprian. epist. 33. & veteri interpr. can. 25. synodi Laodicenæ. Epiphanius Tripartitæ x. cap. IV. *Episcopus vero Eutropio sub altare jacente, nimioque repercusso timore, residens super ambonem, ubi solebat prius facere consuetum sermonem.* Socrat. VI. cap. V. καθεσθεὶς ἐπὶ τοῦ ἄμβωνος, ὅθενπερ εἰώθει καὶ πρότερον ὁμιλεῖν, χάριν τοῦ ἐξακούεσθαι. Zonaras in Anastas. οἱ ἐν τῷ ἄμβωνι ὡς ἐπὶ ὀκρίβαντος στάντες, Eustathio in Odyss. ὀκρίβαντας, καὶ πᾶσα ὑπεροχὴ καὶ ὁ ἄμβων. Benedictus cunctis Episcopis in Caroli gloriosi Regis regno morantibus: *Ut in divinis celebrandis mysteriis, more Subdiaconorum, sacras lectiones, conscendens ambonem, populis nuntiaret.*

Angelorum nomina.) I. 16. contra Adebertum & Clementem. In synodo Romana sub Zacharia Papa, quæ refertur in vita Bonifacii: *Cumque per ordinem legeretur, pervenit ad locum ubi ait: Precor vos & conjuro vos & supplico me ad vos angele Uriel, angele Raguel, angele Tubuel, angele Michael, angele Adimis, angele Tubuas, angele Sabaoth, angele Simihel. Dum vero hæc oratio sacrilega usque ad finem perlecta fuisset &c. Quid aliud agendum est nisi ut omnia quæ coram nobis lecta sunt igne concrementur? Octo enim nomina angelorum quæ in sua oratione Adebertus invocavit, non angelorum, præter Michaelis, sed magis dæmonum nomina sunt &c. Nos autem, ut a vestro sancto apostolatu edocemur, & divina tradit auctoritas, non plus quam trium angelorum nomina agnoscimus, id est, Michael, Gabriel, Raphael.*

Annona.) I. 112. 125. Gregorius Turon. 3. de virtut. B. Martini cap. 3. *Accepta annona ad molam vadit, impositoque tritico, molam manu vertere cœpit.* Art. 59. Speculi Saxonum: *Qui prius annonam molendino præsentaverit, prius molere debet.*

Aquæ ferventis aut frigidæ judicium.) IV. 13. Additione IV. 113. Leg. Frisio. tit. 3. Burchardus in lege quam dedit familiæ. Hincmarus pro Lothario: *Hoc examinandus judicio conligatus in aquam dimittitur, & aut purgatus statim judicio arbitrorum absolvitur, aut usque ad purgationem conligatus judicio examinatur.* Idem Hincmarus contra Hincmarum Laudunensem: *Præfati homines quia non liberæ conditionis sunt, aut cum aqua frigida, aut cum aqua calida, inde ad judicium Dei exirent.* Cujus ritus & aliorum ejusmodi & precum concipiendarum formulæ variæ pro cujusque regionis more editæ sunt. Quæ sequuntur, extant in ordine Dunstani Dorobernensis Ecclesiæ Archiepiscopi ex bibliotheca illustris Ecclesiæ Parisiensis & mea.

Incipit Exorcismus aquæ ad judicium Dei demonstrandum.

Ex Ordine Dunstani Archiepiscopi Dorobernensis.

III. *Peractis coram sacerdote trium dierum jejuniis, cum homines vis mittere ad judicium aquæ frigidæ ob comprobationem, ita facere debes. Accipe illos homines quos vis mittere in aquam, & duc eos in Ecclesiam, & coram omnibus illis cantet Presbyter Missam, & faciat eos ad ipsam Missam offerre. Cum autem ad communionem venerint; antequam communicent, interroget eos sacerdos cum adjuratione & dicat.* Adjuro vos ill. & ill. per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & per vestram Christianitatem quam suscepistis, & per unigenitum Dei Filium, & per Sanctam Trinitatem, & per sanctum evangelium, & per istas sanctas reliquias quæ in ista Ecclesia sunt, & per illud baptismum quo vos sacerdos regeneravit, ut non præsumatis ullo modo communicare neque accedere ad altare si hoc fecistis aut consensistis, aut scitis quis hoc egerit, *Si autem tacuerint, & nulli hoc dixerint, accedat sacerdos ad altare & communicet. Postea vero communicet illos quos vult in aquam mittere. Cum autem communicaverint, dicat sacerdos ante altare per singulos.* Corpus hoc & sanguis Domini nostri Jesu Christi sit tibi ad probationem hodie.

Incipit Missa judicii.

Antiphona. Justus es Domine, & rectum judicium tuum, fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam. *Psalm.* Beati immaculati.

ORATIO.

Absolve quæsumus Domine tuorum delicta famulorum, ut a peccatorum suorum nexibus, quæ pro sua fragilitate contraxerunt, tua benignitate liberentur, & in hoc judicio prout meruerunt, tua justitia præveniente, ad veritatis censuram pervenire mereantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum.

Lectio libri Levitici.

In diebus illis locutus est Dominus ad Moysem dicens: Ego sum Dominus Deus vester. Non faciatis furtum, non mentiamini, nec decipiat unusquisque proximum suum. Non perjures in nomine meo, nec polluas nomen Dei tui. Ego Dominus. Non facias calumniam proximo tuo, nec vi opprimas eum. Non moretur opus mercenarii tui apud te usque mane. Non maledicas surdo, nec coram cæco ponas offendiculum. Sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus, dicit Dominus omnipotens.

Item alia Lectio epistolæ beati Pauli Apostoli ad Ephesios.

Fratres, Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. Irascimini, & nolite peccare. Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, jam non furetur. Magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti.

Graduale. Propitius esto Domine peccatis nostris, ne quando dicant gentes, Ubi est Deus eorum. *Versus.* Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter honorem nominis tui Domine libera nos. *Alleluja.* Deus judex justus, fortis, & patiens, numquid irascetur per singulos dies.

Se-

Sequitur sanctum evangelium secundum Marcum.

In illo tempore cum egressus esset Jesus in via, procurrens quidam genu flexo ante eum rogabat eum dicens: Magister bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam? Jesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus. Præcepta nosti? Ille dixit: Quæ? Non occidas, non adulteres, non fureris, non falsum testimonium dicas, non fraudem feceris. Honora patrem tuum & matrem tuam. At ille respondens ait: Magister, hæc omnia custodivi a juventute mea. Jesus autem intuitus eum dilexit eum, & dixit ei: Unum tibi deest. Vade, quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me.

Offertorium.

Immittet angelum Dominus in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Gustate & videte quoniam suavis est Dominus.

Et hic offerant. Secreta.

Intercessio sanctorum tuorum misericordiæ tuæ Domine munera nostra conciliet, ut quam merita nostra non valent, eorum deprecatio indulgentiam valeat obtinere. Per Dominum.

Præfatio.

Æterne Deus, qui non solum peccata dimittis, sed ipsos etiam justificas peccatores, & reis non tantum pœnas relaxas, sed dona largiris & præmia, cujus nos pietatem supplices exoramus ut famulos tuos illos non de præteritis judices reatibus, sed hujus culpæ veritatem spectantibus insinues; quatinus & in hoc populus tuus præconia nominis tui efferat, & te vitæ præsentis & perpetuæ auctorem agnoscat. Per Christum Dominum nostrum.

Benedictio ad judicium.

Deus, de quo scriptum est quia justus es & rectum judicium tuum, fac cum his servis tuis secundum misericordiam tuam, ut non de pristinis judicentur reatibus, sed in hoc, prout meruerunt, tua benedictione præveniente, veritatis subsequatur judicium. Amen.

Et qui justus es & amator justitiæ, & a cujus vultu videtur æquitas, fac in conspectu populi tui ut nullis malorum præstigiis veritatis tuæ fuscentur examina. Amen.

Petitiones nostras placatus intende, & culparum omnium præteritarum eis veniam clementer attribue. Et si culpabiles sunt, tua larga benedictio non eis ad suffragium, sed hujus culpæ ad insinuandam veritatem proficiat. Amen: Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum.

Hic communicent per sacerdotem, & dicat sacerdos.

Corpus hoc & sanguis Domini nostri Jesu Christi sit vobis ad probationem hodie.

Antiphona post communionem.

Justus Dominus & justitiam dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.

Post communionem.

Perceptis Domine Deus noster sacris muneribus, suppliciter deprecamur ut hujus participatio sacramenti & a propriis nos reatibus indesinenter expediat, & in famulis tuis veritatis sententiam declaret. Per Dominum nostrum.

Expleta Missa, faciat ipse sacerdos aquam benedictam, & pergat ad locum ubi homines probentur. Cum autem venerit ad ipsum locum, det illis omnibus bibere de aqua. Cum autem dederit, dicat ad unumquemque hominem: Hæc aqua fiat tibi ad probationem. *Postea vero conjuret aquam ubi culpabiles mittat.*

Incipit adjuratio aquæ.

Deus qui per aquarum substantiam judicia tua exercens diluvii inundatione millia populorum interemisti, & Noe justum cum suis salvandum censuisti, Deus qui in mari rubro cuneos Ægyptiorum involvisti, & agmina Israelitica imperterrita abire jussisti, virtutem tuæ benedictionis his aquis infundere & novum ac mirabilem signum in eis ostendere digneris, ut innocentes a crimine furti vel homicidii vel adulterii aut alterius nævi, cujus examinationem agimus, more aquæ in se recipiant & in profundum pertrahant, conscios autem hujus criminis a se repellant atque rejiciant, nec patiantur recipere corpus quod ab onere bonitatis evacuatum ventus iniquitatis allevavit & inane constituit; sed quod caret pondere virtutis, careat pondere propriæ substantiæ in aquis. Per Christum Dominum nostrum.

Alia adjuratio.

Adjuro te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te in principio creavit & jussit ministrare humanis necessitatibus, qui etiam jussit segregari te ab aquis superioribus. Adjuro etiam te per ineffabile nomen Jesu Christi filii Dei vivi, sub cujus pedibus mare & elementum divisum se calcabile præbuit, qui etiam baptizari se in aquarum elemento voluit. Adjuro etiam te per Spiritum sanctum, qui super Dominum baptizatum descendit. Adjuro te per nomen sanctæ & individuæ divinitatis, cujus voluntate aquarum elementum divisum est, & populus Israel siccis pedibus statim transivit, ad cujus etiam invocationem Heliseus ferrum, quod de manubrio exierat, super aquam natare fecerat, ut nullo modo suscipias hos homines ill. si in aliquo sunt culpabiles de hoc quod illis objicitur, scilicet aut per opera, aut per consensum, vel per conscientiam, seu per ullum ingenium, sed fac eos super te natare. Et nulla possit contra te causa facta aut ullum præstigium inimici quod illud possit occultare. Adjurata autem per nomen Christi, præcipimus tibi ut nobis per nomen ejus obedias cui omnis creatura servit, quem Cherubin & Seraphin collaudant, dicentes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Exercituum*; qui etiam regnat & dominatur per infinita secula seculorum.

Alia.

Adjuro te creatura aquæ per Deum Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per tremendum diem judicii, & per duodecim Apostolos, & per septuaginta duos discipulos, & per duodecim Prophetas, & per viginti quatuor seniores qui assidue Dominum laudant, & per centum quadraginta quatuor millia quæ sequuntur agnum, & per omnia agmina sanctorum angelorum, archangelorum, thronorum, dominationum, principatuum, potestatum, virtutum, Cherubin atque Seraphin, & per omnia millia sanctorum martyrum, confessorum, & virginum. Adjuro te per sanguinem Domini nostri Jesu Christi, & per quatuor evangelia, & per quatuor Evangelistas, necnon & per septuaginta duos libros veteris ac novi testamenti, & per omnes scriptores sanctos ac doctores eorum. Adjuro te per sanctam Ecclesiam catholicam, & per communionem sanctorum, & per resurrectionem eorum, ut fias aqua exorcizata, adjurata, & obfirmata adversus inimicum hominis diabolum, & adversus hominem qui ab eo seductus furtum hoc vel homicidium aut adulterium, unde ratio agitur, perpetravit, ut nullatenus eum in te submergi aut in profundum trahi permittas, sed a te repellas atque rejicias, neque patiaris recipere corpus quod ab onere bonitatis inane est factum; sed quod caret pondere virtutis, careat pondere propriæ substantiæ in te. Innocentes vero a prædicto crimine more aquæ in te recipias, & in profundum innocuos pertrahas. Per Dominum nostrum.

Post has autem conjurationes aquæ, exuantur homi-

hominos qui mittendi sunt in aquam propriis vestimentis, & osculentur singuli evangelium & crucem Christi, & aqua benedicta super omnes adspergatur; & qui adsunt omnes jejunent, & sic projiciantur singuli in aquam. Et si submersi fuerint, inculpabiles reputentur, Si supernataverint, rei esse judicentur.

Incipit adjuratio ferri vel aquæ ferventis.

IV. *In simplo unum pondus, in triplo tria ferrum æquiparet pondera; & in illa adjuratione non adsint, ut prædiximus, nisi jejuni. Et dictis letaniis, sic sacerdos in loco ubi ferrum accenditur, vel aqua infervescatur, adjurationem initiando incboet.*

Deus qui per ignem signa magna ostendens Abraham puerum tuum de incendio Chaldæorum quibusdam pereuntibus eruisti, Deus qui rubum ardere ante conspectum Moysi & minime comburi permisisti, Deus qui ab incendio fornacis Chaldaicis plerisque succensis tres pueros tuos illæsos eduxisti, Deus qui incendio ignis populum Sodomæ & Gomorræ involvens, Loth famulum tuum cum suis saluti donasti, Deus qui in adventu sancti Spiritus inlustratione ignis fideles tuos ab infidelibus decrevisti, ostende nobis in hoc parvitatis nostræ examine virtutem ejusdem sancti Spiritus & per hujus ignis fervorem discernere fideles, & infideles, ut a tactu ejus furti, vel homicidii vel adulterii, cujus inquisitio agitur, conscii exhorrescant, & manus eorum vel pedes comburantur aliquatenus, immunes vero ab ejusmodi crimine liberentur penitus & inlæsi permaneant. Per Dominum nostrum.

Alia.

Deus judex justus, fortis, auctor & amator pacis, patiens & multum misericors, qui judicas quod justum est, & rectum judicium tuum, qui respicis super terram & facis eam tremere, tu Deus omnipotens, qui per adventum filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum salvasti, & per ejus passionem genus humanum redemisti, hanc aquam ferventem vel hoc ferrum fervens sanctifica. Qui tres pueros Sidrac, Misac, & Abdenago jussu Regis Babylonis in camino ignis accensa fornace salvasti & inlæsos per angelum sanctum tuum eduxisti, tu clementissime pater, dominator omnipotens, præsta ut si quis innocens de furto hoc, vel homicidio, aut adulterio, seu maleficio, in hoc ferrum fervens vel in hanc aquam ferventem miserit manum suam, salva, te præstante Domino nostro, permaneat. Et sicut tres pueros supradictos de camino ignis ardentis liberasti, & Susannam de falso crimine eripuisti, sic manum innocentis omnipotens Deus ab omni læsionis insanie salvare dignare. Et si quis culpabilis vel noxius & tumido corde, induratoque pectore, vel superba mente, reus de hoc furto vel homicidio, aut adulterio, seu maleficio manum miserit in hoc ferrum vel aquam ferventem, tu Deus omnipotens justissima pietate & rectissimo judicio illud declarare & manifestare digneris, ut anima ejus per pœnitentiam salvetur. Et si ille nocens vel culpabilis sit, & per aliquod maleficium vel per herbas aut per causas diabolicas induraverit, & peccatum quod fecit confiteri noluerit, tua dextera, quæsumus Domine, hoc declarare dignetur. Per Dominum.

Item tertia.

Deus innocentiæ restitutor & amator, qui auctor pacis es & judicas æquitatem, te subnixis rogamus precibus ut hoc ferrum ignitum ordinatum vel hanc aquam ordinatam ad justitiam & examinationem cujuslibet dubietatis benedicere & sanctificare digneris; ita ut si innocens de hoc furto, vel homicidio, vel adulterio, vel maleficio, unde purgatio quærenda est, in hoc ignitum & tua benedictione sanctificatum ferrum, vel in hanc aquam fervidam & tua benedictione sanctificatam, manus vel pedes immiserit, tua benignissima miseratione inlæsus appareat. Si autem culpabilis atque reus contempserit, & quasi tentator judicium tuum adierit, aut per herbas vel quæcunque tentamenta sive molimina maleficiosa peccata sua contueri & defendere inflatus per afflatorem malitiæ contra veritatis tuæ examen voluerit, justissime & misericordissime Domine Deus ad hoc virtus tua, quæ omnia superat, in eo cum veritate, quæ permaneat in seculum seculi, declaretur, quatinus justitiæ tuæ non dominetur iniquitas, sed veritati subdatur falsitas, & ut ceteri hoc videntes ab incredulitate sua te miserante liberentur. Qui vivis.

His peractis, aqua benedicta cunctis adstantibus detur ad degustandam, & adspergatur per totam domum, & ferrum proferatur, quod a culpato coram omnibus accipiatur, & per mensuram novem pedum portetur, manus sigilletur, sub sigillo servetur, & post tres noctes aperiatur. Et si mundus est, Deo gratuletur. Si autem insanies crudescens in vestigio ferri inveniatur, culpabilis & immundus reputetur.

In aqua fervente accipiat homo lapidem qui per funem suspendatur in simpla probatione per mensuram palmæ, in tripla autem unius ulnæ. Manus vero sigilletur & aperiatur ut supra diximus in consecratione ferri.

Incipit exorcismus panis hordeacii vel casei, quorum appensio unius unciæ.

V. *Primitus faciat sacerdos letanias, & omnes qui intus sunt cum eo jejuni sint, & sic incipiat.*

Conservator & creator humani generis, dator gratiæ spiritalis, largitor æternæ salutis, tu emitte Spiritum tuum super hanc creaturam panis vel casei cum tremore & timore magnitudinis brachii tui adversus eum qui cum superbia & contumacia ac zelo iniquo venit & vult subvertere justitiam & conculcare judicium. Fac eum Domine in visceribus angustari, ejusque guttur conclude, ut panem vel caseum istum in tuo nomine sanctificatum devorare non possit hic qui injuste juravit ac negavit illud furtum vel homicidium aut adulterium seu maleficium quod quærebatur, & jusjurandum pro nihilo habuit, & nomen tuum nominavit ubi rectum non erat. Te quæsumus ut non ei permittas illud abscondere, quia justus es Domine, & rectum judicium tuum, qui custodis veritatem in seculum, faciens judicium injuriam patientibus, & custodis pupillum, ac viduam suscipis, & viam malignorum exterminabis. Ideo ostende nobis Domine misericordiam tuam, ut humiles ac mansueti ac recti propter veritatem gaudeant, superbi autem & iniqui ac cupidi contristentur & humilientur usque dum confiteantur magno & sancto nomini tuo, & cognoscant ceteri quia nomen tibi Dominus, & tu solus altissimus super omnem terram, & servi tui in te glorientur & laudent nomen tuum in secula seculorum. Amen.

Item alia.

Domine Jesu Christe, qui regnas in cælis & in terris, & mirabilis es in omnibus operibus tuis, dominator dominantium, Deus angelorum, Deus Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, & omnium electorum, præsta quæsumus per sanctum ac mirabile nomen tuum ut qui reus est hujus furti, vel homicidii, aut adulterii, seu maleficii, de quo hic requiritur, vel in facto vel in conscientia, ad adpositam ei pro osten-

ostensione veritatis creaturam panis sanctificati vel casei faux ejus claudatur, guttur ejus stranguletur, & in nomine tuo ante illud rejiciatur quam devoretur. Sed & spiritus diabolicus, cui nulla est communio cum tua superna veritate, in hoc negotio ad subvertendum judicium pravis præstigiorum suorum molitionibus nil prævaleat. Sed qui reus & conscius est rei præfatæ, ad hoc pabulum sanctificati panis vel casei, & præsertim per dominici corporis & sanguinis communionem quam accepit, tremat & tremendo palleat, & nutabundus in omnibus membris appareat; innoxius vero & inscius sobrie ad salubritatem sui cum omni facilitate hanc partem panis vel casei in nomine tuo signatam manducando deglutiat; ut cognoscant omnes quia tu es justus judex, qui salvos facis sperantes in te, & non est alius præter te, qui vivis & regnas Deus per omnia secula seculorum.

Tertia Oratio.

Deus cujus scientia senariam circumscriptionem angelicis & humanis elongatam sensibus sola interius penetrat & exterius concludit, quem nulla cælestium vel terrestrium aut infernorum vota fallere possunt, quanto magis cor unius hominis culpabile; respice ad preces nostræ humilitatis, quibus famulatum sacri indidisti ordinis, & præsta, non nostris exigentibus meritis, sed tuorum omnium suffragantibus sanctorum precibus, ut quod in hac culpa humanos latet oculos, & sermonum humanæ procacitatis obtegitur defensionibus, tua cælesti & superna moderatione sine ullo reveletur obstricamine; & sicut solus verus es, veritatis in hoc sententiam elucidare digneris: quatinus innocentes sine ulla difficultate hoc pabulum probationis deglutiant, obnoxii autem obtrepidante mentis statu, & totius compagine corporis vacillante, quod in tuo sancto nomine consecratur & benedicitur, nullatenus devorandi valetudinem percipiant, sed coram omnibus invalitudine confusi, quod præsumptione immerita susceperunt, cum irrisione projiciant. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Arma.) III. 22. VI. 90. Can. 17. synodi Moguntinæ: *Laicis vero qui apud nos sunt arma portare non præjudicemus, quia antiquus mos est & ad nos usque pervenit.* Can. 8. synodi Salegunst. *Decretum est etiam ut nemo gladium in Ecclesiam portet, regali tantum excepto.*

Auctoritas.) I. 82. Videnda quæ ex synodis Rhemensi & Toletano referunt Burchardus lib. 2. Collectarii canonum & Ivo parte 6. Decreti.

B

Balationes.) VI. 196. Can. 62. synodi sextæ in Trullo. Can. 80. synodi Brach. & synodi Rom. sub Lothario & Ludovico cap. 35. *Ut sacerdotes admoneant viros & mulieres qui festis diebus ad Ecclesiam conveniunt, ne balando & turpia verba decantando chоros teneant & ducant.* Nobis *Balz.* apud Vopiscum *Ballistea.* Gloss. βαλλίζω, *ballo*. Meminit & Athenæus τὰ βαλλισμά.

Bannus dominicus.) III. 63. IV. 1. VII. 22. 31. 32. *Bannus regius* lib. 2. Speculi Saxonici art. 61. *id est, multa quæ est sexaginta solidorum.* Inde consuetudinibus nostris majores multæ solidis sexaginta frequentius taxantur. *Bannus francilis* in edicto Karoli regis Carisiacensi de monetis.

Annonam super bannum dominicum rapere.) III. 66. Abbo: *Quod si is locus interdicto vestro & ut sollemniter dicamus, vestro banno jure tenetur adstrictus.*

Proprietas sive possessio in bannum missa.) III. 45. IV. 24. Hincmarus Karolo Regi: *Quicquid de rebus & facultatibus ecclesiasticis sibi in episcopali ordinatione munere Spiritus sancti ad gubernandum & dispensandum commissis acceperat, jussione vestra per Vicecomitem illius pagi in bannum, quod in lingua Latina proscriptio confiscando vocatur, est missum.*

Banniri.) III. 40. Marculfus: *Ideo jubemus ut omnes pagenses vestros tam Francos quam Romanos bannire & locis congruis per civitates, vicos, & castella congregare faciatis.* Fredegarius scholasticus, sive continuator Gregorii Turonensis: *Exercitum in auxilium Sisenandi, totum regnum Burgundiæ bannire præcepit.*

Baptizentur de quibus dubium est utrum baptizati.) VI. 184. In epistola Gregorii Papæ ad Bonifacium Moguntinum: *Baptizentur a paganis baptizati.* VII. 401. in altera epistola Gregorii Papæ ad eundem Bonifacium. Videatur epist. Zachariæ Papæ in vita ejusdem Bonifacii.

Bastonicum.) VI. 97. *Arctissima custodia.*

Battere.) I. 75. *battre*. In admonitione Karoli Pistis: *Et de manopere in scuria battere noluit.* Repperio in Glossario: *Battutum*, τυπτηθέν. *Battuit*, κατεκόπτει; quo modo scribendum videtur apud Suetonium. Sic *Battualia* quæ vulgo *battalia*, exercitationes militum vel gladiatorum Adamantio Martyrio. Inde *Battaile*.

Bauga.) Append. II. 5. *Armillæ.* VI. 223. *Bogen* quidem Alamannis *arcus*.

Beneficium.) I. 157. In vita Sancti Gothardi Episcopi Hildesemensis: *Institutum monasticum præclare illic profecit usque ad dissensionem quæ extitit inter Ludovicum Caroli magni filium & liberos ejus. Ea enim tempestate complures spoliabantur Ecclesiæ, monasteria vastabantur, atque in his etiam Altahense, cujus possessiones a fidelibus ei collatæ militantibus, pro voluntate eorum qui sic debacchabantur, beneficii imo vero maleficii nomine attribuebantur.* In vita beati Guiberti confessoris cap. x. apud Surium tom. 3. Guibertus apud Cæsarem accusatur *quod Gemmelaus regalem fiscum, majoribus ipsius munificentia imperiali loco beneficii attributum, in partem proprietatis suæ usurpaverit, & injussu Regis, fundato ibi cœnobio, in sortem ecclesiastici juris injuste transfuderit, quod fieri nullo modo lex publica sinit.*

Beneficiario jure.) In capitulis Regis Karoli VI. In diplomate Karoli Calvi Imp. Kal. Oct. Ind. VIII. in pago Andegavensi apud Flodoard. lib. 3. hist. Rhem. cap. 4. *Proinde noverit omnium fidelium Dei ac nostrorum solertia quia res ex episcopatu Rhemensi, quas magna necessitate, & per omnia inviti, dum a pastore sancta sedes illa vacaret, fidelibus nostris ad tempus, unde quoddam temporale solatium in nostro haberent servitio, commendavimus, electo & ordinato munere sancti Spiritus per Dei & nostram dispositionem in eadem sancta sede Hincmaro Archiepiscopo, hoc nostræ auctoritatis præcepto, cum integritate quicquid exinde nos fidelibus nostris beneficiavimus, præsentaliter restituimus.* Ibidem: *Quicquid ex eodem episcopatu, quando de manu Fulconis illud recepimus, alicui præstito beneficio concessimus.* Nollem virum multæ lectionis ex interpretatione Gallica alienis a sensu verbis hoc idem diploma retulisse.

Blasphemare.) III. 12. *Blasmer de faux jugement.*

Breve.) III. 82. *brevis*. App. II. 9. Can. 4. synodi Meldensis. Gloss. πιττάκιον, pittacium, brevis. Anna Alexiad. καὶ τὰ βίβλια εἰς μέσον τηνικαῦτα προτίθετο, βρεβία ταῦτα ἡ συνήθεια οἶδε καλεῖν, ἐν οἷς ἀναγράφεται τὰ ἐν ἑκάστῳ ταμιείῳ ὄντα κειμήλια. Cap. 32. Reg. B. Benedicti. Inde *brevet* & *Brief*.

Brunia.) III. 14. VI. 223. Addit. IV. 92. *Lorica.* Nobis *Brunie*. *Ut omnis homo de duodecim*

tim manſis bruniam habeat. Inde *feuda loricæ* quæ Nortmannis *fiefs de haubert*; ſicut *ſcutagium, id eſt ſervitium ſcuti*, Anglis. Invenio tamen vetuſtiori Saxonum lingua *Brynn* galeam ſignificare.

Buccellæ.) VI. 194. Can. 50. ſynodi Matiſconenſis, ψώμιν Joan. 10. Concil. Tolet. 16. can. 6. Tertullianus de monogamia cap. XI. *Et illi plane ſic dabunt viros & uxores quomodo buccellas*. Evodius de miraculis beati Stephani: *Megetia buccellam omni die in oleo ſanctificato tinctam prius accipiebat, & ſic ceteros cibos ſumebat*. Bernoldus Presbyter Conſtantienſis in expoſitione ordinis Romani conqueritur in quibuſdam Eccleſiis oblatas panis, quæ priſca Eccleſiæ conſuetudine ad uſum ſacrificii a populo fideli ad menſam Domini offerebantur, ad imaginem nummorum & ad tenuiſſimam quandam & leviſſimam formam a veri panis ſpecie alienam fuiſſe redactas. Honorius lib. 1. Gemmæ animæ: *Et quia populo non communicante non erat neceſſe panem tam magnum fieri, ſtatutum eſt in modum denarii formari*.

Butticularius,) Append. III. 6. Gloſſar. βύτιον, *Cupella*. βύτις, *Cupa*. Gloſſ. Germanicianum: *Cupa*, Vagna, βυτὶς μεγάλη, ἐν ᾗ ληνὸς χαυλὸν καλοῦσιν. & in inſtrumento veteri apud Doctorem meum: *buttæ, butticellæ*. Inde *Coupe, Bouteille, Cuve, Bagnoire, Botte de vin*.

C

Campus.) II. 46. In duplomate Roberti Regis: *legem duelli, quod vulgo dicitur campus*. Mos Francis ſolitus armis impacta diluere. Aymoin. 5. 13. lib. 2. Neapolit. conſtit. tit. 32. 33.

Campio.) IV. 23. *Champion*. Alamannis *Kampffer*. Burchardus in lege quam dedit familiæ: *Duo eligantur ad pugnam & cum duello litem decernant; & cujus campio ceciderit, perdat &c. Ainſi le battu payoit l'amende*.

Cancellarii.) III. 43. Gloſſ. *Cancellarii*, ἀρχιγραμματεῖς. *qui chartas ſcribunt*. I. 152. Can. 44. ſynodi Cabillon. 2. *Tabelliones*. *Notarii* Anian. l. 1. C. Th. ad leg. Cornel. de falſis.

Cancellarius.) II. 24. In vita B. Ausberti: *Cœpit eſſe aulicus ſcriba, doctus, conditorque regalium privilegiorum, & gerulus annuli regalis quo eadem ſignabantur privilegia*. In conſtitutione Caroli Calvi facta in Cariſiaco anno DCCCLXI. *Præterea neceſſarium duximus ut commendationem noſtram ex hoc ſcribere rogaremus, quæ ex more in noſtro palatio apud Cancellarium noſtrum retineatur, & inde per Miſſos noſtros dirigatur*. Hincmarus Rhemenſis ad Epiſcopos quoſdam Franciæ: *Cui (Apocriſiario) ſociabatur ſummus Cancellarius, qui a ſecretis olim appellabatur; erantque illi ſubjecti prudentes & intelligentes ac fideles viri, qui præcepta regia abſque immoderata cupiditatis venalitate ſcriberent, & ſecreta illis fideliter cuſtodirent*.

Canes in dextro armo tonſi,) VI. 236.

Cantus Gallicanus,) I. 74. Karolus M. Imp. lib. 1. contra ſynodum Græcorum de imaginibus; quem ea de re quatuor libros Romam miſiſſe Hincmarus refert. *A cujus (Romanæ Eccleſiæ) ſancta & reverenda communione multis recedentibus, noſtræ tamen partis nunquam receſſit Eccleſia; ſed ea apoſtolica eruditione inſtruente, & eo a quo eſt omne donum optimum tribuente, ſemper ſuſcepit reverenda chariſmata. Quæ dum a primis fidei temporibus cum ea perſtaret in religionis ſacræ unione, & ab ea paulo diſtaret, quod tamen contra fidem non eſt, in officiorum celebratione, venerandæ memoriæ genitoris noſtri illuſtriſſimi Pippini Regis cura & induſtria, ſive adventu in Gallias reverentiſſimi & ſanctiſſimi viri Stephani Romanæ urbis antiſtitis, eſt ei etiam in pſallendi ordine copulata; ut non eſſet diſpar ordo pſallendi quibus erat compar ardor credendi, & quæ unitæ erant unius ſanctæ legis ſacra lectione, eſſent etiam unitæ unius modulationis veneranda traditione, nec ſejungeret officiorum varia celebratio quas conjunxerat unicæ fidei pia devotio. Quod quidem & nos collato nobis a Deo Italiæ regno fecimus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ faſtigium ſublimare cupientes, reverentiſſimi Papæ Adriani ſalutaribus exhortationibus parere nitentes; ſcilicet ut plures illius partis Eccleſiæ, quæ quondam apoſtolicæ ſedis traditionem in pſallendo ſuſcipere recuſabant, nunc eam cum omni diligentia amplectantur, & cui adhæſerant fidei munere, adhæreant quoque pſallendi ordine. Quod non ſolum omnium Galliarum provinciæ, & Germania, ſive Italia, ſed etiam Saxones, & quædam aquilonalis plagæ gentes per nos Deo annuente ad veræ fidei rudimenta converſæ facere noſcuntur*. De quo conqueritur Leidradus Archiepiſcopus Lugdunenſis ad Carolum Imperatorem. *Habeo*, inquit, *ſcholas cantorum, ex quibus plerique ſunt eruditi ut etiam alios erudire poſſint. Præter hæc habeo ſcholas lectorum*. Molanus cap. 42. lib. 2. de Canonicis ex hiſtoria Lugdunenſi per Paradinum lib. 2. c. 20. Idem Karolus in præfatione Omiliarii totius anni. Einhardus. Chronicon Engoliſmenſe: *Mox petiit Domnus Rex Karolus ab Adriano Papa cantores qui Franciam corrigerent de cantu. At ille dedit ei Theodorum & Benedictum Romanæ Eccleſiæ doctiſſimos cantores, qui a Sancto Gregorio eruditi fuerant. Tribuitque antiphonarios Sancti Gregorii, quos ipſe notaverat nota Romana. Dominus vero Rex Karolus revertens in Franciam, miſit unum cantorem in Metis civitate, alium in Sueſſionis civitate, præcipiens de omnibus civitatibus Franciæ magiſtros ſcholæ antiphonarios eis ad corrigendum tradere, & ab eis diſcere cantare. Correcti ſunt ergo antiphonarii Francorum, quos unuſquiſque pro arbitrio ſuo vitiaverat, vel addens vel minuens; & omnes Franciæ cantores didicerunt notam Romanam, quam nunc vocant notam Franciſcam. Excepto quod tremulas vel colliſibiles vel ſecabiles voces in cantu non poterant perfecte exprimere Franci, naturali voce frangentes in gutture voces potius quam exprimentes. Majus autem magiſterium cantandi in Metis civitate remanſit*. Vide Agobardum pag. 400. Walfridum Strabum de rebus eccleſiaſt. cap. XXV. & Joannem Saliſberi. lib. 1. Policrat. cap. VI.

Capitulare,) *Capitulare dominicum*. Tit. X. Pœnitent. Roman. cap. 13. *A capitulis*. Hadrianus Papa Karolo Magno: *Exiit nobis Capitulare adverſus ſynodum &c. Unde per unumquodque capitulum reſponſum reddidimus*. In lege Longobardorum: *Jam non ulterius capitula, ſed tantum leges dicantur*. Aymoin. 5. 35. Lupus Ferrarienſis epiſt. 42. *Canones eoſdem pro, ut vos vocatis, capitula*. Capitularium tributorum apud Gregor. Turon. lib. 9. cap. 30. *Capdaſtre* Septimanis Gotthis.

Capella.) V. 334. Can. 5. ſynodi Aquiſgran. Can. 5. ſynodi Rhemenſis. Hincmarus clero & plebi Tornacenſi: *De capellis antiquitus ſubjectis Eccleſiis non æqualem ſicut de principalibus Eccleſiis collationem exigat. Sed principalis Eccleſia cum ſibi ſubjectis capellis*. *Capellani Presbyteri*. V. 2. Hincmarus ad Epiſcopos quoſdam Franciæ: *Apocriſiarius autem, quem noſtrates Capellanum vel Palatii cuſtodem appellant, omnem clerum ſub cura & diſpoſitione ſua regebat*. Ibidem: *Apocriſiarius quidem de omni eccleſiaſtica re vel ordine, necnon etiam de canonicæ vel monaſticæ altercatione, ſeu quæcunque Palatium adibant pro eccleſiaſticis neceſſitatibus, ſollicitudinem haberet, & ea tantummodo de externis Regem adirent quæ ſine illo plenius definiri non potuiſſent*. Valafridus Strabo Abbas Augienſis capite ultimo de exordiis & incrementis rerum eccleſia-

ſiaſticarum: *Sunt & illi quos ſummos Cappellanos Franci appellant, Clericorum cauſis prælati. Cappellani autem minores &c. Dicti autem ſunt primitus Cappellani a Cappa Sancti Martini, quam Reges Francorum ob adjutorium victoriæ in præliis ſolebant ſecum habere; quam ferentes & cuſtodientes cum ceteris ſanctorum reliquiis Clerici, Cappellani cœperunt vocari.* Monachus quidam S. Galli: *Quemdam optimum dictatorem & ſcriptorem in Capellam ſuam aſſumpſit. quo nomine Francorum Reges propter Cappam S. Martini, quam ſecum ob ſui tuitionem & hoſtium oppreſſionem jugiter ad bellum portabant, ſancta ſua appellare ſolebant. vel patrocinia ſanctorum.* V. 2. In formula chartæ audientialis: *Dum inter ſe contenderent, ſic eidem a proceribus noſtris, in quantum inluſter vir ille Comes palatii noſtri teſtimoniavit, fuit judicatum, ut de quinque denominatis idem ille apud tres & alios tres ſua manu ſeptima tunc in palatio noſtro ſuper capella Domni Martini, ubi reliqua ſacramenta percurrunt, debeat conjurare.* Eckerardus in vita beati Notkeri tom. 6. Caniſii pag. 932. *Capſam ſolide auream, gemmis regaliter inclitam, reliquiis ſummis refertam, in modum Capellæ formatam, cujus ſuperſcriptio eſt:*

En crucis atque piæ cum ſanctis capſa Mariæ.
Hanc Carolus ſummam delegit habere Capellam.

Et: *Capſam illam ſuſpendens collo.* Evodius lib. 1. de miraculis beati Stephani: *Capella argentea, in qua erat reliquiarum portio.*

Capulare.) I. 75. Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus in libro contra Hincmarum Laudunenſem, de ſententiis Engelramno Metenſium Epiſcopo datis: *Quam diverſæ a ſacris canonibus, & quam diſcrepantes in quibuſdam ab eccleſiaſticis judiciis habeantur, ut hic quædam de plurimis ponam, evidenter manifeſtatur. Delatori*, inquit, *aut lingua capuletur, aut convicto caput amputetur &c.* In Legibus Longobardorum: *Naſus ei capuletur. Le nez luy ſoit coupé.*

Diaconus in cardine conſtitutus in urbe Roma.) I. 133. Gloſſ. *Cardinalis*, γιγγλιμαῖος. *Diaconus Cardinatus* Gregorio Magno, *Incardinatus & Cardinatus* Hincmaro & aliis. *Cardinalis Diaconus, qui dalmatica utitur, & cujus lævam pallia linoſtima tegunt*, canone VI. ſynodi Romanæ ſub Sylveſtro, quod in ejus poteſtate ac moderatione verteretur diaconia (xenodochium in vita Gregorii I. 164.) ſive hoſpitale pauperum cum ſua capella, ut Petrus Urbevetanus interpretatur in vitam Fabiani. Ex quo canone manifeſtum eſt ſeptem fuiſſe Diaconos Cardinales urbis Romæ, & ex can. 7. Subdiaconos uſque ad Lectores omnes illis ſubditos. Fortaſſe a cardine in quo vertitur oſtium. unde & cardines mundi ſeptentrio & meridies, quod in ipſis cælum volvitur. Inde *Cardinales Donatiſtæ* B. Auguſtino lib. 1. de baptiſmo adverſus Donatiſtas, tanquam cardines factionis. Et *Cardinales tituli in urbibus & ſuburbiis* can. 54. ſynodi Meldenſis. *Cardinales Presbyteri* in epiſtola Zachariæ Papæ ad Pippinum Majorem domus, Epiſcopos, & Abbates in regione Francorum conſtitutos. *Quartum capitulum eſt*, inquit, *de Presbyteris agrorum, quam obedientiam debeant exhibere Epiſcopis & Presbyteris Cardinalibus. Ex Concil. Neocæſarienſ. cap. 13. ita continetur. Presbyteri ruris in Eccleſia civitatis Epiſcopo præſente vel Presbyteris urbis ipſius offerre non poſſunt.* Et XV. capitulo: *Ut in eodem loco nec futuris temporibus baptiſteria conſtruantur, nec Presbyter conſtituatur Cardinalis. Sed ſi ibi Miſſas facere maluerit, ab Epiſcopo noverit Presbyterum poſtulandum.*

Caſati homines.) III. 80. *Caſati vaſalli* LXXIII. *qui intra caſam ſerviunt.* Ivo epiſtol. 105. Chronicon Andegavenſe: *Tertullum uxore ei tradita, adæquando beneficio Landonenſi caſtro & aliquibus terris tam in pago Gaſtinenſi quam in aliis locis per Franciam, caſatum fecit.*

Caſata.) V. 3. Zacharias Bonifacio coepiſcopo: *De cenſu autem Eccleſiarum, id eſt, ſolidum de caſata ſuſcipe, & nullam habeas hæſitationem, dum ex eo poteris eleemoſynas tribuere ac in Chriſti pauperes partiri.* Corrupte Romana editio *Caſſata*.

Caſtitia.) V. 279. Vetus formula: *manſis ad commanendum, cum caſtitiis ſuprapoſitis, terris arabilibus.* In epiſtola Epiſcoporum dioceſeos Rhemorum atque Rhothomag. ad Hludovicum: *Judices &c. ædificent villas ſuas moderatis caſtitiis.* & alibi: *Et in caſtitiis & in villis cuſtoditis.* In duplomate Karolomanni: *Cum omnibus appenditiis ad eundem manſum pertinentibus & aſpicientibus, caſtitiis, campis, pratis, ſilvis, paſcuis, exitibus & regreſſibus aquarum, & earum decurſibus.*

Cauculatores.) I. 62. *Gaucher* Alamannis. *Circulatores, præſtigiatores, coclearii.*

Cauſam quærere.) III. 40. *Conquirere.* 38. *Adquirere.* 51. *Caulator.* 10. *litigator.*

Centena.) III. 10. IV. 23. *Hundred* Anglis. Vetus Chronicon in Aluredo: *Centurias quas hundredas vocant, & decimas quas thethinge appellant inſtituit, ut omnis Angligena legaliter vivens & centuriam habeat & decimam. Quod ſi quis alicujus delicti argueretur incommodo, ſtatim exhiberentur ex centuria qui eum vadarentur & decima.* Eadem omnino ratione *la Septaine* Biturigibus & *Quintes* Andegavenſibus appellantur.

Centenarii.) II. 28. III. 11. 79. IV. 26. *minores judices, miniſtri comitum.* Can. 21. ſynodi Cabillon. 2. can. 50. ſyn. Mogunt. can. 1. ſynodi Ticinenſis. Walafridus Strabo: *Centenarii, qui & Centenariones, vel Vicarii, qui per pagos ſtatuti ſunt, Presbyteris plebium, qui baptiſmales Eccleſias tenent, & minoribus Presbyteris præſunt, conferri queunt.*

Charta ingenuitatis.) III. 38. *Epiſtola ingenuitatis* Marculphus: *Propterea te per hanc epiſtolam noſtram, ſicut mihi juſſum eſt, ab omni vinculo ſervitutis abſolvo, ita ut deinceps tanquam ſi de ingenuis parentibus fuiſſes procreatus vitam ducas ingenuam, & in nullo ſervitio inclinari poſſis, ſed per hanc epiſtolam ingenuitatis, ſicut nobis juſſum eſt fieri, bene & integre ingenuus cunctis diebus vitæ tuæ debeas permanere. Si quis vero &c.*) *Homo Chartularius* VI. 213. per chartam ſive epiſtolam liber factus. Leo Hoſtienſis Epiſcopus cap. 11. Chronici Caſſinenſis: *Servos quidem ſuos & ancillas omnes prius per chartulam libertate donavit.* Non diſſimiliter cap. 84. Conſuet. Hannon. *Villes chartrées* dicuntur.

Chriſma ſub prætextu medicinæ vel maleficii.) V. 145. III. 55. Can. 18. ſynodi Arelatenſis, can. 27. ſynodi Mogunt. *Nam criminoſos eodem chriſmate unctos aut potatos nequaquam ullo examine deprehendi poſſe a multis putabatur.* Burchard. Wormat. lib. 19. collect. canon. *Bibiſti chriſma ad ſubvertendum Dei judicium &c.* Can. 4. ſynodi Tribur. can. 3. & 20. ſynodi Turonenſis.

Clamor.) II. 33. *Clain.* In duplomate Hludovici: *Contra regiam majeſtatem noſtram ſi quis injuſte aliquid commiſerit, clamorem de illo ad Abbatem faciemus.* Inde *clamatores*. II. 12. III. 7. 59.

Clauſæ.) V. 279. *Cluſæ, Scluſæ, interpoſitiones.* Inde *Eſcluſes*.

Coclearii.) I. 21. Canone 36. ſynodi Laodicenſis: μάγους ἢ ἐπαοιδοὺς εἶναι, ἢ μαθηματικοὺς, ἢ ἀστρολόγους, ἢ ποιεῖν τὰ λεγόμενα φυλακτήρια. Hincmarus.

Cocciones.) App. I. 34. VI. 379. *Coquins.* Sangallenſis monachus lib. 2. de geſtis Karoli Magni: *Reſponſumque accipiens quod quidam coccio*

sio derasus insulsus & insaniens, linea tantum & femoralibus indutus.

Collecta.) III. 63. V. 201. *cum colligitur populus.* Walafridus Strabo cap. ult. de exordiis rerum ecclesiasticarum.

Comam dimittere in pœnitentia.) V. 116. Gregorius Turon. 6. 28. *Caput totondit, atque pœnitentiam accipiens, spiritum exhalavit.*

Comites.) II. 6. 9. 19. 12. 23. *Adsessores judicum* Papiniano l. 4. D. de offic. adsessor. Francis *Judices ordinarii.* Gregor. Turonens. de B. Nicetio: *Nam vidi ego quodam tempore Basilium Presbyterum missum ab eo ad Armentarium Comitem, qui Lugdunensem urbem his diebus potestate judiciaria gubernabat.* Idem de B. Gregorio Lingonensi Episcopo: *In comitatu positus regionem illam per quadraginta annos justitia comitante correxit. Erat enim severus atque districtus in malefactoribus, ut vix ei ullus reorum posset evadere.*

Comes Palatii.) III. 77. V. 303. *Comes palatii* in vita B. Austrebertæ sub Dagoberto. *Comes sacræ aulæ* Gunthero. Hincmarus ad Episcopos quosdam Franciæ: *Comitis palatii inter cetera pene innumerabilia in hoc maxime sollicitudo erat ut omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ propter æquitatis judicium palatium aggrediebantur, juste ac rationabiliter determinaret, seu perverse judicata ad æquitatis tramitem reduceret. Si quid vero esset tale quod leges mundanæ hoc in suis definitionibus statutum non haberent, aut secundum gentilium consuetudinem crudelius sancitum esset quam Christianitatis rectitudo vel sancta auctoritas merito non consentiret, hoc ad Regis moderationem perduceretur &c.* Einardus in vita Karoli Magni: *Si Comes palatii litem aliquam esse diceret quæ sine ejus jussu definiri non posset, statim litigantes introducere jussit, & veluti pro tribunali sedens, lite cognita sententiam dixit.* In duplomate Ottonis III. ann. 1001. *Et quicquid contentionis inter eos emerserit definiat sicut definiendum esse ante nos vel nostrum Missum seu Comitem palatinum.*

Comiatus.) V. 18. Can. 9. 13. synodi Vernis habitæ. Can. 3. Aurelian. 4. *Conjè.*

Commendatitiæ litteræ.) I. 3. συστατικαὶ can. 13. synodi Chalced. ξένους (inquit) κληρικοὺς καὶ ἀγνώστους ἐν ἑτέρᾳ πόλει δίχα συστατικῶν γραμμάτων τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, μηδόλως μηδαμοῦ λειτουργεῖν. Sic veteres. Male vulg. ξένους κληρικοὺς καὶ ἀναγνώστας. Male in editione Romana Lectores. συστατικαὶ δὲ, ait Zonaras, ἐπιστολαὶ λέγονται αἱ ἐγχειριζόμεναι κληρικοῖς ἢ λαϊκοῖς ἀποδημοῦσιν, ἢ ἀγνώστοις παντάπασιν ἐν ἑτέρᾳ πόλει ἀπιοῦσι, καὶ συνιστῶσαι τοὺς ἐν τῇ πόλει ἐκείνῃ ἐπισκόπῳ τοὺς ἄνδρας, ὡς ἀληθεῖς τὴν ἐπιτιμίαν ἢ πιστοὺς ὄντας. VII. tamen canon. synodi Antiochenæ vetat, μηδένα ἄνευ εἰρηνικῶν δέχεσθαι τῶν ξένων cum εἰρηνικαὶ epistolæ, quæ & ἀπολυτικαὶ dicuntur, εἰσὶν αἱ διδόμεναι τοῖς ἐπισκόποις παρὰ τῶν μητροπολιτῶν οἷς ὑπόκεινται, καὶ τοῖς μητροπολίταις, παρὰ τῶν πατριαρχῶν ὑφ' ὧν προχειρίζονται, ὅτε διά τινα χρείαν ἀναγκαίαν ἀπίασι πρὸς βασιλέα, καὶ ἔτι εἰσὶν αἱ παρεχόμεναι κληρικοῖς παρὰ τῶν οἰκείων ἐπισκόπων, θέλουσιν εἰς ἑτέραν πόλιν ἀπελθεῖν καὶ καταλεγῆναι τῇ ἐκεῖ ἐκκλησίᾳ. Εἰρηνικαὶ δὲ λέγονται ὡς εἰρήνην βραβεύουσαι, εἰ γὰρ τῆς ἐξ ἑτέρας πόλεως εἰς ἑτέραν ἀπέλθῃ κληρικὸς ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου αὐτοῦ, ὑπὸ ἐπιτίμιον ἐστὶ κἀκεῖνος, καὶ ὁ δεξάμενος αὐτόν. quod enantiophanes sic conciliat Zonaras scholio in dictum canonem septimum: εἴρηται ἐν κανόνι ιγ΄ τῆς τετάρτης συνόδου, τινὰς εἶναι εἰρηνικὰς ἐπιστολὰς, καὶ τινὰς συστατικάς. ξένους οὖν ἐνταῦθα, οὐχὶ τοὺς τυχόντας λέγει, τοὺς ἐξ ἄλλης χώρας ἴσως εἰς ἄλλην ἐπιδημοῦντας, ἀλλὰ τοὺς κληρικοὺς τοὺς ἀπὸ ἄλλης ἐκκλησίας εἰς ἄλλην ἀπιόντας, οὓς καὶ μὴ δέχεσθαι παρὰ τῶν προεστώτων τῶν ἐκκλησιῶν ἐν αἷς ἀπίασιν, ὁ κανὼν ἐγκελεύεται, εἰ μὴ εἰρηνικὰς ἐπιστολὰς ἐπιφέρονται τῶν προεστώτων τῶν ἐκκλησιῶν ἐξ ὧν ὑπεχώρησαν.

Quidam Deo solummodo.) Addit. III. 57. Can. 33. synodi Cabillonensis. Alcuinus fratribus & patribus in provincia Gothorum: *Dicitur vero neminem ex laicis suam velle confessionem sacerdotibus dare, quos a Deo Christo cum sanctis Apostolis ligandi solvendique potestatem accepisse credimus &c. Deo vis, o homo, confiteri, quem volens nolens latere non poteris; Ecclesiæ Christi, in qua peccasti, satisfacere neglegis.*

Conjectum.) IV. 69. In Edicto Karoli in Carisiaco anno 861. *Unde volumus propter paupertatem hominum, quia necesse fuit in istis temporibus conjectum de illis accipere, & ad navium compositionem, & in Normannorum causa, pro regni sui, sicut res conjacet, salvamento.* Gregor. Turon. 6. 45. *Nihil de fisco suo Rex dari præcepit, nisi de pauperum conjecturis.* Quod ita refert Aymoinus 3. 56. *Ut de substantiis pauperum necessaria eis in itinere subministrentur.* Flodoardus *de conjecto Normannis dando.*

Conjuratores.) III. 13. 26. *Consacramentales homines* III. 58. Audoenus Rothomagensis Episcopus de vita B. Eligii lib. 2. cap. 50. *Lata igitur sententia est, ut vir ille cum multis aliis juraret. Sic enim apud Francos in more positum est.*

Tertia conlaborationis.) IV. 9. Tit. XXXIX. legis Ripuariorum. Appendix Gregorii Turor. cap. 85. Aymoin. 4. 36. Marculfus: *Quod pariter stante conjugio adquisivimus, prædicta conjux nostra tertiam habere potuerat.* Ibidem: *Quantumcunque in servitio tuo pariter laboravimus, & quod in tertia mea accepi.* Gesta Dagoberti: *Tertiam tamen partem de omnibus quæ Dagobertus Rex adquisierat postquam Nanthildis Regina regnare cœperat, eidem reservavit.* Can. 5. synodi Meldensis.

Consuetudines.) IV. 48. ἄτερ ἡ συνήθεια δ[illegible]θαι γινώσκει. *Coustumes.*

Conversi.) App. I. 8. *Conversio* 137. *Conversio morum* in formula promissionis monachalis: *Ego promitto stabilitatem meam & conversionem morum meorum.* Petrus Venerabilis ep. 18. lib. 4. *in Capitulo lectam tam litteratis quam illitteratis, quos Conversos vocamus, exposui.*

Communio peregrina.) Addit. IV. 159. Can. 2. Concilii Agathensis. Clericis olim non imponebatur solennis ac publica pœnitentia can. 8. Concilii Carthag. 4. & Carthag. 7. c. 11. nisi prius ab ordine remoti aut regradati essent, ita ut inter laicos haberentur. Vide epist. 8. Cypriani lib. 3. ad Fidum. Communio cum laicis, ordine post clerum, & loco extra chorum, quæ in pœnam dabatur Clericis atque ita ut propriæ communionis habitam jacturam. Epistola Symmachi Papæ 426. Euseb. lib. c. 37. penult. Utriusque tamen speciei, qualem tunc laicos ex more Ecclesiæ catholicæ percepisse Lindanus probat lib. 4. Panopl. Evang. cap. 58. In actis synodi Suessionensis: *Sæpe dictum Ebbonem damnavit Episcopum, adeo ut inter laicos communionem tantum habere mereretur.* Athanasius apolog. 2. *Atqui Colluthum in gradu presbyterii mortuum, omnesque ab eo constitutos sacerdotes sive Clericos in laicorum ordinem redactos esse, & sub nomine laicorum ad synaxin admissos, apud omnes constat.*

Libertatem ante cornu altaris.) I. 83. Lib. 2. Collectarii canonum Burchardi: *Idcirco ego Burchardus Deo annuente Wormatiensis Ecclesiæ Episcopus quendam Ecclesiæ nostræ famulum, nomine Eberhardum, sacris ordinibus oblatum, ad altaris cornu, nobilium virorum in præsentia, per hoc auctoritatis testamentum statuo, ita ut ab hodierno die & tempore bene ingenuus ab omni servitutis vinculo securus permaneat.* Sic traditio ad altare in veteri instrumento Majoris Monasterii: *Et fecerunt in Capitulo nostro guerpitionem calumniæ & donum auctorisationis de his omnibus; quod dum de more super altare posuissent, hi de nostris interfuere testes.* Ter circum altare vertebantur, in lege Longobard. tit. de testamentis.

Cru-

Crucis examinatio.) I. 102. III. 46. V. 196. Canone 17. synodi apud Vermeriam. Agobard. pag. 288. Vide legem Frisionum §. 1. tit. 14. Bedam de remed. peccat. cap. 4. & 9. In testamento Karoli Magni: *Judicium crucis Dei.* Vide infra de Pelagio in voce *Purgatio.*

Cura domus.) VI. 124. Sic *Curapalatii* lib. 14. Ammiani Marcellini & in epist. Vigilii Papæ, & *Curopalates.*

Curtes.) III. 19. Flodoardus: *Quidam Presbyter de Bovonis curte, sic enim villa vocatur.* In duplomate Hludovici: *Curtim nostram Turegum in ducatu Alamannico.* Leo Hostiensis Episcopus chron. Casin. lib. 1. cap. 36.

D

Decanica Ecclesiæ.) V. 378. Videantur quæ notavi ad Julianum Antecess. Constantinop.

Defensionis tempus.) V. 201. temps de defense. Leg. Wisigoth. 8. *Qui in pratum eo tempore quo defenditur.*

Deliberare.) VI. 370. *deliverer.* Nodgerus in vita B. Landoaldi: *Locum ad honorem S. Bavonis deliberare.* In duplomate Friderici Regis Siciliæ: *Restituit & deliberavit.*

Denarialis homo.) VI. 213. *manumissus jactato denario.* In Marculphi monachi libro hoc ponitur denariale præceptum. *Et quia,* inquit, *apostolicus vel inluster vir ille per manum suam in nostra præsentia jactato denario secundum legem Salicam dimisit ingenuum, ejus quoque absolutionem per præsentem auctoritatem nostram firmamus, præcipientes eum ut sicut & reliqui mansuarii qui per talem titulum a jugo servitutis in præsentia principum noscuntur esse relaxati ingenui, ita amodo memoratus ille per nostrum præceptum plenius in Dei nomine confirmatus, nullo inquietante perennisque temporibus cum Dei & nostra gratia valeat permanere ingenuus atque securus &c.*

Dei Verbum passum.) V. 61. Contra Felicem Urgelitanum, in quem libellus extat Paulini Aquilejensis Episcopi.

Disfacere justitiam.) III. 26. *disfacta charta* III. 28. In Leg. Longob. tit. de furtis: *Nisi per justitiam & pacem faciendam hominem disfecerit.* S' il ne le condamne a estre deffaict.

Dos Ecclesiæ.) VI. 69. Can. 19. synodi Tolet. 3. Can. 3. 6. synodi Wormat. cap. 1. de censib. Can. 4. synodi Coloniens. *Neque ex dote Ecclesiæ, id est, ex uno manso & quatuor mancipiis, census exigatur.* In duplomate Othonis I. *Dotem quoque Ecclesiæ, id est, duas hobas possessas, & beneficium Presbyteri in eodem loco deservientis, id est, unam hobam.*

Dominicus dies a vespera.) I. 15. V. 189. Can. 13. synodi Forojuliensis. Vide infra *Noctes.*

Proprium dominicum.) IV. 34. Rabanus ad Otgarium: *Proprietas dominicalis, quæ Domino Imperatori ex paterna successione hereditario jure pervenit.* Reges nostri, propter excellentiam, commune nomen Domini sive Domni effecerunt suum. Anastasius Bibliothecarius Adriani secundi, sive Landulfus Sagax historia Miscella: *Genti Francorum moris est Dominum id est Regem secundum genus principari.* Κύριος, sive κύρις Græcis, *Sire* nobis.

Dux.) V. 367. β... ταλίτης Nov. 145. Fortunatus ad Galactorium Comitem:

Debet & ipse potens, ut adhuc bene crescere possis,
Præstet ut arma Ducis, qui tibi restat apex,
Ut patriæ fines sapiens tuearis & urbes.

Idem de Lupo Duce:

Bella moves armis, jura quiete regis.
Fultus utrisque bonis, hinc armis, legibus illinc.
Quam bene fit primus cui favet omne decus.

Dux & Princeps Francorum.) V. 2. In vita B. Baboleni; *Ab Erchevaldo, qui tunc Francorum ducatui præerat, & omnia palatina officia suo moderamine procurabat.* Stephanus Abbas Leodiensis in vita B. Modoaldi: *Ea tempestate Dagobertus rerum potiebatur; sub quo idem Dux, dignitate modicum a sublimitate regia differente præditus, omnia regni negotia prudentissima dispositione ordinabat.* Hincmarus epist. ad Episcopos Franciæ.

E

Emendare.) I. 116. IV. 38. *Restaurare, Reparare, Emender.* Can. 27. syn. Aquisgr. *Ut domus Ecclesiarum & tegumenta ab eis sint emendata qui beneficia exinde habent.*

Emunitas.) V. 195. *Immunitas.* Can. 30. synodi Tribur. Can. 2. synod. Mediomatr. Can. 19. synod. Aurelianensis.

Episcopus per electionem.) I. 78. Can. 9. synodi Aurelian. 4. *Ut nullum episcopatum per præmia aut comparatione liceat adipisci, sed voluntate Regis, juxta electionem cleri ac plebis, sicut in antiquis canonibus continetur.* Can. 8. synodi Parisiens. can. 10. synodi Cabillonensis. Videatur vita beatorum Medardi, Ausberti Rothomagensis, Eucherii, Udalrici, apud Surium. Fulbertus epist. 10 Ivo epist. 49.

Epistola de cælo lapsa.) I. 73. Adversus Aldebertum hæreticum, in synodo Romana, quæ extat in vita Bonifacii Moguntini: *Deneardus Presbyter respondit: Ecce Domine epistola qua utebatur Aldebertus, & quam divulgabat esse Jesu, sibique de cælo venisse. Et accipiens Theophanius notarius legit, cujus initium erat. In nomine Domini. Incipit epistola Domini nostri Jesu Christi filii Dei, quæ in Hierosolymam cecidit, & per Michaelem Archangelum inventa est in porta Ephraim, & per manus sacerdotis nomine Scoræ ipsa epistola fuit exemplata &c. Et recepit eam Macrius sacerdos Dei, & transmisit in montem sanctum archangeli Michaelis, & per manus angeli Dei pervenit ad Romanam civitatem &c.*

Eulogiæ.) Add. I. 68. Honor. lib. 1. cap. 67. Gemmæ animæ. Cap. 54. Regulæ B. Benedicti. Can. 45. syn. Meldensis. Can. 9. synodi Nannetensis. Gregor. Turon. 6. histor. Franc. cap. 5.

Euva.) III. 65. Append. II. 35. Kero interpret. vocab. barbar. *Lex, euva.* Et alibi; *Testamentum, euva.* in paraphrasi Willerami Abbatis in Cantica canticorum veteri lingua Francica. Vox etiamnum hodie Anglis usitatissima. Ut putem legendum in Capitulis a viro de literis bene merito Marco Welsero editis, *Correpti secundum euvam Bajoariorum vel legem.* Vid. cap. de igne emisso & extinct. in leg. Bajuvar.

Exactare.) III. 68. IV. 31. Can. 18. synodi Cabillonensis. In duplomate Caroli Magni: *Carriaticum & vinum contra omnem justitiam ab eis exactare non cessant.* In altero duplomate: *nec quæ fisci a longo tempore fuit consuetudo exactandum.*

Exartus.) VII. 276. Can. 27. syn. Aurel. 2. can. 18. synodi Cabillonensis. In duplomate Karoli Magni: *Conferremus stirpes vel, ut vulgo dicitur, exartes quosdam quos ex rebus Tricassinensis comitatus ipsi proprio labore de heremo ad agriculturam perduxisse noscuntur.* In Cartulario Rhemensi: *Si novalia, quæ sarta vocant, ibi sunt.* Tit. 41. leg. Burgund. & tit. de exartis. *Essarts.*

Exheredati.) I. 115. *Privati rebus suis.* Can. 6. synodi Mogunt. Can. 51. synodi Turonens. 4. Can. 7. synodi Cabillon. 2.

Expositi ante Ecclesiam.) VI. 144. Can. 32. synodi Arelat. 2. Can. 9. syn. Vasens. Wandelbertus Diaconus in vita B. Goaris: *Moris tunc Trevirorum erat ut cum casu qualibet femina infantem peperisset cujus nollet sciri parentem, aut certe quem præ inopia rei familiaris ne-*

nequaquam nutrire sufficeret, cælum parvulum in quadam marmorea concha, quæ ad hoc ipsum statuta erat, exponeret, ut in ea cum expositus infans reperiretur, existeret aliquis qui eum provocatus miseratione susciperet & enutriret. Si quando igitur id contigisset custodes vel matricularii Ecclesiæ puerum accipientes, quærebant in populo si quis forte eum suscipere nutriendum & pro suo deinceps habere vellet. Ubi vero ad eam rem offerret sese aliquis, infans qui esset expositus Episcopo deferebatur, & ejus privilegio auctoritas nutriendi habendique parvuli ei qui a matricularíis susceperat firmabatur.

F

Faculas accendere.) VII. 316. Can. 23. synodi Arelatensis. Burchard. in collectar. can. *Venisti ad aliquem locum, id est, ad fontes, vel ad lapides, vel ad arbores, vel ad bivia; & ibi aut candelam aut faculam pro veneratione loci incendisti.*

Faida.) III. 27. 55. *Inimicitia sive aperta simultas. Webd* Alamannis. *Feuud* Anglis borealib.

Faidosus,) III. 4. *diffidatus. Deffiè.* Theodericus de Nihem de juribus imperii: *Imperatori Græco qui tunc erat bellum indixit, eumque more Saxonico diffidavit.*

Per fidejussores ad palatium.) III. 34. V. 98. 278. VII. 470. Gregorius Turon. 4. c. 43. & lib. 8. Franc. hist. cap. 12. 43. & lib. 9. cap. 8. & cap. 70. de glor. confessorum. Marculphus indiculo ad Episcopum pro aliis distringendis & judicio evidentali.

Fidelitas per sacramentum.) III. 8. Hujus formula in memorialibus capitulis quæ dedit Karolus Rex Missis suis anno DCCCLIV. mense Junio fuit hæc: *Ego ill. Karolo Hludovici & Judithæ filio ab ista die in ante fidelis ero secundum meum savirum, sicut Francus homo per rectum esse debet suo Regi, Sic me Deus adjuvet & istæ reliquiæ.* Ac in placito generali apud Gundulfivillam anno DCCCLXXIV. Indict. 3. V. Id. Septembr, hæc fuit professio Episcoporum. *Quantum sciero & potuero, adjuvante Domino, consilio & auxilio secundum meum ministerium fidelis vobis adjutor ero ut regnum quod vobis Deus donavit vel donaverit, ad ipsius voluntatem & sanctæ Ecclesiæ ac debitum regium honorem vestrum & vestram fideliumque vestrorum salvationem habere & obtinere & continere possitis.* Sacramentum vero laicorum istud. *Quantum sciero & potuero adjuvante Domino, consilio & auxilio fidelis vobis adjutor ero ut regnum quod habetis, ad Dei voluntatem & sanctæ Ecclesiæ & vestrum honorem atque ad vestrorum salvationem continere possitis, & quod Deus vobis concesserit acquirere & contra omnes homines defendere valeatis.*

Fiscalini Regii.) III. 16. *Ex familia dominica* Marculpho. Aymoin. 3. 56. *Fiscalinorum multos a parentibus segregatos &c.* Greg. Turon. Franc. hist. 6. 45. *Familias multas de domibus fiscalibus.* Marculph. *De unaquaque villa fiscali tres homines ex servientibus ex utroque sexu a servitio relaxentur.*

Forbannire.) III. 49. *Forbannem* Alamannis, *Forbannir* nostris.

Forbannum.) III. 50. *forbannissement.*

Forcapia.) IV. 36.

Forenses Presbyteri.) VI. 246. In vita B. Pauli Virdunensis apud Surium tom. 1. pag. 934. Joannes Diacon. lib. 3. de vita Gregorii magni cap. 11. *Cardinales violenter in parœciis ordinatos forensibus in pristinum cardinem Gregorius revocabat. Quapropter Joanni Episcopo Syracusano scribens ait: Quorumdam ad nos relatione pervenit Cosmam, qui ex monacho &c. a decessore tuo Maximiano in Ecclesia Syracusana Subdiaconus factus, atque a te postea in possessione quæ Juliana vocatur Presbyter dicitur ordinatus.* Petrus Urbevetanus: *Multitudo Presbyterorum & Diaconorum forensium ad urbem concurrentium causam dedit ut urbani Presbyteri & Diaconi ab eis distinguerentur nomine Cardinalis.*

Foras Presbyteri.) V. 161. Can. 45. synodi Moguntinæ.

Forestis.) IV. 42. In Pragmatica Childeberti: *Has omnes piscationes quæ sunt & fieri possunt in utraque parte fluminis, sicut nos tenemus, & nostra forestis est, tradimus ad ipsum locum.* Gloss. in c. *Cum dilecti.* de donationibus. Du Tillet. pag. 144.

Forfactum.) Gloss. Isidori: *Forisfacio, offendo, noceo.*

Freda.) III. Greg. Turon. 4. de virtute B. Martini cap. 26. *Affirmavit Rex quosdam ex his qui absoluti fuerant ad se venisse, compositionemque fisco debitam, quam illi fredum vocant, a se indultam.*

Frisingæ.) IV. 73. Tolosanis *Fresingues,* Can. 13. synodi Ticinensis. Episcopi dioces. Rhemor. & Rothomag. ad Hludovicum Regem: *Qui illorum pecora vel frisçinkas vel quæcunque illorum sunt non prædentur.* Hincmarus clero & plebi Tornacensi: *Exigendo denarios aut verres [illegible] friskingas.* In veteri duplomate; *friscingas ovinas.* Inde Notgero Abbati S. Galli, quem Psalterium de Latina lingua in barbaram transtulisse scribit Eckerhardus, *Oster-friscinch,* id est, agnus paschalis. *Frischling* etiamnum nuncupant accolæ Rheni porcos, qui nondum pervenerunt ad justum incrementum,

G

Generatio.) VI. 80. Ex epistola Gregorii ad Bonifacium Moguntinum. Zacharias Pipino Majori domus: *Dicimus ut dum usque sese generatio cognoverit, juxta ritum & normam Christianitatis & religionis Romanorum, non copulentur conjugiis.*

Gildonia.) V. 200. *Confratria.* Hincmaro.

Gloria Patri.) I. 66. Cassianus apud Massiliam Presbyter lib. 2. de institut. cœnob. cap. 8. *Illud autem quod in hac provincia vidimus, ut uno cantante, in clausula psalmi, omnes astantes concinant cum clamore Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, nusquam per orientem audivimus, sed cum silentio omnium, ab eo qui cantat, finito psalmo, orationem succedere.* Can. 7. synodi Vasensis.

Graphio.) V. 2. Glossar. [illegible] *Gravius.* Ut videatur idem significare quod Baronis nomen, quo, lingua Gallorum, servi militum dicebantur, sicut Cornutus sive quis alius notat in illud Persii *Baro regustatum &c.* Licet hodie Alamanni *Gravionem* appellent quem nos *Comte,* nos *Baronem* quem illi *Freyherr.* Judex fiscalis hic significatur, sicut tit. 55. leg. Ribuar. & in veteri duplomate; *Judicem fiscalem, quem Grafionem appellant.* Suggerius de possessionibus monasterii B. Dionysii: *Ab oppressione exactorum regiorum, quos dicunt Graffiones, multo labore, multisque placitis emancipaveram.*

Gradale,) I. 74. Amalarius de ordine Antiphonarii. Rabanus I. 33. de inst. Clericorum.

Granea.) Addit. IV. 144. *Grange.* Cap. 81. Leg. Alamannorum.

Gunebodigni.) Capitulare Aquisgran. an. 789. cap. 62. Guntbadingi can. 33. synodi Aquisgranensis contra Felicem & Elipandum. Sed lib. 2. legum Longobard. tit. *Qualiter quisque se defendere deb.* ubi hoc idem cap. extat, vetera exemplaria habent: *Sicut Gundebada lege viventes.* Et apud Hincmarum pro Lothario de Tietberga: *Tamen [illegible] Christiani sunt, sciant se*

nec

nec Romanis in die judicii, nec Salicis, nec Gundobadis, ſed divinis & apoſtolicis legibus judicandos. Agobardus Lugdunenſis Epiſcopus ad Ludovicum Imp. adverſus legem Gundobaldi & impia certamina quæ per eam geruntur: *Cum forte contingit ut omnes ſint veraciter Chriſtiani, nemo alterius teſtimonium ſpernat, cum ſe bonis locutionibus ædificant, ſi ſubito contigerit alicui ex ipſis diſceptatio in judiciis, nullum poterit habere teſtem de ſuis cariſſimis ſociis, eo quod non recipiatur teſtimonium alicujus ſuper Gundobadum*. Ibidem: *Quæ utilitas eſt propter Gundobadam legem, cujus auctor extitit homo hæreticus & fidei catholicæ vehementer inimicus, cujus legis homines ſunt perpauci, ut non poſſit ſuper illum teſtificari alter etiam bonus Chriſtianus &c. Si autem placeret Domino noſtro ſapientiſſimo Imp. ut eos transferret ad legem Francorum, & nobiliores ipſi efficerentur, & hæc regio ab ſqualoribus miſeriarum ſublevaretur. Horum enim cauſa contigit ut laceſſantur ad certamen & pugnam pro viliſſimis rebus, quibus contingunt homicidia*. Et ſub fine: *Temporibus prædicti Gundobadi Regis Burgundionum &c. La loy Gombette*. Gregor. Turon. 2. 33.

H

Harmiſcara.) V. 98. Karolus in capitulis quæ Sueſſionis conſtituta ſunt anno 853. *Sciant quia & bannum noſtrum component, & ſimul cum excommunicatione eccleſiaſtica noſtram harmiſcaram duriſſimam ſuſtinebunt*. *Harniſcaram* ſcriptum etiam invenio in capitulis quæ idem Karolus conſtituit anno 856. *Ut jubeamus ipſos deprædatores per eandem viam cum Miſſo noſtro redire, & illa omnia quæ male egerunt legaliter emendare, & talem harniſcaram ſicut nobis viſum fuerit, aut judicium ſicut cum fidelibus noſtris conſideravimus, ſuſtinere*. Et in capitulis quæ Piſtis conſtituta ſunt anno 869. *Epiſcopi provideant quem honorem Presbyteri pro Eccleſiis ſuis ſenioribus ſuis tribuere debent, & ſenioribus Presbyterorum hoc ſufficiat, & amplius per ingenioſas machinationes a Presbyteris non exigant vel exquirant niſi ſicut in eiſdem capitulis avi noſtri conſtitutum, ne Deum offendant & noſtram offenſam incurrant, ac poſt debitam emendationem dignam harniſcaram a nobis diſpoſitam ſuſtineant*.

Heribannus.) III. 13. 18. 35. *L' hoſt banni* Nortmannis. *Bannus in hoſtem*; id eſt, vocatio ad caſtra aut exercitum, III. 67. Multa non ambulantis in exercitum Gregor. Turon. 5. 27. *Here* enim Francico, Alamannico, Anglico idiomate caſtra ſive exercitum ſignificat. Inde *Herault*, Fecialis.

Herisliz.) III. 70. In quibuſdam exemplaribus inveni ita ſcriptum hoc capitulum: *Si quis contumax adeo aut ſuperbus extiterit ut dimiſſo exercitu abſque juſſu & licentia Regis domum revertatur, & quod nos Theudiſca lingua dicimus herisliz fecerit, ipſe ut reus majeſtatis vitæ periculum incurrat, & res ejus fiſco ſocientur*. Deſertio caſtrorum aut exercitus, ſive deſertionis multa. *Laſſen* enim Alamannis deſerere eſt; nobis *laiſſer*, *delaiſſer*. Theodulphus: *Et quomodo Domnum Pipinum Regem in exercitu derelinquens, & ibi, quod Theodiſca lingua herisliz dicitur, viſi ſunt judicaſſe eundem Taſſilonem ad mortem*. Nec tamen male heriſcliz dicetur, quaſi ſit exercitus ſciſſio. Lotharius Imp. *Sit bannum reſciſſum, quod Theodiſca lingua heriſcliz vocatur*. Inde *Eſcleſche* & *Eſclechement de fief*.

Heribergare.) III. 68. *Herberger*. In admonitione Karoli Piſtis: *Mandamus ut ſicut nec in noſtro palatio, ita nec in iſto heribergo aliquis alius ſine noſtra juſſione manere præſumat, nec illud aliquis deſtruat*.

Hoſtis.) I. 135. *L' hoſt*. Inde *hoſtages*, quæ tamen *obſtagia* dicuntur in duplomate Ludovici Comitis Palatini Rheni dat. ann. 1279.

I

Idoneare.) III. 64. *Idoneum ſe facere*. Ibid. 89. Immunem ſe facere a crimine quo quis impetitur cum idoneis hominibus. Greg. Turon. 9. hiſt. Franc. 13. 16. Ut putem in legibus Thaſſilonis legendum: *Et parentes ejus non exidoneaverint eam ut libera fuiſſet*.

Jejunium quatuor.) V. 151. Can. 34. ſynodi Mogunt. In dialogo Bernonis & Gerungi Augienſis monachi: *Cum una fides ſanctæ catholicæ matris Eccleſiæ unitatem commendet, quare ipſa in filiis ſuis quibuſdam conſuetudinum diverſitate aliquando diſcordat, ut de jejuniis quatuor temporum, in quorum obſervatione nonnulli videntur diſcordare*. Gregorius primus officium quod dicitur Martii, primæ quadrageſimali adſcripſit. Micrologus cap. 24. & cap. 25. *Gregorius Papa ſeptimus apoſtolicæ ſedi præſidens conſtituit ut æſtivale jejunium infra octavam Pentecoſtes annuatim celebretur. Quod quidem ſapientioribus reverentia ſedis apoſtolicæ facile perſuaſit. Simplicioribus autem nonnulla dubitatio ſuper hujus ſtatuti promulgatione remanſit. Nam non parum a conſuetudine eorum diſcrepat, quam a quibuſdam ſcriptis non adeo authenticis mutuaverunt, id eſt, a Mogontiacenſi Concilio tempore Henrici II. Imp. facto. Hoc enim hanc regulam jejunii quatuor temporum præfixit, ut hebdomada prima, quarta feria Martii, in ſecunda Junii, in tertia Septembris, omni anno jejunetur. Præterea & hoc attendunt quod in quibuſdam ſacramentariis inveniunt, quod & in primo ſabbato Martii, in ſecundo Junii, in tertio Septembris jejunare debeamus*. Et cap. 27. *Jejunium hyemale juxta traditionem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſemper in tertia hebdomada de adventu Domini debet celebrari*. Can. 2. ſynodi Salegunſtadienſis.

Jejunium XL. *dies ante*.) VI. 187. Amalarius lib. 1. cap. 36. & lib. 4. cap. 37. Officialis: *Nos obſervamus tres quadrageſimas, id eſt, ante Paſcha Domini, circaque feſtivitatem ſancti Joannis, & ante nativitatem Domini, ſic a piis mentibus frequentatum apud nos*. Burchard. lib. 19. cap. 5. ex ſynodo Tribulienſi.

Inbreviare.) In Capitulis Regis Karoli VI. In Capitulis apud Sueſſionenſem civitatem anno DCCCLIII. *Theſaurum ac veſtimenta ſeu libros diligenter inbrevient, & breves nobis reportent. Inbrevient etiam quid unuſquiſque Eccleſiarum prælatus, quando prælationem Eccleſiæ ſuſcepit, ibi invenerit*.

Indebitare.) Add. IV. 144. *Endebter*.

Indiculus.) III. 58. In juramento Bonifacii: *Hunc etiam indiculum ſacramenti ego Bonifacius exiguus Epiſcopus manu propria ſcripſi*. Bonifacius Pipino: *Veniens ad nos cum indiculo veſtro, rogans ut ei juſtitiam faceremus*.

Infantes.) VII. 142. Hieronym. in quæſtion. Hebraic. in Geneſim.

Inferenda.) Addit. IV. 116. *Inlatio*. Aymoin. 4. 26. Fredegarius ſcholaſticus, ſive continuator Gregorii cap. 74. In duplomate Karoli Magni: *Nullus judex publicus nec ad cauſas audiendum, nec ad infrandas nec freda exigendum*. Inde *inferendales vaccæ* quas a Clothario ſeniore annis ſingulis quingentas reddere conſueverant Saxones in Chronico monaſterii Beſuenſis. Et in Geſtis Dagoberti: *Super hæc vero centum vaccas inferendales, quæ ei de ducatu Cenomanico annis ſingulis ſolvebantur*.

Ingenium.) II. 31. Gregorius Turon. 6. cap. 22. *Quod ſæpius hic ingenia quæreret qualiter eum ab epiſcopatu dejiceret*. Malum ingenium III. 27. *Mal engin*.

Res intertiata.) III. 46. VI. 214. Tit. 49.

legis Salicæ, & tit. 35. leg. Ripuar. & in leg. Edouardi Regis Angl. *Choſe entiercée* legib. Aurelian. municipal. artic. 379. Gloſſ. ἐπιτευτος, *Sequeſter*.

Interventores.) VII. 120. Can. 41. ſynodi Carthag. 7. Auguſtinus epiſtol. 163. & cap. 16. de unico baptiſmo contra Petilianum.

Iterare judicium.) VI. 64. *Retractare* l. 1. C. Th. de epiſc. judicio. Quo remedio utimur cum appellandi jus non eſt *l. ult. C. de tempor. appell. Novell.* 82. ἐκκλητον can. 3. ſynodi Sardicenſis. Cyprianus ep. 55. *Iterato quoque a pluribus nobis in Concilio anno priore abſentius*. Sever. Sulpit. lib. 2. ſacr. hiſtor. *Nocentem pronuntiavit, redegitque in cuſtodiam donec ad Principem referret. Geſtis ad palatium delatis, cenſuit Imperator Priſcillianum ſociosque ejus capitis damnari oportere. Ceterum Ithacius videns quam invidioſum ſibi apud Epiſcopos foret ſi accuſato etiam poſtremis &c. Etenim iterari judicium neceſſe erat*. Videantur epiſtola Karoli Calvi Imp. ad Joannem ſummum Pontificem edita cum Hincmari Rhem. Archiepiſcopi epiſtolis, & Add. IV. 29. 30. & quæ Hadrianus Papa ad eundem Karolum & Hincmarum ſcripſit, ejuſdemque Karoli Imp. & Hincmari ad Hadrianum Papam epiſtolæ de cauſa Hincmari Laudunenſis Epiſcopi apud Baronium.

Judæi Chriſtiana mancipia.) VII. 423. Gregorius Brunichildæ Reginæ Francorum: *Omnino præterea admirati ſumus cur & in regno veſtro Judæos Chriſtiana mancipia habere permittitis*. Idem Theodorico & Theodeberto Regibus Francorum.

Juniores.) I. 161. III. 63. Marculfus: *Jubemus ut nec nos nec juniores ſeu ſucceſſores eorum nec quilibet de partibus judicum &c.* In duplomate Karoli Magni: *Ut neque vos neque juniores ſeu ſucceſſores veſtri*. In duplomate Hlotharii: *Quicquid ad partem Comitum aut juniorum eorum ſeu ſucceſſorum exigi poterat*. & in duplomate Theoderici: *Ut neque vos neque juniores veſtri ſeu ſucceſſores*.

Juniores Eccleſiæ.) V. 192. VI. 156. Can. 8. Synod. Matiſcon. Can. 10. ſynodi Pariſienſ. Can. 10. ſynodi ad Theodonis villam. Gregor. Turon. 5. 26.

K

Kyrie eleyſon.) VI. 205. Can. 3. ſynodi Vaſenſis habitæ Decio V. C. Conſule. Gregorius epiſt. 63. lib. 7. *Kyrie eleyſon autem neque dicimus ſicut a Græcis dicitur. Quia in Græcis ſimul omnes dicunt. Apud nos autem a Clericis dicitur, a populo reſpondetur. & totidem vocibus etiam Chriſte eleyſon dicitur. quod apud Græcos nullo modo dicitur*. Quæ precum formula & nationibus in ore fuit, ſi vera eſt vulgata editio Arriani cap. 7. lib. 2. νῦν δὲ, inquit, προέμοντες τὸ ὀρνιθάζειν κρατοῦμεν, καὶ τὸν Θεὸν ἐπικαλούμενοι δεόμεθα αὐτοῦ, Κύριε ἐλέησον, ἐπίτρεψόν μοι ἐξελθεῖν. Videantur epiſtolæ 63. Baſilii & 178. B. Auguſtini. *Kyrie eleyſon in deducendo cadavere* VI. 197. Can. 3. ſynodi Arelatenſis.

L

Lanam carpere.) I. 75. Nobis *Carder*. Plautus Menæchmis: *Inter ancillas ſedere jubeas, lanam carpere*. Sic legitur in omnibus exemplaribus, non *lanam carere*; ſicut apud Varronem, *Ut careat ſpurcitia, ſive* τὸ ξαίνειν τὸ κείρειν. Gloſſ. *Carpit*, ξαίνει, ἐξανθίζει, δρέπεται, σπαράσσει. Aliud Gloſſarium: ξανθείς, *carptus*.

Lectionarius.) I. 103. Sigebertus ann. 807. Amalarius 3. Officialis.

Litania Major diebus tribus.) V. 150. ſynod. Aurelianenſ. 1. Can. 33. ſynodi Mogunt. *Rogationes* Sidonio lib. 5. epiſt. 14. & lib. 7. epiſt. 1. *Sive tres dies Rogationum qui celebrantur ante Aſcenſionem Domini juxta morem Gallicanæ Eccleſiæ*, ut habetur in Ordine Romano, in quo minor litania dicitur, auctore Mamerco Viennenſi Epiſcopo, de quibus extat homilia Alcimi Ecdicii Aviti, & multa multi. Eckerhardus in vita B. Notkeri de Rotperto 962. *Dictaverat etiam letanias quas Eccleſia canit per totum orbem in diebus Rogationum*. In vita B. Audomari: *Sub feſtum dominicæ aſcenſionis, cum more recepto triduanæ fiunt Rogationes, & ſacroſanctæ crucis vexilla totius Eccleſiæ proles devoto pectore ſequitur*.

Litania major more Romano.) VI. 74. Can. 10. ſynodi Aquiſgr. *De litania quoque majore atque de rogationibus ventilatum eſt; ſed communi conſenſu ab omnibus electum atque decretum, juxta morem Romanum* VII. *Kal. Maji illam celebrationem ſecundum conſuetudinem noſtræ Eccleſiæ omittendam*. Ordo Romanus: *Romana conſuetudo unum diem, id eſt,* VII. *Kal. Maji interponit, quem vocat litaniam majorem, non in jejunio &c. Hanc autem legimus ſtatutam a ſancto Gregorio. Juſſit autem fieri in eodem die litaniam ſeptenam*; quæ ſeptiformis dicitur Paulo Diac. lib. 3. hiſtor. Long. cap. 23. Eadem refert Amalarius lib. 4. Officialis cap. 24. 25. Walafridus Strabo cap. 28. de reb. eccleſiaſticis, Alcuinus de divin. offic. cap. de litania majore.

Lithoſtrotum.) V. 353. *Strata*. Ipſa eſt & *delapidata*. Gloſſ. *Delapidata*, λιθόστρωτα, Iſidorus, id eſt, lapidibus ſtrata. Non autem, ut apud Plinium, elaborata arte picturæ, parvulis cruſtis ac teſſellis tinctis in varios colores.

Luminaria arboribus.) I. 62. Can. 8. ſynodi Nannet. Can. 23. ſynodi Arelat. 2. Can. 5. ſynodi Agathenſis.

M

Majores.) V. 174. Μείζονες Balſamoni can. 10. ſynodi octavæ: in quem ſic Zonaras; ἢ τῶν λεγομένων δὲ μειζοτέρων φροντὶς ἢ ὁ καιρὸν οὕτως λέγουσι, εἰσὶν ἢ ἐν τοῖς ἀρχοντικοῖς λεγομένοι κουράτωρες. Major regiæ villæ in vita B. Goaris. *Maires*. Hincmaro *Villarum regiarum majores*.

Mallus.) III. 31. 38. 45. VII. 133. Majus placitum, ſive de majoribus cauſis, ubi quem præſentem adeſſe oportuit. cap. XXIII. & XXIX. libri quarti. In Capitulis quæ facta ſunt Sueſſionis ann. 853. *Comes convenientem locum conſideret & inveniat ubi ſtationem ad mallum tenendum conſtituat: quia nefas eſt ibi reos puniri ubi reſpectu divinæ reverentiæ miſericordiam conſequuntur*. In præcepto remiſſionis ſive conceſſionis quod fecit Ludovicus Imperator Hiſpanis: *Ipſi pro majoribus cauſis, ſicut ſunt homicidia, raptus, incendia, deprædationes, membrorum amputationes, furta, latrocinia, alienarum rerum invaſiones, & undecunque a vicino ſuo aut criminaliter aut civiliter fuerint accuſati, & ad placitum venire juſſi, ad Comitis ſui mallum omnimodis venire non recuſent. Ceteras vero minores cauſas &c.* In donatione Udalrici Laureshamenſis Abbatis: *A tribus principalibus mallis, qui vulgo Ungebodending vocantur, quibus ad curtim Luitereshuſem annuatim manniebantur*. In admonitione Karoli Piſtis: *Ut conlimitanei & vicini Comites in una die mallum non teneant, maxime propter Francos homines & advocatos, qui ad utrumque mallum non poſſunt occurrere*. Vetus Chronicon: *Accuſatus eſt ibi coram Imperatore Ceadragus Dux Abodritorum, qui infidelis erat Francis, & quia vocatus ad mallum Imperatoris, contempſit venire per ſemetipſum, ſed legatos ei miſerat &c.* Quod ita refert Aimoinus 4. 111. *Accuſatus eſt in eodem placito Ceadragus quod ſe erga partem Francorum parum fideliter ageret, & ad Imperatoris præſentiam jamdiu venire diſſimulaſſet*.

Mandatum.) Add. I. 24. Ordo Romanus. Can. 20. ſynodi Aquiſgranenſis: *In cœna Domini pedes fratrum poſt mandatum Abbas lavet & oſculetur*. & cap. 22. *Ut mandatum, ſi tempus cœnæ eſt, tam fratrum quam etiam peregrinorum, poſt cœnam fiat*. In ſtatutis congregationis Caſalis Benedicti non editis titulus eſt, *De mandato ſive ablutione pedum*, quæ fiebat tan-

tante choro: *Mandatum novum do vobis.*

Mangones.) App. I. 34. *Gueux.* Germanis *Mengen.*

Mannire.) I. 115. III. 45. IV. 25. Vocare in jus, tribus teſtibus præſentibus. *Manen* Alamannis. *Monere* ſive *commonere*, Juſtiniano. *Semondre* veteribus pragmaticis. Hincmarus ad Epiſcopos Franciæ: *Comes & Vicarii plurima placita conſtituant; & ſi ibi non venerint, compoſitionem ejus exſolvere faciant. Et quia prius per manninas veniebant, excogitaverunt quidam ut per bannos venirent ad placita, quaſi propterea melius eſſet, ne ipſas manninas alterutrum ſolverent. Hoc ideo facientes, ut ipſi bannum acciperent.*

Mannitio.) III. 45. *Semonſe ou adjournement.*

Manopera.) V. 303. *Servitium manuale* alibi dicitur. In admonitione Karoli Piſtis: *Ut coloni tam fiſcales quam eccleſiaſtici &c. non denegent carropera & manopera ex antiqua conſuetudine.* Et: *De manopere in ſcuria battere nolunt.* Inde *Maneuvre.*

Manſionatici.) II. 17. hoſpitum ſuſceptiones, ſive expenſæ ad hoſpitum ſuſceptiones apud Aymoinum 5. 10. Hincmarus clero Tornacenſi: *Nec manſionaticos ſuis amicis aut ſuis hominibus a Presbyteris parari.* Marculphus: *Non ad manſionaticos vel repaſtos exigendum, non ad miniſteria deſcribendum.* Alibi: *Non pro paſto exactando, non pro manſionatico requirendo.*

Manſus.) I. 85. σύγκτησις. *Meix* Burgundionibus, *Mois* Nortmannis, *Mas* aliis. Can. 63. ſynodi Meldenſis. Vetus formula: *Manſus circumcinctus, cum arboribus & caſticiis ſuperpoſitis, terris arabilibus &c.* Et alibi ſæpe. Alia formula: *ad illum manſum vel terram.* In admonitione Karoli Piſtis: *Ut quoniam quibuſdam in locis coloni tam fiſcales quam de caſis Dei ſuas hereditates, id eſt, manſa quæ tenent, non ſolum ſuis paribus, ſed & Clericis vendunt, & tantummodo cellam retinent, & hac occaſione ſic deſtructæ ſunt villæ ut non ſolum cenſus debitus inde non poſſit exigi, ſed etiam quæ terræ de ſingulis manſis fuerunt, non poſſunt cognoſci, conſtituimus ut hoc nullo modo de cetero fiat, ne villæ deſtructæ atque confuſæ fiant. Et quicquid de ſingulis manſis ſine licentia dominorum vel magiſtrorum per quoſcunque venditum eſt, recipiatur. Et juxta qualitatem vel quantitatem terræ vel vinearum ad ſingulos manſos pertinentium, poſtquam reſtaurati fuerint, ab unoquoque manſo cenſus ad partem dominicam exigatur.* In duplomate Henrici Imp. apud Lazium: *Unum regalem manſum cum omnibus ſuis pertinentiis & utriuſque ſexus mancipiis, terris cultis & incultis, areis, ædificiis, pratis, paſcuis, molendinis, aquis, aquarumque decurſibus, piſcationibus, ſilvis, venationibus, ſaginationibus, cum omni utilitate quæ aut ſcribi aut nominari poteſt, in proprium tradidimus.*

Manus mortua.) V. 110. In admonitione Karoli apud Piſtas: *Ut de injuſtis commutationibus, quæ ad caſas Dei factæ ſunt ſine regia auctoritate, Miſſi noſtri inquirant. Et ſi mortua manus vel præceptum regium ſuper eis interjacet, deſcribantur diligenter qualiter facta ſunt.* In duplomate Philippi Regis anno 1195. *Neque nos neque alius ſuper hominem de communia mortuam manum clamabimus.* Inde *heritages & gens de mortemain.* Fit & in catalogo Leodienſium Epiſcoporum mentio legis quæ *Manus mortua* dicebatur, abogatæ circa annum 1122. Cui opponitur *Manus firma* in veteri inſtrumento. *Notum ſit,* inquit, *quod firmam manum quam dedit nobis Otbertus moriens apud Vindocinum.* & in eodem polypticho. *Unam manum firmam terræ cenſivæ, hoc eſt, terram unius carrucæ, cum tribus arpentis pratorum.* Inde noſtris *Ferme*, *Fermier.*

Manu pr. fin. ſe. ido. Fac.) III. 88. *Manu ſua* lib. 1. feud. tit. 27. Conradus Ratisbonenſis Epiſcopus: *Ille qui pro reo habetur, ſola manu ſe poterit expurgare.* Arnulfus Lexovienſis. *Abbati eſt a nobis adjudicata purgatio ſeptima manu, trium ſcilicet Abbatum, & trium monachorum.* In vita B. Goaris: *cum aliis duodecim firmavit.* Fit & alias ſæpe mentio purgationis, ſicut tum loquebantur, quæ fiebat manu tertia, quarta, quinta, ſexta, ſeptima, duodecima, decimaquarta &c.

Marcha.) II. 14. III. 64. IV. 4. *Marche.* Aymoin. 4. 109. ex geſtis Ludovici Pii: *Simili modo de Marcha Hiſpanica conſtitutum, & hoc illius limitis Præfectis imperatum eſt.* Theodulfus: *Fines vel marchas Bajoariorum diſpoſuit.*

Ad medietatem laborans.) I. 157. *Metayer* nobis.

Miniſteriales.) IV. 30. 69. Hincmarus: *Plebejis quoque quibuſdam perſonis, villarum ſcilicet miniſterialibus, pro rebus miniſteriorum ſuorum nonnunquam ſcribens, qualiter res ſibi commiſſas tractare deberent.* In duplomate Karoli Magni apud Bruſchium: *Nullum de militari familia damnet &c. qui militares vel alio nomine miniſteriales, optimo jure perfruantur.*

Miſſa ord. Rom. celebretur.) V. 371. Libri hymnorum B. Hilarii Pictavenſis Epiſcopi & alterius myſteriorum meminit Hieronymus, item ſynodus Toletana IV. cap. 13. & hymni *Gloria in excelſis Deo* ab eo aucti & conſummati Alcuinus de divinis officiis. Miſſarum a Sidonio Apollinari compoſitarum Gregor. Turon. lib. 2. hiſtoriar. cap. 22. qui de curſibus eccleſiaſticis librum unum condidit. quod de ſe ipſe teſtatur lib. 10. hiſtor. ſub finem. Vide Ildefonſum de viris illuſtribus pag. 770. Conciliorum Hiſpaniæ in Joanne, & incertum auctorem in vita Salvi Abbatis Alvendenſis ibid. pag. 774. & pag. 777. in Petro Ilerdenſi Epiſcopo. Vide etiam Eckerardum in vita B. Notkeri cap. 22. & vitam Sancti Rigoberti Archiepiſcopi Remenſis apud Surium tomo primo, & vitam Sancti Joannis Climaci apud eundem pag. 429. Sed & B. Walericum curſum tam monaſterialem quam Gallicanum magno ſtudio indeſinenter celebraſſe, qui comtemporaneus vitam illius ſcripſit apud Surium teſtatur. Meminit & Pſalterii Gallicani Honorius in prologo enarrationis pſalmorum, Walafrid. Strabo cap. 25. de reb. eccleſiaſticis, & Radulfus de Breda ſive de Rivo propoſit. 8. de canonum obſervantia. quod a Gallis non ſolum Romani, ſed & Hiſpani tandem ſub Gregorio VII. acceperunt. de quo & de officio Gallicano in Hiſpaniis obſervato Rodericus Toletanus Archiepiſcopus lib 6. hiſt. Hiſpan. cap. 26. conqueritur. Sigebertus in Einardo: *Abbreviavit & ipſe Gallicanum pſalterium, quo nos Galli utimur.* Muſtæum Maſſilienſis Eccleſiæ Presbyterum hortatu ſancti Venerii Epiſcopi excerpſiſſe de ſanctis ſcripturis lectiones totius anni, feſtivis diebus aptas, reſponſoria, & pſalmorum capitula lectionibus congruentia, ſimul & compoſuiſſe Sacramentorum non parvum volumen per membra pro opportunitate officiorum & temporum, lectionum textu, pſalmorumque ſerie, & cantatione diſcretum Gennadius, & Nothgerum Sequentias ſcripſiſſe Honorius refert. Sed & de Claudiano Viennenſi Sidonius: *Hic ſollemnibus annuis paravit quæ quo tempore lecta convenirent.* Sigebertus teſtatur Carolum Imp. de ſcripturis catholicorum patrum lectiones unicuique feſtivitati convenientes per circulum anni in Eccleſia legendas compilari feciſſe in duobus voluminibus: qui Uſuardum ſanctorum feſtivitates & martyrologia colligere juſſit quæ in Eccleſiis recitantur, ſicut idem Uſuardus ſcribit. Videatur de Alcuino Micrologus cap. 60. & de ordine Antiphonarii Amalarius, & Faſciculus temporum in Stephano tertio. In epiſtola Karoli Calvi Imp. ad clerum Ravennatem: *Nam & uſque ad tempora abavi noſtri Pippini Gallicanæ & Hiſpanicæ Eccleſiæ aliter quam Romana vel Mediolanenſis Eccleſia divina officia celebrabant, ſicut vidimus & audivimus ab eis qui ex* par-

partibus Toletanæ Eccleſiæ ad nos venientes, ſecundum morem ipſius Eccleſiæ coram nobis ſacra officia celebrarunt. Celebrata ſunt etiam coram nobis ſacra Miſſarum officia more Hieroſolymitano auctore Jacobo Apoſtolo, & more Conſtantinopolitano auctore Baſilio. Sed nos ſequendam ducimus Romanam Eccleſiam in Miſſarum celebratione. Joannes V. Edaldo Viennenſi: *De Officiis Miſſarum, de quibus in literis veſtris requiſiſtis, ſciat caritas veſtra quia varie apud diverſas Eccleſias fiunt. Aliter enim Alexandrina Eccleſia, aliter Hieroſolymitana, aliter Ephesina, aliter Romana facit.* Walafridus Strabo cap. de ord. Miſſæ, de exord. & increm. rer. eccleſiaſt. *Et Galliarum Eccleſiæ ſuis orationibus utebantur, quæ adhuc a multis habentur.* Idem cap. 25. *Et quia Gallicana Eccleſia, viris non minus peritiſſimis inſtructa, ſacrorum officiorum inſtrumenta habebat non minima, ex eis aliqua Romanorum officiis immixta dicuntur.* Auctor Micrologi cap. 11. *Compoſita autem oblatione in altari, dicit ſacerdos hanc orationem juxta Gallicanum ordinem* Veni sanctificator *&c. Romanus tamen ordo nullam orationem inſtituit poſt offerendam, ante Secretam.* Berno Augienſis de quibuſdam rebus ad Miſſam pertinentib. cap. 2. *Ad hæc poteſt aliquis dicere tunc temporis Gallos & Hiſpanos in Miſſarum ſuarum celebratione nondum habuiſſe uſum Romanæ Eccleſiæ: quod & nos non negamus. Teſtatur hoc Abbas Hilduinus, vir in divina lege apprime eruditus, in ea epiſtola quam ad Ludovicum Imp. direxit pro paſſione ſanctorum martyrum Dionyſii & ſociorum ejus; ubi inter alia quæ ſuæ narrationi videbantur congrua, hæc adjecit. Cui adſtipulari videntur antiquiſſimi & nimia vetuſtate pene conſumpti miſſales libri continentes Miſſæ ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ fidei uſus in hac occidentali plaga eſt habitus, uſquequo tenorem, quo nunc utitur, Romanum ſuſcepit. In noſtri quoque monaſterii archivo habetur Miſſalis longe aliter ordinatus quam Romanæ Eccleſiæ habeat uſus. Et quod his omnibus majus eſt, cum una ſit fides, cur ſuper Miſſarum celebratione Galliarum Eccleſiæ a Romana diſcordent Auguſtino requirente Gregorius reſpondit: Novit fraternitas tua Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, in qua meminit eſſe nutritam. Sed mihi placet ut ſive in Romana Eccleſia, ſive Galliarum, ſive in qualibet inveniſti quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſollicite eligas. Non videtur ergo* (addit Radulphus de Rivo propoſitione 4.) *beati Gregorii fuiſſe conſilium ut involuntarie per privilegium ad unam arctaremur Eccleſiam ſecularem in horis canonicis obſervandis.* Guillielmus Durandus lib. 5. Rationalis divin. officior. cap. 2. *Legitur in vita beati Eugenii quod dum adhuc officium Ambroſianum magis quam Gregorianum ab Eccleſia ſervaretur, Adrianus Papa Concilium convocavit, ubi ſtatutum eſt quod Gregorianum deberet univerſaliter obſervari. ad quod Karolus Imp. omnes Clericos minis & ſuppliciis per diverſas provincias cogebat.* Andreas Coloſſenſis Epiſcopus pro Latinis agens ſeſſione 7. ſynodi Ferrarienſis: *Maximo*, inquit, *in Gallia & in Hiſpaniis ſchiſmate imminente, cum jam* Ex Filioque *paſſim celebraretur, Romano Pontifici fuit neceſſe in multorum occidentalium amplæ dignitatis magnique conſilii patrum conventu, addito* Ex Filioq. *ſymbolum illuſtrare.* Quod confirmat Ratio quæ habita eſt de ſymbolo fidei in ſecretario beati Petri Apoſtoli inter Domnum Leonem ſanctiſſimum Papam Urbis Romæ, & Bernarium atque Jeſſe Epiſcopos, ſeu Adalhardum Abbatem, Miſſos Domni Karoli Imperatoris, edita a Baronio. Alcuinus Paulino Patriarchæ: *Sæpius Domno Regi ſuaſi ut ſymbolum catholicæ fidei planiſſimis ſenſibus & ſermonibus luculentiſſimis in unam congereretur chartulam, & per ſingulas epiſcopalium regiminum parrochias omnibus daretur Presbyteris legendum memoriæque commendandum, quatenus licet lingua diverſa loquerentur, una tamen fides ubique reſonaret.* Urbanus Reverſus Canonicus & Præcentor Senonenſis, Doctor Theologus, in hiſtoria de vitis Pontificum Senonenſium: *Anno 1512. poſt pugnam ad Ravennam, cum icto fœdere cum Maximiliano & Venetis contra Regem Ludovicum XII. Julius Papa II. inſtituiſſet ut in Italia contra Gallos ad pulſum angelicæ ſalutationis Deiparæ, cum eadem ſalutatione recitarentur tres breves orationes, quas ipſe dictaverat, ad Virginem Mariam, Rex Ludovicus a Pontificibus regni ſui obtinuit ut quotidie ad elevationem corporis Chriſti in Eccleſiis cathedralibus collegiatis, & conventualibus inter Miſſarum ſollemnia ille verſiculus decantaretur,*

O ſalutaris hoſtia,
Quæ cæli pandis oſtium,
Bella premunt hoſtilia,
Da robur, fer auxilium.

Ad cujus finem loco illorum verborum, Fer auxilium, *cantores regii adjunxerunt*, Serva lilium. Cujus hiſtoriæ meminit Clichtoveus libro primo hymnorum eccleſiaſticorum, Eſpencæus lib. 1. de euchariſtiæ adoratione cap. 10. De Sainctes de rebus euchariſtiæ repetit. 9. cap. 7.

Miſſa S. Martini.) II. 18. Sic appellari ſolebat dies feſtus ejuſdem Sancti, ſicut *S. Andreæ* II. 20., *S. Joannis* III. 23. Anonymus: *Imperator circa Miſſam ſancti Martini Aquiſgrani ad hyemandum venit.* Aymoin. 4. 116. *Circa feſtum S. Martini.* & cap. ult. *Feſtivitas beati Andreæ*, Anonymo *Miſſa* dicitur.

Miſſi Dominici.) II. 11. 16. III. 38. Directi a Rege pro qualicunque eccleſiaſtica aut publica utilitate vel opportunitate, qui corrigerent quæ corrigenda eſſent. Flodoardus in Remenſi hiſtoria: *Tilpinum ſequitur Wulfarius, qui ab Imperatore præfato Magno Karolo Miſſus dominicus ad recta judicia determinanda fuerat ante epiſcopatum conſtitutus ſuper totam Campaniam &c.* Walafridus Strab. c. ult. de exord. & increm. rer. eccleſiaſt. Inde *Eſchiquier*. Nam *Schicken* Alamannis mittere ſignificat.

Miſſi Comitum.) II. 24. *Vicarii, Loci ſervatores.*

Miſſus S. Petri.) V. 2. *Karolus Major domus apoſtolicis in Chriſto patribus Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Domeſticis, & omnibus amicis noſtris. Cognoſcatis qualiter apoſtolicus vir in Chriſto pater Bonifacius Epiſcopus Miſſus ſancti Petri ad nos venit, & nobis ſuggeſſit quod ſub noſtro mundeburde vel defenſione eum recipere deberemus, quod ita nos gratanti animo feciſſe cognoſcite. Proinde nos epiſtolam viſi fuimus ei manu noſtra roboratam dare, ut ubicunque ambulare videtur, cum noſtro amore vel ſub noſtro mundeburde & defenſione quietus & conſervatus eſſe debeat, in ea ratione ut juſtitiam reddat, & ſimiliter juſtitiam accipiat. Et ſi aliqua cauſatio vel neceſſitas ei evenerit quæ per legem definiri non potuerit, uſque ante nos quietus vel conſervatus eſſe debeat, tam ipſe quam qui per ipſum ſperare videntur, ut ei nullus ullam contrarietatem vel damnationem adverſus eum facere debeat. Et ut certius credatur, manu propria ſubter firmavimus, & de annulo noſtro ſubter ſignavimus.* Sic vetus codex.

Laici qui monaſteria habent.) V. 333. *Abbicomites* Gerberto. Videnda epiſtola Bonifacii ad Zachariam Papam. In capitulis quæ miſerunt Epiſcopi provinciarum Rhemenſis & Rothomagenſis Hludovico Regi anno 858. *Monaſteria etiam religioſa atque præcipua Canonicorum & monachorum atque ſanctimonialium habitacula, quæ ab antiquo tempore parentes veſtri ſub religioſo habitu conſtituerunt, ac frater veſter Dominus noſter, innuente partim fragilitate, partim aliorum callida ſuggeſtione, etiam & nimia neceſſitate, quia dicebant petitores, niſi eis illa ſacra loca donaret, ab eo deficerent, & ipſe aliquando per vos, ſicut nunc patet, aliquando per fratrem veſtrum regno deſtitutus, ab eis penderet, talibus, ſicut ſcitis, perſonis commiſit, debito privilegio reſtituite.* Can. 10. ſyn. Meldenſis.

Muſ-

Massulæ.) Add. I. 22. 79. *Moufftes.*

Mundeburde.) VI. 247. *Tuitio, defensio, Mamburnie.* Froissardus vol. I. cap. 155. *Fussent en garde, baille, tutelle, cure. manburnie.* Corrupte vulgo *main bonne.* In annuntiatione Karoli Regis ad Ludovicum fratrem: *Filiam nostram Judith viduam secundum leges divinas & mundanas sub tuitione ecclesiastica & regio mundeburde constitutam Balduinus sibi furatus est in uxorem.* In Marculphi monachi libro hæc legitur de mundeburde Regis formula. *Rectum est ut regalis potestas illis tuitionem impartiat quorum necessitas comprobatur. Igitur cognoscat magnitudo vestra quod nos apostolico aut venerabili viro illo &c. cum omnibus rebus vel hominibus suis aut gasindis vel amicis juxta ejus petitionem, propter malorum hominum illicitas infestationes, sub sermone tuitionis nostræ visi fuimus recepisse, ut sub mundeburde vel defensione illustris viri illius Majoris domus cum omnibus rebus præfatæ Ecclesiæ quietus debeat residere.*

N

Natalis S. Remigii.) II. 35. Albinus in Joannem: *Dies beatorum martyrum, quibus de seculo transierunt, natales vocitamus, eorumque sollemnia non funebria, sed natalitia, dicuntur.* Natalis est æterni postremus dies. Seneca epist. 102. Chrysologus sermone 129. de Cypriano: *Natalem ergo sanctorum cum auditis, carissimi, nolite putare illum dici quo nascitur in terram de carne, sed de terra in cœlum, de labore ad requiem, de tentationibus ad quietem.*

Ne fratres ignes.) V. 2. In tomis Conciliorum, vita B. Bonifacii, & Burchardo legitur: *Sive illos sacrilegos ignes quos nedfri vocant.* Alias *Nedfres.*

Noctes.) III. 45. Tit. 26. & 47. leg. Salicæ. Julius Cæsar: *Galli se omnes ab dite patre prognatos prædicant; idque ab Druidibus proditum dicunt. Ob eam causam spatia omnis temporis non numero dierum sed noctium finiunt &c.* Tacitus de moribus Germanorum: *Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant, sic constituunt, sic condicunt, ut nox ducere diem videatur.* Inde veteribus pragmaticis, *Comparoir dedans les nuictz*, & similia.

Nominum recitatio.) I. 52. Innocentius epist. regulari ad Decentium Eugubinum. Alcuinus de divinis officiis: *Cum dicitur Memento Domine famulorum famularumque tuarum, & sic deinde subjungitur, & omnium circumstantium, manifestum est quod quasi quidam locus sit ubi aliquibus specialiter nominatis, etiam ceterorum qui assistunt in Ecclesia commemoratio adjungatur. In quo loco aut liberum est sacerdoti quos desideraverit peculiariter nominare & nominatim Deo commendare, aut certe illud ab antiquis est observatum ut ibi offerentium nomina recitarentur. Prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac tum eorum nomina sunt dicenda &c.* Videndus Micrologus cap. 23.

Nonæ & decimæ.) I. 157. II. 21. IV. 40. Can. 42. syn. Mogunt. Can. 46. synodi Turonens. *Nonas ac decimas, quas qui res ecclesiasticas tenent, solvere rectoribus Ecclesiarum ordinati sunt ad luminaria & stipendia Clericorum, multis in locis abstractas esse videmus.* Can. 62. synodi Meldensis Karolus Calvus Comitibus Abbat. &c. *Jubemus ut quisquis &c. venerabilis Archiepiscop. aliquid habere dignoscitur &c. nonam & decimam in Missorum præsentia nostrorum Misso Ecclesiæ sanctæ Mariæ vel sancti Remigii revadiet, & annis singulis ad eandem Ecclesiam persolvere studeat. Quicunque vero contra hanc præceptionem facere præsumpserit, sciat secundum dignæ memoriæ avi & genitoris nostri capitula se emendaturum & ipsas easdem res amissurum.* Atque hoc est quod Additione ultima dicitur: *Qui negligit censum, perdat agrum.*

Nonnanes.) V. 2. *Nonnains.* Hieronymus ad Eustochium: *Et quia maritorum expertæ dominatum, viduitatis præferunt libertatem, castæ vocantur & nonnæ.* Idem in epist. 99. ad Asellam. Invenio apud Xiphilinum in Domitiano: πολλάκις δὲ καὶ τὰς ἀγῶνας νύκτωρ ἐποίει, καὶ ἔστιν ὅτε καὶ νάννους καὶ γυναῖκας συνέβαλε. In Martyrologio Usuardi XI. Kal. Septembr. *In portu urbis Romæ, sanctus Hippolytus, qui dicitur Nonnus.*

Nonni.) Addit. I. 54. Can. 18. synodi Aquisgran. anno 816. ex qua & altera eodem anno habita, quæ in hac ipsa Additione prima habentur sumpta sunt: *Ut qui præponuntur, Nonni vocentur*, hoc est, *paterna reverentia.* In regula B. Benedicti: *Priores juniores suos, fratres nominent. Juniores autem priores suos, Nonnos vocent. quod intelligitur paterna reverentia.* Arnobius in psalm. 105. & 140.

Nudi cum ferro.) App. I. 34.

Nutrimen.) II. 21. IV. 40. *Nourry.* Can. 122. synodi Aquisgr. *Loca ei congrua attribuat, in quibus nutrimina fiant.* In Capitulis Episcoporum Rhem. & Rothom. provinc. *faciant nutrimina congrua & necessaria.*

O

Oblata.) I. 46. V. 24. Can. 7. & 8. synodi Gangre. καρποφορίαι αἱ συνήθως τῇ ἐκκλησίᾳ προσαγόμεναι, ut Zonaras scribit.

Obligatores.) I. 61. VI. 72. Augustin. 2. de doctrin. Christ. Sermon. in natali martyr. Protasii & Gervasii. Can. 4. synodi Rothomag. Can. 42. synodi Remens. *Non ligaturas ossium vel herbarum cuiquam mortalium adhibitas prodesse, sed hæc esse laqueos & insidias antiqui hostis.*

Occasiones.) IV. 47. In præcepto Chlodovei Erchenaldo Duci: *Nec ullas redhibitiones vel inlicitas occasiones requirendas.* In Capitulis Episcoporum in Carisiaco palatio an. 858. *Quatenus non sit vobis necesse per quascunque occasiones quorumcunque hortatibus circuire loca Episcoporum, Abbatum, Abbatissarum, vel Comitum, & majores quam ratio postulat paratas exquirere, & pauperes ecclesiasticos & fidelium vestrorum mansuarios in carricaturis & paraveredis contra debitum exigendis gravare.* In duplomate Hlotharii & Hludovici: *Nec ob ullas redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas nostris & futuris temporibus ingredi audeant.* Aymoin. 5. 17.

Orarium.) V. 146. Can. 28. synodi Moguntinæ. Suidæ ὠράριον, τὸ ἐκμαγεῖον. Rufino ὀθόνη. Nam quod Eusebius lib. 7. eccle. histor. μὴ δὲ ἐν τοῖς θεάτροις κατασείειν ταῖς ὀθόναις, Rufinus ita: *Ab auditoribus vero non favorem neque plausum sperare solum, sed theatrali more oraria moveri sibi expectabat.* Unde assequemur quis sit orariorum usus apud Vopiscum in Aureliano: *Ipsumque*, inquit, *primum donasse oraria Pop. Rom. quibus uteretur populus ad favorem.* Stola lib. VI. cap. 172. Alcuino, Rabano, Ivoni Carnotensi. Walafridus cap. 10. de reb. eccles. *Primi ordines in Ecclesia utuntur orariis, quia ad ipsos pertinet docendi officium.* In Pontificali Romano sub Stephano, de degradatione Constantini in basilica S. Salvatoris: *Constantinus in medium adductus, lectis sacratissimis canonibus, ita depositus est. Accedens Maurianus Subdiaconus orarium de ejus collo abstulit, & ante pedes ejus projecit, & campagos ipsius abscidit.* Qui locus singularis est, & pertinet valde ad cap. *Pervenit.* distinct. 93. qui etiam in Romana recognitione male habet.

P

Paganiæ.) V. 2. Bonifacius ad Zachariam Papam: *Sicut affirmant se vidisse annis præteritis in Romana urbe & juxta Ecclesiam sancti Petri, die vel nocte, quando Kalendæ Januarii intrant, paganorum consuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes & cantiones facere sacrilegas, & nullum de domo sua vel ignem vel ferramentum vel aliquid commodi vicino suo præstare velle. Dicunt quoque se vidisse ibi mulieres pagano ritu philacteria & ligaturas in brachiis & cruribus ligatas habere, & publice venales aliis offerre.*

Pagenſes,) IV. 19. *Ejuſdem pagi homines*.

Pallium.) VI. 79. Albinus Alcuinus de divinis officiis. Amalar. lib. 2. Officialis cap. 23. Raban. 1. de inſtit. Cleric. cap. 23. Flodoard. hiſt. metrop. Rhemenſ. 3. cap. 8. Albertus Stadenſis in Chron. Bonifacius Zachariæ Papæ: *De eo quod jam præterito tempore de Archiepiſcopis, & de palliis a Romana Eccleſia petendis juxta promiſſa Francorum ſanctitati veſtræ notum feci indulgentiam apoſtolicæ ſedis flagito: quia quod promiſerunt, tardantes non impleverunt, & ventitatur, & quid inde perficere voluerint ignoratur*. Can. 6. ſynodi Matiſcon. 1. *Ut Archiepiſcopus ſine pallio Miſſas dicere non præſumat*. Hincmarus Rhem. Archiepiſcopus Nicolao Papæ: *Pro cujus uſu apud ſedem apoſtolicam nil petii niſi ſicut deceſſores ac prædeceſſores mei eo uti in Epiſcopi ordinatione ſolebant. Non enim uſum pallii eſſe meæ dignitatis puto, ſed genii ſedis metropolis eſſe cognoſco, dicente magno Leone Papa: Quoniam etſi diverſa nonnunquam ſunt merita Præſulum, tamen jura permanent ſedium, & cum multi ſint ſancti Epiſcopi qui eodem pallio non utuntur, non neſcio quia ſi ſine virtutibus, quas exponente beato Gregorio pallium ſignat, pallio utor, etſi excellentiorem ceteris Rhemorum provinciæ ſedibus Metropolitanam ſedem pallii uſus demonſtrat in oculis hominum, non tamen majorem me facit in oculis Domini*. Petrus Damiani de divinis officiis: *Treverenſi Eccleſiæ Maternus a beato Petro Apoſtolo miſſus hereditatem pallii ſuis ſucceſſoribus dereliquit*. Valentiniani Imperatoris reſcriptum quo Ravennati Epiſcopo tribuitur jus pallii & archiepiſcopatus apud Baronium tom. 5. 637. ex Rubeo. Joannes Papa VIII. Arelatenſi Archiepiſcopo pallium concedit, eique vices ſuas committit pag. 368. tom. 5. Decretalium. Idem 370. ibid. *Proh dolor! cum in Galliæ partibus eſſemus, inter cetera unum valde probibendum invenimus, Metropolitani, antequam pallium a ſede apoſtolica ſuſcipiant, conſecrationes facere præſumunt?* Pallii uſum (quem Gregorius appellat genium lib. 7. ep. 111. & lib. 3. ep. 1.) introductum primum fuiſſe Cæſarius Agnellus judicat, ſicut Blondus refert lib. 2. decad. 1. Fuit autem ex candida lana, qua ſoli utebantur Imperatores; & videtur ſignificare Gregorius in cap. *Contra morem*. 100. diſt. Vide lib. 1. ſacrar. ceremoniarum. Supponebatur autem pallium corporibus D. Petri & Pauli; & ideo dicitur Pallium de corpore beati Petri.

Paravereda.) II. 16. Append. III. 10. Hincmarus clero & plebi Tornacenſi: *Aut ad iter aliquod paraveredos*. In duplomate Karol Magni quod Sigonius lib. 4. de reg. Ital. refert, ſcriptum fuiſſe videtur: *Per ſingula territoria habitantes vel diſcurrentes, manſionaticos & paraveredos accipiunt*. In admonitione Karoli apud Piſtas: *Ut pagenſes Franci qui caballos habent vel habere poſſunt, cum ſuis Comitibus in hoſtem pergant, & nullus per violentiam talibus Francis res ſuas aut caballos tollat, ut hoſtem facere & debitos paraveredos ſecundum antiquam conſuetudinem nobis exſolvere non poſſint*. In Capitulis Epiſcoporum anno DCCCLVIII. menſe Novembri in Cariſiaco palatio: *Judices &c. faciant nutrimina congrua & neceſſaria, cuſtodiant ſilvas, paſtionem defendant, excolant prata, unde habeant pabula; quatenus non ſit vobis neceſſe per quaſcunque occaſiones circuire loca Epiſcoporum, Abbatum, Abbatiſſarum, vel Comitum, & majores quam ratio poſtulat paratas exquirere, & pauperes eccleſiaſticos & fidelium veſtrorum manſuarios in carricaturis & paraveredis exigendis gravare: quin potius habeatis unde ſufficienter & honeſte cum domeſtica curte veſtra poſſitis vivere & legationes recipere &c.* Inde *Paleſredus* Willelmo Tyr. 13. bell. ſacr. cap. 27. Nobis *Paleſroy*. *Reda* quidem Gallicum nomen eſt. Quintilian. 1. 9. Et *eporedicas* bonos equorum domitores vocaſſe Gallos notat Plinius 3. 17.

Paraſceve & ſabbato ſancto.) VII. 430. Walafridus cap. 22. de reb. eccleſiaſt. *Et relatio majorum eſt, ita primis temporibus Miſſas fieri ſolitas ſicut modo in Paraſceve Paſchæ, in quo die apud Romanos Miſſæ non aguntur, communicationem facere ſolemus, id eſt, præmiſſa oratione dominica, & ſicut ipſe Dominus noſter præcepit, commemoratione paſſionis ejus adhibita, eos corpori dominico communicaſſe & ſanguini quos ratio permittebat*. Can. 47. ſynodi Cabill. 2. Theodulphus ad compresbyteros cap. 41.

Pares.) III. 71. 72. *Pairs & compagnons*. In Capitulis quæ miſit Karolus Rex ad Francos & Aquitanos qui ab eo deſciverant anno DCCCLVI. *Sic ſumus omnes per illius voluntatem & conſenſum confirmati Epiſcopi atque Abbates cum laicis, & laici cum viris eccleſiaſticis, ut nullus ſuum parem dimittat, ut contra legem ſuam & rectam rationem & juſtum judicium, etiamſi voluerit (quod abſit) Rex noſter alicui facere, non poſſit*. Ibidem: *Et ſi aliqui ſunt qui homines non habent, ſi volunt in ſuis alodibus conſiſtere aut cum aliis eorum paribus vel amicis, faciant*. Ibidem: *Et ſi aliquis de nobis in quocunque ordine contra iſtum pactum in contra illum fecerit; ſi talis eſt ut ille eum inde admonere valeat ut emendet, faciat. Et ſi talis eſt cauſa ut illum inde familiariter non debeat admonere, ante ſuos pares illum in rectam rationem mittat; & ille qui debitum pactum & rectam legem & debitam ſeniori reverentiam non vult exhibere & obſervare, juſtum juſtitiæ judicium ſuſtineat*. Et in admonitione Karoli apud Piſtas: *Ut quoniam in quibuſdam locis coloni tam fiſcales quam de caſis Dei ſuas hereditates, id eſt, manſa quæ tenent, non ſolum ſuis paribus, ſed & Clericis canonicis ac villanis Presbyteris & aliis quibuſcunque vendunt*.

Patrini,) II. 46. *Parrains*, ut matrinæ, *maraines*. Filioli, *filieux*.

Pedules.) Add. I. 22. *indumenta pedum* cap. 55. Regulæ B. Benedicti. In canonibus Theodori: *Dat ei baculum & pedules*. In vita B. Nicetii Lugdun. *aptatis pedulibus pedes operui*. Gloſſ. πεδύλια, [illegible]

Perjurium in altari &c.) I. 61. *Poſitis ſuper altare manibus*. Gregor. Turon. hiſt. 3. 14. & de glor. mart. 1. 20. *Tactis ſanctorum corporibus vel capſis*. Aym. *ſive ſacroſanctis evangeliis*. Raban. ad Reginbald, & alibi ſæpe. *Purgatio ad memorias ſanctorum*. Auguſtin. ep. 137.

Phylacteria.) VI. 72. Add. II. 21. Hieronymus in Matth. cap. 23. *Pittaciola illa decalogi phylacteria vocabant, quod quicunque habuiſſet ea, quaſi ob cuſtodiam & munimentum ſui haberet &c. Hoc apud nos ſuperſtitioſæ mulierculæ in parvulis evangeliis & in crucis ligno & iſtiuſmodi rebus (quæ habent quidem zelum Dei, ſed non juxta ſcientiam) uſque hodie factitant*. B. Auguſtinus ſermone non edito de martyribus & phylacteriis, cujus mihi copiam fecit vir undecunque doctiſſimus & nunquam laudatus ſatis Nicolaus Faber: *Solet fieri, fratres, ut etiam ad aliquem ægrotantem veniat perſecutor ex parte diaboli, & dicat: Si illum præcantatorem adhibuiſſes, jam ſanus eſſes. Si characteres illos tibi voluiſſes appendere, jam poteras ſanitatem recipere &c. Venit forte & alius qui dicat: Mitte ad illum divinum, tranſmitte ad illum cingulum aut faſciam tuam, & aſpiciat &c. Dicit & alius: Ille bene novit ſuffumigare. Nam cuicunque hoc fecit, ſtatim melius habuit &c.*

Placita.) III. 83. *plaidz*. Can. 16. ſynodi Arelat. 4. *Cauſationes diſceptationeſque*. Can. 35. ſynod. Turon. 3. *Pro quolibet placito vel judicio*.

Pluvium.) II. 15. *Plevine*.

Pœnit. ex ord. Rom.) V. 132. VII. 202. Sozomenus lib. 7. cap. 16. Hieronymus ad Oceanum.

Pœnitentiales libelli quidam eliminati.) Additi. III. 65. Can. 38. ſynodi Cabillon. Can. 22. ſynodi Turon. Can. 38. ſynodi Pariſienſis: *Utentes ſcilicet quibuſdam codicellis contra canonicam auctoritatem ſcriptis, quos pœnitentiales vocant. Ut unuſquiſque Epiſcoporum in ſua parrochia eoſdem er-*

ro-

roneos codicillos diligenter perquirat, & inventos igni tradat.

Pontifices summi.) VII. 423. *Cathedrales Episcopi* can. 35. syn. Agathensis. Gelasius ad Episcopos Lucaniæ: *Nec sibi meminerat ulla ratione concedi sine summo Pontifice Subdiaconum vel Acolythum jus habere faciendi.* Sidon. 7. epist. 5. *Summi antistites* can. 3. synodi Aurelian. 1. Episcopus, summus sacerdos. Tertull. de baptismo. c. *Si Episcopus.* 18. dist. &c. & 2. dist. 59. vetitum Episcopis Romanis summos se dicere, c. *Prima.* 99. & c. seq. dist. 99. vide c. *Accusato.* 2. q. 7. c. *Infames.* 6. q. 1. c. 1. 14. 4. Ivo par. 5. c. 343. c. *Majus.* de consecr. dist. 5. c. *Miserum.* 61. dist. Zosimus apud Ivonem par. 5. c. 102.

Pontium restauratio.) II. 20. IV. 11. Addit. IV. 112. Sangallensis quidam monachus de gestis Karoli Magni: *Fuit consuetudo in illis temporibus, ut ubicunque aliquod opus ex imperiali præcepto faciendum esset, siquidem pontes vel naves, aut trajecti, sive purgatio, seu stramentum, vel impletio cœnosorum itinerum, ea Comites per Vicarios & officiales suos exequerentur, in minoribus duntaxat laboribus. A majoribus autem & maxime noviter instruendis nullus Ducum vel Comitum, nullus Episcoporum vel Abbatum excusaretur aliquo modo. Cujus rei testes adhuc sunt arcæ pontis Magontiacensis. Si vero essent Ecclesiæ ad jus regium proprie pertinentes, laquearibus vel muralibus adornandæ picturis, id a vicinis Episcopis aut Abbatibus curabatur. Quod si novæ fuissent instituendæ, omnes Episcopi, Duces & Comites, Abbates etiam, vel quicunque regalibus Ecclesiis præsidentes, cum universis qui publica consecuti sunt beneficia, a fundamentis usque ad culmen instantissimo labore perduxerunt.* Aymoin. lib. 5. cap. 14.

Precaria.) V. 198. VI. 426. VII. 142. Add. III. 49. *Sub precario & censu.* V. 3. ex synodo Liptinensi. In capitulis quæ miserunt Episcopi provinciarum Rhemensis & Rothomagensis a Carisiaco palatio Hludovico Regi anno 858. *Quia vero Karolus Princeps, Pipini Regis pater, primus inter omnes Francorum Reges ac Principes res Ecclesiarum ab eis separavit atque divisit &c. Quod cognoscens filius ejus Pipinus synodum apud Liptinas congregari fecit &c. Et quantumcunque de rebus ecclesiasticis, quas pater suus abstulerat, potuit, Ecclesiis reddi procuravit. Et quoniam omnes res Ecclesiis a quibus ablatæ erant restituere propter concertationem quam cum Vuaifario Aquitanorum Principe habebat non prævaluit, precarias fieri ab Episcopis exinde petiit, & nonas ac decimas ad restaurationes tectorum, & de unaquaque casata duodecim denarios ad Ecclesiam unde res erant beneficiatæ, sicut in libro capitulorum Regum habetur, dari constituit usque dum ipsæ res ad Ecclesiam revenirent.* Can. 18. synodi Epaun. Can. 21. 22. synodi Meldensis. Can. 51. synodi Turon. Can. 36. 37. synodi Rhemens. Can. 10. 11. 12. 13. synodi Belvacensis. Flodoardus: *Recepit denique res diversas & villas Ecclesiæ, quas antecessor suus per precarias sive præstarias diversis contulerat personis.*

Præceptum.) III. 28. Gregor. Turon. 8. Franc. hist. cap. 20. & cap. 15. de mirac. B. Martini. Aymoin. 5. 17. Chron. Angolesm. *Postulante Launo Episcopo fecit in monasterio sancti Eparchii auctoritatem præcepti de terris quæ ibi sine contentione erant. Quod præceptum Bartholomeus Cancellarius ejus scripsit, & ipse Domnus Rex Karolus manu sua & de annulo firmavit.*

Presbyteri ab incog. Episcopis.) VI. 81. Ex epistola Gregorii Papæ ad Bonifacium.

Nullus in precibus.) Can. 23. synodi Carthagin. ex quo hoc Capitulum sumptum est: *Nullus ad altare Patrem pro Filio vel Filium pro Patre nominet, sed semper orationem ad Patrem dirigat, nec qualibet oratione utatur nisi probata.* Vide Microlog. cap. 5. & Alcuin. cap. de celebratione Missæ, libello de divinis officiis.

Proprisæ res.) V. 242. *Invasæ.*

Psallentium.) V. 372. Greg. Turon. 1. de glor. mart. 6. 51. 75. Ep. ad Damas. Theodor. *Post vespertinum officium cum modulato psallentio refectorium ingrediuntur.* Anastasius Biblioth. in Hadriano: *Constituitque per unamquamque hebdomadam quinta feria cum psallentio ut a diaconia pauperes usque ad balneum pergerent.*

Psalmus invitatorius.) Addit. I. 66. *Venite exultemus Domino &c.* Ex editione Romana.

Pulsari secund. reg.) I. 108. 109. *Pulsatorium* ibid. c. 69. Can. 6. synodi Vernis habitæ. Cap. 58. Regulæ B. Benedicti.

Pulveraticum.) VI. 243. In Præcepto Dagoberti de mercato S. Dionysii: *Teloneos, vel navigios, portaticos, pontaticos, rivaticos, rotaticos, vultaticos, themonaticos, cespetaticos, pulveraticos, foraticos, mestaticos, laudaticos, saumaticos, salutaticos omnes, & ex omnibus quicquid ad partem nostram vel fisco publico de ipso mercato ex ipsa mercimonia exactari potuerat.* Pulveratici quidem nomine binos solidos dari servis qui se militiæ offerunt, in l. 16. C. Theod. de tiron. & judicum pulveratica abolita, notat Doctor meus 4. observationum.

Purgatio exemplo Leonis.) V. 36. Monachus S. Eparchii Engolismensis in vita Karoli Magni: *Inter quæ vel maximum & difficillimum erat de discutiendis Papæ objectis criminibus. Et dum nullus probator criminum esse potuit, Domnus papa (Leo) coram omni populo in basilica beati Petri evangelium portans ambonem conscendit, & invocato sanctæ Trinitatis nomine. jurejurando ab objectis criminibus se purgavit.* Monachus Sangallensis quidam in vita Karoli Magni: *Illic intemeratus pater Leo assumens evangelium Domini nostri Jesu Christi, posuit super caput suum, & in conspectu Karoli ejusque militum, assistentibus etiam persecutoribus suis, in hæc verba juravit. Sic in die magni judicii sim particeps evangelii sicut immunis sum criminis falso mihi ab istis objecti.* Ado Viennens. ætate VI. Aymoin. lib. cap. 88. Fuldenses annales. Anastas. Biblioth. in Pelagio: *Qui Pelagius tenens evangelia & crucem Domini super caput suum, in ambonem ascendens, satisfecit cuncto populo & plebi quia nullum malum peregisset contra Vigilium.* Purgationis Damasi meminit Sigebert. & Anastas. Xisti III. & Symmachi idem Anastasius. Paschalis Theganus de gestis Ludovici Pii, & auctor anonymus in vita ejusdem Ludovici. Vide cap. *Nos competenter* 2. q. 7. & Luitprandum de Joanne XIII. apud Othon. Imp. accusato.

R

Rachinburgii.) V. 16. *Judices* tit. 52. & 60. legis Salicæ, tit. 24. leg. Ripuar. & in capitulis de alia synodo sub ipso Domno Rege Pipino factis.

Reclamare.) IV. 68. Can. 9. synodi Vernis habitæ: *Quod si aliquis reclamaverit quod injuste sit excommunicatus.* & in codice quodam pervetusto. *N. Comes in placito devestivit N. de suo proprio alode propter crimen incesti. Postquam autem N. Abbas, & N. Comes Missi dominici in illas partes venissent ad jussionem Domni Imperatoris explendam & justa judicia terminanda, reclamavit prædictus N. quod injusto judicio propriis rebus caruisset &c. Auditis testibus prædicti Missi judicaverunt &c.* Hinc est nostris *Reclain*, & *reclamer*.

Reicula.) VII. 265. Monachus Sancti Galli lib. 2. de gestis Karoli Magni: *Quod reticulæ Sancti Galli, non ex regalibus donariis, sed ex privatorum traditiunculis collectæ.*

Res quæ a nonn. Ecclesiis ablatæ.) I. 104. Videnda vita Bonifacii, & lib. V. infra cap. 3. Nec verisimile videtur quod de Eucherio Aurelianensi Episcopo fabulantur quidam, quasi viderit animam Karoli Martelli apud inferos cruciari, cum Eucherium relegatum notet Sigebertus anno 723. obiisse vero sexto exilii sui anno, qui contemporaneus vitam illius scripsit apud Surium, vel, ut Molanus ex archivis monasterii Trudonensis, anno Dom. 727. atque ita Eu-

che-

eherio Karolus Martellus diu superstes vixerit, quem obiisse anno Domini 741. omnes antiquiores historici tradunt. Nec novum videbitur draconem effracto sepulcro Martelli repertum fuisse qui legerit Plutarchum in Agide & Cleomen.

Allata Epist. a Riculfo.) VII. 281. Richolfi Moguntini meminit Einardus in vita Karoli. Et extat epistola Leonis Papæ ad ipsum tom. decret. ex qua apparet ei deditum. Marianus Scotus, Trithemius in Chronico Hirsaugensi, Lambertus Schafnaburgensis. Hincmarus Rhem. adversus Hincmarum Laudunensem Episcop. de sententiis ex Græcis & Latinis canonibus atque synodis decretisque Pontificum collectis, & Engelramno Metensium Episcopo datis, quando pro sui negotii causa agebatur: *De illis sententiis plena est terra ista, sicut & de libro collectarum epistolarum ab Isidoro, quem de Hispania allatum Riculfus Moguntinus Episcopus in hujusmodi sicut in Capitulis regiis curiosus obtinuit, & istas regiones de illo repleri fecit.* Unde *quidam Episcoporum* (ait Nicolaus Papa ad Archiepiscopos & Episcopos Galliæ) *scripserunt haud illa decretalia priscorum Pontificum in toto codicis canonum corpore continere descripta.* Cujus codicis sive collectionis, (quæ & *Corpus Canonum* dicitur distinct. 19. & 20.) auctor fuit Dionysius Exiguus, non autem Isidorus Mercator epistolarum pontificiarum a B. Clemente usque ad Gregorium primum collector. Idem Hincmarus epistol. 7.

Romanum iter.) Cabillon. syn. II. c. 45. Concilium Salegunstad. c. 18. ut impetiti aliquo delicto non liberentur per susceptam peregrinationem ad limina Apostolorum, sed prius in loco ubi deliquerunt sacerdoti satisfaciant; inde, si velint, cum licentia sui Episcopi, acceptis ab eo litteris, Romam peregrinentur. Vignier. hist. ecclef. ad an. 818. pag. 207.

Roccum.) Addit. I. 22. Helgaudus in vita Roberti Regis: *Et exuens se vestimento purpureo, quod lingua rustica dicitur rocus.* Ῥῶκοι. *Rochet.* Nicetas in Isacco. Φραγκικὴ ῥῶκα δορύσαντες.

Rodaticum.) VI. 243. *Rodage.* Tit. 10. leg. municip. S. Severi, & tit. 12. Aquens. *Droict de Rouage.* Rotaticum.

Ut judicato Episcopo.) VI. 64. 401. Add. IV. 29. Gregorius Turon. lib. 5. hist. cap. 20. *At illi* (Salonius & Sagittarius Episcopi) *cum adhuc propitium sibi Regem esse nossent, ad eum accedunt, implorantes se injuste remotos, sibique tribui licentiam ut ad Papam urbis Romanæ accedere debeant. Rex vero annuens petitionibus eorum, datis epistolis, eos abire permisit.* Hincmarus Hadriano universalis Ecclesiæ Papæ: *De eo quod pusillitati meæ vestra rescripsit sublimitas, ut eundem Hincmarum & alios tres Episcopos, omnium Episcoporum regni Domni Karoli vicem ferentes, ad synodum Romam mitterem, vestra sciat auctoritas quia nec prædictum Hincmarum, nec etiam quemlibet Episcoporum dioceseos Rhemorum, minime autem aliarum provinciarum Episcopos, nisi Domnus Rex illis præceperit, Romam vel in aliquam partem mea commendatione mittendi habeo potestatem, nec ipse ego ultra fines sui regni absque illius scientia progredi valeo.* Idem Hincmarus Nicolao summæ sedis apostolicæ & universali Papæ: *Nesciens quia nos Metropolitani in istis regionibus non habemus potestatem ut sine consensu vel jussione Regis aut nos ipsi ire, aut coepiscopos nostros quoquam longius possimus dirigere.* Flodoardus in Wulfario: *Eundi denique Romam causa orationis ad S. Petrum licentiam ab Imperatore se accepisse in quadam sua designat epistola.*

S

Saga.) V. 2. Can. 5. synodi Matisconensis. Gallicum vocabulum Varroni, Straboni, Plinio; Hispanicum Appiano. Anonymus quidam S. Galli monachus in vita Karoli Magni, ex Werimberto: *Erat antiquorum ornatus vel paratura Francorum, calciamenta forinsecus aurata, corrigiis tricubitalibus insignita, fasciolæ crurales vermiculatæ, & subtus eas tibialia ac coxalia linea, quamvis ex eodem colore, tamen artificiosissimo opere variata; super quæ & fasciolas in crucis modum intrinsecus & extrinsecus, ante & retro, longissimæ illæ corrigiæ tendebantur. Deinde camisia glizzina. Post hæc baltheus colligatus. Quæ spata primo vagina fagea, secundo corio qualicunque, tertio linteamine candidissimo cera lucidissima roborato ita cingebatur ut per medium cruciculis eminentibus, ad peremptionem gentilium duraretur. Ultimum habitus eorum erat pallium canum vel saphyrinum, quadrangulum, duplex, sic formatum ut cum imponeretur humeris, ante & retro pedes tangeret, de lateribus vero vix genua contegeret. Tum baculus de arbore malo nodis paribus admirabilis, rigidus & terribilis cuspide manuali ex auro vel argento cum cælaturis insignibus præfixo, portabatur in dextra. Quo habitu lentus ego cum in Franciam nonnunquam venirem, vidi caput Francorum in monasterio S. Galli, duosque flores auricomos ex ejus femoribus progressus, quorum qui prior egressus est proceritatem illius adæquabat, posterior autem paulatim excrescens verticem stipitis sui summa gloria decoravit, & transcendendo contexit. Sed ut est mos humani ingenii, cum inter Gallos Franci militantes, virgatis eos sagulis lucere conspicerent, novitate gaudentes, antiquam consuetudinem dimiserunt, & eos imitari cœperunt. Quod interim rigidissimus Imp. idcirco non prohibuit quia bellicis rebus aptior ille videretur habitus. Sed cum Frisones hac licentia abutentes adverteret, & brevissima illa palliola sicut prius maxima vendere comperisset, præcepit ut nullus ab eis nisi grandia latissimaque illa longissima pallia consuetudinario pretio coemeret, adjiciens: Quid prosunt illa pittaciola? In lecto non illis possumus cooperiri, caballicans contra ventos & pluvias nequeo defendi, ad necessaria naturæ secedens, tibiarum gelatione deficio.* Videndus Plinius.

Sal catechumenis.) VII. 263. Can. 5. synodi Carthag. 3. Origenes, Isidor. 2. de divin. offic. cap. 20. Alcuinus cap. de sabbatho sancto Pasch. lib. de divin. offic. Augustin. lib. 2. de peccat. merit. cap. 26. *Nam & catechumenos secundum quendam modum suum per signum Christi & orationem manus impositionis puto sanctificari; & quod accipiunt, quamvis non sit Christi corpus, sanctum est tamen, & sanctius quam cibi quibus alimur.* Can. 65. de consecr. distinct. 4. *Sal cælestis sapientiæ.*

Sanctus, Sanctus, Sanctus, communi voce.) I. 66. Can. 45. synodi Vasensis. Lib. 8. apostol. constitut. c. 12. ὁ πᾶς ὄχλος ἅμα εἰπάτω Ἅγιος, Ἅγιος, Ἅγιος κύριος σαβαώθ.

Incertæ sanct. memoriæ.) I. 41. Canone 50. synodi Africanæ.

Sancti noviter inventi.) Append. I. 10. Can. 51. synodi Moguntinæ. Can. 43. synodi Franconofurd. *Ut nulli novi sancti colantur aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur. Sed hi soli in Ecclesia venerandi sunt qui ex auctoritate passionum aut vitæ merito electi sunt.* Severus Sulpitius in vita B. Martini: *Erat haud longe ab oppido proximus monasterii locus, quem falsa opinio consepultis martyribus sacraverat &c. Sed Martinus non temere adhibens incertis fidem, ab his qui majores natu erant Presbyteris vel Clericis flagitabat sibi nomen martyris vel tempora passionis ostendi, grandi se scrupulo permoveri quod nihil certi constans sibi majorum memoria tradidisset.* Optatus Milevitan. lib. 1. *Quæ ante spiritalem cibum & potum os nescio cujus martyris, si tamen martyris, libare dicebatur, & cum præponeret calici salutari os nescio cujus hominis mortui, & si martyris, sed necdum vindicati, correpta cum confusione irata discessit.* Nam fiebat dedicatio ossium martyris. Hieronymus ad Julianum. *Quod in quadragesimo die dormitionis earum lu-*

lugubrem veſtem mutaveris, & dedicatio oſſium martyris candida tibi veſtimenta reddiderit. Vid. Vignier. hiſt. eccleſ. ann. 827. pag. 209.

Sandalia.) V. 371. In charta Karoli Magni: *De calceamentis ſecundum Romanum uſum.* Raban. 1. de inſtit. Cleric. cap. 12. Amalar. 2. Officialis cap. 25. Albin. Alcuin. de divinis Officiis. Ordo Roman. 99.

Scabinei.) II. 38. III. 7. 30. 33. 40. 49. IV. 5. Vet. Gloſſ. *Scepeno, Judex.* In chartulario Sancti Galli: *Interrogavit ipſe Comes illos Scabinios quid illi de hac cauſa judicare voluiſſent. At illi dixerunt: Secundum iſtorum hominum teſtimonium & ſecundum veſtram inquiſitionem judicamus.* Chartularium Beſuenſis monaſterii. *Notum fiat poſteris quod ante illuſtrem virum Hildegarium Comitem ſeu Judices quos Scabineos vocant & quamplures perſonas qui cum eo aderant in Montaniaco villa in mallo publico ad multorum cauſas audiendas & rectas juſtitias terminandas, ibi veniens Betto Epiſcopus & advocatus ſuus Burgoardus, novem legitimos teſtes ibi præſentavit, quorum nomina hæc ſunt,* Et alibi; *Ante illuſtrem virum Hildegarium Comitem, ſeu judices quos Scabineos vocant. Tunc ipſi Scabinei unanimiter judicarunt. Scheffen* Alamannis, *Eſchevins* nobis.

Scara.) III. 68. Hincmarus ad diœceſis Rhemenſis Epiſcopos: *Domnus Karolus bellatorum acies, quas vulgari ſermone ſcaras vocamus, diſpoſitas.* Aymoinus lib. 4. cap. 26. *Collegit e Franciæ bellatoribus ſcaram, quam nos turmam vel cuneum appellare poſſumus. Schaar* Alamannis, Inde *Eſquiere, Eſcadron, Eſcarmouches.*

Scaſtlegi.) Addit. IV. 114 *armorum depoſitio.*

Shedula.) I. 81. In præfatione reformationis Ludovici Pii Imp. *Libellus.*

Scholæ.) I. 68. Addit. II. 5. Can. 12. ſynodi Pariſienſ. Can. 9. ſynodi Nannetenſ. Can. 1. ſynodi Valentinæ. Can. 43. ſyn. Cabillon. 2. Lupus ad Einardum: *Siquidem veſtra memoria per famoſiſſimum Imperatorem Carolum literæ cæptæ revocari, aliquantulum quidem extulere caput.* In privilegio quod idem Carolus Magnus dedit Eccleſiæ Oſnabrugen. apud Crantzium: *In eodem loco Græcas & Latinas ſcholas in perpetuum manere ordinavimus.* Angelomus in Cantic. Canticorum. Sed & ei qui ſcholas regebat beneficium olim deputatum fuiſſe per omnes fere Eccleſias majores Gallicanas & ſuo tempore dignoſci ſcribit Alexander 3. Rhemenſi Archiepiſcopo Collect. 2. Canon.

Scorticatus.) V. 2. VII. 400. Burchardus in lege quam dedit familiæ: *Conſtituimus ut ei tollantur corium & capilli.*

Scoti qui ſe Epiſcopos dicunt.) Addit. III. 67. cap. 43. ſynodi Cabillon. 2. In hiſtoria B. Rudberti tom. VI. Caniſii pag. 1108. de Scotis: *nominari, ut aſſolet, deceptores, gyrovagi, & curſores.* Walafridus Strabus lib. 2. de mirac. B. Galli c. 47. *Nuper quoque de natione Scotorum, quibus conſuetudo peregrinandi jam pene in naturam converſa eſt.*

Scotorum hoſpitalia.) In Capitulis excerptis a Karolo Hludovici Imp. filio XII. Can. 14. ſynodi Meldenſis. In Capitulis quæ miſerunt Epiſcopi provinc. Rhemenſ. & Rothomag. Hludovico Regi anno 858. *Hoſpitalia peregrinorum, ſicut ſunt Scotorum, ac quæ tempore anteceſſorum veſtrorum Regum conſtructa & conſtituta fuerunt, ut ad hoc ad quod deputata ſunt teneantur.*

Scrutinium more Romano.) V. 372. Can. 4. ſyn. Moguntinenſ. ad Carolum Magnum: *Sacramenta itaque baptiſmatis volumus ut ſicut ſancta veſtra fuit admonitio, ita concorditer atque uniformiter in ſingulis parochiis ſecundum Romanum ordinem inter nos celebrentur jugiter atque conſerventur, id eſt, ſcrutinium ad ordinem baptiſmatis.* Ordo Romanus pag. 31. 41. Can. 3. ſynodi Moguntinæ ſub Rhabano.

Seniores.) I. 85. II. 15. III. 8. *Seigneurs.* In capitulis quæ miſit Carolus ad Francos & Aquitanos anno 856. *Et mandat vobis noſter ſenior quia ſi aliquis de vobis talis eſt cui ſuus ſenioratus non placet &c.*

Nullus in Eccleſia mortuum ſepeliat.) I. 153. Can. 9. ſynodi Meldenſis. Theodulphus Aurelianenſ. Epiſcop. ad fratres compresbyteros. *Antiquus in his regionibus in Eccleſia ſepeliendorum mortuorum uſus fuit, ut plerunque loca divino cultui mancipata, & ad offerendas Deo hoſtias præparata, cœmiteria ſive polyandria facta ſint. Unde volumus ut ab hac re deinceps abſtineatur, ut nemo in Eccleſia ſepeliatur.* Greg. Turon. 1. cap. 36. hiſtor. Can. 15. 17. ſynodi Triburienſis. Hoc privilegium retinere Galliæ civitates ſcribit Ivo Carnotenſis. Quæ vox, *Galliæ*, abeſt in editione Conciliorum.

Sigele.) I. 126. *Secale, Soigle.* Quod in quibuſdam hortis *bladum hibernagium.* Moſchopul. ὄλυρα, εἶδός τι τῶν σπορίμων, ἡ καὶ ζειὰ καλουμένη, ἢ κοινῶς σίκαλις. Inde *Secalonia.*

Signa.) VI. 171. Trinodium: ἡ κρίκα τὸ σήμαντρον. Einbardus de translatione beatorum Marcellini & Petri lib. 3. cap. 15. *Turricula, quæ ſigna baſilicæ continebat, ab eis conſpici potuiſſet.* In ordine Dunſtani Dorobernenſis Archiepiſcopi: *Benedictio ad ſignum Eccleſiæ, id eſt, tintinum.* Walafrid. Strab. cap. 5. de reb. eccleſ. Amalarius Fortun. lib. 3. Officialis, *Seins.* Inde *Tocſein*, & proverbium: *Il n' en fait pas les ſeins ſonner.*

Signati qui ment. vadunt.) App. II. 14.

Solidus,) III. 30. IV. 75. Canone 41. ſynodi Rhemenſis. Hincmarus Archiepiſcopus Rhemenſis in libro de vita & actib. B. Remigii: *In teſtamento a B. Remigio condito lector attendat quia ſolidorum quantitas numero quadraginta denariorum computatur, ſicut tunc ſolidi habebantur, & in Francorum lege Salica continetur. Et genaraliter in ſolutione uſque ad tempora Karoli perduravit, velut in ejus Capitulis continetur.* Inde multæ quædam municipalibus aliquot Franciæ legibus & in ſingulas libras εἰσδεκτικὰ ſive laudimia quadraginta denariis taxantur.

De Statu ſuo.) IV. 25. 74. Abo: *Baptizatis Saxonibus, ex ingenuitate & alode, fidei firmitas roborata.* Regino: *Sacramenta ſecundum conſuetudinem dederunt ut perderent ingenuitatem & omnem hereditatem, niſi conſervarent Chriſtianitatem.* Hincmarus Hadriano Papæ: *Ut pro libertate & hereditate noſtra uſque ad mortem certare debeamus.*

Stipulas.) VI. 370. Vid. tit. 48. leg. Salicæ. Iſidorus: *Veteres quando ſibi aliquid promittebant, ſtipulam tenentes frangebant; quam iterum jungentes, ſponſiones ſuas agnoſcebant.* Non diſſimiliter in veteri formula excommunicationis. *Debent duodecim ſacerdotes Epiſcopum circumſtare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in concluſione excommunicationis projicere debent in terram & pedibus conculcare.*

Sunnis.) III. 45. Vet. Gloſſ. *Sunnis, impeditio. Sonnis, impedimentum.* Alamannis *Saumnuz.* Nobis *Eſoine.* Exonia. Hincmarus Karolo Regi: *Quo mittens ad dominationem veſtram excuſationem impoſſibilitatis ſuæ illuc veniendi, requiſita eſt quam patriotica lingua nominamus exonia, quia venire nequiverit. quod hactenus eſt inauditum.*

Beati Sylveſtri canon.) I. 133. Hincmarus Rhemenſis epiſtol. 9. *In libro vero qui titulatur Geſtorum Pontificum legimus conſtituiſſe B. Sylveſtrum ut nullus laicus Clerico crimen audeat inferre. Cetera autem quæ ſubſequuntur ut ſupra poſuimus, in regeſto ipſius eum conſtituiſſe non legimus. Quapropter credendum non eſt eundem ſanctum virum talia conſtituiſſe.* Ut videatur Hincmaro canon iſte ſuppoſititius.

T

Taberna.) I. 14. Can. 24. ſyn. Laodic. & Can. 40. ſynodi Carthag. καπηλεῖον. *Taverne.*

Te

Te igitur.) VI. 173. Auctor Micrologi cap. 10. *Erectus autem Presbyter populum hortatur ad orandum; & ipse post finitam secretam præfationem orditur in canonem, in qua supernorum civium ordines merito connumerantur &c. Unde & angelicus hymnus, id est, Sanctus, Sanctus, Sanctus subsequitur, quem beatus Sixtus Papa in ordine octavus constituit ut ante sacrificium diceretur.* & cap. 23. *Canon juxta Romanam auctoritatem est iste. Te igitur clementissime pater &c.*

Teloneum.) II. 19. *Tonlieu.* Teloneum, quod in exitu regni solvitur. τέλος.

Tempestarii.) I. 62. *Immissores tempestatum.* Pœnitentiale Romanum. Agobardus contra insulsam opinionem de grandine: *Alii autem confidenter confirmant incantationibus hominum qui dicuntur tempestarii esse levatam, & ideo dici levatitiam auram.*

Tituli.) V. 175. Ponebantur tituli singulis quibusque domibus, ut cujus essent, & ad quem pertinerent, inspiceretur, testante B. Augustino in psalm. XXI. & LV. & tractatu VII. in epistol. B. Joannis. Ut putem inde titulorum denominationem quos Evaristum in urbe Roma divisisse Presbyteris & Marcellum XXV. in eadem urbe constituisse Anastasius scribit. Idem Anastasius in Silvestro: *Hic fecit in urbe Roma Ecclesiam in prædio cujusdam Presbyteri sui, qui cognominabatur Equitius; quem titulum Romanum constituit juxta Thermas Domitianas, qui usque in hodiernum diem appellatur Titulus Equitii.* Vide can. 20. synodi Rhemens. can. 14. synodi Turon. 3. can. 11. 52. synodi Meldens. can. 36. syn. apud Altheim.

Tonsurare.) V. 212. Canon. 7. synodi Cabillon. 2.

Tractatus catholici.) I. 73. Contra Clementem Scotum. Bonifacius Zachariæ Papæ: *Alter autem hæreticus, qui dicitur Clemens, contra catholicam contendit Ecclesiam, abnegans scilicet & refutans canones sacros, tractatus & expositiones sanctorum patrum Hieronymi, Augustini, & Gregorii.*

Tractoria.) IV. 30. 70. Videantur quæ scripsit doctor meus Cod. De Tractoriis & Statiu.

Transituræ.) IV. 58. Vetus exemplar habet *trasturas. Transitorium tributum* vocatur lib. 1. leg. Longobard. tit. de exercitalibus. Inde *droict de traitte, & traitte foraine.*

Super tumulos manducare.) VI. 197. Can. 3. synod. Arelatens. Can. 70. synodi Braccar.

Tzangæ.) VII. 398. Can. 22. synod. Aurelian. 1. *Monacho uti orario & tzangas habere non liceat.* Sic omnes codices manuscripti. Vetus interpres Horatii in illud, *Nigris medium impediit crus Pellibus*) *Zangis.* Gloss. κόθορνος, τὸ βασιλικὸν τζάγγιον. Idem τζάγγα, τὸ ὑπόδημα. Georgius Codinus: ὁ ἕτερος εἶδος ὑποδημάτων ἃ καλοῦνται τζαγγία, ἔχοντα ἐκ πλαγίων κατὰ τὰς κνήμας καὶ ἐπὶ τῶν ταρσῶν αὐτοὺς διὰ λίθων καὶ μαργάρων.

V

Vassi.) II. 9. 24. *Serviles.* Gallicum vocabulum. Turon. 1. 32. Odo in vita B. Gerardi: *Nec hoc patiebatur ut quilibet senior beneficium a suo vasso pro qualibet animi commotione posset auferre.* Theodulphus: *Tassilo venit per semetipsum tradens se manibus Domini Regis in vassaticum, & reddens ducatum sibi commissum.* Regino: *tradens se manibus ejus ad servitium, reddens ducatum a Pipino Rege sibi commissum.* In adnuntiatione Karoli Pistis. *Vassalli nostri nobis & nostræ conjugi famulantes.* Can. 63. syn. Cabil. *Lassi* Saxonibus. Witaldus: *Sunt etenim inter illos qui Edhilingi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lassi illorum lingua dicuntur. Latina vero lingua hoc sonat, nobiles, ingenui, atque serviles.* Hucbaldus Elnonensis Abbas in vita B. Lebuini: *Erat gens Saxonum, sicut nunc usque consistit, ordine tripartito divisa. Sunt enim ili qui illorum lingua Edlingi, sunt qui Frilingi, sunt qui Lassi vocantur, quod Latina sonat lingua, nobiles, ingenui, atque serviles.* In præcepto evindicatorio Karoli Magni: *Tum nos una cum fidelibus nostris, id est, Hagino, Rothlando, Vvichingo, Frodegario Comitibus, necnon & Vassis nostris Theodoreto, Bertholdo &c.*

Vassi dominici.) III. 73. Vvalafridus Strabo: *Cappellani minores ita sunt sicut hi quos Vassos dominicos Gallica consuetudine nominamus.* In capitulis quæ Episcopi Rhemorum dioceseos atque Rothomagensis miserunt Ludovico Regi: *Quando anima vestra de corpore exierit &c, & sine solatio & comitatu drudorum atque vassorum nuda ac desolata exibit.*

Vestitura.) IV. 19. 24. 42. 45. Append. II. 7. *Ut non mittantur testimonia super restituram Domni Pipini Regis.* Append. III. 2. *Vestituram Domni Karoli.* 7. *De rebus quas Marchio tradidit filio Bosonis &c. ut hi quibus traditæ fuerunt, vestituram suam accipiant.* Ut valde mirer virum (1) multæ & variæ lectionis asserere ne ipsum quidem nomen investituræ temporibus Karoli Magni fuisse in usu. Saltem meminisse potuit canonis quem ex synodo Liptinensi ad annum 743. ipse exscripsit, qui sic habet: *Ecclesia cum propria pecunia revestita sit.* & extat lib. V. Capitular. cap. 3. Apulleus: *devestire se.*

Viaticum.) I. 100. V. 118. VII. 138. Can. 3. synodi Arausic. Amalar. official. 3. cap. 35. Siricius: *Quibus, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatico munere, cum ad Dominum cœperint proficisci, per communionis gratiam volumus subveniri.*

Vicarii Comitum.) II. 28. *per pagos constituti.* Vvalafridus Strab. Gregorius Turon. 9. 5. Nunc *Viguiers.*

Vicedominus.) III. 11. 26. V. 191. Karolus Calvus Hadriano summo Pontifici: *Quia Reges Francorum ex regio genere nati, non Episcoporum Vicedomini, sed terræ domini hactenus sumus computati.* Sigebertus anno 539. Gregorius Papa: *Volumus autem ut memoratus frater noster Pascasius & Vicedominum sibi ordinet & Majorem domus, quatenus possit vel hospitibus supervenientibus causis quæ veniunt idoneus & paratus existere.* Can. 24. synodi Rhemensis. Nobis *Vidame.*

Vomeres igniti.) Append. II. 3. *Vomeres ferventes* tit. 15. leg. Angl. Can. 1. 24. synodi Mogunt. In actis synodi Rhemensis de causa Arnulphi: *Meumque vernaculum Episcopis tradam, qui per ignitos vomeres incedens, Deum de te judicare manifestis declaret indiciis.* Nuncius apud Sophoclem in Antigone:

Ἦμεν δ' ἑτοῖμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν,
καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν,
τὸ μήτε δρᾶσαι.

Vvacta.) III. 68. *Guet* Francis. *Vvacht* Alamannis. In præcepto remissionis sive concessionis quam fecit Ludovicus Imp. Hispanis: *Explorationes & excubias (quod usitato vocabulo vvactas dicunt) facere non negligant.* In admonitione Karoli apud Pistas: *Et in civitate atque marcha vvactas faciant ad defensionem patriæ.*

Vvadii.) II. 38. III. 29. Can. 18. synod. Cabillon. 2. Gesta Karoli Magni: *Perterriti Saxones omnes, ad locum ubi Lippia consurgit venerunt ex omni parte, & Domno Regi Karolo per vvadium manibus suis reddiderunt patriam.* Inde *Debitum reuvadiatum* IV. 58. Oddo in vita B. Gerardi: *Debitum vvadii nequaquam debitori relaxare solitus erat.* Et lib. IV. c. 70. *Heribannum reuvadiatum.*

Vvanti.) Add. I. 22. *Gantz.*

Vvarda.) III. 68. *Garde.* Anglis *Vverde.*

Vvirgildus.) IV. 13. 15. 18. Vetus Glossarium: *Virgild, secundum quod appretiatum fuerit.* Pœnitentiale Romanum: *Pretium suum, id est vvirgildum suum.* In legibus Edouardi Regis Angl. *Inveniat plegios tales qui possunt reddere forisfacturam, id est vvere suum.*

(1) Intelligit Baronium.

FINIS.

FOR-

FORMULÆ VETERES.

IN SEQUENTES FORMULARUM
FASCICULOS
MONITUM COLLECTORIS.

VOluminibus collectionis nostræ primo & secundo nonnullos interserui fasciculos Formularum, atque chartarum, quæ formularii vices agere aptæ sunt. Nunc in calce legalium codicum sub Francis editorum præstat ut alias quasdam Formularum collectiones apponam, ex quibus lumen haud modicum nanciscuntur tum consuetudines quondam vigentes, tum Barbarorum Leges, imo & Lex quæ *Romana* appellata fuit; illa, inquam, cujus usus erat sub Francis inter eos, qui *Romana lege* vivebant; quæ Romanorum themidem equidem refert, sed Barbarismis notabiliter intermixtam.

Primo reposui Formulas illas, quas ex vetusto codice quondam descripsit Jacobus Sirmondus, eruditissimis notis illustravit Hieronymus Bignonius, atque ad antiquorum codicum fidem emendatiores retulit Stephanus Baluzius. Hujus formularii usum in Turonensi tractu quondam extitisse mihi facile persuadeo, quod in formulis ipsis *Basilicæ S. Martini*, & *Civitatis Turonicæ* mentio fiat. Hic autem pluries Romana lex allegatur, Aniani scilicet Breviarium, ejusdemque interpretationes, quod & quas Formularum Scriptores præ oculis habuisse, ex allegationibus ipsis haud obscure colligimus.

Aliæ subinde Formulæ occurrent, quas in unum collegit Stephanus Baluzius *ex multis codicibus manuscriptis veterrimis, tum etiam aliquas ex libris editis*, ut ipse monet in Præfatione ad Capitularia. Ex quo formulario, Tomo secundo Capitularium a Baluzio ipso edito, & aliquantulis notis ornato, dempsi formulas sex Isonis Monachi Sangallensis, quæ in superiori volumine nostro jam traditæ sunt in chartarum centuria quæ formularium Goldastinum constituit. Earumque loco alias suffeci a præfato Baluzio editas Miscellaneorum libro VI, quarum usus viguisse videtur in Arvernico districtu ibidem sæpe commemorato. Ex his quædam antiquitatem sapiunt valde remotam, cum prima referatur ad unum ex Consulatibus Honorii & Theodosii, quo tempore provincia hostiliter divexata fuerat a Francis.

Baluzianas excipiunt Formulæ, quas Mabillonius tum in Analectis, tum in egregio Opere de Re Diplomatica ex antiquissimo Codice Weingartensis in Svevia Monasterii edidit, & *Andecavenses* nuncupavit, quas vere in Andecavensi tractu usitatas fuisse ex earundem lectione elucescit. *Harum antiquitatem*, inquit Mabillonius ipse (1), *probat tum veterrimus codex, ex quo eas descripsimus, exaratus, ut ex subscriptione colligitur, anno tertio* Teuderici Regis, *cognomento Calensis, tum nomen Childeberti Regis in illis formulis non semel expressum; quod vel de Childeberto I., vel saltem de Childeberto III. intelligendum est; nam Childebertus II. nihil ditionis habuisse videtur apud Andecavos. Hæc collectio continet formulas LIX, in quibus* Lex Romana, consuetudo pagi, & principalis, seu regalis potestas *sæpe memorantur.*

Postremo Formularum collectionem exhibeo, quæ extat apud Lindenbrogium in Codice Legum Antiquarum. Cum autem ex illis plurimæ ex Marculfo, ejusve Appendice, Sirmondo, Bignonio, Baluzio, verbis plus minusve, hoc ipso atque superiori volumine traditæ sint; idcirco refrictiones evasurus, earum, quas in præfatis collectionibus occurrere observavi, rubricas tantum indicabo; cæteras, quæ in collectionibus eisdem vel non extant, vel certe me fugerunt, tradam, uti a Lindenbrogio descriptæ sunt.

---

(1) Mabillon. de Re Diplomatica Supplem. pag. 68. Edit. secunda.

FORMULÆ VETERES.

FORMULÆ SIRMONDI

CUM NOTIS HIERONYMI BIGNONII.

INCIPIUNT CAPITULA.

EXPLICIUNT CAPITULA.

Donatio Ecclesiæ (1).

I. MUndi terminum adpropinquantem ruinis crebrescentibus jam certa signa manifestantur. Idcirco ego in Dei nomine ille considerans gravitudinem peccatorum meorum, & reminiscens bonitatem Dei dicentem, Date eleemosynam & omnia munda fiunt vobis.

Item alio modo.

Si aliquid de rebus nostris locis sanctorum vel in substantia pauperum conferimus, hoc nobis procul dubio in æterna beatitudine retribuere confidimus. Ego quidem de tanta misericordia & pietate Domini confisus per hanc epistolam donationis dono donatumque in perpetuum esse volo ad basilicam sancti Martini, ubi ipse pretiosus corpus requiescit, vel omni congregationi ibidem consistenti, & venerabilis vir ille Abbas præesse videtur, villam juris mei nuncupantem illam, sitam in pago illo, in condita illa (2), cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, cum exiis

(1) *Donatio Ecclesiæ.*) Donationum ejusmodi exempla varia Marculfus tradit libro secundo.

(2) *In condita illa.*) In designandis locis solent hæ formulæ *conditæ* vocabulum usurpare; quod nec apud Marculfum & incerti auctoris for-

exiis & ingreſſis, mobilibus & immobilibus, cum omnibus appendiciis ſuiſque adjacentiis, ſicut a me præſenti tempore videtur eſſe poſſeſſum, totum & ad integrum de jure meo in veſtra vel ſancti Martini jure proprietario trado atque transfundo; ea vero ratione ut quandiu advixero, ſub uſu beneficii veſtri abſque ullo præjudicio vel diminutione aliqua prædictas res tenere & uſurpare debeam, & poſt meum quoque diſceſſum, quicquid in jam dicta villa vel in finibus ſuis additum, adtractum, emelioratum, repertumque fuerit, & tranſitus meus ibidem dereliquerit, cum omni ſuprapoſito (1), rectores ipſius Eccleſiæ agenteſque illius abſque ullius expectata traditione vel judicum conſignatione in noſtra eleemoſyna vel ſubſtantia monachorum ibidem vitam degentium, Chriſto protegente, tanquam ſi ad præſens abſque uſu noſtro eorum fuiſſet obſecuta poſſeſſio, in eorum faciant revocare poteſtatem vel dominationem; ita ut quicquid exinde pro opportunitate monaſterii facere decreverint, liberam & firmiſſimam in omnibus habeant poteſtatem. Et ſi fuerit ulla quislibet perſona qui præter iſtum, alterum ſtrumentum exinde præſentaverit, aut anteriorem aut poſteriorem, quod nos nec fecimus nec facere rogavimus, nullum ſortiatur effectum, niſi vacuum & inane permaneat. auctorem vero criminis vel falſarium judiciaria poteſtas condemnet. Et ſi fuerit, aut ego ipſe, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet perſona, qui contra hanc donationem aliquid refrangere vel calumniam generare præſumpſerit, illud quod repetit non vindicet, & inſuper contra cui litem intulerit ſolidos quingentos componat, & hæc donatio cum ſtipulatione ſubnixa inlibata permaneat. Actum in illo loco.

Mandatum (2).

II. Magnifico fratri illo, ego ille, filius illius. Rogo, ſupplico, atque tuæ caritati injungo ut ad vicem meam civitatem illam adeas, & donationem illam, quam ego partibus illius de locis noſtris nuncupantibus illis, ſitis in pago illo, per mea legitima ſtrumenta confirmavi, geſtis municipalibus cum curia publica & defenſore facias alligare vel proſequere, et de ipſa proſecutione mihi reddas certiorem. Et quicquid exinde egeris geſſeriſve, ratum a me in omnibus eſſe cognoſcas. Quod mandatum, ut pleniorem obtineat vigorem, manu propria ſubter firmavi et bonorum virorum ſubſcriptione roborandum decrevi.

Geſta (3).

III. Anno illo, regnante Rege illo, ſub die illo, cum conventum Turonus civitate adfuiſſet, adſtante venerabili viro illo defenſore, una cum honoratis principalibus ſuis, venerabilis vir ille dixit: Rogo te, venerabilis vir ille defenſor, ut mihi codices publicos patere jubeatis, quia inluſter vir ille per hoc mandatum ad me ſperavit ut donationem illam, quam de rebus ſuis propriis, de locis nuncupantibus illis, ſitis in pago illo, partibus illius per ſua legitima ſtrumenta confirmavit, geſtis municipalibus cum curia publica & defenſore proſequere & alligare deberem. Ecce ipſam donationem, jubete eam recitari. Venerabilis vir ille defenſor & ordo curiæ dixerunt: Codices publici te patefaciant; & ille amanuenſis hanc donationem accipiat vel recitetur. Qui ſtatim accipiens, per ordinem eam recitavit. Jam dictus proſecutor dixit: Et quia petitiones meas laudabilitas veſtra per ordinem implere dignata eſt, rogo ut publica monumenta ſuſcipiat. Et patefactis codicibus, geſta cum a vobis fuerit ſubſcripta, mihi nobilitas veſtra, ut mos eſt, tradi præcipiat. Venerabilis vir ille defenſor & ordo curiæ dixerunt: Geſta cum a nobis fuerit ſubſcripta, & a venerabili viro illo amanuenſe edita, tibi tradatur ex more, ut facilius quod ſuperius inſertum eſt diuturno tempore maneat inconvulſa.

formulas reperitur, nec etiam alibi facile occurrit. Quo nomine certum locum & territorium deſignari apparet. Sic in donatione Haganonis ad S. Martinum Turonenſem, cujus particulas antea protulimus: *Fridegiſo Abbati trado manſum noſtrum dominicatum quem extra conſortium fratrum in hereditate habemus in pago Bleſenſi, in condita ponte Lapidenſe, in villa Blideritco &c. partibus S. Martini tradimus cum hominibus ibidem commorantibus, quos colonario ordine vivere conſtituimus &c. Data* XVII. *KL. Junii anno* V. *Hludovici sereniſſimi Imperatoris.* In alio veteri inſtrumento ejuſdem cœnobii, *in pago Bleſenſi, in condita Cabriniacenſi, in loco nuncupante Alvarias.* Conditæ nomen pro comitatu videtur uſurpari, a quo etiam vocabulum ſumpſiſſe dixerim. Nam & Hiſpanis *Conde* pro Comite dicitur. Dubium tamen movent exempla ex tabulario S. Martini, quæ ſupra ſcripſimus; ubi poſt pagum condita deſignatur; & ſub condita, villa. Originem certe ad comitatum lubens referrem, donec certior appareat. Contradam quoque pro regione etiamnum dicimus, ab eadem forſitan origine.

(1) *Cum omni ſuprapoſito.*] Synodi Meldenſis c. 17. *Ut res eccleſiaſticæ tempore principatus veſtri allatæ ex integro præſentaliter reſtituantur & reſtituta conſerventur, ſicut tempore avi & patris veſtri fuerunt; excepto ſuperpoſito, quod ad uſus poſſidentium abſumptum eſt.* Suprapoſitum Græcis ἐνθῆκαι in l. *Titia*, 34. §. *Lucius Titius*. de legatis 2. Βούλομαι αὐτὸν καὶ ἐκ τῆς λαβεῖν χωρίον, γάζας ἐνούσας ἐνθήκας αὐτοῦ πάσας. Quæ Papiniano *dotes prædiorum*, l. 2. de inſtruct. & inſtrument. leg. Appellantur etiam *repoſita*, l. *Si mihi Mævia*. 92. §. ult. de legatis 3. Enthecam dixit B. Auguſtinus quicquid navi imponitur, ſermone ad fratres in eremo. Can. *Nolo*. 12. q. 1.

(2) *Mandatum.*) Ut ſuperior donatio apud acta publicetur & inſinuetur. Marculfus lib. 2. cap. 38. Incertus auctor cap. 54.

(3) *Geſta.*) Marculfus lib. 2. cap. 37. Incertus auctor cap. 54.

Cessio.

IV. Latores legum sanxerunt ut quicquid unusquisque alteri cesserit, profiteatur se tantum rem cessisse, vel concedi, & sola voluntas illius aut scriptura aut testibus comprobata pro omni firmitate sufficiat. Igitur ego in Dei nomine ille fideli nostro illo cedo tibi a die præsente cessumque in perpetuum esse volo, hoc est, villa juris nostri nuncupante illa sita in pago illo, in condita illa, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omnibus appendiciis suisque adjacentiis, cum omni suprapposito, vel quicquid in jam dicto loco a die præsente tenere & possidere videor; ita ut quicquid exinde facere volueris, jure proprietario liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem: quia malo hoc te habere quam me, plus te quam ceteris heredibus meis. Et si fuerit, aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet persona, qui contra hanc cessionem aliquid refragare vel calumniam generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit, una cum socio fisco, inferat solidos tantos, & hæc cessio meis vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione subnixa, diuturno tempore maneat inconvulsa. Actum.

Venditio (1).

V. Magnifico fratri illo, ego ille. Constat me tibi vendidisse, & ita vendidi, rem proprietatis meæ, sitam in pago illo, in condita illa (2), in loco nuncupante illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, totum & ad integrum cum omnibus appendiciis vel adjacentiis suis vel omni suprapposito, sicut a me præsenti tempore videtur esse possessum, de jure meo in tua trado potestate vel dominatione, unde accepi a te pretium in quod mihi bene complacuit, illis præsentibus qui subter tenentur inserti, valentem solidos tantos. ita ut ab hodierna die quicquid exinde facere volueris, liberam habeas potestatem. Et si fuerit, aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet persona, qui contra hanc venditionem aliquam calumniam vel repetitionem (3) generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos tantos componat, & hæc venditio firma permaneat.

Obligatio (4).

VI. Domino venerabili illo, ego in Dei nomine ille. Dum & omnibus habetur percognitum qualiter vestro accepto pretio rem proprietatis meæ sitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni integritate, vel quicquid a me præsenti tempore inibi fuit possessum, vobis per venditionis titulum distraxi. Sed postea mea fuit petitio, & vestra decrevit voluntas, ut mihi ipsam rem usufructuario ordine conservare juberetis. quod ita & fecistis. Et ego pro hujus merito beneficii, obligo vobis rem proprietatis meæ, sitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni integritate sua, vel quicquid ibidem præsenti tempore a me videtur esse possessum. Ea vero ratione ut quandiu in capur advixero, utrisque partibus sub vestro prætexto tenere & usurpare debeam, & mihi exinde non liceat aliubi nec vendere nec donare nec in nullo modo distrahere, nec ipsos usus in alterius manus transferre. Sed post meum quoque discessum, absque ullius expectata traditione vel judicum consignatione, absque diminutione rerum vel manciplarum, cum omni suprapposito, vel quicquid in ipsa loca aspicere vel pertinere videtur, vos heredesque vestri, vel cui a vobis permissum fuerit, in eorum faciant revocare potestatem vel dominationem. Et si fuerit aut ego ipse aut ullus ex heredibus meis, vel quislibet persona qui contra has obligationes aliquam calumniam vel repetitionem aut contemptum generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos ducentos componat, & hæ obligationes uno tenore conscriptæ firmæ permaneant.

Precaria (5).

VII. Domino venerabili illo rectori Ecclesiæ illius vel omni congregationi ibidem con-

(1) *Venditio.*) Marculf. lib. 2. c. 19. 20. 21. Incertus auctor cap. 14.

(2) *Condita illa.*) Supra cap. 1. & passim his formulis.

(3) *Calumniam vel repetitionem.*) Calumnia, ut alias monuimus, in veteribus instrumentis & apud Marculfum & alios formularum auctores pro actione accipitur. Leg. Longob. lib. 2. tit. 27. *Non possumus in una causa duas imponere calumnias.* Leg. Burgund. tit. 89. *calumniam movere.* Inde vetustis vernaculis scriptoribus *calanger*, & antiquissima quæque diplomata calumniam *calange* interpretantur. Rogerius Hovedenus annal. parte poster. de controversia inter Castellę & Navarræ Reges, cujus Henricus II. Angliæ Rex arbiter erat: *Calumnia Regis Castellæ. Rex Aldefonsus Castellæ & Toleti conqueritur & petit a Rege Sanctio Navarræ avunculo suo sibi fieri restitutionem &c.* Postea: *Tunc surrexerunt Episcopus Pampelunæ & alii nuntii Regis Navarræ, & nihil eorum quæ ab adversariis suis proponebantur contradicentes, scriptum quoddam, in quo petitiones & calumniæ & allegationes suæ scribebantur, protulerunt in hac forma: Calumnia Regis Navarræ. Petit Sanctius Rex Navarræ Cudeio monasterium, montem de Oca &c.*

(4) *Obligatio.*) Precariæ species est, quæ obnoxiatio a Marculfo appellatur lib. 2. c. 9.

(5) *Precaria.*) Marculf. lib. 2. cap. 5. & 41. Incertus auctor cap. 27. & 41.

consistenti. Ego enim ille. Ad meam petitionem vestra decrevit voluntas ut mihi villam vestram, sitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni merito ad se pertinente vel aspiciente, usufructuario ordine mihi conservare juberetis. quod ita & fecistis. Ea vero ratione ut mihi exinde non liceat aliubi nec vendere nec donare nec in ullo modo distrahere; sed sub vestro prætexto, quatenus decretum vestrum manserit, hoc tenere & usurpare faciam. Unde censivi me annis singulis ad festivitatem ipsius sancti partibus vestris reddere argentum tantum. Et post meum quoque discessum suprascriptam rem cum omni integritate & soliditate sua, quicquid ibidem aspicere vel pertinere videtur, cum omni suprapositо, vel quicquid ibidem transitus meus dereliquerit, absque ullius expectata traditione vel judicum consignatione, aut heredum meorum repetitione, vos agentesque ipsius Ecclesiæ in eorum faciant revocare potestatem vel dominationem. Et si fuerit aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet persona qui contra hanc precatoriam aliquam calumniam vel repetitionem aut contemptum generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos centum componat, & hæc precatoria, quamvis per diversorum annorum curricula a me fuisset possessa, nullum præjudicium vobis non præparetur, sed ita firma permaneat quasi per quinquennium fuisset renovata, cum stipulatione subnixa, omnique tempore inviolata permaneat.

Item venditio.

VIII. Magnifico fratri illo, ego ille. Constat me tibi vendidisse & ita vendidi infra terminum sancti illius, in loco nuncupante illo, campum vel vineam juris mei, habentem aripennos tantos. Est quidem de uno latere & fronte terra illius, de alio latere & fronte terra illius. Unde accepi a te pretium, in quod mihi bene complacuit, valentem solidos tantos, ita ut ab hodierna die quicquid de supradicta re facere volueris, liberam habeas potestatem, salvo jure ipsius sancti. Et si fuerit, aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet persona qui contra hanc venditionem aliquam calumniam vel repetitionem generare præsumpserit, contra cui litem intulerit solidos quindecim componat, & hæc venditio firma permaneat.

Venditio de servo (1).

IX. Magnifico fratri illo, ego ille. Constat me tibi vendidisse & ita vendidi servum juris mei nomine illum, non furem, non fugitivum, sed sanum corpore, bonisque moribus constructum. Unde accepi a te pretium, in quod mihi bene complacuit, valentem solidos tantos. Ita ut ab hodierna die quicquid de supradicto servo facere volueris, liberam habeas potestatem. Et si fuerit, aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quislibet persona qui contra hanc venditionem aliquam calumniam vel repetitionem generare præsumpserit, contra cui litem intulerit solidos sexaginta componat, & hæc venditio firma permaneat.

Venditio de semetipso (2), *qualiter homo liber venundetur.*

X. Domino semper meo illo, ego ille. Placuit mihi ut statum ingenuitatis meæ in vestrum deberem obnoxiare servitium. quod ita & feci. Unde accepi a te pretium, in quod mihi bene complacuit, solidos tantos, ita ut ab hodierna die quicquid de me servo tuo, sicut & de reliqua mancipia tua, facere volueris, a die præsente liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem. Et quod fieri non credo, si fuerit ulla quislibet persona qui contra hanc venditionem, quam ego mea

(1) *Venditio de servo*,) Marculf. lib. 2. cap. 22.

(2) *Venditio de semetipso.*) Quod hic dicitur de libero homine qui seipsum vendit, non omnino convenit cum jure Romano, de eo qui ad pretium participandum venundari passus est, ideoque ad libertatem proclamare non potest, nec manumissus pristinam ingenuitatem recipit. l. 5. l. *Et servorum*. 21. de statu hominum. l. 7. de liberali causa. quod etiam in desuetudinem abiisse Græci notant lib. 29. Basilic. Non enim seipsum vendebat, sed ob participationem pretii ab alio venire patiebatur, ignorante emptore. Nam si ille sciens liberum emerit, ad libertatem venditus proclamare potest. l. *Liberis*. 7. §. *Si quis sciens*. de liberali causa. Hic vero liber homo pretio accepto emptori scienti prudentique seipsum addicit. Quo pertinet insignis locus B. Augustini in Sermon. *Hic mos solet inter ementem vendentemque servari, ut is qui se alieno cupit dominio mancipare, aliquid pretii pro jactura propriæ libertatis & addictione propriæ servitutis a suo consequatur emptore*. Gregor. Turonensis lib. 7. c. 45. de fame quæ per Gallias grassabatur: *Graviter tunc negotiatores populum spoliaverunt, ita ut vix vel modium annonæ aut semimodium vini uno triente venundarent. Subdebant se pauperes servitio, ut quantulumcunque de alimento porrigerent*. Jeremias thren. cap. 5. *Ægypto dedimus manum, & Assyriis ut saturaremur pane*. Leg. Bajuvar. cap. 6. tit. 5. *Quamvis pauper sit, tamen libertatem suam non perdat nec hereditatem suam; nisi si spontanea voluntate alicui tradere voluerit, hoc potestatem habeat faciendi*. Quinimo & seipsum pignoris loco dare mos erat. Leg. Bajuvar. cap. 2. tit. 1. 5. *Si vero non habet, ipse se in servitio deprimat, & per singulos menses vel annos quantum lucrare quiverit, persolvat cui deliquit, donec universum debitum restituat*. Capitul. lib. 3. c. 29. *Liber qui se loco vuadii in alterius potestate commiserit &c.* Jornandes de rebus Geticis cap. 26. *Satius deliberant ingenuitatem perire quam vitam*. Quamquam ibi agitur de patribus qui filios suos distraxerunt. Tacitus etiam refert Germanos aleæ ita deditos fuisse ut extremo ac novissimo jactu de libertate & de corpore contendant. *Victus*, inquit, *voluntariam servitutem adit: quamvis junior, quamvis robustior, alligari se ac venire patitur*.

mea spontanea voluntate fieri & adfirmare rogavi, qui contra eam aliquid agere vel calumniam generare conaverit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit aut libram unam, argenti pondo quinque coactus exsolvat, & hæc venditio firma permaneat.

Epistola collectionis (1).

XI. Nos quoque in Dei nomine matricularii (2) sancti illius, dum matutinis horis ad ostia ipsius Ecclesiæ (3) observanda con-

---

(1) *Epistola collectionis.*) Formula est qua matricularii Ecclesię alicujus testantur se puerum expositum collegisse & certo pretio eum vendidisse secundum legem Romanam. De expositis infantibus varium fuit jus, nec olim satis certum. Id indicat Plinii ad Trajanum consultatio, & ejusdem Trajani rescriptum de his qui liberi nati, expositi, & in servitute educati sunt, quos vocant [illegible]: de quorum conditione & alimentis consulenti Plinio, Trajanus non putat adsertionem denegandam iis qui ex ejusmodi causa in libertatem vindicabuntur, nec ipsam libertatem redimendam pretio alimentorum. Tamen propter alimenta quasi vice pignoris retineri potuisse ostendit M. Quintiliani declamatio 278. de exposito quem pater recepit. *Vis*, inquit, *scire quam pater non fueris? Recipere illum nisi solutis alimentis non potuisti, & tibi ut pater esse incipias emendus.* Quo etiam pertinet Diocletiani constitutio in l. *Pater* 16. Cod. de nuptiis. Constantinus vero statuit ut qui projectum de domo voluntate patris vel domini collegerit, ac suis alimentis ad robur provexerit, eundem retineat sub eo statu quo voluerit, id est, sive ut filium, sive ut servum, nec posse patrem vel dominum repetere. l. 1. Cod. Th. de expositis. Multo magis si dominus vel patronus exposuerit, omnis repetitio denegatur adversus eum qui misericordia ductus collegit l. 2. eod. in qua adjicitur: *Si modo testes episcopalis subscriptio fuerit subsecuta, de qua nulla penitus ad securitatem possit esse cunctatio.* Extant etiam ea de re varia synodorum decreta. Synodi Arelatensis II. c. 32. *Si expositus ante Ecclesiam cujuscunque fuerit miseratione collectus, contestationis ponat epistolam. Et si is qui collectus est, intra decem dies quæsitus agnitusque non fuerit, securus habeat qui collegit. Sane qui post prædictum tempus calumniator extiterit, ut homicida ecclesiastica districtione damnabitur, sicut patrum sanxit auctoritas.* Synodi Vasensis, quæ Theodosio Jun. & Dioscoro Coss. habita est, c. 9. *De expositis, quia collata ab omnibus querela processit eos non misericordiæ jam sed canibus exponi, quos colligere calumniarum metu quamvis infelix a præceptis misericordiæ mens humana detrectet, id observandum est, ut secundum statuta fidelissimorum Augustorum piissimorumque Principum quisquis expositum colliget, Ecclesiam contestetur, post contestationem colligat. Nihilominus de altari dominico die minister annuntiet ab ecclesiastico expositum esse collectum; ut intra dies decem ab expositionis die expositum recipiat, si quis se probaverit agnovisse, collectori pro ipsorum decem dierum misericordia prout valuerit ad præsens retribuat, aut in perpetuum cum Dei gratia, si voluerit, possideat. Si quis expositorum hoc ordine collectorum repetitor vel calumniator extiterit, ut homicidia habendus est.* Benedictus Levita Capitul. lib. 6. cap. 144. Atque etiam Matiscensis synodus apud B[u]rchardum jubet ut a Presbyteris illud annuntietur, non interficiendos liberos, sed potius alienæ misericordiæ exponendos; idque ne puellæ quæ clanculo corruptæ concepissent, liberos interficerent. Itaque hæc formula ad executionem ejusmodi legum & canonum pertinet. Contra tamen Justinianus definivit expositos esse liberos & ingenuos, licet servi nati sint, nec vindicari posse ab eo qui exposuit, nec eo qui emit vel sustulit, ne ex pietatis officio lucrum faciat. l. 3. Cod. de infant. expositis.

(2) *Matricularii.*) Matriculam pro indice, albo, seu notitia accipi notum est. Præter innumeras Impp. constitutiones quæ eo vocabulo utuntur, Vegetius de re militari lib. 2. c. 5. *punctis milites inscripti & matriculis inserti jurare solent.* Eodem sensu matriculæ Ecclesiarum in testamento B. Remigii dicuntur catalogi pauperum qui ab unaquaque Ecclesia stipendia recipere soliti erant: *Pauperibus duodecim in matricula positis, ante fores Ecclesiæ expectantibus stipem, duo solidi unde se reficiant inferantur.* In testamento Sonnatii Rhemensis Episcopi apud Flodoardum lib. 2. c. 5. *Ad matriculam Rhemensis Ecclesiæ nonnulla contulit denaria. Ceteris quoque matriculis vel congregationibus diversa delegavit munera.* Quem morem apertissime describit Hincmarus epist. 7. cap. 30. Episcopi *de matriculariis per singulas Ecclesias juxta facultatem & possibilitatem loci curam adhibeant ne Presbyteri pro locis matriculæ xenia accipiant, ne suos parentes sanos & robustos in eadem matricula collocent, nec opera ab ipsis matriculariis exigant, non de matriculariis bubulcos & porcarios faciant, sed pauperes ac debiles & de eadem villa de qua decimam accipiunt matricularios faciant*, quod loci *matricularii* dicuntur qui in matricula inscripti sunt, ut etiam apud Gregorium Tur. lib. 7. cap. 29. *Nonnulli matriculariorum & reliquorum pauperum pro scelere commisso tectum cellulæ conantur evertere.* Idem de miracul. lib. 2. cap. 37. Sed in hoc capite & alibi passim, qui in singulis Ecclesiis matriculæ pauperum curam agebant, & eorum stipendia dispensabant, *matricularii* appellantur. Hodie *marguilliers*, rerum Ecclesiæ administratores. Matricularios porro custodes Ecclesiarum Wandalbertus Diaconus interpretatur. Vidit hanc formulam Cujacius, ejusque partem exscribit ad Sentent. Pauli librum quintum.

(3) *Ad ostia Ecclesiæ.*) Ibi enim exponebantur. Synodi Matiscensis cap. 6. apud Burchardum: *Decretum est ut unusquisque Presbyter in sua plebe publice annuntiet, ut si aliqua femina clanculo corrupta conceperit & pepererit, nequaquam diabolo cohortante filium aut filiam suam interficiat, sed quocunque prævalet ingenio ante januas Ecclesiæ partum deportari ibique poni faciat; ut coram sacerdote in crastinum delatus, ab aliquo fideli suscipiatur & nutriatur.* Sic & apud Treviros observari testatur Wandelbertus Diaconus in vita B. Goaris; cujus verba, quod omnino huic formulæ conveniant, subjicere non piguit, quæ eadem notata sunt in eruditissimo Capitularium glossario. *Moris tunc Trevirorum erat ut cum casu quælibet femina infantem peperisset cujus nollet sciri parentem, aut certe quem præ inopia rei familiaris nequaquam nutrire sufficeret, ortum parvulum in quadam marmorea concha, quæ ad hoc ipsum statuta erat, exponeret, ut in ea cum expositus infans reperiretur, existeret aliquis qui eum provocatus miseratione susciperet & enutriret. Si quando igitur id contigisset, custodes vel matricularii Ecclesiæ puerum accipientes, quærebant in populo si quis forte eum suscipere nutriendum & pro suo deinceps habere vellet. Ubi vero ad eam rem offerret sese aliquis, infans qui esset expositus Episcopo*

conveniſſemus, ibique infantulum ſanguinolentum (1), periculo mortis imminente, pannis involutum invenimus, & ipſum per triduum (2) ſeu amplius apud plures homines inquiſivimus quis ſuum eſſe diceret, & non invenimus; cui nomen ipſum impoſuimus. Sed poſtea pietate interveniente, & Domini miſericordia opitulante, ipſum infantulum homini aliquo nomine illo ad nutriendum dedimus; ut ſi Deo præſule convaluerit, ipſum in ſuis ſervitiis ac ſolatiis juxta legis ordinem (3) retineat. Pro quo pretium accepimus, in quod nobis bene complacuit, valentem ſol. tantos. Et ut præſens epiſtola firmior ſit, manibus propriis eam ſubter firmavimus, & bonis hominibus roborandam decrevimus, ſecundum ſententiam illam quæ data eſt ex corpore Theodoſiani (4) libri quinti, dicens: *Si quis infantem (5) a ſanguine emerit, ſi nutritum dominus vel pater eum recipere voluerit, aut ejuſdem meriti mancipium, aut pretium nutritor quantum valuerit conſequatur.* Et ut præſens epiſtola firmior ſit, manu noſtra propria eam ſubter firmavimus, & bonis hominibus roborandam decrevimus. Actum.

Ingenuitas (6).

XII. Qui debitum ſibi nexum relaxat ſervitium, præmium in futuro apud Dominum ſibi retribuere confidat. Igitur ego in Dei nomine ille pro remedio animæ meæ vel æterna retributione ſervum juris mei nomine illum ingenuum eſſe præcipio, & in ſacroſancta Eccleſia beatiſſimi ſancti illius, ſub præſentia ſacerdotum ibidem conſiſtentium, ante cornu altaris ab omni vinculo ſervitutis eum abſolvo, ita ut deinceps, tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſet natus vel procreatus, eat, pergat partem (7) quam maluerit, & ſicut alii cives Romani vitam ducat ingenuam. Et ſi aliqua procreatio filiorum vel filiarum ex ipſo orta fuerit, ſimiliter vivat ingenua; & nulli heredum meorum nec cuicunque aliæ perſonæ quicquam debeat ſervitutis nec libertinitatis obſequium, niſi ſoli Deo cui omnia ſubjecta ſunt, vel pro cujus amore ipſum devotus obtuli. Peculiare quod habet, aut in ante laborare potuerit, ceſſum in perpetuum habeat. Patrocinium & defenſionem cuicunque ſe elegerit, in omnibus illius perfruatur arbitrio. Si quis vero, quod futurum eſſe non credo, ſi fuerit aliquis ex heredibus meis, vel quislibet perſona qui contra hanc ingenuitatem venire aut eam refragare præſumpſerit, illud quod repetit non vindicet, & inſuper contra cui litem intulerit ſolidos ſexaginta componat, & præſens ingenuitas meis vel bonorum hominum manibus roborata, cum ſtipulatione ſubnixa, omni tempore maneat inconvulſa.

Cautio.

XIII. Magnifico fratri illo, ego ille. Ad meam petitionem veſtra decrevit voluntas ut mihi beneficium de rebus veſtris illis inter annos tantos facere deberetis. quod ita & feciſtis. Et ego pro hujus merito beneficii oppignoro tibi locellum rem proprietatis meæ nuncupantem illum, ſitum in pago illo, cum omni ſua integritate vel ſoliditate. Ea vero ratione ut quomodo jam dicti anni adimpleti fuerint, & tu fructus ipſius terræ per quinque annos tantos exinde collegeris, ego ſupradictum debitum tuum tibi deſolvam, &

rebus

ſcopo deferebatur, & ejus privilegio auctoritas nutriendi habendique parvuli ei qui a matriculariis ſuſceperat firmabatur.

(1) *Sanguinolentum.*) Recens natum, rubentem a matre. l. 1. Cod. Th. de expoſitis. l. 2. Cod. de patribus qui filios diſtrax. De matre cadentem. Statius lib. 1. verſ. 60.

Si bene quid merui, ſi me de matre cadentem
Foviſti gremio, & trajectum vulnere plantas
Firmaſti.

Claudianus in Rufinum lib. 1.

--quam prima meo de matre cadentem
Suſcepi gremio.

Æſchylus in χοηφορ. ἐπεὶ μόλων μητρόθεν κελάδινες. Schol. πεσὼν ἀπὸ τῆς μητρὸς ἔξοντι.

(2) *Per triduum.*) Triduum hic exempli cauſa apponitur. Nam decem dies præfiniuntur ſynodo Arelatenſi II. c. 32. & ſynodo Vaſenſi c. 9.

(3) *Legis ordinem.*) L. 1. Cod. Th. de expoſitis.

(4) *Ex corpore Theodoſiani.*) L. 1. Cod. Th. de his qui ſanguinolentos emptos vel nutriend. accep. quæ licet de expoſitis non loquatur, tamen par eſt ratio & idem jus. Itaque hic profertur, ut appareat venditionem a matriculariis factam ratam manere, & ex ea emptori jus eſſe infantem in ſuo ſervitio retinere.

(5) *Si quis infantem.*) Non ex verbis legis, ſed ex interpretatione Aniani hæc ſententia deſumpta eſt.

(6) *Ingenuitas.*) Manumiſſionis eſt formula quæ in Eccleſia celebratur. qua de re plura ad incerti auctoris formulas cap. 7. & cap. 56. Exemplum porro hujuſce manumiſſionis huic formulæ plane genuinum ex incerto quodam Concilio Toletano exhibet Burchardus lib. 2. c. 30.

(7) *Eat, pergat partem.*) Clauſula in manumiſſionibus frequentiſſima, & certe apud veteres ſola fere libertatis dandæ formula. Aperte id Plautus variis locis declarat, ut in Menæchmis Act. 5. ſc. 7. *Mea quidem hercle cauſa liber eſto, atque abito quo voles.* Cui ſervus: *Salve mi patrone.* Unde & ἐλευθερίαν appellatam Grammatici teſtantur, quaſi ea præcipue nota libertatis ſit quo libuerit proficiſci. *Nihil enim* (inquit Venulejus l. 2. de libero homine exhib.) *multum a ſpecie ſervientium differunt quibus facultas non datur a loco recedendi.* Ideoque Papinianus ejuſmodi conditione, ut in illa civitate domicilium habeat quis, jus libertatis aliquatenus infringi exiſtimabat. l. 61. §. *Titio centum.* de conditionibus & demonſtrat. Burchardus lib. 2. cap. 26. *Eandem pergat partem quamcunque volens canonice elegerit.* Supra in formulis incerti auctoris cap. 56. *Ea tamen conditione ut eat ubique, quam voluerit partem pergat, tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſet natus vel procreatus.* Leg. Ribuar. tit. 63. *Si quis ſervum ſuum libertum fecerit & civem Romanum portaſque apertas conſcripſerit.*

rebus meis una cum cautione mea de manibus tuis recipiam. Et si neglegens aut tardus exinde apparuero, suprascriptum debitum tuum in duplum partibus tuis sum redditurus.

Donatio in sponsa facta.

XIV. Lex & consuetudo exposcit ut quicquid inter sponsum & sponsam de futuris nuptiis fuerit definitum vel largitum, aut ex consensu parentum, aut ipsi, si sui juris sunt, scripturarum solemnitate firmetur. Idcirco ego in Dei nomine ille, dum multorum habetur percognitum quod ego te illa una cum consensu parentum vel amicorum nostrorum tua spontanea voluntate sponsavi, mihi placuit ut aliquid de rebus meis per hunc titulum libelli dotis ante dies nuptiarum tibi confirmare deberem. quod ita & feci. Ergo dono tibi donatumque esse volo locellum rem proprietatis meæ nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omni suprapositο suisque adjacentiis, tam de alode quam & de comparato, seu de qualibet adtractu, totum & ad integrum, sicut a me præsenti tempore videtur esse possessum, & in fabricaturas aurum tantum, argentum tantum, vestimenta. Hæc omnia superius jam dicta per hunc titulum libelli dotis diebus nuptiarum tibi sum impleturus vel traditurus, ita ut dum advixeris secundum legis ordinem teneas atque possideas, nostrisque qui ex nobis procreati fuerint filiis vel filiabus derelinquas. Si quis vero, si ego ipse aut ulla quislibet persona fuerit qui contra hanc donationem aliquid agere vel calumniam generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos centum componat, & hæc donatio meis vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione subnixa, firma permaneat.

Traditio ad sponsam.

XV. Dum multorum habetur percognitum qualiter ego ille puellam aliquam nomine illam una cum consensu parentum vel amicorum nostrorum legibus sponsavi, & aliquid de rebus meis ei donare ante dies nuptiarum disposui, ideo placuit mihi ut de ipsis rebus misso ipsius puellæ nomine illo traditionem vel introductionem locorum secundum legem Romanam facere deberem. quod ita & feci. Ergo trado ei & tradi isse me constat locellum rem proprietatis meæ nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, vel cetera quæ sequuntur, aurum, argentum, vestimenta. Hæc omnia superius jam dicta te ille ad vicem sponsæ meæ tibi trado, ita ut tempore nuptiarum in jam dictæ sponsæ meæ eveniant potestatem, ita ut secundum legis ordinem teneat atque possideat. Et si contra hanc traditionem aliquid refragavero, partibus ipsius puellæ solidos tantos componam, & hæc traditio firma permaneat.

Charta in puellam (1) *facta ab eo qui illam invitam traxerit.*

XVI. Viventibus patribus (2) inter filios familias sine voluntate eorum matrimonia non legitime copulantur, sed conjuncta non solvuntur. Idcirco ego in Dei nomine ille, dulcissima conjux mea illa, dum & te sine voluntate parentum tuorum rapto scelere in meo sociavi conjugio, unde vitæ periculum incurrere debui, sed intervenientibus sacerdotibus vel bonis hominibus vitam obtinui. Ideo placuit mihi ut per hanc epistolam compositionalem, aut si convenit cessionem, aliquid de rebus meis tibi confirmare deberem, quod ita & feci, hoc est, locellum nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omni suprapositο suisque adjacentiis, vel cum omni integritate, quicquid inibi præsenti tempore mea videtur esse possessio, de jure meo in tua trado potestate vel dominatione, ita ut quicquid exinde a die præsente facere volueris, liberam ac firmissimam in omnibus habeas potestatem. Et si fuerit, aut ego ipse, aut ulla quislibet persona qui contra hanc epistolam refragationem aliquam aut calumniam generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper partibus tuis vel contra cui litem intulerit solidos tantos componat, & hæc epistola firma permaneat.

Donatio inter virum (3) *& uxorem, tamen gestis sit alligata.*

XVII. Quicquid enim inter conjugatos de propria facultate ob amorem dilectionis invi-

(1) *Charta in puellam.*) Marculfus lib. 2. c. 16.

(2) *Viventibus patribus.*) Paulus Sentent. lib. 2. tit. 19. *Eorum qui in potestate patris sunt, sine voluntate ejus matrimonia jure non contrahuntur, sed contracta non solvuntur. contemplatio enim publicæ utilitatis privatorum commodis præfertur.* Cui sententiæ interpretationem Anianus seu quis alius adjecit, ex qua hujus formulæ verba desumpta videntur. Videndus Cujacius Observat. lib. 3. cap. 5.

(3) *Donatio inter virum.*) Constantinus in l. 1. Cod. Th de sponsalibus: *Pater noster nullam voluit liberalitatem valere si actis inserta non esset. Nos etiam inter sponsos quoque ac sponsas omnesque personas eam solam donationem ex promulgatæ legis tempore valere sancimus quam testificatio actorum sequuta est.* De gestis dictum est ad Marculfum lib. 2. c. 37.

vicem condonare placuerit, scripturarum necesse est titulis (1) alligari, ne in posterum ab heredibus eorum possit convelli; quia secundum legem (2), si manente conjugio vir uxori vel uxor marito aliquid donaverit, si is cui donatum est prior mortuus fuerit, apud donatorem (3) ea quæ donata fuerant remanebunt. Igitur ego in Dei nomine ille, dulcissima conjux mea illa, si prius mortuus fuero quam tu, dono tibi per hanc epistolam donationis donatumque in perpetuum esse volo tres partes de omni re facultatis meæ, quantumcunque in pago illo in villas nuncupantes illas habere visus sum, hoc est, tam terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, aurum tantum, argentum tantum, æramentum in solidos tantos. Hæc omnia cum omnibus appendiciis suisque adjacentiis vel cum omni suprapostito tibi dono atque transfundo, quartam vero legitimis heredibus (4) meis reservo; quia malo hoc habere te quam me, plus te quam ceteris heredibus meis. Similiter ego in Dei nomine illa dulcissimo jugali meo illo, si prior mortua fuero quam tu, dono tibi per hanc epistolam donationis. Sequitur supradictum textum. Si quis vero, quod fieri non credimus, si fuerit ullus de heredibus nostris, vel quislibet persona qui contra has epistolas uno tenore conscriptas, quas inter nos fieri rogavimus, aliquid agere vel refragare conaverit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos tantos coactus exsolvat, & hæ epistolæ contulitionis, cum stipulatione Aquiliana (5), nostris vel bonorum hominum manibus roboratæ, firmæ permaneant.

Item alio modo.

XVIII. Igitur ego in Dei nomine ille, dulcissima conjux mea illa, dono tibi per hanc epistolam contulitionis donatumque esse volo locellum rem proprietatis meæ nuncupante illo, situm in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omnibus appendiciis suis, vel omni suprapostito, quicquid inibi præsenti tempore mea videtur esse possessio. Ea vero ratione ut si tu mihi superstis fueris, usufructuario ordine hæc omnia absque repetitione heredum meorum hoc tenere & possidere debeas. Et post tuum quoque discessum, cum omni re emeliorata vel suprapostito, ad legitimos filios nostros, qui ex nobis procreati fuerint, revertantur. Similiter ego in Dei nomine illa dulcissimo jugali meo illo. Sequitur supradictum textum. Et illud inter nos inserere placuit, ut si fuerit ullus de heredibus nostris vel quislibet persona qui contra has duas contulitiones uno tenore conscriptas aliquid agere vel refragare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos tantos componat, & hæ contulitiones nostris vel bonorum hominum manibus roboratæ, cum stipulatione subnixa, firmæ permaneant.

Libellum repudii (6).

XIX. Certis rebus (7) & probatis causis inter maritum & uxorem repudiandi locus patet. Idcirco dum inter illum & conjugem suam illam non caritas secundum Deum sed discordia regnat, & illorum nulla est voluntas pariter conversandi, placuit utrisque voluntatibus ut se a consortio conjugali separare deberent. quod ita & fecerunt. Propterea has epistolas uno tenore conscriptas inter se fieri & adfirmare decreverunt, ut quicquid unusquisque ex ipsis de semetipso facere voluerit, absque repetitione socii sui liberam habeat potestatem, & nullam requisitionem neque ipsi in caput neque ulla quislibet

(1) *Scripturarum titulis.*) Anianus ad l. 1. Cod. Th. de donat. *In conscribendis donationibus hic ordo servandus est ut donatio nomen prius contineat donatoris vel illius cui donatur. Deinde res quæ donantur, sive in agris, sive in mancipiis, sive in quibuslibet rebus atque corporibus, nominatim in donatione conscribendæ sunt, non occulte, sed publice, non privatim vel secrete, sed aut in tabulis, aut in chartis, aut ubicunque legatur facta donatio &c.*

(2) *Quia secundum legem.*) Hæc superioribus non cohærent, nisi dicas *quia* pro *deinde* positum esse.

(3) *Apud donatorem.*) Verba sunt Aniani, seu cujuscunque alterius ad Pauli Sentent. lib. 2. tit. 23. Sententia Pauli hæc est: *Si inter virum & uxorem donatio facta fuerit, priore defuncto cui donatum est, ad eum res redit qui donaverat.* l. *Si inter.* 9. de rebus dubiis. Quod Severi oratione constitutum est. l. *Cum hic status.* 32. §. *Si ambo*, de donation. int. vir. & uxor.

(4) *Quartam legitimis heredibus.*) Anianus ad l. 1. Cod. Th. de donationibus: *Quæ tamen omnes donationes superius comprehensæ, si modum excesserint lege conscriptum, unde possint certæ personæ de immodica donatione proponere, hoc est, si quartam sibi facultatis suæ donator non reservaverit, non valebunt.* In donationibus etiam inter virum & uxorem Falcidia locum habet. l. *Cum hic status.* 32. §. *Oratio.* de donation. int. vir. & uxor. l. *In donationibus.* 12. Cod. ad legem Falcidiam.

(5) *Stipulatione Aquiliana.*) Aquilianæ stipulationis nomen proprie huic rei convenit. Per eam namque omnes præcedentes obligationes novantur, & in stipulatum deducuntur, ut per acceptilationem tolli possint. Sed quia hujusmodi stipulationis vis erat maxima ad firmandum quod agebatur, inde factum arbitror ut & in aliis actibus mentio fieret Aquilianæ stipulationis.

(6) *Libellum repudii.*) Marculf. lib. 2. cap. 30.

(7) *Certis rebus.*) Ex Aniano ad l. 1. Cod. Th. de repudiis, in qua Constantinus tres tantum divortii causas probat, si homicidam, vel medicamentarium, vel sepulcrorum dissolutorem maritum suum esse femina probaverit. Quod si præter hæc tria crimina repudium miserit, usque ad acuculam capitis in domo mariti deponere eam oportet; & præterea deportatur.

libet persona exinde habere non pertimescat. Quod qui contra parem suum vel contra alium quemcunque hominem ullam repetitionem exinde facere conaverit, partibus illius contra cui litem intulerit solidos tantos componat, & sua repetitio nullum obtineat effectum; sed unusquisque ex ipsis per hunc libellum repudii eorum manibus roboratum omnique tempore quieti valeant residere.

Mandatum qualiter maritus negotium uxoris prosequatur.

XX. Dum & humana prodit utilitas, & lex Romana exposcit (1), ut quicunque uxoris suæ negotium fuerit prosecutus, quamvis maritus sit, nihil aliud agat nisi quod ei agendum per mandatum illa commiserit, igitur ego in Dei nomine illa, filia illius, te dulcissime jugalis meus ille, dum me simplicitas dominatur quod minime res vel causas meas valeo exercere, te in omnibus rebus vel causis meis instituo dominum procuratoremve & actorem, ita ut quicquid exinde egeris gesserisve, ratum vel definitum a me in omnibus esse cognoscas: quia malo hoc habere te quam me, plus te quam ceteris heredibus meis. Et adhuc mihi inserere placuit, ut hoc mandatum ad civitatem illam cum curia publica, ut mos est, gestis municipalibus facias alligari. Et ut nostra voluntas ævis temporibus firmius perduret, manu propria subter firmavi, & bonorum virorum roborandum decrevi.

Charta qualiter pater filium vel nepotem de rebus suis meliorare potest.

XXI. Quicquid pater (2) unumquemque ex filiis vel nepotibus meliore habere voluerit, hoc sibi secundum legis ordinem sine consortis repetitione defendat, nec præsumat aliquis contra voluntatem patris agere. Igitur ego in Dei nomine ille, dulcissimo filio vel nepoti meo illo, cedo tibi cessumque in perpetuum esse volo, & de meo jure in tua trado dominatione, absque consortio fratrum tuorum vel filiis meis, in loco nuncupante illo, cum terris, domibus, accolabus, mancipiis, libertinis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omni supraposito suisque adjacentiis, vel quicquid inibi præsenti tempore mea videtur esse possessio, totum & ad integrum, a die præsente tibi volo esse concessum atque indultum; ita ut quicquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem, Si quis vero, quod nec fieri non credimus,

Epistola qualiter nepotes (3) in loco filiorum instituuntur ab avo.

XXII. Quicquid filiis vel nepotibus de facultate patris cognoscitur ordinasse, voluntatem ejus in omnibus lex Romana (4) constringit adimplere. Ideoque ego in Dei nomine ille dulcissimis nepotibus meis illis, Dum peccatis meis facientibus filia mea genetrix vestra illa tempus naturæ suæ complevit, & ego pensans consanguinitatis causa, dum & per legem cum filiis meis avunculis vestris in alode meo ad integrum minime succedere poteratis, ideo per hanc epistolam firmitatis volo ut in omni alode meo post meum discessum, si mihi superstites fueritis, quicquid moriens dereliquero, sicut supradicta genetrix vestra, si mihi superstis fuisset, ita & vos cum avunculis vestris succedere faciatis. Ea vero ratione ut quicquid tempore nuptiarum ei tradidi vel dedi, hoc in parte vestra recipiatis. Et si amplius insuper de rebus nostris obvenerit, tunc cum filiis meis matris vestræ portionem recipiatis; ita ut quicquid exinde facere volueritis liberam habeatis potestatem. Si quis vero fuerit. & reliqua.

Epistola qualiter extraneo homine quis in locum filii adoptetur.

XXIII. Ego enim in Dei nomine ille. Dum peccatis meis facientibus orbatus sum a filiis, mihi placuit ut illum una cum consensu patris sui in civitate illa cum curia publica (5) de potestate patris naturalis discedentem & in meam potestatem venientem in loco filiorum adoptassem. quod ita & se-

(1) *Lex Romana exposcit.*) Verba Aniani ad l. 4. Cod. Th. de cognitoribus & procurator. Cui convenit & alia Constantini constitutio in l. *Maritus*. Cod. de procurator.

(2) *Quicquid pater.*) Infra capite proximo; *Quicquid filiis vel nepotibus de facultate patris cognoscitur ordinasse, voluntatem ejus in omnibus Lex Romana constringit adimplere*. Lex quæ hic indicatur, constitutio est Constantini l. 1. C. Th. de familia ercifcunda: *Hujusmodi conscriptiones inter suos duntaxat heredes valere oportet*. Paulo post: *Considerari specialiter voluntatem placet, & obsecundari protinus cum res dividuntur, nec retineri amplius quam quod singulorum personis detegatur adscriptum; ut & memoria defuncti non violetur parentis, & occasiones litium dirimantur*. Idipsum statuitur in l. ult. Cod. Familiæ ercifcundæ; quæ & ipsa Constantini est ad Basilium Prefectum prætorio. Sed & olim Papinianus dixerat non videri simplicem donationem, sed potius supremi judicii divisionem, cum pater inter filios sine scriptura bona divisit, & onera æris alieni pro modo possessionum distribuit. l. *Si filia*. 20. §. *Si pater*. familiæ ercifcundæ.

(3) *Qualiter nepotes.*) Vix est ut Romana sit observatio hoc casu codicillis opus esse, cum nepotes quoque ex filia Jure Romano ad avi successionem admissos constet, licet cum tertiæ partis deminutione; nisi hoc ipsum agatur ut sine tertiæ deminutione ejusmodi epistola vice codicillorum ad hereditatem avi vocentur. Qua de re nonnulla diximus ad Marculf. lib. 2. c. 10. Hujus formulæ partem exscribit Cujacius, sub Marculfi titulo, ad Novel. 118.

(4) *Lex Romana.*) L. 1. C. Th. de fam. ercifcunda.

(5) *Curia publica.*) Anianus ad l. 2. Cod. Th. de legitimis hereditat. *adoptivum, id est, gestis ante curiam adfiliatum.*

feci. Ea vero ratione ut quandiu advixero, fideliter mihi præstet solatium vel adjutorium, & omnes res meas diligenter excolat; & post obitum quoque meum, sicut a me genitus fuisset, ita in omni hereditate mea per hanc epistolam adoptionis sit successurus; vel quicquid de supradictis rebus meis, quantumcunque moriens dereliquero, facere voluerit, jure proprietario, absque repetitione heredum meorum, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et illud mihi inserere placuit, ut si fuerit ullus ex heredibus meis, vel quislibet persona qui contra hanc epistolam adoptionis aliquid contra te aut contra eum cui tu ipsas res dereliqueris calumniator aut repetitor accesserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos tantos componat, & hæc adoptio gestis alligata firma permaneat.

Epistola qualiter pupilli recipiantur.

XXIV. Lex Romana constringit (1) ut qui tutores noluerint esse parvulorum, si forte cesserit luctuosa hereditas, ex ipsa habeantur extranei. Propterea ego in Dei nomine ille judex provinciæ illius, dum & omnibus habetur percognitum qualiter parentes istius præsentis orphanuli nomine illo ab hac luce discesserunt, & testamentarium tutorem ei non dimiserunt, & minime suas procurare potest necessitates, ideo una cum consensu primatibus civitatis convenit nobis ut istius patrui suo, una cum omnia bona sua, facto ac conscripto rerum inventario, ei sub officio tutoris commendare deberemus. quod ita & fecimus. Ea vero ratione ut per nullam occasionem supradicti pupilli hereditas, quicquid in pago illo in villas nuncupantes illas videtur habere, non minuatur; sed ipsas res vel mancipia atque omni sua substantia diligenter excolat, & ipsum pupillum exinde nutrire vel ministrare faciat. Et si Deo propitio in perfectam venerit ætatem, omnia ei secundum legis ordinem cum omni integritate servata reddantur. Unde convenit nobis ut duas epistolas uno tenore conscriptas exinde conscribere vel adfirmare deberemus. quod ita & fecimus. Unam quidem jam dictus patruus suus secum retineat, alteram vero aliquis homo nomine ille de manu nostra vel jam dicti pupilli suscipiat, ut futuris temporibus, Deo auxiliante, sub testificatione bonorum virorum, qui subter tenentur inserti, per ipsam cum omni integritate omnia sua exigere debeat.

Pactum inter parentes (2).

XXV. Caritatis studio & dilectionis affectu inter propinquos decet ut quicquid de rebus eorum inter se diviserint, scripturarum serie alligetur, Romanaque lege ordinante (3) ut quicunque in ætate perfecta pactionem vel definitionem per scripturam fecerit, & hoc quod fecit implere neglexerit, aut contra eam ire præsumpserit, infamis vocetur, & ipsam causam agere non permittatur, atque pœnam statutam cogatur exsolvere. Igitur placuit atque convenit inter illum & germanum suum illum ut hereditatem paternam atque maternam inter se dividere vel exæquare deberent. quod ita & fecerunt. Accepit itaque ille in portione sua villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, vel cetera quæ sequuntur. Similiter e contra accepit ille in compensatione portionis suæ villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, vel cetera quæ sequuntur. Hæc quidem omnia unanimiter consentientes, pars partem tradidisse vel consignasse cognoscite, ita ut quicquid post hunc diem unusquisque de hoc quod accepit facere voluerit, absque nostris repetitionibus liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et si aliquando aliquis ex nobis aut heredibus nostris contra has epistolas aliquid agere vel refragare præsumpserit, ejus repetitio nullum obtineat effectum, & insuper contra cui litem intulerit solidos tantos componat, & præsens pactio vel definitio cum stipulatione subnixa firma permaneat.

Commutatio.

XXVI. Inter quos caritas inlibata permanserit, a parte parti beneficia opportuna præstantur. Ideoque placuit atque convenit inter inlustrem virum illum & illum ut loca aliqua inter se commutare deberent. quod ita & fecerunt. Dedit igitur vir inluster ille partibus illius locellum nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertinis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omnibus appendiciis suisque adja-

(1) *Lex Romana constringit.*) Ex Aniano in l. 1. Cod. Th. Qui petant.

(2) *Pactum inter parentes.*) Marcul. lib. 2. c. 14. Incertus auctor cap. 39.

(3) *Romana lege ordinante.*) l. 8. Cod. Th. de pactis & transactionibus. *Si quis*, inquiunt Arcadius & Honorius, *major annis adversus pacta vel transactiones, nullo cogentis imperio, sed libero arbitrio, & voluntate confecta, putaverit esse veniendum, vel interpellando judicem, vel supplicando Principibus, vel non implendo promissa ea quæ invocato nomine Dei omnipotentis eo auctore solidaverit, non solum inuratur infamia, verum etiam actione privatus, restituta pœna, quæ pactis probatur inserta, earum rerum & proprietate careat & emolumento quod ex pacto vel transactione illa fuerit consecutus.* Verba autem quæ hic inseruntur, Aniani sunt. Eadem fere præfatio adhibetur in veteri instrumento commutationis, quæ inter Robertum Comitem & Actardum Nannetensem Episcopum facta est regnante Carolo Calvo Rege. Est autem ejusmodi.

„ Commutationes quas leges Romanæ transactio-

ſacentiis, vel omni ſuprapoſito, totum & ad integrum, de jure meo, ſicut præſenti tempore a me videtur eſſe poſſeſſum, in tua trado poteſtate vel dominatione. Similiter in compenſatione hujus meriti dedit jam dictus ille partibus illius alium locellum nuncupantem illum, ſitum in pago illo, vel cetera quæ ſequuntur, ita ut ab hac die unuſquiſque de hoc quod accepit facere voluerit, jure proprietario liberam & firmiſſimam in omnibus habeat poteſtatem. Et illud inter nos inſerere placuit, ut ſi ullus ex nobis vel heredibus ſucceſſoribuſque noſtris fuerit qui hoc immutare vel refragare tentaverit, rem quam accepit amittat, & inſuper quis contra cui litem intulerit ſolidos tantos componat, & ſua repetitio nullum obtineat effectum, ſed hæ commutationes uno tenore conſcriptæ omnique tempore maneant inconvulſæ.

Confirmatio Regis (1), *vel inſpecta iſta, cujuſcunque Principis, in eo qui ab hoſtibus eſt deprædatus vel ab igne concrematus.*

XXVII. Merito largitatem Regis munere ſublevantur qui ab hoſtibus vel incendio paſſi ſunt damna vel violentiam. Igitur fidelis noſter ille clementiæ regni noſtri ſuggeſſit eo quod ante hos annos exercitus noſter aut illius Regis, vel per neglegentiam alicujus hominis in loco nuncupante illo, domus ſuæ vel res quamplures una cum ſtrumenta chartarum, tam quod regio munere perceperat, quam & de diverſis partibus per venditiones, donationes, ceſſiones, commutationes adtraxerat, vel quicquid in pago illo, vel loca nuncupantia illa poſſederat, incendium fuiſſet crematum. unde relationem ſub teſtificatione bonorum hominum cognovimus recenſendam, omnes res ſuas vel ſtrumenta chartarum periſſe, vel ſibi, ſicut nobis ſuggeſſit, damna ſuſtinuiſſe. Præcipientes ergo jubemus ut quicquid memoratus ille, ſicut uſque nunc tam de terris, domibus, accolabus, mancipiis, libertinis, vineis, pratis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, vel reliquis quibuſcunque beneficiis, uſque ad præſens cum æquitatis ordine quietus poſſedit, & ita deinceps in jure & dominatione ejus permaneat, & per hunc præceptum plenius in Dei nomine circa eum ſuffultum atque confirmatum abſque ullius inquietudine teneat & poſſideat, ſuiſque poſteris aut cuicunque voluerit ad poſſidendum derelinquat. Quam vero auctoritatem propria manu ſubter roborare decrevimus.

Item appennem (2).

XXVIII. Conſuetudo hujus loci vel etiam legis terrenæ juſtitiæ conſtat eſſe proſpectum ut quicunque ab incendiis vel hoſtibus ſeu a latronibus fuerit perpeſſus diſpendium, oportet ſibi hoc caſu in foro publico vel civitate cum curia publica & defenſore vel reliquis civibus publicare. Idcirco dum non habetur incognitum qualiter homo nomine ille per timorem illius qui Turonus civitatem anno præſente hoſtiliter venit, & multa mala ibidem perpetravit, ſtrumenta ſua de loca denominata vel de diverſis facultatibus ſuis ſubtus terram in villa illa miſit, & ibidem computruerunt & perierunt, propterea ei neceſſe fuit ut una cum notitia pagenſium, qui hoc cognitum bene habebant, Turonus civitate appennem exinde deberent adfirmare; ut quantumcunque per ipſa ſtrumenta tam in terris quam in mancipiis, ſeu & reliquis rebus, ſicut uſque nunc quieto ordine tenuit & poſſedit, ita & admodum liceat inantea ipſas res quiete tenere & poſſidere, & cui voluerit, Chriſto auxiliante, derelinquere. Unde convenit ut duas epiſtolas uno tenore conſcriptas exinde fieri vel adfirmare deberent, ut una in foro publico in ipſa civitate ſit adfixa, aliam vero ipſe ſecum pro cautela & tempora futura apud ſe retineat, ut ſi ei inantea neceſſe fuerit, in præſentia Regis aut Principis loci ſit proferenda. Actum ibidem.

Editio legibus comprehenſa (3).

XXIX. Lex Romana pro utilitate humani generis expoſcit ut ſi quando cujuſcunque injuſta appellatio comprobatur, ſumptus quos poſt appellationem adverſarium ſuum accuſator compulit ſuſtinere, non in ſimplum ei

" ctiones appellant, inter certas perſonas factæ " poſt legitima tempora, id eſt XXV. ætatis annos habentes, ſub invocatione nominis Dei & " deſignatione Regis, inviolabiliter permanere " decernuntur; quas qui ſolvit & violat, ut infamis notatur, & quod accipit committit, & ſumma quæ in ſcripto continetur multatur. Igitur " placuit atque convenit inter illuſtrem virum " Rotbertum Comitem necnon & Actardum venerabilem Nannetenſis ſedis Epiſcopum &c. Et " fieri placuit duas cartolas & bonorum hominum manibus roboratas. Placuit etiam hoc inſerere, ut qui pari ſuo calumniam ex hoc poſtmodum vel ſucceſſori tentaverit inferre, ſub " invocatione divini nominis & Regis Karoli " mnarum c. cogatur mulctam perſolvere. Actum " Bleſo caſtro publice. Signum Rotberti Comitis, " qui hanc commutationem fieri vel firmare rogavit: ſignum Godobei, de cujus beneficio fuit. " Data menſe Madio anno XXV, regnante Karolo glorioſiſſimo Rege.

(1) *Confirmatio Regis.*) Marcul. lib. 1. c. 33.

(2) *Item appennem.*) Incertus auctor c. 46.

(3) *Editio legibus comprehenſa.*) Hujus capitis duæ ſunt partes. Prima continet formulam qua actor, qui rem aut locum vindicat, adverſario nolente aliter reſpondere cavet de ſumptibus & litis expenſis ſecundum leges ſolvendis, ſi actio injuſta reperiatur. Altera pertinet ad inſcriptionem quam accuſator edere tenetur in cauſa criminali, per quam ſe ſimili pœnæ ſubjicit. Itaque hic editionis nomen cautionem ejuſmodi ſeu declarationem ſignificat.

ei ſed in quadruplum (1) ab accuſatore cogatur reſtitui. Igitur ego in Dei nomine ille, dum non eſt incognitum qualiter apud te homo ille nomine illo in rationes publicas ante inluſtre viro illo vel reliquis viris qui ſubter tenentur inſerti, Turonus civitate adſteti de aliquibus locellis nuncupantibus illis, ſitis in pago illo, quæ mihi per legitima ſucceſſione ſunt debita, & tu præſenti tempore malo ordine eos poſſidere videris; unde apud me in reſponſum introire noluiſti, niſi, ſicut lex edocet, tibi inſcriptionem de ſumptibus & expenſis (2) confirmaſſem. Ideo placuit mihi ut hanc editionem in te adfirmare deberem, quod ita & feci, ut ſi apud me de ipſis rebus in rationes vel in judicium introieris, & ipſa cauſa inter nos legibus definita fuerit, & mea injuſta fuerit accuſatio comprobata, de eadem cauſatione omnique tempore quietus reſideas, & ſumptus vel expenſas ſuperius nominatas, quibus pro neceſſitatibus tuis me compellente viſus es expendiſſe, ſecundum legis ordinem, tranſacto litis tempore, partibus tuis cogar reſtitui. Et pro rei totius firmitate hanc editionem manu propria ſubter firmavi & bonorum virorum roborandam decrevi. FINIT.

Et ſi de homicidio accuſatio proceſſerit, ſecundum hanc ſententiam inſcriptio celebretur.

Quicunque alium (3) de homicidii crimine (4) periculoſa vel capitali objectione pulſaverit, non prius a judicibus audiatur, quam ſe ſimilem pœnam quam reo intendit conſcripſerit ſubiturum. Et ſi ſervos alienos (5) accuſandos eſſe crediderit, ſe ſimili inſcriptione conſtringat futurum, ut ſupplicia innocentium ſervorum aut pœna capitis ſui aut facultatum amiſſione compenſet.

Relatio cum judicio (6).

XXX. Auctoritate legis præceptum eſt ut in toto litis termino requiratur per quem orta eſt contentio. Et ſi quis ad rapinam (7) faciendam adgreditur, aut iter agentem inſidiaverit, aut domum alterius nocturnus ſpoliaverit, mors animæ ipſius ne requiratur. Igitur ego in Dei nomine ille judex veniens in loco nuncupante illo, ſub die illo, una cum bonis hominibus, ad locum acceſſionis, ubi aliquis homo nomine ille quondam interfectus jacebat, requirens pro qua re ibidem interfectus fuiſſet, ſed venientes homines ibidem commanentes, qui in initio litis ibidem fuerunt, vel qui ad ipſos uccos (8) cucurrerunt quando jamdictus homo ibidem interfectus fuit, taliter teſtimonium præbuerunt, ut dum aliquis homo nomine ille ſollemniter ſibi ambulabat, ſic jam dictus ille quondam ipſum adſallivit vel inſidiavit, & res ſuas ei contradixit, atque violenter ſuper ipſum evaginato gladio venit. unde livores vel capulaturæ (9) atque colaphi manifeſti apparent. Ideo

(1) *In quadruplum.*) Singulare eſt quod hic dicitur appellantem teneri adverſario expenſas poſt appellationem factas in quadruplum refundere, ſi injuſta appellatio fuerit comprobata. Qua autem lege id conſtitutum fuerit, in præſenti non occurrit.

(2) *Inſcriptionem de ſumptibus & expenſis.*) Eſt igitur etiam in actione civili inſcriptio, hoc eſt, cautio ſeu repromiſſio in jure de impenſis ab actore adverſario reddendis, ſi temere litigaſſet.

(3) *Quicunque alium.*) Verba ſunt Aniani ad l. 14. Cod. Theod. de accuſat. & inſcription.

(4) *De homicidii crimine.*) Non in homicidii tantum accuſatione, ſed cujuſcunque alterius criminis, inſcriptionem præcedere oportet. In l. 11. Cod. Th. de accuſation. *Nullus*, inquit, *ſecundum juris perſcriptum crimen quod intendere propoſuerit exſequatur, niſi ſubeat inſcriptionis vinculum. Etenim qui alterius famam, fortunas, caput denique & ſanguinem in judicium devocaverit, ſciat ſibi impendere congruam pœnam, ſi quod intenderit non probaverit.* Cui convenit l. *Si cui*, 7. de accuſation. & l. *In cauſis*. 16. Cod. eod. Symmachus lib. 10. epiſt. ultima: *Quid habeat conditionis inſcriptio noſtis præ ceteris juris publici conditores, Imperatores. Proviſum eſt enim ne quis temere in alieni capitis diſcrimen irrueret, ni ſe idem prius pœnæ ſponſione vinciret.* Tum ſubjicit; *Supererat ut crimine non probato in accuſatorem formidata reis pœna tranſiret.* Concil. Arauſicum can. 4. Burchardus lib. 16. cap. 3. Formulam autem ſeu conceptionem libelli inſcriptionis tradit Paulus in l. 3. de accuſat.

(5) *Si ſervos alienos.*) *Si quis ſervos.* 13. Cod. de accuſation. quæ pars eſt l. 14. C. Th. eod. ex cujus interpretatione Aniani hæc deſumpta ſunt.

(6) *Relatio cum judicio.*) Continet relationem judicis, qui refert ſe cum veniſſet in aliquem locum, in quo homo interfectus jacebat, & quæſtionem de cæde habuiſſet, ex teſtibus accepiſſe eum qui interfectus eſt impetum in alterum feciſſe & graviter cæcidiſſe, adeo ut ille coactus ſit vim repellendo eum interficere. Quod idem cum aſſereret interfector, judex pronuntiavit ut in quadraginta dies manu ſua tricesima ſeptima in Eccleſia juraret ſe neceſſitate compulſum, cum aliter vim effugere non poſſet, eum occidiſſe. Quo facto, impune ei erit.

(7) *Si quis ad rapinam.*) Deſumpta hæc ſunt ex l. 2. Cod. Th. ad legem Corneliam de ſicariis, ſeu potius ex Aniani interpretatione. *Quoties*, inquit, *ad faciendam rapinam aliquis aut iter agentem aut domum cujuslibet nocturnus expoliator adgreditur, hujuſmodi perſonis, quæ vim ſuſtinent, damus etiam cum armis licentiam reſiſtendi; & ſi pro temeritate ſua occiſus fuerit ille qui venerit, mors latronis ipſius a nemine requiratur.*

(8) *Ad ipſos uccos.*) Vccos accipio pro ictibus, *coups*. In manuſcripto regio ſcribitur *buccos*, quod me interpretationem mutare admonuit; & pro clamoribus accipio. Nam & veteribus ſcriptis vernaculis & in pleriſque Galliæ partibus *bucher* pro vocare uſurpatur; idque a voce hac emanaſſe apparet.

(9) *Capulaturæ.*) Marculf. lib. 1. cap. 29. Capulare vero truncare eſt, exſcindere, vel fran-

Ideo etenim, dum ſic veritas comprobatur, veniens jam dictus ille adprehenſam manum vel arma prædicti judicis, ſicut mos eſt, apud homines duodecim manu ſua tertia decima dextratus vel conjuratus dixit quod dum ipſe ſollemniter ſibi ambulabat, jam dictus ille quondam eum malo ordine adſallivit, & evaginato gladio ſuper eum venit, & ſuper ipſum livores vel capulationes miſit, & res ſuas illas ei diripere voluit, & poſtquam iſtos præſentes livores recepit, neceſſitate compulſus ipſum plagavit per quem mortuus jacet, & in ſua orta contentione vel in ſua movita (1) atque per ſuas culpas ibidem interfectus fuit. Et ſic eſt veritas abſque ulla fraude vel conludio, & in ſua culpa ſecundum legem ipſum ferro battudo (2) fecit. Proinde opportunum fuit ipſius illi ut hanc notitiam ad inſtar relationis exinde accipere deberet. quod ita & fecit. Sed poſtea vero taliter in jam dicto loco ipſius illi judicatum fuit ut in noctes quadraginta (3) apud homines triginta ſex manu ſua trigeſima ſeptima jam dicto illo quondam in Eccleſia illa, in loco nuncupante illo, conjurare debeat apud homines viſores & cognitores eo quod ille quondam malo ordine ſuper eum veniſſet, & res ſuas ei contendiſſet, vel primitus ipſum plagaſſet vel livoraſſet, & ipſum in via adſalliſſet vel inſidiaſſet, & in ſua movita vel in ſua culpa ibidem interfectus fuiſſet. Et ſi hoc facere poterit, de ipſa morte quietus valeat reſidere.

Breve ſacramenti (4).

XXXI. Breve ſacramenti qualiter ingreſſus eſt ille in loco nuncupante illo, in Eccleſia illa, ſub præſentia illius judicis vel bonorum virorum qui ſubter tenentur inſerti, ad placitum ſuum cuſtodiendum. Unde retroactis diebus quadraginta relationem de morte illius per judicium bonorum virorum accepit, juratus dixit. Per hunc locum ſanctum & Dei reverentiam, dum ego ſolenniter mihi ambulabam, jam dictus ille quondam in loco nuncupante illo me malo ordine adſallivit vel livoravit, & colaphos ſuper me poſuit, & ad rapinam vel ad inſidiam ſuper me faciendam adſtetit, & res meas mihi malo ordine diripere vel tollere tentavit. Et ego in ſua orta contentione vel in ſua movita atque per ſua culpa in ipſo loco ipſum interfeci. Et per reverentiam iſtius ſancti & Deo altiſſimo ſimiliter teſtes ſibi ſimiles viſores & cognitores, ſecundum quod ei judicatum fuit, poſt ipſum juraverunt ut quicquid jam dictus ille de hac cauſa juravit, verum & idoneum ſacramentum exinde dedit. Id ſunt qui hoc ſacramentum exceperunt, manibuſque eorum ſubter firmaverunt.

Si quando maſculus (5) & femina pariter raptum conſenſerint, infra quinquennium litigetur.

XXXII. Notitia ſub quorum præſentia ibi veniens ille ante illum vel eos qui ſubter tenentur inſerti, ibique accuſabat aliquem hominem nomine illum eo quod aliquam feminam nomine illam jam anno expleto ſine diffinitione parentum, vel ſine ejus clamore aut vociferatione, eam volentem rapuiſſet, atque in conjugio ſibi malo ordine contra legem & juſtitiam ſociaſſet. qui jam dictus ille & præfata illa hoc denegare non potuerunt; ſed in omnibus taliter fuerunt profeſſi, quod ambo pariter conſentientes, ſic ab eiſdem actum vel perpetratum fuerat. Tunc ipſi viri qui ibidem aderant, tale dederunt judicium, ut ſecundum legem Romanam pro hac culpa ambo pariter vitæ periculum (6) incurriſſent, vel ſententiam mortis ob hoc ſcelus excepiſſent. Sed intervenientibus bonis hominibus taliter eis convenit ut jam dicti homines pro redemptione vitæ

---

frangere. Vet. gloſſ. apud Pithœum ad leg. Sal. tit. 9. Leg. Salicæ tit. 31. 11. *Si quis pedem alterius capulaverit, & ibi mancatus remanſerit.* Itaque capulaturæ vulnera ſunt & plagæ gladio factæ.

(1) *In ſua movita.*) Nobis *eſmeutte*.

(2) *Ferro battudo fecit.*) Vide dicta ad incerti auctoris formulas cap. 29.

(3) *In noctes* XL.) Quadraginta dierum tempus utplurimum præfinitum erat cum aliquis jurare jubebatur. Adnuntiatio apud Piſtas cap. 33. *Et quia ſacramenta poſt quadraginta noctes legaliter juranda accipiuntur &c.*

(4) *Breve ſacramenti.*) Formula ſacramenti in Eccleſia præſtiti poſt ſuperiorem ſententiam. Gregor. Turon. lib. 4. cap. 46. *Requirit hominem alium, Urſum nomine, quem ad altare clam adductum jurare fecit ac dicere: Per hunc locum ſanctum & reliquias martyrum beatorum &c. Factoque ex hoc juramento, breve ſacramentorum Regi protulit.* Breve, ſeu brevis, chartula eſt ſive libellus. Lampridius in Alexandro: *Milites ſuos ſic ubique ſcivit ut in cubiculo haberet breves & numerum & tempora militantium.* Idemque poſtea pittacia pro brevibus uſurpat. In l. 5. de conveniendis fiſci debitoribus Cod. lib. 10. *Inter chartulas confiſcati brevis quidam adſeveratur inventus, qui nomina continebat debitorum & contractuum.* Capitularium lib. 3. cap. 82. *deſcribere in breve.* Unde & *inbreviare* ſynodi Meldenſis cap. 20.

(5) *Si quando maſculus.*) Raptus accuſationem non tantum ipſi parentes, ſed & quilibet alii, quos commune odium delictorum moverit, inſtituere poſſunt; dum tamen intra quinquennium id faciant: alioqui nulli deinceps copia eſt arguendi, nec de conjugio aut ſobole diſputandi, l. 3. Cod. Th. de raptu virgin. Illud eſt quod hoc lemmate indicatur. Itaque hac formula cum quidam de raptu aliquem accuſaſſet, & mulierem quoque, quod pariter conſenſiſſe diceretur, de ſcelere confeſſis capitalis pœna irroganda erat. Sed tandem quorundam interceſſione res ita compoſita eſt ut illi certa pecuniæ ſumma vitam redimerent, teſtatione habita intra quinquennium accuſationem inſtitutam, & accuſatoris cauſa & reorum, ne deinceps ab aliis ejuſdem criminis poſtularentur.

(6) *Vitæ periculum.*) l. 1. & 2. Cod. Th. de raptu virginum.

vitæ eorum vuadios suos (1) jam dicto illo unusquisque pro solidos tantos dare deberent, quod ita & fecerunt, & hoc placitum institutum, quod evenit tunc temporis, hoc debeant desolvere. unde & fidejussorem pro ipsis solidis aliquem hominem nomine illum obligaverunt. Propterea necesse fuit ipsis ut hanc notitiam exinde accipere deberent, quod ita & fecerunt, ut si necessitas evenerit, omnibus sit manifestum qualiter supradicti homines infra quinquennium ab hoc scelere convicti vel comprobati apparuerunt.

Judicium evindicatum (2).

XXXIII. Ille Rex vir inluster illo Comite. Veniens ille in nostra vel procerum nostrorum præsentia suggessit eo quod aliquis homo nomine ille pagensis vester eum in via malo ordine adsallisset, & res suas ei tulisset, vel graviter ipsum livorasset; & ob hoc vobis per nostram ordinationem jussimus ut datis fidejussoribus Kalendas illas ex hoc in nostra præsentia debuissent adstare ratiocinantes. Sed memoratus quidem ille per triduum suum custodivit placitum, & jam dicto illo secundum legem adjectivit vel solsativit; qui nec sonia nuntiavit, nec suum placitum adimplevit. Propterea omnino tibi jubemus, dum tales vobis datos habuit fidejussores, & placitum suum nullatenus custodivit, ut quicquid lex loci vestri de tali causa edocet, vobis distringentibus memoratus ille partibus istius componere & satisfacere non recuset.

Epistola Abbatis (3) *vel rectoris Ecclesiæ*.

XXXIV. In Dei nomine quamquam peccator Abba dilecto amico nostro illo. Dum & omnibus habetur percognitum qualiter tu rem proprietatis tuæ illam accepta pecunia de thesauro ipsius sancti per venditionis titulum distraxisti, unde & precariam nobis ex hoc emisisti, & censisti te dare in luminaribus ad festivitatem ipsius sancti, hoc est tantum, ideo una cum consensu fratrum nostrorum hanc epistolam tibi emittendam decrevimus, ut ipsum locum cum omni integritate una cum Dei gratia & nostra voluntate absque præjudicio sancti illius diebus vitæ tuæ usualiter tibi liceat tenere. Et post tuum quoque discessum ipse locus cum omni integritate vel re emeliorata vel suprapposito partibus nostris vel ipsius basilicæ revertatur. quam epistolam manu propria subter firmavimus.

Donatio ad Ecclesiam post obitum.

XXXV. Lucrum maximum credimus animarum, si dum unusquisque corporibus motibus terram inhabitat, pro amore cogitet domus æternæ, vel amore temporalium rerum sperandarum sibi cumulet munimina divitiarum, aut certe si id quod remanendo perire poterat in seculo, in alimoniis pauperum vel loca distribuatur sanctorum Dei. Quamobrem ego in Dei nomine ille pertractavi tam de Dei parte, quam & reverentia sancti illius civitatis, ubi ipse pretiosus Domnus in corpore requiescit, seu animæ meæ remedium ad sacrosancta basilica sancti Domni illius, ejusque congregatione, ubi ille Abba vel rector præesse videtur, dono donatumque in perpetuo esse volo, hoc est, villam rem proprietatis meæ nuncupantem illam, sitam in pago illo, super fluvium illum, in condita illa, cum omnibus adjacentiis vel appendiciis suis, quantumcunque ad ipsam villam aspicere vel pertinere videtur, vel quantumcunque inibi præsenti tempore mea videtur esse possessio, totum & ad integrum per hanc donationem tibi trado atque transfundo, eo videlicet modo ut dum ego in caput advivo, ipsam villam cum omni integritate usualiter sub prætexto ipsius basilicæ tenere & usurpare faciam. Post meum quoque discessum ipsa villa cum omni integritate vel suprapposito, hoc est, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, pecuniis, peculiis utriusque sexus, præsidiis, vel omni supellectile, vel quod ibidem inantea addere, adtrahere, comparare, aut emeliorare potuero, & transitus meus ibidem dereliquerit, pars ipsius basilicæ, ejus rectores, absque ullius expectata traditione vel judicum consignatione, in eorum vel ipsius basilicæ faciant revocare potestate vel dominatione, & ad ipsam sanctam basilicam proficiat in augmentum: quia malo hoc post meum discessum ipsius basilicæ habere quam ceteris heredibus meis. Si quis vero,

Cessio a die præsente (4).

XXXVI. Dum fragilitas seu casus humani ge-

(1) *Vuadios suos.*) Vuadium pignus est, nobis *gage*; quod a vade deductum esse apparet. Synodi Cabilonensis c. 18. Capitul. lib. 2. cap. 38. Leg. Bajuvar. c. 1. tit. 6. 3. *At partem fisci pro fredo præbeat fidejussorem, & donet vuadium de quadraginta solidis*. cap 3 tit. 1. *Donet vuadium Comiti illi de fredo sicut lex est*. c. 24. tit. 1. *Dicat hæc verba, & cum dextera manu tradat, qui cum sinistra porriget vuadium huic de terra ipsa eum mallat per hæc verba; Ecce vuadium tibi do quod tuam terram alteri non do*. Ex quibus dici potest sæpe pro vuadio non pecuniam modo, sed etiam rem quamlibet datam fuisse, pro symbolo scilicet sponsionis. Sic in Chronico Divionensi: *Fulchardus per vuadium suum &, cultellum suum cum festuca & cespite coram præsentia bonorum hominum qui ibidem aderant se exutum fecit, & secundum legem suam Missis B. Benigni publice tradidit*.

(2) *Judicium evindicatum.*) Marculf. lib. 1. c. 37.

(3) *Epistola Abbatis.*) Concessio precariæ, charta præstationis. Marculf. lib. 2. cap. 40.

(4) *Cessio a die præsente.*) Donatio,

generis pertimescit ultimum vitæ terminum subitanea transpositione venturum, oportet ut non inveniat unumquemque imparatum, nec sine aliquo boni operis fructu migranti de seculo; sed dum in suo jure & potestate quisque consistit, præparet sibi viam salutis, per quam ad æternam beatitudinem valeat pervenire. Idcirco ego in Dei nomine ille, pertractans tam de Dei parte quam & reverentia sancti illius, seu animæ meæ remedium, cedo ad sacrosanctam Ecclesiam sancti illius, quæ est constructa infra urbem illam, in honore sancti illius, ubi ille Abba & rector præesse videtur, non occulte (1), sed publice, non privatim, sed palam, cessumque in perpetuo jure legitimo esse volo, & de jure meo in jure & dominatione ipsius Ecclesiæ trado atque transfundo, hoc est, locum rem proprietatis meæ illum, situm in pago illo, in condita illa, cum omni integritate vel adjacentiis suis, hoc est, cum terris, mansis, casis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, farinariis, mobilibus & immobilibus, pecuniis, peculiis utriusque sexus, præsidiis, vel omni supellectile, quantumcunque ibidem præsenti tempore mea videtur esse possessio, totum & ad integrum rem quæsitam & inquisitam, per hanc cessionem a die præsente ad ipsam sanctam casam delego & confirmo, ita ut ab hodierna die quicquid exinde pars ipsius Ecclesiæ ejusque rectores de ipsa re facere voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi, quia ipsam sanctam Ecclesiam plus id habere volo quam me vel ceteris heredibus meis. In cessionibus vero licet pœna non inferatur, mihi tamen pro rei totius firmitate placuit inferendum ut si ego aut ullus de heredibus meis. & reliqua.

Venditio ad Ecclesiam.

XXXVII. Domino venerabili & in Christo patri illo Abbati de basilica sancti illius, civitate illa, ubi ipse pretiosus Domnus in corpore requiescit, vel omni congregationi ibidem consistenti, ego enim in Dei nomine ille. Constat me vobis vel partibus ipsius basilicæ vendidisse, & ita vendidi, hoc est, locum rem proprietatis meæ, situm in pago illo, super fluvium illum, in condita illa, in villa illa, cum omni integritate vel adjacentiis, quicquid ad ipsum locum aspicere vel pertinere videtur, vel quantumcunque præsenti tempore mea videtur esse possessio, hoc est, tam terris, mansis, casis, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, libertinis, ministerialibus (2), mobilibus & immobilibus, pecuniis, peculiis utriusque sexus, vel omni supellectili, totum & ad integrum, rem quæsitam & inquisitam, quicquid dici aut nominari potest, vel quicquid ibidem præsenti tempore mea videtur esse possessio, per hanc venditionem a die præsente trado atque transfundo. Unde accepi a vobis pretium pro jam dicto loco, de thesauro ipsius sancti, in quod mihi complacuit, vel aptificatum fuit, hoc est tantum. quod pretium in manus meas accepi; & ipsum locum cum omni integritate, sicut dixi, per hanc venditionem vobis vel ad ipsam sanctam casam tradidi perpetualiter ad possidendum, ita ut ab hodierna die quicquid exinde vos aut successores vestri vel pars ipsius basilicæ facere volueritis, liberam & firmissimam in omnibus habeatis potestatem faciendi. Si quis vero.

Epistola Abbatis vel rectoris ipsius Ecclesiæ.

XXXVIII. In Dei nomine ille Abba in Christo nobis dilecto illo. Ad tuam petitionem nostra decrevit voluntas ut tibi res nostras vel sancti illius in pago illo beneficiare usufructuario ordine deberemus. quod ita & fecimus. Et tu pro hujus merito beneficii obligasti nobis res tuas tam de alode quam & de comparatu, seu de qualibet adtracto, denominatas, in pago illo, in condita illa, in loca nuncupantia illa & illa, quas præsenti tempore tenere & possidere videris, hoc est, cum terris, vel omnia & in omnibus. Ea vero ratione ut tibi ex ipsis rebus, quas nobis obligasti, & illis quas tibi usufructuario ordine beneficiavimus, non liceat aliubi nec vendere nec donare nec alienare nec in nullo modo distrahere nec in naufragium ponere, sed sub nostro vel sancti illius prætexto tibi liceat tenere & possidere. Et post tuum quoque discessum, absque diminutione rerum vel mancipiorum, cum omni re emeliorata vel suprapposito, quicquid in jam dictas res inventum repertumque fuerit, in nostram vel ipsius sancti absque ullius expectata traditione vel judicum consignatione faciamus revocare potestate vel dominatione. Unde censisti te a nobis annis singulis ad festivitatem sancti illius in luminaribus ipsius san-

(1) *Non occulte.*) Anianus ad l. 1. Cod. Th. de donat. *Non occulte, sed publice, non privatim vel secrete, sed aut in tabulis, aut in chartis, aut ubicunque facta legatur donatio.*

(2) *Ministerialibus.*) Colonis, villicis, qui villas colunt, & in iis deserviunt. Flodoardus hist. Rhemens. lib. 3. cap. 28. de Hincmaro: *Plebejis quoque quibusdam personis, villarum scilicet ministerialibus, pro rebus ministeriorum suorum nonnunquam scribens prudenter atque rationabiliter disponebat qualiter res sibi commissas tractare deberent.* Aliquando tamen ministeriales pro vassis & vassallis dicuntur, qui ab alio feudum habent. Capitul. lib. 4. cap. 30. *Si homo liber vel ministerialis Comitis hoc fecerit, honorem qualemcunque habuerit sive beneficium amittat.* Diploma donationis a Carolo Simplice in Odonem Comitem collatæ Narbonæ anno XII. regni, Indictione XII. *Odonem dilectissimum Comitem & ministerialem nostrum de rebus proprietatis nostræ honorare decrevimus.*

ſancti, vel pro mercedis tuæ augmentum, argentum ſolidos tantos. Et ſi de ipſo cenſo neglegens apparueris, fidem exinde facias, & ipſas res perdere non debeas. Quam epiſtolam mauu propria ſubter firmavimus.

Securitas (1) *de homicidio*.

XXXIX. Fratri illo, ego enim ille. Dum & omnibus habetur percognitum qualiter tu ante hos dies, inſtigante adverſario, germano meo vel quolibet parente interfeciſti, unde & poſtea ex hoc comprobatus apparuiſti, & ante me apud illum judicem exinde in rationes fuiſti, & pro integra compoſitione pro jam dicto parente meo, pro ipſa morte, ſicut mihi bene complacuit, argentum ſolidos tantos dediſti, ideo hanc epiſtolam ſecuritatis tibi ex hoc emittendam decrevi, ut neque a me neque ab heredibus meis, neque a quolibet oppoſita vel emiſſa perſona nullam calumniam neque repetitionem de jam dicto homicidio habere non pertimeſcas, neque tu, neque ullus de parte tua qui tecum commorantur, ſed ducti atque ſecuri in omnibus exinde valeatis reſidere. Si quis vero, ſi fuerit aut ego ipſe, aut ullus de heredibus meis, ſeu quislibet perſona qui contra hanc ſecuritatem venire aut agere vel refragare tentaverit, & a me vel ab heredibus meis defenſatum non fuerit, ſociante fiſco qui litem intulerit ſolidos tantos componat, & ſua repetitio nullum obtineat effectum, ſed ſit inter nos vel heredibus noſtris ex hac re omnique tempore calcanda cauſatio, & hæc ſecuritas meis vel bonorum hominum manibus roborata, cum ſtipulatione inſerta, diuturno tempore maneat inconvulſa.

Judicium juxta quod cauſa continet.

XL. Veniens ille die illo, quod fecit menſis ille dies tantos, in loco nuncupante illo, ante venerabilem virum illum ſuiſque auditoribus vel reliquis viris qui ibidem aderant vel ſubter firmaverunt; ibique interpellabat aliquem hominem nomine illum, dum diceret eo quod hereditatem ſuam in loco nuncupante illo, quæ ei erat debita, poſt ſe retineret, vel ei malo ordine contradiceret injuſte. Interrogatus ille ante ipſos viros taliter dedit in reſponſis, quod ipſam hereditatem, quam ipſe contra eum repetebat, genitor ſuus vel quilibet parens ipſam ei moriens dereliquerat, & de annis triginta (2) inter ipſum & parentes ſuos, qui ipſam ei dereliquerant, ipſam tenuiſſent, & ſecundum legem ei ſit debita. Dum ſic intenderent, ſic ipſi viri memorato homini decreverunt judicium, ut in noctes tantas, quod evenit die illo, apud homines tantos ſua manu tanta in baſilica ſancti illius, in loco nuncupante illo, taliter debeat conjurare, quod ipſam hereditatem, quam ipſe homo contra ipſum repetebat, per annos triginta inter ipſum & memoratos parentes ſuos, qui ipſam hereditatem morientes ei dereliquerant, ſemper ipſam tenuiſſent, & per ipſos annos triginta ſecundum legem plus ſit ipſa hereditas ei habendi debita quam ipſo homini reddendi. Si hoc ad eum placitum conjurare potuerit, ipſam hereditatem abſque repetitione ipſius hominis omni tempore habeat elitigatam atque evindicatam. Sin autem non potuerit, hoc legibus emendare ſtudeat. His præſentibus actum fuit.

Breve ſacramenti (3) *ſecundum ipſum judicium*.

XLI. Breve ſacramentorum qualiter ingreſſus eſt ille die illo in loco nuncupante illo, in baſilica ſancti illius, juxta quod judicium ſuum loquitur, apud homines tantos ſua manu tanta, poſitis manibus ſuper ſancto altare juratus dixit: Per hunc locum ſanctum & reverentiam iſtius ſancti, quia unde me ille interpellavit, quaſi hereditatem ſuam, quæ ei eſſet debita, in loco nuncupante illo, poſt me retinerem, vel ei malo ordine contradicerem injuſte, ipſam hereditatem parentes mei mihi morientes dereliquerunt, & inter me vel ipſos parentes meos de annis triginta ſemper exinde veſtiti fuimus, & ſecundum legem plus eſt mihi debita habendi quam ipſius homini reddendi, per Deum & reverentiam iſtius ſancti juro. Similiter venientes teſtes ſui per ſingula jurati dixerunt, quicquid iſte de hac cauſa juravit, verum & idoneum ſacramentum exinde juravit. Hi ſunt qui ſubter firmaverunt.

Notitia de alode evindicato.

XLII. Notitia qualiter vel in quorum præſentia veniens ille die illo, in loco nuncupante illo, ante illum judicem vel reliquos viros qui ibidem aderant vel ſubter firmaverunt; ibique interpellabat aliquem hominem nomine illum, eo quod alode qui fuerat genitori ſuo nomine illo, in loco nuncupante illo, poſt ſe malo ordine retineret, vel ei contradiceret injuſte. Interrogatus ipſe homo

(1) *Securitas*.) Marculf. lib. 2. cap. 18. Incertus auctor cap. 23. & 51.

(2) *De annis* XXX.) Conſtitutionem edidit Theodoſius Imp. de præſcriptione triginta annorum, ut teſtatur Valentinianus Novel. lib. 2. tit. 8. *Lex domini patris clementiæ meæ Theodoſii perennis Auguſti, qua virtutum ſuarum morem ſecutus, humano generi profunda quiete proſpexit, conſtituens poſt triginta annos nulla penitus jurgia, quæ medio tempore nota non fuerant, excitari*. Quod ipſum ſanxit Valentinianus Nov. lib. 2. tit. 12. de epiſcopali judicio & diverſis negotiis; ad quam Anianus. Sidonius Apollinaris lib. 7. ep. 7. *Per ipſum fere tempus, ut decemviraliter loquar, lex de præſcriptione tricennii fuerat proquiritata: cujus peremptoriis abolita rubricis, vis omnis in ſextum tracta quinquennium terminabatur*. Ubi plura doctiſſimus Savaro.

(3) *Breve Sacramenti*.) Supra cap. 31.

homo ab ipsis viris si sic erat veritas an non; sed ipse judicium vel breve sacramentorum ibidem ante ipsis viris protulit ad relegendum, qualiter cum ipso homine ante hos dies exinde ante illum judicem in rationes fuerat, & qualiter ipso alode contra ipsum hominem vel contra germanos suos elitigatum atque evindicatum legibus habebat. Relecto ipso judicio vel ipso breve sacramentorum, sic ipsi viri ipsum hominem interrogaverunt si aliquid contra ipsum judicium vel contra ipsum brevem opponere volebat. Sed ipse taliter dixit, quod nihil habebat quod contra ipsum opponere deberet, & se in omnibus recognovit quod contra legem ipsum hominem calumniabat, & se exinde omni tempore taciturum esse spopondit. Propterea opportunum fuit ipsius ut hanc notitiam ex hoc accipere deberet. quod ita & fecit. His præsentibus actum fuit.

Venditio de area (1) *vel de casa infra civitatem.*

XLIII. Magnifico fratri illo, ego enim ille. Constat me tibi vendidisse, & ita vendidi, hoc est, casa mea cum ipsa area ubi posita est, infra civitatem vel burgum illum, in ratione illius, in loco illo, quem ego data mea pecunia de aliquo homine nomine illo comparavi. Habet ipsa casa in matriamen tantum, membra in gyro tanta, ēde lateribus vel frontibus casa vel terra illorum & illorum. Unde accepi a te pretium in quod mihi bene complacuit, hoc est, tantum; quod pretium in manu mea accepi, & ipsam casam vel aream per hanc venditionem tibi tradidi a die præsente perpetualiter ad possidendum; ita ut ab hodierna die quicquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi, salvo jure ipsius terræ.

Qui se in alterius potestate commendat.

XLIV. Domino magnifico illo, ego enim ille. Dum & omnibus habetur percognitum qualiter ego minime habeo unde me pascere vel vestire debeam, ideo petii pietati vestræ, & mihi decrevit voluntas, ut me in vestrum mundoburdum tradere vel commendare deberem. quod ita & feci. eo videlicet modo ut me tam de victu quam & de vestimento, juxta quod vobis servire & promereri potuero, adjuvare vel consolare debeas, & dum ego in caput advixero, ingenuili ordine tibi servitium vel obsequium impendere debeam, & me de vestra potestate vel mundoburdo tempore vitæ meæ potestatem non habeam subtrahendi, nisi sub vestra potestate vel defensione diebus vitæ meæ debeam permanere. Unde convenit ut si unus ex nobis de his convenientiis se emutare voluerit, solidos tantos pari suo componat, & ipsa convenientia firma permaneat. Unde convenit ut duas epistolas uno tenore conscriptas ex hoc inter se facere vel adfirmare deberent. quod ita & fecerunt.

Evacuatoria (2).

XLV. Domino magnifico fratri illo, ego enim ille. Dum & omnibus non habetur incognitum qualiter ante hos annos solidos nostros numero tantos ad beneficium accepisti, & cautionem nobis emisisti ut ipsos solidos tantos tunc nobis reddere deberes. quod ita & fecisti. Sed dum illam cautionem, quod nobis emiseras, ad præsens non habeo, ideo hanc epistolam evacuaturiam fecimus, ut de ipsis solidis tantis omni tempore ductus & securus resedeas. Et si ipsa cautio apparuerit, vel a nobis vel ab heredibus nostris ullo quoque tempore ostensa fuerit, nullum sortiatur effectum, sed vacua & inanis permaneat.

De causis commendatis (3).

XLVI. Magnifico fratri illo, ego enim ille. Rogo, supplico, atque publiciter tuæ caritati injungo ut omnes causas meas tam in pago quam & in palatio, aut ante judices, vel ubicunque mihi necessitas evenerit, ipsas causas meas ad meam vicem prosequere & admallare facias, & de ipsa prosecutione mihi reddas certiorem. Et quicquid exinde egeris gesserisve, ratum & bene acceptum a me in omnibus esse cognoscas. Quod mandatum ut pleniorem obtineat firmitatem, manu propria subter firmavi, & bonis viris adfirmare rogavi.

(1) *Venditio de area.*) Marculf. lib. 2. cap. 20.
(2) *Evacuatoria.*) Marculf. lib. 2. cap. 35. Incertus auctor c. 36.
(3) *De causis commendatis.*) Mandatum. Marculfus lib. 2. cap. 31.

FORMULÆ BALUZII

CUM EJUSDEM BALUZII NOTIS.

INCIPIUNT CAPITULA.

Petitio Episcopi peregrini ad Episcopum proprium.

I. IN Christi nomine. Ille Episcopus illo Episcopo amico nostro devotam dirigo salutem. Gratias vobis referimus de caritate vestra, quam erga fidelem nostrum dignati estis facere & circa congregationem nostram quæ est in oppido sita quod dicitur illum. Fecisti enim ut Apostolus commendans ait (1): *Prædica verbum, insta opportune & inopportune nolentibus.* Qui enim sequitur Apostolorum vestigia, luce gaudebit perpetua. Rogo vos humiliter dirigere nobis per epistolam vestram quid mihi de nostro liceat celebrare officium in parrochia vestra & in Ecclesiis vestris quæ in nostro sunt beneficio, si prædicare liceat, si emendare, si corrigere, si erigere Ecclesiis, si confirmare, aut baptizare, aut pœnitentiam dare, aut quid nobis concedatis, aut quid prohibeatis, scire nos faciatis citius petimus. Amicitiam vero vestram valde firmam optamus inter nos consistere. Et obsecro ut mihi commendare dignemini quasi firmo amico tuo quodlibet servitium, & paratum me habetis in omnibus honestis & justis mandatis vestris. Benevalete.

Commendatoria & exhortatoria ad sanctimonialem.

II. In nomine sanctæ Trinitatis. Venerandæ & almificæ gloriosæque illæ, ego ille inferior cunctis servis vestris postulo summo a Deo æternam venire salutem. Hinc rogo vos & ammoneo ut laus popularis, quæ per vulgares spargitur aures, vestram adtingat mentem, & crescendo pollulat sapientia vestra apud Deum & homines. Omnis vero populus hac proclamat voce dicens his vero esse ditatam felicibus donis, quod in perpetuum firmiter permaneat, citam omni bono consilio & claram facie omni conspectui humano, varias scilicet gazas miro ordine beataque mundi regna mirifice disponere, pulcram corpore & in mente quieta, lucidis autem luminibus vestram fieret staturam, in aulem dicunt. Debetis enim semper gratias agere, ut in vobis hæc & his similia crescant

(1) 1. Tim. 4.

ſcant per omnia momenta. Vide, ut Apoſtolus ait (1), quomodo caute ambulaveris, ſicut ſapientes. Et iterum (2): *Non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus providentes bona &c.* Feſtina itaque, virgo glorioſiſſima, ſanctis ſtudiis te & bonis operibus ornare, ut cum ſanctis & beatis virginibus centenum merearis collegere fructum.

Conqueſtio de vaſſo qui juſtitiam facere renuit.

III. Domino inluſter atque præcuncto magnificentiſſimo, ut confido, viro amico meo illo ille. Deus ſcit, qui omnia non latet occulta antequam fiant, in omnibus amicus & bene cupiens veſter, illud inprimitus quod plurima ſunt & nobis opportunum, ſalutem in Domino optamus vobis in quantum arcana cordis mei continet plenitudo. De cetero cognoſcas induſtria veſtra iſte præſens homo noſter ſerviens veſter nomen ille ad nos venit & nobis dixit eo quod vaſſus veſter nomen ille res poſt ſe malo ordine reteneat injuſte, & dixit quod nulla juſtitia apud ipſo exinde conſequere poſſit. Propterea ſollicitamus vobis precamus ut hoc cauſa diligenter inquirere jubeatis, ut ipſe homo noſter ſerviens veſter ſine ulla dilatatione ad ſuum exinde debeat perquirere juſtitiam. Et ſi hoc facietis, veſtram bonam conſuetudinem adimpletis. Et unde nos injungetis, & nos potebimus, vos vel ſervientes veſtros in bonis partibus remerire non tardamus. Agite taliter quæ nos per vos bona habemus fiducia, ut iſte homo noſter ſerviens veſter ſibi congaudeat quod noſtram ad vos deportaſſet ſuggeſtionem. Ad ſapientiſſimum ſufficit.

Item de eadem re.

IV. Domino ſancto apoſtolica ſede colendo Domno & in Chriſto patri illo Papæ ille. Deus ſcit, cui nulla latent occulta, in quantum video & noſtra eſt poſſibilitas, in omnibus amicus & bene cupiens veſter, illud inprimitus quod plurima ſunt & nobis opportunum, ſalutes in Domino optamus vobis in quantum totus mundus fulget in gloria, vel quantum diſtat ortus ab oriente & deficit ab occidente, ſeu & ſi fieri potuiſſet quod tota membra vertiſſent in lingua. De ceterum ſupplicamus gratia veſtra ut pro me peccatore in veſtris ſanctis orationibus intercedere digneris. Et iterum, Domine, ſupplicamus cognoſcat admitas veſtra iſte præſens homo noſter ſerviens veſter nomen ille res ſuas malo ordine poſt ſe retinebat injuſte, & nulla juſtitia apud ipſo exinde conſequere poſſit. Propterea precamur vobis ut hanc cauſam diligenter inquirere jubeatis; ut ſicut veſtra bona eſt conſuetudo, ipſe homo noſter ſerviens veſter ſine ulla dilatatione ad ſuam exinde debeat pervenire juſtitiam, & ſibi congaudeat quod noſtram ad vos deportaſſet ſuggeſtionem, & nos vobis gratias agamus. Et ſi locus advenerit, vos vel ſervientes veſtros in bonis partibus remerire non tardamus. Ad ſapientiſſimo ſufficit. Salutamus vobis ſatis & ſuper omnia ſatis uſque ad gaudium magnum.

Indiculus regalis.

V. Dominis ſanctis & in Chriſto patribus omnibus Epiſcopis, ſeu & venerabilibus omnibus Abbatibus, atque illuſtribus viris, ſeu & viris magnificis Domeſticis, Vicariis, Centenariis etiam quod omnis pars & amicos noſtros ſeu & Miſſus noſtros diſcurrentis, ille Rex Francorum vir inluſter. Cognuſcatis iſte præſens ille ad nos venit, & noſtra commendatione expetivit habere; & nos ipſo gratante animo recepimus vel retenemus. Propterea omnino vobis rogamus atque jubemus ut neque vos neque juniores neque ſucceſſores veſtri ipſo vel homines ſuos, qui per ipſo legitimi ſperare videntur, inquietare nec condemnare nec de rebus ſuis in nullo abſtrahere nec diu nec nocte non præſumatis nec facere permittatis. Et ſi talis cauſa adverſus eo ſurrexerit ut oſt . . ., fuerit & ibidem adimpletis vos abſque eorum in quo diſpendio minime definitas fuerint, quod ante nos ſeparare vel reſervatas, & talis cauſa ante nos finitivam accipiant ſententiam. Et ut certius credatis, manu noſtra ſubter adfirmavimus, & de anolo noſtro ſigilavimus.

Indiculum de ſervis fugacibus.

VI. Dilecta Dei, ſponſa Chriſti, ſocia ſanctarum virginum merito coæquanda, inluſtris Deo ſacrata illa, ille. Deus ſcit in quantum valeo in omnibus in Chriſto amore amicus & bene cupiens veſter illud imprimitus quod plurima ſunt ſalutem in Domino optamus vobis in quantum totus mundus fulget in gloria, aut ſi fieri potuiſſet quod tota membra vertiſſent in lingua. De ceterum cognoſcat dilecta caritas veſtra, ſicut nobis dictum fuit, eo quod homines veſtri nobis confugium fecerunt, & nos auditum habemus ubi eſſe debeant. Propterea apices noſtros vobis dreximus, ſi veſtri homines ſunt, Miſſo veſtro ad nos dirigere faciatis, & quantum nos potevimus hac cauſa diligenter procuramus ut ipſos homines recipere faciatis.

Donatio ad caſam Dei pro Miſſas canendo.

VII. Igitur ego in Dei nomine ille venerabilibus fratribus illo & illo. Admonet mihi amor Domini noſtri Jeſu Chriſti & deſiderium de illo paradiſo ubi juſti habitant, ut me Dominus ibidem participare dignetur, ſeu & timor gehennæ, ut me exinde Dominus eripere jubeat. Propterea cedo vobis ad die præſente ad mea eleemoſyna faciendo a pauperis vel a ſacerdotibus ad Miſſas canendo diſpenſando, ceſſumque in perpetuo eſſe

(1) Epheſ. 5. (2) Rom. 12. 1. Cor. 8.

esse volo, & de jure meo in jure & dominatione vestra transcribo atque transfundo, hoc est, res proprietatis meæ tam in civitate illa quam & foras in ipso pago seu & in alios. Habent ipsas terras cum omni superposito de longo tanto, similiter in latus & in frontis subjungit de ambobus frontus & de ambobus latus terra illius, ipsas res & casas superpositis ad integrum seu & vineis in oppidum civitate illius cum terra proprietatis mei. Habet ipsa vinea arpennes tantos. Subjungit de ambobus latus & ambobus frontes terra illius. Etiam & in ipso pago in agro illo portione mea, tam terris, mansis, domibus, ædificiis, vineis, olicis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, quicquid in ipsa loca portio mea est, totum & ad integrum rem inexquisitam & aliam rem quantumcunque visus sum habere aut inantea laborare potuero, tam peculium, præsidium utriusque generis sexus, aurum, argentum, drapalia, æramen, usentilia, mobile & immobilibus, quicquid dici aut nominari potest, ubicunque visus sum habere, medietatem ad integrum, ita ut ab hodierno die habeatis, teneatis, & in mea eleemosyna dispensando liberam & firmissimam ad die præsente in omnibus habeatis potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse aut aliquis de heredibus meis, vel ullus quislibet ulla opposita persona qui contra hanc cessionem istam venire conaverit, & a me vel heredibus meis defensatum non fuerit, inferamus vobis una cum socio fisco auri uncias tantas, argentum pondo tanto esse multando, & præsens cessio ista omni tempore firma permaneat.

Supplicatio ad Regem.

VIII. Inclito atque præcellentissimo Domno illo glorioso Rege, ego ancilla vestra ultimissima (1), servissima omnium ancillarum vestrarum. Cognoscat, Domne, gratia vestra hominis vassi vestri nomen ille multas inquietudinis & contra rationis ordines servientes sanctæ illius, qui in vestra mercede in regimini ordinastis, habere hos faciant, & nulla justitia apud ipso illo consequere possum. Propterea, Domne, supplico, & si ante vestra præsentia fuisse, genua flexa ad terra prostrata ad pedes vestros suggerere mihi ancilla vestra oportebat & in vestra mercede & amore Deo vel illos sanctos cujus famulas nobis exinde defensare juberitis ut contra malicia contra servientes ipsius sanctorum vel me ancilla vestra facere non debuissent. Domine, nostrum est ad suggerendum, Vestrum est ad ordinandum quæ exinde justitiam recipere debeamus, pietas vestra est nobis,

Indiculum.

IX. Suggerendo Domno piissimo atque præcellentissimo illo glorioso Rege. Nos, Domni, servientes vestri pagenses illius, quod veraciter cognovimus, vobis innotescere præsumpsimus. Homo alicus nomen ille nobis dixit eo quod casa sua vel strumenta sua chartarum tam venditionis, cautionis, obnoxiationis, judicius, cessionis, vel donationis, seu & reliqua strumenta chartarum ab igne ibidem cremassent, quia & ille judex vel vicini pagenses ipsius taliter nobis dixerunt vel testimoniaverunt quod ad hoc videndum accesserant, & sic vero & actum aderat. Proinde, Domne, suggerere præsumpsimus, & quod exinde cognovimus vobis innotuimus. Domne, nostrum est ad suggerendum. Vestrum est ad ordinandum quod ipsa exinde agere debeat.

Indiculum.

X. Domna & dulcissima genitrice mea illa, prolis vester ille, serviens vester, illud imprimitis quod plurima sunt, & sic necessarium si præsumptio ostendit salutem plenissimam in Domino Jesu Christo vobis destinare præsumo, & supplico pro eo quod iste præsens ille serviens vester a mea parvitate expetivit ut nulla malitia de istas culpas quod ipse confugium fecit exinde non habeat, sed ad mea precatione excusatus exinde esse debeat. Agite taliter quem ego per vos bona fiducia & quem Domno & genitore meo jugale vestro illo sano & læto proprios oculos celerius mereamur videre. Iterum salutamus vobis.

Indiculum.

XI. Sanctorum meritis beatificando Domno & fratri Importuno. Domne dulcissime & frater carissime Importune, quod recepisti tam dura æstimasti nos jam vicina morte de fame perire, quando talem annonam voluisti largire, nec ad pretium nec ad donum non cupimus tale annona. fecimus inde comentum, si dominus imbolat formentum, a foris turpis est crusta, ab intus miga nimis est fusca, aspera est in palato, amara & fœtius adoratus; mixta vetus apud novella faciunt inde oblata non bella semper habeas gratum qui tam larga manu voluisti donatum, dum Deus servat tua potestate, in qua cognovimus tam grande largitatis. Vos vidistis in domo quod de fame nobiscum morimur. Homo, satis te præsumo salutare, & rogo ut pro nobis digneris orare. Trasmisimus tibi de illo pane. Probato si inde potis manducare. Quandiu vivimus, plane liberat nos Deus

(1) *Ultimissima.*) Libellus precum Marcellini & Faustini pag. 87. *Nesciens quod Christi Dei gratia etiam minimissimis servulis ejus patrocinetur.* Edictum anni duodecimi Liutprandi Regis Longobardorum cap. 9. *De Gasindiis vero nostris volumus ut quicunque minimissimum in tali ordine occisus fuerit.* Vide Notas Holstenii ad acta Sanctarum Perpetuæ & Felicitatis pag. 91. in editione Parisiensi.

Deus de tale pane. Congregatio puellare sancta refutat tale pasta. Nostra privata stultitia ad te in summa amicitiæ. Opto te semper valere & caritatis tuæ jura tenere.

Item alium.

XII. Beatificando Domno & fratri Frodeberto Papæ. Domne Frodeberre, audivimus quod noster fromentus vobis non fuit acceptus. De vestra gesta volumus intimare ut de vestros pares nunquam delectet hoc jogo tale hoc referre. Illud enim non fuit condignum quod egisti in Segeberto regnum de Grimaldo Majorem domus, quem ei sustulisti sua unica ove sua uxore, unde postea in regno nunquam habuit honore, & cum gentes venientes Toronica regione misisti ipsa in sancta congregatione .... monasterio puellarum qui est constructus in ...... Non ibidem, lectiones divinis legisti, sed .... nis inter vos habuistis. Oportet sat .... conlocutione quem nec est adeo ar .... ta sic est ab hominibus vestra fo .... dentim, sed qualem facu .... monasterio puella .... monasterio tuis .... perdisti ....
IMPORTUNUS de Parisiaga terra.

Parabola.

XIII. Domno meo Frodeberto, sine Deo, nec sancto, nec Episcopo, nec regulari Clerico, ubi regnat antiquus hominum inimicus, qui mihi minime credit factu tuu vidit illum tibi necesse desidero, quare non amas Deo, nec credis Dei filio. Semper fecisti malum. Contra adversarium consilio satis te putas sapientem, Sed credimus quod mentis. Vere non times Christo, nec tibi consentit. Cui amas, per omnia ejus facis opera. Nec genetoris tui diligebant Christum, quando in monasterio fecerunt temetipsum. Tuus pater cum Domino non fecit sancta opera. Propter Domnus digito relaxavit, te vivo docuit & nutri .... unde se postea pœnetivit. Non sequis scriptura nec rendis .... iqua memores Grimaldo qualem fecisti damnum .... & Deo non oblituit de bona quæ tibi fecit quid inde .... muliere sua habuisti conscientia nua nec .... norum peracta sed contra canonica .... ea de sancta congregatione apud .... non ex devotione, sed cum gran .... cur nos scimus damnas nimis .... tollis eis aurum & argentum & honores .... liberat per has regiones cur te præsumis tantum damnare suum thesaurum. Quod ut alibi ubi eum rogas per tua malefacta, quod non sunt apta, amas puella bella de qualibet terra pro nulla bonitate nec sancta caritate. Bonus nunquam eris dum tale via tenes. Per tua cauta longa sat ire si non est. Per omnia jube te castrare, ut non pereas per talis; quia fornicatoris Deus judicabit. De culpas tuas alias te posso contristare. Sed tu jubes mihi exinde aliquid remandare, ut in quale nobis retenit in tua caritate exeant istas exemplarias per multas patrias ipso domno hoc reliquo si vidis amico qui te hoc nuntiat & donet consilium verum, sed te placit lege & pliga in pectore repone, Sin autem non vis, inheret in dude.

Item alia.

XIV. Incipiunt verba per similitudinem juncta de fide vacua, domo pleno falsatore, Agino Salomon pro sapientia bene scripsit hanc sententiam, ut ne similis fiat stulto, nunquam respondes ei in mutto, & retractavi tam in multum sic respondere jussi stulto ut confundantur stultum grado nunquam præsumat gloriare respondi dixi te falsatore nec ei parcas in sermone qui se plantatum ex robore qui non pepercit suo ore vaneloquio susorrone verborum vulnera murone qui sui obl .... adjutoris, immemores nutritoris, calcavit .... qui fei date & prioris alodis sui reparatoris sordidas vomit pudoris incredulas dicit loquellas & inprobus coinquinat & conscientias bonum merito conquisitas mundas sanctas & antiquas pulchras firmissimas & pulitas meas rumpit amitaticos, verba dicit quæ nunquam vidit, ea scribit quæ fecit animus. Parcat qui eum credit. Et si loquestem non stringit furorem latro fraudolentus homicidium est res certus adulter, raptor est manifestus. Innumeros fecit excessus. Errando vadit quasi cæcus. Fuscare tentat meum decus. A Deo dispectus & desertus, ab inimico est perventus & per lingua & per pectus. Nolite, Domne, nolite fortis, nolite credere tantas fortes. Per Deum juro & sacras fontis, per Sion & Sinai montis, falsator est ille, factus excogitator est defamatus, deformatus vultu, & deformata sunt. qualis est animus, talis est status. Non est homo hic, miser talis latrat, sed non ut canis psallat de trapa, ut linguaris dilator major, nullis talis falsator grunnit, post talone, buccas inflat, in rotore crebat & currit in sudore, fleumas jactat in pudore; nullum vero facit pavere qui non habet adjutorem super secundum meum tutorem non meum. .... tale baronem non .... co contra insontem non cessat .... ab exaperto facco .... acco & salte detrascia .... non timere falco non perdas illo loco, non vales uno coco, non simulas tuo patre, vere nec tua matre, non gaudeas de dentes, deformas tuos parentes. Ad tua falsatura tali decet corona.

Indiculum.

XV. Nolite Domnæ, nolite sanctæ, nolite credere fabulas falsas: quia multum habetis falsatores, qui vobis proferunt falsos sermones, furi atque muronis, similis etiam & susurronis; & vobis, Domnæ, non erunt protectoris. Latrat vulpis, sed non ut canis. Faltus mit semper inanis cauta proferit jam non fronte. Cito decadet ante cano forte. Volat upua, & non arundo. istcō commedit in so frundo. humile facit capta dura, sicut dilatus in falsatura falsator vadit tanquam

quam latro, ad aura psallit, ut Escotus mentir, semper vadit toritus, & occidit quod nunquam vidit. Nolite Domnæ atque prudentis vestras non confrangat mentis, & non derelinquere serventes. tempus quidem jam transactus. Et hoc feci quod vobis fuit adaptum. Jam modo per verba fallacia sexum dejactus de vestra gratia.

Incipit edictio.

XVI. Cum in præsentia inluster vir ill. illo mallavit. Sed ille petiit ut scriberet quod petivit, irrita Imperatores sanserunt decreta ut nullus a judicio suscipere præcurrit antiquam sollemnia patefecerit, ut his qui fidem datis & nec objecti sunt præomaticis dictionis lex pœna succurrit. edictio inquam ob rem petitio in conspectu magnitudinis vestri, ut homo nomen illi est illas post se mali ordine præoccupasse dinoscitur, ut hoc vestra prudentia integrum & legalis sententia debeant definire. Ea vero scilicet ratio, ut si in constitutum placitum res illas mihi justissime debitas adprobare non potuero, ut lex mundana Theodosiano corpore arbitratus discernit, me impleturum esse polliceor data edictione de inscriptionibus accusatoribus recrescant Theodosiano nono in ira prima tam civile neque criminalem actio professio manu accusatore conscripta præcidat, nisi in se repetitione celebrata prius a judice non audiatur.

Indiculum generale ad omnes.

XVII. Domino magnifico sapientiaque decoratum & dono Dei regali gratia sublimato illo ille ultimus servorum Dei servus ac si vilis ille infimus vocatus Episcopus, salutem vobis multimodam una cum confratres nostros oratores vestros, qui ad limina sanctorum illorum die noctuque pro vobis obsecundare noscuntur, dirigere præsumimus. De ceterum cognuscat industria vestra precamur atque supplicamus vobis de ista causa unde iste præsens serviens vester Missus noster innotuerit, ei in suum placitum esse dignetis, agat almitas vestra ita ut consuetudo vestra bona erat erga nos frequenter operata est.

Item alio.

XVIII. Domino procerumque illustrem optimate ill. regale gratia sublimatum & a nobis cum magna veneratione atque reverentia nominandum in Dei nomen ill. ultimus servorum Dei servus salutem vobis in Domino tam multimoda destinare præsumimus una cum omni congregatione fratrum nostrorum quam arcana cordis nostri continet plenitudo. Memorare dignemini qualiter vos nobiscum ante hos dies confabolare dignastis & in oratione quamvis nos indigni commendare dignastis. Precamur atque suplicamus clementia vestra ut ad necessitatem fratrum nostrorum oratores vestros aliquid de eleemosyna vestra consolare jubeatis, & quicquid exinde vestra clementia erga nos disponit agere, per vestro venerabile scripto nobis dignetis facere certiores; & undecunque nobis injungitis aut injunctum habetis de orationibus vel de alio servitio, parati sumus vestris partibus vestrorumque omnium servientium fidelis reservire.

Item alio.

XIX. Sanctissimo ac sanctis ceremoniis observantem æque fonte spirantiæ exsuperantem Domno Patre & multorum gregem Christique vice agente illo Pontifice ultimus omnium servorumque Dei servus ille. Ad clementiam pietatis vestræ has apices destinare præsumpsimus, non nostri freti obsequio, sed vestra magnitudine culminis pietate. Ideoque quasi ad præsens genua vestra deosculantes, suggestiuncula nostra vobis propter quod mancipia beati patroni vestri de monasterio nostro fuga lapsa in vestro dominio prælapsi sunt advenisse. Ideo supplicamus clementiæ vestræ ut quomodo iste Missus noster nomen ille hæc nostra suggestiuncula vobis detulerit, sicut vestra in omnibus bona erga nos est consuetudo, inter nos seu erga omne nostra justicia inquirere jubeatis, qualiter congregatio nostra obsecrantes Deo oratores vestros melius Dei misericordiam pro vobis delectet implorare.

Item alio.

XX. Domino sancto ac sanctis ceremoniis observante Domno illo & in Christo patre ego ille salutem vobis in Domino una cum omni congregatione fratrum nostrorum plenissimam dirigere præsumimus tam vobis quam scilicet congregationem vestram, quam Dominus sub norma sanctæ regulæ ad protegendum in manu misit. Supplicamus caritatem & fraternitatem vestram ut inter nos seu monachis nostris orationes peculiares esse debeant: quia quamvis in spatia terrarum distet corporalis nostra conversatio, sed, ut bene nostis, non separant spatia terrarum quos sociat caritas vera: quia si unus in oriente & alius in occidente consistat, ambo pariter orando Domino in caritate glutinantur. Supplicamus etiam.

Item alio.

XXI. Domino inclito fidelique Deo atque regale gratia sublimato atque a nobis veneratione & amore colendo inlustre viro illo optimate illo maximam salutem & inviolabilem cupio & vobis præsumimus destinare. De ceterum comperiat industria vestra eo quod & ætera gaudeat floreatque per tempora nobilitas vestra, & quandoque terrena linquitis, cælestibus mereatis agminibus glomerare.

Item alio.

XXII. Domino & in Christo patri apo-

sto-

ſtolica ſede colendo Domno illo ille proprius vernaculus veſter ſalutem vobis in Domino multimodam deſtinare præſumimus. Cognuſcat, Domne, ſanctitas veſtra quod ſerviens veſter nomine illo ad nos venit & dixit ſe neglegentia contra vos habere pro qua gratiam veſtram non habeat. Propterea ſupplicamus, quaſi ad præſens genua veſtra deoſculantes, ut ipſe apud vos excuſatus ſit & eum per noſtram precationem recipere & conſilium ei facere ordinetis. Agat, Domne, ſanctitas veſtra ſicut ſemper erga nos facere conſueviſtis. Sanum & incolumem vos citius mereat videre.

Item alio.

XXIII. Domino almifico, excellentiæ decore ornato, ac beatiſſimo, meritiſque venerando, amabiliter diligendo, ſanctitatis culmine conſpicuo, ac nobilitatis titulo decorato, piiſſimo, ſive ſacra eloquia ſeu præcepta Dei pleniſſimo, ſanctorum meritis coæquando, & palma triumphationis atque ſanctitatis gratia ornato, inclito præclaroque, Deus omnipotens faciat in ſancta religione permanere. Venerabili in Chriſto & a nobis cum ſumma reverentia nominando illo Epiſcopo ego ill. in Domino perpetuam mitto ſalutem. Multimoda nobis benevolentiam veſtram generare comperite gaudia quotiens nobis aditus dederit opportunos ut ad indagandam ſoſpitatem veſtram noſtras dirigere apices debeamus. Quia nihil melius niſi ut invicem mutuam caritatem orando in invicem alterutrum ſpiritalia pabulum ſubminiſtrare non ceſſemus, Hilarem et gaudentem citius vos cernere mereamus.

Item alio.

XXIV. Summa veneratione nobiliſſimi generis ſeu induſtriæ vel ſagacitatis culminiſque ſublimitatis ineffabile a nobis ſcelentiæ veſtræ, Domine inluſtriſſime, cum ſumma nobis reverentia nominando illo ille exiguus tam multiplices vobis ſalutes dirigere cupimus. et reliqua. obſecrantes piiſſimo Domino ut vos una cum culminis ſublimitatis veſtræ longa per tempora trina conſervet deitas, et quandoque terrena linquetis, ſuffragantibus ſanctis angelorum mereatis cœtibus glomerare, præcellentiſſime et inclite Domne.

Item alio.

XXV. Domino venerabile inluſtrique ſagaciſſimo, ſed inluſtriore ſanctitate & gratia Dei pollente, & ſacerdotale apice ſublimato, Domno illo ille alumus veſter ſalutem in Domino vobis præſumpſimus deſtinare. Supplicamus, Domne, gratiæ veſtræ ut nos pro mercede veſtra mom. inſtruere faciatis, & juxta veſtram bonam conſuetudinem, quod ſemper nos pie ut dulciter gubernare dignaſtis, ita & nunc agi non dedignemini, ut ad cumulum mercedis veſtræ perveniat. Et ſi ita agitis, maxima dona fratribus noſtris juxta ſolita bonitatis veſtræ. Iterum atque iterum quaſi ad præſens ante genua veſtra proſtrati precamur ut a cœpta gubernatione veſtra nos diſcedere nunquam patiatur,

Item alio.

XXVI. Reverendiſſimo confratri meo illo ille in Domino ſalutem. Cum enim longitudo terræ caritati illorum non queat evelli quos Chriſti connectit amor, deſiderans deſideravi literolas parvitatis meæ fraternitati tuæ dirigere, ut ſtatim quod præſens loquella conſpectui tuo loqui non valet, vel has apices tibi enarrent. Cupio valde quem recordor abſentem, ut cum quo mente ſum, cum eo etiam corpore ſim præſenti. Divinitas te ſervet per multos annos, parens & cuſtos Dei æterni, quem colimus, Jeſu Chriſti.

Donatio a die præſente.

XXVII. Sacroſanctæ baſilicæ ſancti illi monaſterio vel alio loco illo conſtructæ, ubi venerabilis vir ille Abbas vel Epiſcopus aut Presbyter cum ſuis Clericis vel monachis præeſſe videntur, ego ille cogitans Dei amore vel æterna retributione; ideoque cedo ad die præſente ad ſupradicta baſilica & monachis ibi conſiſtentes ceſſumque in perpetuum eſſe volo portiones meas in loco nuncupante illo, ſitas in pago illo, quæ mihi tam de alode quam de comparato vel de quocunque libet adtracto advenit vel advenire poteſt legibus in ſupra memorata loca, tam terris, domibus, ædificiis, mancipiis, libertis, accolabus, merita accolanorum, vineis, ſilvis, pratis, paſcuis, campis, cultis & incultis, aquis, aquarumque decurſibus, mobilibus & immobilibus, cum omnibus adjacentiis & appendiciis vel colonicis ad ſe pertinentibus, cum omni integritate vel ſuperpoſito, quicquid dici aut nominari poteſt, in ſupramemoratos pagos vel ubique de ſupradictas portionibus tenere viſus ſum, totum & ad integrum ad die præſente ad jam memorato monaſterio vel ad ipſos monachos ibi conſiſtentes perpetualiter trado atque transfundo, de meo jure in veſtra trado dominatione ad poſſidendum, ut quicquid exinde facere voluerint, liberam ac firmiſſimam in omnibus habeant poteſtatem a die præſenti faciendi. Si quis vero, quod fieri non credo, in futurum, ſi ego ipſe aut ullus de heredibus meis, aut ulla emiſſa vel oppoſita perſona, vel quislibet qui contra hanc ceſſionem meam, quam ego bona voluntate fieri & adfirmare rogavi, venire, agere, aut reſultare, vel per quibuſcunque modis repedire aut infrangere conaverit, nec hoc valeat vindicare quod repetit, & inſuper partibus ſupra memorato monaſterio vel monachis ibidem conſiſtentibus duplum tantum quantum ipſas res eo tempore emelioratas valuerint componat; & inſuper ſocio fiſco multa auri libra una coactus exſolvat, & hæc ceſſio omni tem-

tempore firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum loco illo.

Ad testamentum faciendum.

XXVIII. Regnante in perpetuum Domno nostro Jesu Christo. Anno illo illius Regis, sub die XII. Kalendarum illarum, feria illa, Indictione illa. Ego ille filius illius sana mente integroque consilio, metuens casus humanæ fragilitatis, testamentum meum condidi, quem illi scribendum commisi, ut quomodo dies legitimus post transitum meum advenerit, recognitis sigillis inciso lino, ut legis decrevit auctoritas, per inlustrem virum illum, quem in hac pagina testamenti nostro legatorio institui, gestis reipublicæ municipalibus titulis ejus prosecutionibus ab ipsis muniatur, & in archivis basilicæ sancti illi conservandum decrevi; ut quicquid unicuique de rebus meis propriis habere decrevi, singulariter in hoc testamentum meum inserere curavi. in reliquo vero qualescunque aut quæcunque epistulas aut testamenti vel conscriptionis de nomine meo manus meas firmatas ostensasque fuerint, & ante hoc testamentum prænotatas, quas hic non commemoravero, excepto de ingenuitates quas pro animæ meæ remedio fecimus aut adhuc facere volumus, vacuas permaneant; & quod unicuique per hoc testamentum dedero darique jussero, id ut faciat detur, præstetur, impleatur, te omnipotens Deus testem committo. Quapropter dum non habetur incognitum qualiter dispensante Deo ad habendum vel possidendum loca sanctorum illorum de rebus meis propriis delegavi in perpetuum ad possidendum, dedi quoque ad basilica illa portiones meas atque denominata, id sunt illa, quicquid in ipsa loca superius nominata habere videor, totum & ad integrum ad basilicas superius nominatas proficiat in augmentum. Illas vero cessiones quas ad libertos nostros illos ad eorum ingenuitates confirmandas fecimus, id sunt ille & ille, quando ipsos pro animæ nostræ remedium ingenuos dimisimus, ut dum advivunt hoc teneant & post eorum discessum cum omni superposito ad jamdicta Ecclesia sancti illius, ubi eis patrocinium & defensionem constituimus, revertere faciant. Volumus enim ut ingenuos quos fecimus aut in antea fecerimus, quanticunque in ipsa loca manent quod ad sancta Ecclesia illa delegavimus, inspecta eorum libertate super ipsas terras per ingenuos commanent, & aliubi commanendi nullam habeant potestatem, sed ad ipsa loca sancta debeant sperare, & nullus de ipsis lidemonio ad nostros heredes nullatenus reddant; & de hoc quod aliquibus eis per chartas dedimus, nullatenus aliubi vendere nec alienare habeant licentiam. Similiter donavimus donatumque in perpetuum esse volumus ad monasterium illum, ubi venerabilis Abbas ille præesse videtur, villas illas in pago illo cum omnibus adjacentiis vel appendiciis earum, quantumcunque ibidem tenere vel possidere videmur, per qualibet adtracto ad nos pervenit aut legibus venire debet, totum & ad integrum cum omni superposito a die præsente in honore sancti illius vel Abbati illi tradimus ad possidendum, cum domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, libertis tam ibidem oriundis quam aliunde translatis vel ibidem commanentibus, vineis, silvis, campis, terris cultis & incultis, pratis, aquis aquarumque decursibus, cum exio & regresso, omne genus pecodum tam majore, mobilibus & immobilibus, omnem rem inexquisitam, tam aurum quam argento vel reliquas fabricaturas, tam ministeria Ecclesiæ vel strumenta chartarum, libros vel vestimenta Ecclesiæ, vel omni præsidio quod mihi legibus vivens possidere videor & mihi redibetur, & quicquid dici aut nominari potest, totum & ad integrum ad jamdicto monasterio sancti illius proficiat ad augmentum, inspecto illud strumento quod antea ad jamdicto monasterio fecimus. Præter ista omnia reservamus in Falcidia heredibus nostris villas illas in pago illo, in ea ratione ut facta mea in omnibus studeant conservare atque defendere. Quod si hoc facere neglexerint, quicquid eis deputavimus perdant, & de omni corpore facultatis meæ penitus reddantur extranei. Et si aliquid comparavero, aut ex parentibus meis mihi obvenerit, vel adtraxero, vel per quolibet ingenio ad nos pervenerit, quod in ipso testamento supra non commemoravimus, post nostrum discessum casa sancti illius per rectores suos recipiat perpetualiter ad possidendum. Per præsentem testamentum basilicam sancti illius heredem meam instituo, & quicquid unicuique deputavi, fidei tuæ committo; quia hæc quod tibi deputavi malo te habere quam me, te magis quam ceteris heredibus ac proheredibus meis. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si aliquis heredum ac proheredum meorum, vel quislibet opposita persona præsentem testamentum meum infrangere conaverit vel tentare præsumpserit, in primis usque dum veram emendationem proinde corrigatur, Deo & sanctis suis habeat contrarios, & a liminibus Ecclesiarum efficiatur extraneus, & insuper inferat ei cui pulsaverit una cum socio fisco auro libras coactus exsolvat, & nihilominus præsens pagina firma permaneat, quam manu mea propria subter firmavi, & bonorum hominum signis vel allegationibus roborandam decrevi, stipulatione. Actum loco illo.

Item aliud testamentum ad locum sanctum.

XXIX. * * * * mansus & peculiare seu merita eorum, præter tantum illa & illa loca, ad legitimos heredes servo. In reliquo vero ego jamdictus ille quantum superius est infertum vel comprehensum, omnia & in omnibus, quicquid dici & nominari potest, ad suprascripto monasterio ejusque congregatione

tione in alimento seu in stipendia seu substantia pauperum ad die præsente dono, cedo, trado, atque transfundo, ut quicquid omnia supermemorata pars ipsius monasterii ejusque rectores facere elegerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem libero arbitrio. Licet vero in cessionibus minime est necesse pœnam inserere, sed tamen pro rei totius firmitate mihi complacuit intimare si fuerit, quod nec fieri credo, aut ego ipse, quod absit, aut aliquis de heredibus aut proheredibus meis, vel quislibet potens aut inferior vel emissa persona qui contra præsentem epistolam donationis, quam ego plena & devota voluntate fieri & adfirmare rogavi, venire aut eam infrangere tentaverit, aut aliqua calumnia aut repetitione vel refragatione insurgere aut opponere conatus fuerit aut præsumpserit, in primis tantum quantum ipsas res eo tempore melioratas valuerint, contra cui pulsatur seu partibus jamdicti monasterii componere & satisfacere adimpleatur, insuper una cum socio fisco aurum tantum coactus exsolvat, & sua repetitio nullo umquam tempore non obtineat effectum, & hæc donatio omni tempore inlibata permaneat, stipulatione subnixa. Actum in loco illo.

Confirmatio traditiobis ad monasterium.

XXX. Notitia locum traditionis qualiter vel quibus præsentibus, qui subter firmaverunt, ubi veniens homo alicus nomen ille vocatus monachus ad illas quod ille ante hos annos per suam epistolam donationis ad monasterio illo, quod est in honore sancti illius, ubi ille Abba una cum congregatione monachorum præesse videtur, jamdictus ille in villa illa qui vocatur illa, & ad præsens fuit, & per unamquamque villas & loca per singulas per portas & per ostia de ipsas villas vel de illas casas dominicatas jam præfatus ille ad Misso de ipso monasterio vel ipsius jamdicti Abbatis illius nomen ille, omnia quantum in illa epistola donationis est insertum vel comprehensum, in omnibus tradidit & consignavit & cum de ipsas res in omnibus vestrum & pillo & fistuca exinde in omnibus se exitum dixit & fecit. His præsentibus actum fuit.

Qualiter parentes filios suos offerant in monasteriis.

XXXI. Dum legaliter (1) sancitum antiquitus teneatur & cautum cum oblationibus Domino parentes suos tradere filios (2) in templo Domini feliciter servituros, proculdubio hoc de nostris filiis faciendum nobis salubriter præbetur exemplum. Æquum etenim judico creatori nostro de nobis reddere fructum. Idcirco hunc filium nostrum nomine ill, cum oblatione in manu atque petitione altaris palla manu mea involuta (3) ad nomina sanctorum quorum hic reliquiæ continentur, & Abbate præsente, trado coram testibus (4) regulariter permansurum, ita ut ab hac die non liceat illi collum de sub jugo regulæ excutere, sed magis ejusdem regulæ fideliter se cognoscat instituta servare & Domino cum ceteris gratanti animo militare. Et ut hæc nostra traditio inconvulsa permaneat, promitto cum jurejurando coram Deo & angelis ejus quia nunquam per me, nunquam per suspectam personam, nec quolibet modo per rerum mearum facultates aliquando egrediendi de monasterio tribuam occasionem. Et ut hæc petitio firma permaneat, manu mea eam subter firmavi. Isti sunt testes.

Pro-

---

(1) *Dum legaliter.*) Formula ista usus est Widilo quum filium suum Amblulfum offerret in monasterio Novaliciensi, tempore Caroli Magni. Erat etiam in usu in monasterio Cluniacensi, ut patet ex antiquis consuetudinibus ejusdem monasterii libro tertio capite octavo. Ea etiam usus est Pontius Comes Impuritanensis anno MLXIII. quum filium suum Petrum offerret in monasterio Sancti Petri Rodensis. Vide etiam formulas a Gallandio editas in tractatu de franco-alodio pag. 331.

(2) *Suos tradere filios.*) Homilia incerti auctoris in Dominica octava post Pentecosten in vetustissimo codice Ms. Ecclesiæ Lugdunensis: *Sunt multi in sancta Ecclesia qui ab ipsis infantiæ suæ cunabulis mancipantur Dei servitio, & omni tempore vitæ suæ immaculate Deo servire student, sive in monastico ordine, sive in canonico.* Istud a plerisque parentibus fiebat bona mente ac studio pietatis. Nonnulli tamen hoc instituto abutebantur ut familiam suam liberarent filiis inutilibus. Docet istud Udalricus in antiquioribus consuetudinibus monasterii Cluniacensis ad Willelmum Abbatem Hirsaugiensem: *Accedit aliquotiens admodum grata & jocunda memoria pollicitationis tuæ de cavendo ingenio quorundam hominum secularium, qui nimirum non magnopere curantes de alio quam de hac sola temporali vita, postquam domum habuerint, ut ita dicam, plenam filiorum & filiarum, aut si quis eorundem claudus erit aut mancus, surdastes aut cæcus, gibbosus aut leprosus, vel aliud quid hujusmodi quod eum aliquo modo seculo facit minus acceptum, hunc quidem impensissimo voto ut monachus fiat offerunt Deo.* Quod imitatum videtur ex Hieronymi epistola ad Demetriadem de virginitate servanda. *Solent*, inquit, *miseri parentes & non plenæ fidei Christiani deformes & aliquo membro debiles filias, quia dignos generos non inveniunt, virginitati tradere.*

(3) *Palla manu mea involuta.*) Vox *mea* redundat in hoc loco. Agitur enim illic de manu infantis oblati, quæ secundum regulam S. Benedicti pag. 59. debet involvi in palla altaris, id est, in illo velamine quo velatur altare, ut Hugo Menardus recte interpretatur in Notis ad concordiam regularum pag. 983. Certa autem est hæc lectio. Apud Gratianum tamen 21. q. 3. cap. 4. legitur *palleo* contra veterum librorum & Ivonis fidem. Ut mirum valde sit virum doctum Franciscum Alteserram in Notis ad Cresconium pag. 154. pravam lectionem prætulisse sinceræ.

(4) *Trado coram testibus.*) Vide Glabrum Rodulphum in vita Sancti Guillelmi Abbatis Divionensis cap. 2.

Promissio stabilitatis in monasterio.

XXXII. Ego ille initio conversationis meæ diligenter adtendens considero quod petitionibus meis primum non facilis concessus est introitus, sed diu mihi pulsanti vix hospitii locus est misericorditer adtributus; in quo per paucos dies demoratus, noviciorum sum domum progressus; in qua mihi dura & aspera primum a seniore sunt prædicata, & stabilitatis meæ promissio expetita, & ter in anno lecta atque tradita regula cum admonitione dicentis: Ecce lex sub qua militare vis. Si potes observare, ingredere. Si non potes, liber discede. Hoc ergo videns, ordinatissimum atque morosum mihi spatium adtributum dubitans aditum prætermisso ut me jam vestro corpori sociare dignemini humiliter deposco, Ego tamen hujus regulæ instituta Domino juvante servare promitto, & propter vitæ æternæ præmium coram Deo & angelis ejus humiliter militaturum subicio, ita ut ab hac die non mihi liceat collum de sub jugo excutere regulæ, quia sub annali optione aut excusare licuit aut suscipere, Et ut hæc professionis meæ petitio a vobis firmiter teneatur, ad nomina sanctorum quorum hic reliquiæ continentur & præsentis Abbatis ill. conscriptam trado in perpetuum habendam, & manu mea roboratam super altare repono perenniter reservandam.

Ego ille promitto stabilitatem (1) meam & conversionem morum meorum & obedientiam secundum regulam sancti Benedicti coram Deo & sanctis ejus,

Petitio quam ante votum monachi quislibet facere debet.

XXXIII. Domino venerabili in Christo patri illo Abbati de monasterio illo, qui est constructus in honore sancti illius, simul cum felici congregatione vestra, quam Dominus de diversis provinciis ad peregrinandum propter nomen suum sub jugo militiæ atque servitutis Christi atque ala protectionis secundum evangelium Christi regulariter vobis coadunavit. Igitur audivimus quod Dominus noster Jesus-Christus per evangelium suum adnuntiat dicens (2): *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest esse meus discipulus*. Et alibi (3): *Qui reliquerit patrem aut matrem, fratres aut sorores, domus aut agros, & cetera propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*. Petimus ergo beatitudinem caritatis vestræ ut nos in ordine congregationis vestræ dignemini recipere, ut ibidem diebus vitæ nostræ sub regula beati Benedicti vivere & conversare debeamus, quatenus suave jugum Christi & onus ejus leve sentiamus. Igitur nostra fuit petitio & vestra decrevit voluntas id ipsum implere quod ita fecistis. Abrenuntiamus ergo omnibus voluntatibus nostris propriis, ut Dei sola voluntas fiat in nobis, & omnibus rebus quas possidemus, sicut evangelica & regularis traditio edocet. Nihil rebus terrenis ab hac die possessuros nos spondimus, nisi quantum a patre monasterii donante aut permittente alimenta aut tegumenta corporis acceperimus. Obedientiam vobis, in quantum vires suppetunt, & Dominus dederit nobis adjutorium, conservare promittimus. Stabilitatem conversationis nostræ in congregatione vestra teste Domino devoto animo cum observatione regulæ usque in finem profitemur servare, nisi tantum, quia ignoramus futura, si fortasse causa utilitatis animæ accedat ut per vestrum comiatum discedamus, aut etiam illud si contra voluntates nostras, quod absit, separemur a principibus vel a barbaris; & ipsum si fuerit factum, in quantum possumus, semper ad ipsam congregationem revertere faciamus, & sub sancto ordine perseveremus. in reliquo vero per nullum ingenium de prædicta congregatione vestra vel jugo sanctæ regulæ seu de potestate obedientiæ vestræ nullam habeamus licentiam nos abstrahendi aut contradicendi. Quod si instigante antiquo hoste aut voluntate nostra propria hoc facere tentaverimus, in nullis modis hoc vindicare valeamus, sed ubicumque nos Missus vester aut aliquis ex congregatione vestra invenerit, etiam nobis nolentibus, in ipsa vestra sancta congregatione Deo auxiliante per vosmetipsos faciatis revocare & secundum regulam ibidem nos dijudicare, ut diebus vitæ nostræ sub divina regula & regimine vestro perseveremus; qualiter in die judicii ante tribunal æterni judicis ipso adjuvante salvos nos repræsentare possitis. Et quicunque contra hanc petitionem, quam nos bona voluntate scribere rogavimus & subter firmavimus, per quemlibet modum agere aut infrangere voluerit, in primis sciat se a Deo damnandum, quem irritat, & insuper secundum canonicam institutionem a communione omnium fratrum sit extraneus usquequo de hac causa ad veram emendationem perveniat. Manus nostræ subscriptione ad honorem Domni & patroni nostri sancti illius hanc petitionem volumus roborare.

Ipsa promissio.

XXXIV. Ego ille, Domne Abba ille, obedientiam vobis secundum regulam sancti Benedicti, juxta quod in ista petitione continetur, quam super istud altare posui, coram Deo & sanctis ejus, in quantum mihi ipse Deus dederit adjutorium, Deo & vobis promitto custodire, & in quo possum ipso auxiliante conservo. Amen.

(1) *Promitto stabilitatem.*) Vide S. Gregorium lib. 1. epistola 40. & Menardi Notas ad Concordiam regularum pag. 940. 975. 1005.

(2) Luc. 14.

(3) Matth. 19.

Exemplar promissionis sicut solebant antiqui monachi regulam promittere.

XXXV. In nomine Domini. Promitto me ego ille in sacro monasterio beati martyris sive confessoris illius secundum instituta beati Benedicti coram Deo & sanctis angelis ejus, præsente etiam Abbate (1) nostro illo, omnibus diebus meis in hoc sancto monasterio amodo & deinceps perseveraturum & in omni obedientia, quodcunque mihi præceptum fuerit, obediturum. Ego ille hanc promissionem a me factam manu propria coram testibus scripsi & roboravi.

Indiculus pro monacho qui fugerit de monasterio (2).

XXXVI. Domino illi ille. Suggerentes sanctitati vestræ, certi de vobis quia veritatem animosa pietas non recusat, nec fides recta aliquando patitur quamcumque jacturam. De cetero cognoscatis quod noster frater ille, qui in monasterio nobiscum fuit nutritus, tonsuratusque est, obedientiam coram Deo & sanctis ejus ac stabilitatem promisit, atque in nostra clericatus officio ipse ordinatus est, hoc ipsum oblitus discessit a nobis & rediit post satanam, sicut reverti solet canis ad vomitum suum (3), & sus lota in volutabro luti, & nunc honorem seculi diligens, divitiis ac terrenis rebus sectans, vobiscum degens. Vos tamen scitis quicquid sacrum divina lumina verbis eloquio sensuque docent, quod nemo mittit manum in aratro, aspiciens retro, aptus est regno Dei. Nec vobis latet quid facere canones de hac re commendent, vel regula atque tractatores sancti exposuerunt. Hæc enim vos cuncta relegentes, memoriter retinetis quod animo sitienti bibistis. Nam sancta synodus Nicæna (4) ordinat ut siquis in monasterio nutritus usque ad summum studium fuerit, & postmodum discesserit, nisi revertatur, desertoris crimine damnetur. Et iterum (5): *Si quis susceperit monachum alienum, ambo excommunicandi sunt.* Canones vero Chalcedonenses ita præcipiunt, ut monachus in oratione & jejunio permaneat in loco in quo renuntiavit seculo. Deserentem vero excommunicatum esse decreverunt. Canones autem Agathenses ita pronuntiant (6); *Monachum nisi per Abbatis sui permissum ad alterum monasterium migrantem nullus tenere præsumat.* Canones vero Augustidunenses (7) ita statuunt, ut nullus monachum alterius absque permisso Abbatis sui præsumat retinere. Regula namque sancti Benedicti, quam ipse promisit in omnibus custodire, ita edisserat (8): *Sciens se lege regulæ constitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi de monasterio nec collum excutere de sub jugo regulæ.* Et paulo post: *Nec ex illa die proprii corporis potestatem se habiturum sciat.* Quid multa replicem? Vos sensibus doctis utimini. Nec mihi pluribus verbis opus est vobis scribere. Quæcunque enim a me potuerunt dici, hæc jam divina gratia vobis contulit. Oportet namque ut doctrinæ jungatur vita fidelis. Agnosci gravius non observanda nocebit. Vos autem secundum datam a Deo vobis sapientiam facite eum ad locum unde exivit reverti, ut agat pœnitentiam. Scientes autem quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, & operit multitudinem peccatorum. Nec vobis decet hominem perverso ambulantem secundum desideria cordis sui auxilium præstare ut magis ac magis eat in interitum. Sed auferte malum ex vobis: quia qui tangit picem, conquinabitur ab ea. Et nec abscondere potest homo ignem in sinu suo ut vestimenta illius non ardeant, aut ambulare super prunas ut non comburentur plantæ ejus; sic qui consenserit iniquitatem non erit mundus. Isti, qui excommunicatus est, nolite ei communicare, ne bonorum vestrorum præmia amittatis; sed cum sanctis patribus, qui hujuscemodi hominem excommunicaverunt, partem habere mereatis. Et ubicunque fuerit, Abbati suo auctoritate canonum revocetur. Canon Chalcedonensis (9): *Non*

---

(1) *Præsente Abbate.*) Sanctus Bernardus epistola 7. cap. 17. *Item notum est solemniter ac regulariter profiteri quemque in præsentia Abbatis. In præsentia ergo tantum, non etiam ad nutum ipsius fit cujusque professio. Testis proinde adhibetur Abbas, non dictator professionis, adjutor non fraudator adimpletionis, vindex non auctor prævaricationis.*

(2) De monachis fugitivis vide supra lib. 5. Capitularium cap. 379. & lib. 6. cap. 108. Vide etiam Hugonis Menardi Notas ad Concordiam regularum pag. 580. 961. 978. 1010. & Flodoardum lib. 3. cap. 24.

(3) *Canis ad vomitum suum.*) In regula Sancti Ferreoli cap. 20. monacho dicitur vagari eum non decere, *ne in quocunque vitio captus seculi delectatione elabatur ut redeat ad vomitum suum.* Regula monastica communis Sancti Fructuosi cap. 18. *Comperimus per minus cauta monasteria, qui cum facultatulis suis ingressi sunt, postea tepefactos, cum grandi exprobratione repetere, & seculum, quod reliquerant, ut canes ad vomitum revocare.* Memorabilis est historia cujusdam monachi Cenomanensis ad secularem conversationem redeuntis sub imperio Caroli Calvi, quam reperi in vetustissimo codice Ms. Bibliothecæ Colbertinæ, dignam profecto quæ a nobis ederetur in appendice actorum veterum. Continet enim multa notatu dignissima.

(4) *Synodus Nicæna.*) Certum est Nicænam synodum nihil statuisse de monachis fugitivis. Sed tum, quicquid certum ac perpetuum esse vellent, ad eam synodum referebant; veluti observatum est de precariis, quas in eadem synodo decretas esse docet vetus codex bibliothecæ Tellierianæ. Extant præterea alia exempla hujus moris.

(5) Concil. Chalced. c. 4.

(6) Concil. Agat. c. 27.

(7) Canones S. Leodegarii cap. 10.

(8) Regula S. Bened. c. 58.

(9) Concil. Chalced. c. 2.

Non liceat Clericum conscribi simul in duabus Ecclesiis, & in qua ordinatus est, & ad quam profugit quasi ad potiorem, ob inanis gloriæ cupiditatem. Hoc autem facientes revocari debere ad Ecclesiam in qua primitus ordinati sunt, & ibi tantummodo ministrare. Eos vero qui ausi fuerunt ex his quæ sunt probibita perpetrare, a proprio gradu recedant. Et ne quis Clericus qui derelicta Ecclesia sua, nulla causa existente probabile, vagatur, per alias Ecclesias suscipiatur in communionem. Canon Aurelianensis (1). Ministri in quibuscunque locis ordinati fuerint, pervagati, ubicunque inventi fuerint, cum auxilio Episcopi tanquam fugaces sub custodia revocentur. (2) Et reum se ille Abbas futurum esse cognoscat qui hujusmodi personas non regulari animadversione distrinxerit, vel qui monachum suscepit alienum.

Qui monasterium in proprio ædificat, qualiter chartam faciat,

XXXVII. Antiqua legum auctoritas & Principum decreta sanxerunt ut unusquisque, dum manet in corpore, de propria quam possidet facultate voluntatem suam literis inferat, ut perennis temporibus inviolata permaneat. Quapropter dum non habetur incognitum qualiter ego ille una cum consensu Galliarum Pontificum in re mea propria, quæ ex successione parentum meorum mihi obvenit, monasterium in honore sancti illius ædificavi in loco nuncupante illo, in pago illo, in fine illa, & constituimus ibi Abbatem nomine illum, qui ibidem sanctum ordinem Deo auxiliante gubernare faciat & suis monachis ibi constituat, & per ejus ordinationem ipse sanctus ordo perpetualiter sit institutus & conservatus. Propterea donamus & donatum in perpetuum esse volumus ad jam nominato monasterio sancti illius vel ad Abbate illo ipsum locum ubi ipse monasterius est constructus, cum omnibus adjacentiis & appendiciis suis & locella seu colonicis in villas illas in pago illo. Ista omnia quæ superius memoravimus, cum omnibus adjacentiis vel appendiciis eorum, quantumcunque ibidem tenere vel possidere videmur per quolibet adtracto, totum & ad integrum cum omni suprapofito ad die præsenti in honore sancti illius pro remedium animæ meæ vel æterna salute dedimus, cum domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, libertis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, strumenta chartarum, libris, vel vestimenta, seu ministeria Ecclesiæ, mobilibus & immobilibus, omnem rem inexquisitam, quicquid dici aut nominari potest, totum & ad integrum ad suprascripto monasterio vel jam dicto Abbati cum monachis suis perpetualiter protegente Domino tradimus ad possidendum. Et dum omnes Præsules & nobiles personæ agnoscunt & comprovincialibus nostris cognitum est quod ego ille in mea re propria jam nominatum monasterium ædificavi vel cœnobiolo sancto ibi constitui propter Deum, vel quicquid exinde facere volo, præsenti tempore in omnibus mihi maneat libera potestas, propterea per præsenrem paginam cum consensu supra memoratorum Pontificum constituo ut nullus Episcopus alius civitatis, aut Archidiaconus, vel quilibet ex clero, aut actores Ecclesiæ, nullum ibidem præsumant exercere dominatum, non ad mansionaticos aut repastos exigendo, non ad ministeria describendo, non ad Abbatem mittendo. Cum vero necesse fuerit chrisma petere, tabulas aut altaria consecrare, sacris ordinibus benedici, Abbas vel monachi ibidem consistentes, a quocunque de sanctis Episcopis sibi elegerint qui hoc agere debeat, licentia sit eis expetere, & illi hoc benedicere vel consecrare. Si vero caritate exigente Pontifex quilibet ab Abbate loci illius ibi fuerit invitatus, simpliciter quæ ei a fratribus offeruntur accipiat, nulla exenia vel munuscula amplius eis quærat, neque de omnibus rebus ipsius monasterii nullam habeat potestatem. Cum vero Abbas ipsius loci acceperit transitum, quemcunque de semetipsis monachi ibidem habitantes secundum regulam sancti Benedicti meliorem invenerint, ipsum Abbatem ibidem constituant. Quod si ipsi de seipsis talem non invenerint, cum communi consilio illi sanciores monachi aliunde regularem Abbatem, qui eos sub regula sancti Benedicti regat, elegendum in eorum maneat potestate. Quod vero Deus avertat, ne ibi sanctus ordo tepescat, & ipse Abbas hoc emendare non prævalet aut negligit, potestas maneatur ipsis monachis ubicunque in propriis monasteriis rectius & sanctius secundum regulam sancti Benedicti invenerint, expetere, & per eorum salubre consilium ipsum sanctum ordinem regulariter emendare. Quod si Pontifex vel aliquis ex ecclesiasticis ministeriis quislibet vel aliqua emissa persona contra ipsum Abbatem vel ejus congregationem de supradictis ordinibus vel benedictionibus vel de rebus meis propriis monasterii per qualecunque strumento aut quocunque modo ad ipsam casam fuit vel inantea fuerit delegatum, additum, commutatum, vel concessum, vel quicquid ad ipsum monasterium vel ad eorum homines pertinet, aliquid calumniare aut inquietare vel per quodlibet ingenium minuare tentaverit, a glorioso Domno, quem tunc Deus regnum Burgondiæ gubernare permiserit, hoc protinus emendetur. Precor igitur glorioso Domno qui est temporibus modernis, & futuris successoribus Deus regnum Burgundiæ gubernare permiserit, & per Dei tremendum judicium ad-

(1) Conc. Aurelian. I. c. 2. (2) Concil Agath. c. 27.

adjurare præsumo ut præsentem paginam vel facta mea ex jamdicto cœnobiolo meo sua fortitudo contra omnem adversitatem pro mercede sua post Deum jubeat defensare atque solidum in omnibus custodire, ut nullatenus ab infestatione malorum hominum possit inrumpi, sed delectet ibidem Abbati vel sacerdotibus seu monachis ibidem consistentibus pro vita ipsius & filiorum ejus vel exercitu & omni populo catholico quieto ordine Dominum supplicare. Si quis vero.

Qualiter privilegium condatur.

XXXVIII. Dominis apostolicis præsentibus temporibus & futuris, quicunque sub fide catholica pastorali sectantur officia, ille Episcopus Christi humilis. Opportunum est etiam ut Deum timentes propter ventura futuraque judicia diligentibus Deum bonum operare, quatenus qui Pontifex vocatur in populo, timentibus Deum succurrat affectus; ut qui seculum calcant & Christo servire desiderant, per consensum pastoris quieti ab omnibus infestationibus vivant. Quapropter dum non habetur incognitum qualiter monasterio in pago illo, qui dicitur ille, quem illuster vir ille in alode proprio construxit, & pro totius defensionis studio per suam epistolam ad præcellentissimum Domnum Regem Burgundiæ ipsum monasterium aspicere decrevit, ut communis mercis illius pro fundamento & regale clementia pro defensionis auxilio crescat apud Deum, & nobis jamdicto Domno glorioso Regi illo opportunum est petere ut privilegium monachis ibidem habitantibus deberemus largire, ob hoc maxime quia solet contingere ut morientibus religiosis Episcopis, pastoralem locum suscipiant seculares, & res quæ pauperibus fuerunt condonatæ magis per gasindos quam per sacerdotes dispergantur, & ecclesiastica vita neglecta conlata bonorum magis per venatores & canes &, quod est gravius, per meretrices expendantur, vel religionis norma distructa levitate laicorum secularia injuste consentiantur, & per eorum iniqua consilia monachorum vitam conturbare præsumant. Propterea ergo ab hac parte semper Christo propitio directore dirigentes communi voluntate ille Episcopus & ceteri consensimus ut in eis privilegium claro animo confirmaremus. Statuentes ergo jubemus sub testimonium sanctæ Trinitatis & pretium sanguinis Christi coram Deo & angelis atque archangelis ut de prædicto monasterio illo vel quicquid ibidem tam regio munere quam privatorum vel quibuslibet rebus atque corporibus est conlatum aut inantea conlatum fuerit, ut nullam exinde Episcopus civitatis illius habeat potestatem, neque Archidiaconus illius vel ministri & actores Ecclesiæ, aut quilibet ex clero in rebus prædicti monasterii nullum præsumat habere principatum in nullam omnino rem quod dici aut nominari potest, non pro pasto exactandum, non pro mansionaticos requirendum, non pro totius omnino re repetendo, non pro Abbatem constituendo, non pro ministeria discribendo, non pro altaria aut tabulas consecrando, non pro sacros ordines dedicando, illius civitatis Episcopus nullum ibidem præsumat habere accessum, nisi fortasse per communem consensum Abbas vel ipsa congregatio eum caritatis gratia pro sanctæ vitæ meritis crediderit evocandum. Et si fortasse ab eis fuerit evocatus, non hoc in consuetudine vertat, nec munera exinde requirat, sed simpliciter quæ a fratribus sibi fuerint oblata; & expleto caritatis officio, ad propria, sicut de reliqua Regis domo, cum pace discedat; quia dignum est ut quod Rex hujus seculi cum suis proceribus pro commune salute voluit esse constructum, sub integro privilegio sit in perpetuum a calumniandi occasionibus conservatum. Confirmamus igitur jure perpetuo ut cum Abbas ipsius cœnobii de hac vita migraverit, quemcunque sibi monachi ibidem habitantes secundum Deum elegerint, absque ullo arbitrio civitatis ipsius antestitis ipsi sibi monachi pastorem instituant, qui eorum sacrum ordinem instanter adtendat. Cum vero fuerit opportunum Ecclesiam dedicare, aut sacros ordines benedici, vel tabulas consecrare, quemcunque de religiosis Episcopis Abbas ipse vel monachi sibi voluerint invocare, in eorum maneat potestate. Et si, quod absit, ibi ordo sanctus tepescat, & Abbas monasterii hoc per se emendare neglexerit, aut etiam ipse cum monachis statuta regularia servare contempserit, etiamsi vix pauci videantur de monachis quorum religio in Christo proficiat, potestas illis maneat quemcumque sibi elegerint de proximis monasteriis quem rectius & sanctius secundum regulam sancti Benedicti invenerint expetere, ut eorum salubri consilio studeant sanctum ordinem revocare. Statuimus etiam mulierum accessus intra portas monasterii nullatenus fiat. Si quis itaque constitutionem præsentem pro quocunque conludio mutare conaverit, reus omnipotenti Deo effectus a pace Christianorum omnium habeatur extraneus, & indissolubili anathematis vinculo vinctus sortem damnationis Judæ proditoris incurrat. Quod privilegium ut in perpetuo tempore conservetur, stipulatione subnixa, manu propria.

In Dei nomine. Incipit epistola quæ formata dicitur sive commendatitia (1).

XXXIX. Reverentissimo atque religiosissimo & a nobis cum summa veneratione nuncupando illi Episcopo ego ille extremus sub pontificali officio Deo famulantium perpetuam

(1) Post editam a nobis hanc formulam deprehendimus eam a Francisco Pithœo publicatam fuisse in glossario ad Julianum Antecessorem in verbo *commendatoriæ*.

tuam in Domino Jesu opto salutem. ΠΥΑ. ΤΑ ΑΑΑΙ. DLXXV. Præsens frater noster ille petiit ab extremitate nostra licentiam ad vestram almitatem proficiscendi atque vobiscum sive cum vestris habitandi. Cui & nos benivola mente & fraterno affectu, non solum ei copiam ad vos veniendi non negavimus, verum etiam ut a vobis sive a vestris gratifice suscipiatur exposcimus. Et si vobis placuerit ut aut in gradu quem modo tenet sacris altaribus ministret, aut ad altiorem gradum promoveatur, nostro sive nostrorum testimonio suscepto, id ei facere liceat; quippe qui nihil in eo tale noverimus quo id faciendi ei licentia denegetur. Bene namque in Ecclesia in qua hactenus fuit educatus, bene conversatus, hoc nobis de se sive de sua vita ostendit, ut, in quantum humana fragilitas scire potest, administratione sacrorum ministeriorum non sit indignus. Nos itaque, ut homines divini sensus inscii, & arcanorum ignari, præbemus de fratre quale scimus testimonium. Deus est enim quem occulta non fallunt, & qui omnium secreta rimatur, juxta illud (1): *Homo videt in facie, Deus autem in corde.* Has ergo litterulas ideo illi petere & nobis facere libuit ut ille non solum pro profugo aut abjecto non habeatur, verum etiam nostræ humanitatis & caritatis commendatione, a vestra fraternitate libentissime suscipiatur. ΑΜΗΝ. XCVIII. Salus æterna, quæ Christus est, & in hoc præsenti tempore vobis longævam salutem & in futuro cum sanctis & electis sempiternam largiri dignetur. Amen. DCXCIV.

Item alia.

XL. In nomine Patris Π & Filii Υ & Spiritus sancti Α. Ille Episcopus venerabilibus Præsulibus illis carissimis nobis patribus & confratribus pacem omnem & salutem sempiternam. Audientes præsentem Ecclesiæ nostræ filium illum, in eadem quoque natum, nutritum, atque eruditum, & usque in presbyterii dignitatem a nostro prædecessore provectum, vobis vestræque Ecclesiæ necessarium esse & utilem, mutua caritate & fraterna compassione destinamus eum vestræ paternitati, ut in omnibus, sicut ex vestris uno, illo quoque utamini in Christo, hoc scientes, quia nullius malæ famæ apud nos usque nunc fuit, vita honestus, moribus simplex. Scientia quidem non extollitur a nobis: quia nec potest Homerica, sed, ut ita dicamus, ut in pluribus non civilibus sed exterioribus vulgo egonica. Et quia non divisa sed unica est Ecclesia Christi, non multiformis, sed concors, inter nos etiam quædam familiaritas præ aliis familiaritatibus animata, decet omnino ut & vos utamini nostris ut vestris, & nos vestris ut nostris. Hæc omnia invicem agamus in Christo Jesu Domino nostro. Et ut hæ nostræ humilitatis litteræ de præfato fratre vestræ caritati missæ non fictæ, sed fixæ, non ventosæ, sed firmæ comperiri valeant, Græcos apices, quos ecclesiasticus mos in hujusmodi rebus agendis decrevit, constituit, & obtinuit, subter addere cum numeris ad se pertinentibus curiose decrevimus, hoc est, primos quos jam superius posuimus Patris Π, Filii Υ, Spiritus sancti Α, qui exprimunt numerum octogenarium quadringentesimum & primum, Petri quoque Apostolorum principis primam Π qui habet numerum, ut jam dictum est, octogenarium. Nostri quoque nominis primam, vestri secundam, accipientis tertiam, nostræ quoque civitatis, de qua scribitur, quartam, & vestræ, ad quam scribitur, quintam, Indictionis quoque præsentis anni numerum, & summam utriusque numeri. Addidimus præterea seorsum in conclusione epistolæ universa præfata, claudentes nonagenarium & nonum numerum, qui secundum Græca elementa significat. Orate pro nobis orantibus pro vobis. Amen.

Item adhuc alia.

XLI. Clarissimo in Christo atque sanctissimo fratri illo Episcopo itemque ille indignus Archiepiscopus in Domino salutem optat. Præsens denique Presbyter ille nomine ad nostram confugit exiguitatem, nobis rememorans qualiter anceffor noster Domnus Joseph (2) eum ordinavit per deprecationem Fredegisi Abbatis (3) in titulo sancti Martini in villa quæ dicitur illa, & recordans quod nos in ipso die suæ ordinationis eum inquisivimus. Ideo ad vestram misimus ipsum prudentiam, ut in vestra illi licitum sit suum peragere parrochia officium. Et ut certius credatis a nobis ipsum ordinatum, hanc epistolam, quam formatam dicimus, concludimus eo tenore ut credimus a sanctis patribus constitutum esse, id est, primam litteram Patris & Filii & Spiritus sancti, ut in nomine ipsius condita conservetur. Item primam litteram Petri ponimus, qui primus Apostolorum fuit, quæ, ut transtulimus, LXXX. significat. Ponimus ad nostrorum nominum litteras loci quamvis diversorum ordine tamen ut constitutum est, id est, me indignum primam litteram, vestri gloriosi secundam, tertiam civitatis nostræ de qua mittitur, quartam vestræ urbis ad quam mittimus. Addidimus Indictionem quæ est. ΑΜΗΝ. quod nonagenarium nonum numerum exprimit. Valete in Domino.

Item

(1) 1. Reg. 16.
(2) *Joseph.*) Archiepiscopus Turonensis; de quo hæc leguntur in vita Alcuini sub finem: *Testatus est siquidem Joseph Archiepiscopus per totam noctem & ab eo & a suis visum fuisse.* Et paulo post: *Audiens vero civitatis Turonis Joseph Episcopus, vir bonus & Deo amabilis, beatum obiisse Alchuinum, advenit celerius illuc cum suo clero.*
(3) *Fredegisi Abbatis.*) Sancti Martini Turonensis, de quo vide Notas ad Agobardum.

Item adhuc alia.

XLII. Reverentissimo almifluæque religionis cultu sinceristimo sanctæ illius sedis Archiepiscopo vel Episcopo Adventius reverendæ Mettensis Ecclesiæ ac plebis ipsius humilis famulus in Christo pastorum principe mansuram cum gaudio prosperitatis & perpetuitatis gloriam. Decreta sanctorum CCCXVIII. patrum Nicæa constitutorum saluberrima servantes, Deo dignam piamque fraternitatem vestram canonice aggredimur, & sub nomine formatæ epistolæ reverenter vestram sanctitatem adimus, vobis videlicet intimando quia præsenti Presbytero vel Diacono seu Subdiacono nomine ill. has dimissorias dedimus litteras, quem in nostra diocesi ecclesiastice educatum de ordine clericatus ad illum proveximus gradum, ut his canonicis munitis apicibus, cum nostra licentia ei in vestra parrochia sub defensione ac regimine vestræ caræ dilectionis degere liceat, & ut eum, si morum probitas & doctrinæ dignitas suppetit, ad ecclesiasticos ordines promoveatis fideliter annuimus, & in sinu sanctæ matris Ecclesiæ canonice fovendum ac regendum committimus. Hanc ergo epistolam Græcis litteris hinc inde munire decrevimus, & anulo Ecclesiæ nostræ bullare censuimus. Christus pastorum princeps fraternitatem vestram ad custodiam sui gregis diu nobis conservet incolumem. Amen.

Exemplar libertatis.

XLIII. Auctoritas ecclesiastica patenter ammonet, insuper & majestas regia catholicæ religioni assensum præbet, ut quemcunque ad sacros ordines ex familia propria promovere Ecclesia quæque delegerit, in præsentia Sacerdotum, Canonicorum simul & nobilium laicorum, ejus cui subjectus est subscriptione vel manumissione sub libertatis testamento solemniter roboretur. Idcirco ego Adventius annuente Christo sanctæ Mettensis Ecclesiæ Episcopus quendam Ecclesiæ nostræ famulum nomen ill. sacris ordinibus oblatum ad altaris cornu nobilium virorum in præsentia per hoc auctoritatis testamentum statuo, ita ut ab hodierno die & tempore bene ingenuus atque ab omni servitutis vinculo securus permaneat, tanquam si ab ingenuis fuisset parentibus procreatus vel natus, eandemque pergat partem quamcunque volens canonice elegerit, ita ut deinceps nec nobis neque successoribus nostris ullum debeat noxiæ conditionis servitium. Sed omnibus diebus vitæ suæ sub certa plenissimaque ingenuitate, sicut alii cives Romani, per hunc manumissionis atque ingenuitatis titulum bene semper ingenuus atque securus existat. Suum vero peculiare quod habet, aut quod abhinc assequi poterit, faciat inde secundum canonicam auctoritatem libere quicquid voluerit. Et ut hæc ingenuitatis pagina inviolabilem obtineat firmitatem, manu propria illam roboravimus.

ALIÆ FORMULÆ VETERES

A BALUZIO EDITÆ.

.... Nascuntur per hanc occasionem non perdant. Ob hoc igitur ego ille, & conjux mea illa commanens orbe Arvernis, in pago illo, in villa illa. Dum non ést incognitum, qualiter chartolas nostras per hostilitatem Francorum in ipsa villa illa manso nostro, ubi visi sumus manere, ibidem perdimus, & petimus vel cognitum faciemus, ut quit per ipsas stromentas & tempora habere noscuntur possessio nostra per hanc occasionem nostrorum pater inter epistolas illas de mansos in ipsa villa illa, de qua ipso attraximus in integrum ut & vindedit ista omnia superius conscripta vel quod memorare minime possimus judicibus brevis nostris spondiis incolcacionibus vel alias stromentas tam nostras quam & qui nobis commendatas fuerunt hoc inter ipsas villas suprascriptas vel de ipsas turbas ibidem perdimus & petimus ut hanc contestatiuncula seu plancturia per hanc cartolas in nostro nomine collegere vel adfirmare deberemus. Quo ita & fecimus ista principium Honorio & Theodosio Consilibus eorum ab hostio sancto illo castro Claremunte per triduum habendi vel custodivimus seu in mercato publico in quo ordo curiæ duxerunt aut regalis vel manuensis vester aut personarum ipsius castri, ut cum hanc contestatiuncula, seu plancturia juxta legum consuetudinem in præsentia vestra relata fuerit, nostris subscriptionibus signaculis subroborare faciatis, ut quocumque perdiciones nostras de supra scripta per vestra adfirmatione justa auctoritas remedia consequatur, ut nostra firmitas legum auctoritas revocent in propinquietas.

Gesta.

Unde ego te vir laudabilis illu. defensore meo necnon & vos honoratique cartas publicas agitis assidue oportet me curiæ in hoc contestatiuncula, seu plancturia per triduum partibus foris pupblicis apensa vestris subscriptionibus vel signaculis subter faciatis adfirmare, ut quomodo mihi necessarium fuerit cau-

causella mea aut in præsentia dominorum vel judicibus adversariorum meorum revocent in proquietas, per hocque contra hanc contestatiuncula, seu planċturia deponere percuravimus, ut quando volueritis & malueritis vel mihi necessarium fuerit, ut mos est, gestis municipalibus eam faciatis ablegare cum petitiones nostras, maximas vobis ex hoc gratias agere valeamus.

Mandato.

Mox injunxit antiqua, principium jura decreta sanxerunt ut quicquid causas per inpigritia census aut femina sexus, vel corporamentisque fragilitatis res suas suorumque suarum gubernare minime possit cura electorum permittuntur. Ego illa femina dilectissimus filius meus illius & illius, rogo & injungo vel suplico gratias vestras, ut de omnis causas meas vel negotiis meis, vel quicquid de alode parentorum meorum aut de atracto aut unde meæ consotium suppetit, aut adversus me altercatio orta fuerit quicquo de heredibus meis dicit aut numerari potest vos damus & procuratoribus de omnes causas meas vel facultates meas tam terras seu & mancipia vel alias res meas quicquit dinumerare longum est tam in præsentia dominorum aut in quibuscunque provinciis, sive eante Comitibus vel judiciaria potestate. Adsupta mea vice elegi & proponat aut quicquid in hac parte ex causa veritatis aut definieritis egeris gesseris veraci confirmatũ adque finita in contra esse pubplicar. Sane si quis ego ipse aut ullus.

Hic habet gesta.

Arvernis aput vir laudabile illo defensore vel curia pubplica ipsius civitatis illa femina ait quæso vobis optime defensor vel cura publica ipsius civitatis ut tu mihi quod dicis pubplicis prosequere præcipiatis ab eoque gestarum alegacio cupio roborare memoratus defensore dixit, Pateant tibi quod dicis per pubplicas quæ obtas quia illa femina per hanc mandatum mihi injunxit ut propter sollemnitatem lex scripturas adfirmatum ut a duobus arseri deberim & hæc mandatum quæ in filius suus illus & illu ut sumpta sua vice cosscribere vel adfirmare rogaverunt de omnes causas suas sunt quod rectius superior abeatur scriptum gestis municipalibus adligare adque firmare deberet. Jam dictus defensor & ordo curiæ dixerunt: ediec mandatum adferas debere nobis ostendit ad relegendum. Tunc unus ex Notariis ipso mandato in publico recitavit. Præfatus defensor dixit: Hæc gesta quomodo est scripta nostros manibus roborata, quicquit exinde dicere vel numerare res illa aut nihil aliut ago hæc gesta quomodo est scripta vestris roborata mihi sine mora tradatur. Ille defensor cum suis curialibus vel subscriptionibus manibus ipsa gesta tradiderunt vel consignaverunt.

Libertas.

In Dei nomine. Ego ille metuens casum fragilitatis, & dum fragilitas humanum genus pertimescit, ultimum vitæ temporibus ventura oportet ut non inveniat unumquemque imparatum ne sine aliquis operis bonum respectum nisi homo dum suum jure & potestatem præpararet sibi viam salutis per quem ad æternam beatitudinem valeat pervenire. Propterea vindictam habuit liberare ancilla mea nomen illa una cum fantes suos illus & illus, quem de alode visi sumus habere, de omni jugo servitutis meis pro peccatis meis minuandis ipsus præcipimus esse bene ingenuus, & absolutus in pubplico, nam non in secreto, Arvernis civitatis, domum matris Ecclesiæ sancto illo, ubi Christi nomen ille Episcopus Pontifex tunc tempore præesse dignoscitur, ante cornu altaris, in præsentia, presbiteris, diaconibus, clericis, vel in præsentia plurimarum personarum qui ipsa manopa subter firmaverunt, de jugum servituris meis pro peccatis meis minuandis, sicut jam diximus, quicquid persona aut religiosi deorum mancipia data libertate conferre voluerit, secundum legem Romanam hoc facere potest, idest, Latina dolitia, & cives Romana, meliore statum habet testamentum condere testimonium perhibere, emere, vindere, donare, commutare habeat potestatem sicut & alii cives Romani, ut nullum nulle vel heredum ac proheredum nihil debeant servitio nec letimonium nec onus patronati nec nulla obedientia ipsius non requiratur, nisi eant & maneant ubicumque voluerint, portæ apertæ, cives Romanæ se esse cognoscant. Defensionem vero tam Ecclesia vel omnẽ dium timentium ubicumque experire voluerint, licentiæ tribuimus ad faciendum in omnibus quicquid voluerint. Et si de ipsus aliquit generatum fuerit, ingenui permaneant. Sane si quis.

Item absolutio.

Liberum esse credimus quod Christus per spiritum sanctum & baptismum lavacrum generavit bene convenit ut dimittentibus debita dimittantur peccata. Ego enim in Dei nomen ill. & conjux mea illa pro remedio animæ nostræ vel pro æternam retributionem absolvimus a die præsente servo nostro illo una cum infantes suos illus & illus, quæ de alode parentorum meorum vel per cessionem extra consortium heredum eorum mihi obvenit, a die præsente remedium inveniat vos relaxamus, ut ab hac die sibi vivant, sibi agant, sibi laboret, sibi nutromenta proficiat, suumque jure commissas eum & intromissus in ordine civium Romanorum ingenuis se esse cognoscant, ut post ac die neque ad ullum heredibus meis servitius nec letimonius ne onus patronati, nec ulla obedientia eis non requiratur, nisi iant & maneant ubicumque voluerint porte aperte, cives

ves Romana se esse agnoscant. Defensionem vero tam Ecclesia vel ominem Deum timentium ubicumque expelire volueritis libera & firmissima in omnibus habeatis potestatem ad hoc faciendum quicquit volueritis. Sane si quis.

Redempturium.

Domino ill. A pluris est cognitum qualiter ante hos dies investiganti parte adversus neglegentia pro culpa mea in custodia traditus sum & nullam habeo substantia unde me redimere debeam nisi tantum formam & statum meum, quem libero & ingenuo videor habere, & in servitio me pro hac causa debeam inclinare, & vos pietas domini imperavit ut pro ac causa me redemisti, ego vobis carta patrocinale de statum meum, quem ingenuo habeo, in vos conscribere vel adfirmare rogavi, ut posthac diebus vitæ meæ ex jure in servicio vestro debeam consistere. Unde me spondo vel subter firmavit ut contra præsente cartola patrociniale neque ego neque de herebus meis, ne quislibet ulla opposita persona præ ac die ambulare non debeamus; quod quid fecerit, componat vobis sociante fisco auri uncia una, & quod petit nihil valeat vindicare, & ubicumque me invenire potueritis, sicut & reliquos servos vestros, ita & me in vestro servitio faciatis revocare absque ullo contradicente stibulant stibulatur in omnibus sum.

Cessionem.

Quociens inter quascumque injenuis personis lex beneficium edocet ut quantumcumque persona de rebus propriis suis in alterius transferre voluerit, libera abeat potestatem ad hoc faciendum quicquit voluerit. Ob hoc igitur in Dei nomen & conjuves mea illa dilectissimo amico nostro illo pro benevolentia vel servitia tua quæ circa nos impendis sed in comea facere non desinis, propterea cedimus tibi cessumque in perpetuum esse volo, hoc est, de nostro jure in tua tradimus dominatione tradimus transferimus atque transfundimus, hoc est, manso nostro in pago Arvernico in jace illo, in villa illa, quæ de alode vel de atracto ibidem vissi sumus habere, cum casis, tictis, ædificiis, adjacentiis, campis, pratis, vineis, silvis, aquis aquarumve decursibus, omnia & ex omnibus quantumcumque ad ipsus mansus aspicit aut aspicere videtur, tam inquisitum ....

Litteris commendatitiis.

Notum sit omnibus in Christo Jesu religiosa vita degentibus ego quod ill. Abbati sancti .... sime congregationis Abba fratris nostri de illi petitionibus satisfaciens qui... vitæ consortio apud nos conjunctus esse videbatur, quoniam mores vel habita ..... ferre non valentes ad salubriora loca & sibi convenientia ei additum ad eundum ...... cessimus, eo duntaxat modo ut ille nobiscum absens corpore, tamen spiritu præsens ..... sanctis orationibus conjunctus esse debeat, & fratrum nostrorum assidua ora ...., Dominum pro eo cotidie interpellet. Nos enim & cuncti fratres nostri valde e ....., maluimus. Sed viri eū ejus minime ferre valentis, consul .... paterno affectu commoti, ad ea quæ sui sunt corporis convenientia loca, ut diximus, adeundi concessimus. Idcirco nostræ humilitatis apices ei conscripsimus, atque subter firmavimus, ut quia apud nos aliquod temporis spatium conversare yedebatur, securus & adjutus in Domino & defensus ab omni jurgio per easdem litteras ubique in Domino securam vitam degere valeat, supplicantes omnes ad quos eum Dominus direxerit pro nostræ parvitatis memoria ipsum clementer suscipere dignetis.

In Dei nomine, Domno & fratri & in Christo filio carissimo ill. viro venerabili & Abbatū .... indignus Episcopus in Domino sempiternam salutem. Plures mihi, carissime, transierunt dies, ex quo ve ..... in conspectu tuæ caritatis meas litterulas sive eulogiolas mittere. Sed te a .... sancti ill, venisse nonnisi modo cognovi. Venisse ergo te & bene valere & .... & pro incolomitate & prosperitate tua in quantum valeo Domini misericordiam deprecor, quippe qui non solum ego, sed pene omnis Europa, &, ut ita dixerim, generaliter omnis Ecclesia ab oriente usque ad hoc occidentem tali cons. .... teneatur, utpote Domini misericordiam imploret, quippe qui fidem tuam observando & innocentiam custodiendo omnibus profuisti. Sicut enim non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ relevabitur in nobis, ita nec condigna benevolentiæ officia .... quilibet nostrum exhibere potest, quum videlicet multociens eis sit emolumentum tui beneficii quod erga Dominum nostrum & nos omnes fecisti quam si qua sint obsequia quæ tibi a nobis impendantur. Deus enim qui per Mardochæum famulum suum Israheliticæ plebis interitui medicinam & nobis per te contulit, ipse & te & nos ita hujus vitæ curricula concedat peragere ut illam perveniamus vitam cui nullus est finis. De cetera exposco & ultra quam valeo quæso ut me congregationis sancti ill. quæ vobis a Deo ad regendum concessa est orationibus

sicuti & nos congregationum a Deo nobis ad regendum concessarum orationibus commendaturi sumus, ut mutuis nos orationibus quasi quibusdam spiritalibus brachiis, &, ut ita dixerim, spiritalibus armis adjuvantes, & antiqui hostis insidias sive machinamenta dolosa evadere, & ad Regem nostrum Christum inculpabiles venire ipso auxiliante valeamus. Merear te sospis sospitem, felix felicem, incolomis incolomem cernere, mi carissime, & de incolomitate tua semper audire. Pax tibi a Deo.

Su-

Sumito quæ misi lætus munuscula parva,
Dulcis amice mihi, dulcis & apte nimis.
Quæ sint parva licet, magna hæc dilectio mittit,
Quæ non compensat res sed amoris opus.
Sit tibi vita salus, sint & felicia cuncta,
Et tibi de cœlis Rex Deus addat opem,
Et sic te clemens ducat per prospera mundi
Ut pes inoffenso tramite celsa petat.
Et qui in hac vita dignum con (ces) sit honorem
Hic tibi post obitum det super astra locum.

.... (1) tũ meritis magnopere venerando & a nobis cum omni studio ardentique fervore in vinculo caritatis amabiliter amplectendo divina inspiratione protegente Abbati ill. inutilis ac vilissimus famulorum Dei famulus perennem per hanc Epistolam in Domino Jesu optat salutem. Comperiat igitur devotissima caritas vestra quia auxiliante Domino & Apostolorum principe Petro intercedente per diversos terrarum fines immensaque nos ac subditi nostræ .... *Reliqua desunt*

. . . .

In quo supplicamus excellentiæ sanctitatis vestræ &c. *ut in actis Sanctorum ordinis S. Benedicti sæculo IV. parte I. pag. 748. ubi male ista assuta sunt Epistolæ Joannis IV. Papæ.*

Excellentissimo atque piissimo il. Rege il. gratia Dei Episcopus de illo oppido una cum cœnobio sub quo egregius confessor il. patronus vester in corpore requiescit. Obnixi supplicamus culmen regiminis vestri ut hos in Christo fratres nostros illos monachos de præfati congregationi sancti ovilinos ipsi probabile videntur una cum collegis eorum vestris secum litterolis exiguitatis nostræ obtutibus præsentaverint benigni recipi Christianitas vestra jubeat & vestro adjutorio fulti iter arduum quam pro reverentia beati Petri principis Apostolorum arripuerunt usque ad limina ipsius quieti perficiant, unde vobis ipse sanctus apud Deum intercessor adsistat, & in futurum mercedem vobis augeat. Et humili prece vobis deposcimus ut quod hore propria postulaverint serenitas vestra benigne recipiat & ad effectum perducere bonitas vestra jubeat; ut si Christo propitio ad nos reversi fuerint, pro vobis & statu regni vestri indesinenter orare delectentur .... r te corpore & spiritu ille Samarita, idest, salvator & custus, de quo in Psalmo: *Non dormitabit neque dormiet qui custodit Israbel.* Uthel, quod interpretatur vigel. Adrequ... ut possis dicere: *Ego dormivi & cor meum vigilat.* Valere in Domino vos optamus... sublimissime Regis atque optantissime. Salutat vos affatim omnes ...... o sancti illius nobiscum. Ille quamvis peccator Archiepiscopus fidens de bonitate Christi & serenitatis vestræ libens subscripsi.

Summa veneratione diligendo & nobis in amore Christi amabiliter præferendo & in gremio Ecclesiæ sano ac devoto gratuituque animo commendando atque ex totis viribus cum summo caritatis vinculo amplectendo domno spiritalique patre il. sancta religione sedulo cuncti quidem fratres beatorum martyrum ill. & suis cum sanctis sociis proprii servuli & amatores .... toresque vestri præ omnibus salutemus vobis in Domino Jesu Christo salutatione amabili. De cetero, piissime pater, multas vobis agimus laudes & gratias de vestra melliflua scedula pulcherrimaque munera quæ modo vestra sanctitas nostra infima parvitate dignata fuit munerare. Propterea vestra comperiat almitas quia nos in uno positi, relectas vestras litteras, continuo ut eas audivimus, gratulati licet de benedictione, sed multum turbati de vestra tribulatione. Quid ergo de vobis agimus, quid facimus, quid loquimur? Dolemus, gemitum habemus, anxii sumus, consilium quærimus; statimque in commune consensu decrevimus, sicut nos divina docet lectio ubi ait: *Orate cuncti pro invicem, ut omnes salvemini.* Nos autem repente, sicut mos est, loricam induti fidei, sumptis salutis galeam cum humilitatis spiritu, arma orationum sumsimus, ut certi Christi milites, in agonia puriter muniti, undique firmiter simul omnes venimus ordinata acie, belligerare cœpimus, Jesu Christo Domino nostro pro vobis preces fundimus in Missis specialibus, in psalmodiæ in canticis spiritalibus, in sacris orationibus in quantum nostra valens est parvitas pio affectui viriliter certavimus & optamus facere; ut vos Dei pietas per multa quidem lustra annorumque curricula in pace sanctæ Dei Ecclesiæ incolomem custodiat & post vitam æternam istius in gloriam conlocet. Peracta omnia namque hæc, ad divina veniamus eloquia, de qua haurire possemus consolatione optima. Audiamus primum Prophetam sanctissimum virum, prudentissimum, psalmigraphum, humilem cytharizantem per cytharam præcepta meliflua sic nobis alloquitur: *Mihi autem*, ait, *adhærere Deo bonum est.* In omnibus spem meam ubique ponite in Domino. Et rursum: Jacta tuum cogitatum semper in Domino, & ipse te enutriet dulciter. Idem ipse inquit: Bonum est, suave est mihi, Domine, quod humiliasti me. De quo sequitur: Bonum mihi lex oris tui super multa milia argenti & auri. Scriptum legimus quia præsens pauperras futuris divitiis compensanda sit. In cantico dicitur Annæ: *Dominus pauperem facit & valde ditat;* humiliat pro peccatis, sed statim sublevat per misericordiam. Unde iterum psalmista cohortat nos per omnia dicens: Dominus me regit, & mihi nihil deerit, & conlocavit me in loco pascuæ super refectionis aquas me .... Hæc auscultans egregius præ-

(1) *Virtutum.*

prædicator Apostolus tuba mirabilis nostri sin ..'.. ibus mittit se in medio pulchra connectit eloquia, de qua pro loquens dic..... ..... si optimũ & omne donum perfectum descendit a patre luminum. Dicit iterum: Omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu persequutionem patiuntur. Adhuc subditur: Cum enim homo exterior affligitur, tunc ille qui intus est perfecte renovatur; quia dum infirmamur corpore, potentes sumus spiritu. Salvator Christus Dominus de semetipso ait: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Et bonæ memoriæ dicit Gregorius: Tunc homo perfectus est cum plenus fuerit caritate, & unde animus sæpius cogitat, inclemens frequenter meditat. Oramus atque optamus vobis per omnia ut Deus pacis & caritatis sanctificet vos in omnibus, & integer spiritus vester, & reliqua. Quod ipse præstet.

. . . .

Imminutum. Idipsum autem quod optimum habemus, quod facultas suppetit, vobiscum libentissime impertiemus. Hæc idcirco per singula studuimus scribere quia epistola superius dicta per scriptum vobis innotescere jussit de singulis. Ea vero quæ subsequens exposcit sermo nostræ competunt necessitudini. Liquet namque quod sagax efficacia vestram astutiam præcellit omnium hanc legationem agentium, ut superius dictum declarat affatum. Et ideo quia præ cunctis excellentius subtiliusque eandem legationem a vobis ordinari scimus, de vestra inviolabile caritate freti consilium expetimus quomodo ipsam agere debeamus; ut sicut eam penes vos habetis depositam, qualiter Episcopos vel Canonicos aut Monachos, vel quibus capitulis ab eis debeamus requirere, per ordinem cuncta celerius ad nos recurrens ostendat epistola. Illam quoque paginam quæ coram Domino Imperatore & nobis omnibus lecta est cum universis generaliter data fuit licentia eundi palatio pariter cum pra petita epistola nobis mittite; & non solum ea quæ nominatim expressimus, sed præbete cuncta quæ huic negotio scitis esse congrua. Ita namque in omnibus erga nos agat vestra immarcescibilis caritas, sicuti per vos nostra confidat simplicitas. Hoc etenim almitati vestræ notum fieri volumus quia Domino nostro glorioso Augusto jubente die XVIIII. mensis præsentis, quæ eveniet XIII. Kal. Julias, ab omnibus suffraganeis nostris, Deo opitulante episcopale officium, licet indignus, suscepturus ... ego me huic oneri minus aptum & adhuc episcopalibus officiis novit oportet esse imbuum, termino statuto differre volui. Sed quia jussione imperiale urgente non valeo, idcirco vestram sanctitatem rogo & intentissima prece efflagito, ut licet omni tempore, maxime usque prædictam diem pro nobis cum omnibus vestris Domini misericordiam exorare dignemini, ut impetratu vestro a gravidine meorum delictorum merear leviari, & adnitentibus orationibus dignetur mihi Dominus Jesus Christus intellectum sensumque præbere qualiter ad dignitatem tanti honoris, quamvis immeritus, valeam competenter accedere.

FORMULÆ MABILLONII.

CAPITULA.

XXXIV.

INCIPIUNT DICTATI.

Formula sollemnis de dote,

I. HIc est testamentum quarto regnum d·mni nostri CHILDEBERTO Reges, quod fecit Miss·s ille CHEST·NTUS. Cum juxta consuetudinem Andicavis civitate, curia puplica resederet in foro, ibique vir magnificus illi prosecutor dixit: Rogo te, vir laudabilis illi Defensor, illi Curator, illi Magister militum, vel reliquum Curia puplica, utique obticis puplicis patere jobeatis, quia habeo quid apud acta prosevere (1) debiam. Defensor principalis simul & omnis Curia puplica dixerunt: Patent tibi cotecis (2) puplici; prosequere quæ optas. Obedire illa per mandato suo pagina mihi injunxit, ut prosecutor exsistere deberit, qualiter mandatum, quam in dulcissimo jocali (3) meo illo fici (4) pro omnis causationis suas, tam in paco (5), quam & in palacio, seu in qualibet loca, accidere faciat illa porciones meas, quam ex alote parentum meorum ei legibus obvenit vel obvenire debit, aut justissime ei est reddebetum. E· contra parentis suis vel contra cujuslibet hominem accidere vel admallare seu & liticare facias inspecto illo mandato, quem in dulcissemo jocali meo illo fici, gestis municipalibus adlegare debeam. Curia vero dixerunt: Mandato, quem tibi habere dicis, accipiat vir venerabilis illi Diaconus & amanuensis (6). Illi prosec·tor dixit: Rogo domno meis omnibus puplicis, ut sicut mandatum justum legebus cognovistis esse factum, ut dotem quem præ manibus tenio, vobis præsentibus in foro puplico jobeatis recitari. Curia vero dixerunt: Dotem quem te dicis præ manibus retenire, illi Diaconus & amanuensis Andecavis civitate nobis præsentibus accipiat relegendum. quo accepto dixit:

Incipit mandatus,

Domno mihi jocali meo illo. Rogo adque supplico dulcissima gratia vestra, ut ad vicem meam omnis causationis nostris, tam in pago quam & in palacio, seo in qualibet loca accidere faciatis; & illas portiones nostras, quem ex alote parentum meo·um mihi legibus obvenisse vel obvenire debit, aut justissime nobis est redebitum, hæc contra parentis meus vel contra cujuslibet hominum accidere vel admallare seu ad·iticare faciatis. Et quicquid exinde ad vicem nostram egeris, feceris, gesserisve, etenim me habiturum esse cognoscas rectum. Jurat·m mandatum Andecavis civitate, Curia puplica.

Incipit cessio.

Dulcissima & cum integro amore diligenda sponsa mea, filia illius, nomen illa, ego illi. Et quia, propitio Domino, juxta consuetudinem una cum voluntate parentum tuorum sponsavi, proinde cido tibi de rem paupertatis meæ, tam pro sponsalitia, quam pro largitate tuæ, hoc est casa cum curte circumcincta, mobile & inmobile, silvas, pratus, pascuas, aquas, aquarumve decursibus, junctis & subjunctis, & in omnia superius nominata, tu dulcissima sponsa mea, ad die filicissimo nupciarum tibi per hanc cessione dileco adque transfundo, ut in tuæ jure hoc recepere dibeas. Cido tibi bracile valente solidus tantus, toneneas tantas, lectario ad lecto vestito valente solidus tantus, inaures aureas valente soledus tantus, annolus valentes solidus tantus. Cido tibi caballus cum sambuea & omnia stratura sua, boves tantus,

(1) Prosequi. (2) Codices. (3) Jugali. (4) Feci. (5) Pago.
(6) Diaconus amanuensis curiæ.

tus, vaccas cum ſequentes tantus, ovis tantus, ſolidis tantis. Hæc omnia ſubſcripta rem in tuæ jure & domenacione hoc recipere debias, vel poſteris tuis, ſi inter nus procreati fuerunt, derelinquentis, ſalvo jure ſancti illius, cujus terræ eſſe videtur. Et ſi fuerit ullo umquam tempore, qui contra hanc ceſſione iſta, quem ego in te bona voluntate conſcribere rogavi, aut ego ipſi, aut ullus de heredibus meis vel propinquis meis, aut qualibet homo vel extranea aut emiſſa perſona venire voluerit, aut agere, vel repetire præſumpſerit, ante lite ingreſſus duplet tibi tantum, & alio tantum, quantum ceſſio iſta contenet, aut eo tempore meliorata voluerit; & repetitione ſua non obteniat effectum: & hæc ceſſio iſta atque voluntas noſtra omni tempore firma permaneat.

Poſt hæc Curia ait: Se adhuc aliquid abis ex hac cauſa aut agere debias, dic tu in præſente. Illi proſecutor dixit: Gratias agemus magnitudine veſtræ, quod dotem ſua ſcripta quem proſequio, geſtis municipalibus, ut habuit caretas veſtra, allegaſſe ...., feciſſe vobis ex more conſcripſe ....

Hic eſt venditio, qui ſeipſum vendit.

II. Domno (1) mihi illo, necnon & conjux ſua illa, ego illi. Quia conjunxerunt mihi necligentias, quod res veſtras furavi, & in aliter tranſagere non poſſum, niſi ut integrum ſtatum meum in veſtrum debiam implecare ſervitium: ergo conſtat me nullo cogente imperium, ſet pleniſſima voluntate mea; & ſi de hac cauſa reprobus apparuerit, pro ipſa necligentia integrum ſtatum meum in veſtrum ſervitium obligare debiam, ac cedere (2) a vobis pretium in quod mihi conplacuit, ſoledus tantus, ut quidquid ab hodierno die de memetipſo facere volueritis, ſicut & de reliqua mancipia veſtra obnoxia, in omnibus Deo præſole habeatis poteſtatem faciendi quod volueritis. Si fuerit ego ipſi, aut aliquis de propinquis meis, vel qualibet extranea perſona, qui contra hanc vinditionem, quem ego bona voluntate fieri rogavi, agere conaverit, inferit inter tibi & fiſco ſoledus tantus vobis componat, & quod repetit vindecare non valeat, & hæc vinditio atque voluntas mea firma permaneat.

Hic eſt venditio de homine in eſſeno poſito.

III. Domno (3) mihi proprio illo, ego illi. Et quia conjunxerunt mihi culpas & meas magis necligentias pro furta quid feci, unde ego in turmentas fui, & eologias feci, & morte pericolum ex hoc incurrere debui; ſet habuit pietas veſtra datis de ris (4) veſtras ſolidus tantus. Ideo hanc epiſtolam venditione de integrum ſtatum omni peculiare meo vobis emittendam curavi, ut quidquid ab hodierna die de memetipſo facere volueritis, ſicut & de reliqua mancipia veſtra originaria, in omnibus Deo præſole habeas poteſtatem faciendi. Et ſi fuerit ego ipſi, aut aliquis de propinquis meis, vel qualibet extranea perſona, qui contra hanc venditionem, quem ego ipſi bona voluntate fieri rogavi, agere conaverit, inferat inter tibi & fiſco ſolidus tantus vobis conponat, & quod repetit nihil valeat vindecare, & hæc vinditio perenni tempore firma permaneat.

Hic eſt vinditio de terra conducta.

IV. Ego enim illi. Conſtat me vindediſſe, & ita vindedi ad venerabile fratri illa vineola plus menus juctus tantus, & reſidit in terraturium ſancti illius, in fundo illa illa, & accipi a vobis pretium, in quod mihi conplacuit, hoc eſt ſoledus tantus, ut de ab hodiernum die memoratus emptor quicquid de ipſa vinea facere volueris, liberam in omnibus habeas poteſtatem faciendi. Si quis vero (quod eſſe non credo) ſe fuerit aut ego ipſi, aut ullus de heredibus meis, aut quælibet obpoſita perſona, qui contra hanc vinditionem, quem ego bona voluntate fieri rogavi, venire aut reſultare præſumpſerit, dupplit tantum, & alio tantum quantum hæc vinditio iſta contenit, & quod repetit vindicare non valeat, & hæc vinditio omni tempore firma permaneat. Actum Andecavis.

Incipit ſecuritas de ſuperſallicione hic eſt.

V. Dum non eſt incognetum, qualiter aliquos homo, nomen illi, aliquo homine, nomen illo, mallavit de res ſuas, & ipſe illi male ei exinde numquam feciſſit. Proinde ipſi illi ante bonis hominibus convenit, ut hanc epiſtolam facere deberit, ut nullo umquam tempore contra ipſo agere non præſumat. Quod ſi illi aut aliqua perſona ad vicem ſuam ipſa cauſa reſultare præſumpſerit, ſoledus tantus inter tibi, & fiſco conponere debiat, & quod repetit vindicare non valeat, & hæc ſecuritas firma permaneat.

Incipit item ſecuritas.

VI. Dum non eſt incognitum, quia ante hos dies aliquos homo nomen illi, litem in via publica aput illo ei habuit, & cobebus (5) ſuper eum ipſi illi ei poſuit: ſic taliter convenit ipſius homo ad mediantis bonis hominibus, ut hunc ſecuritate ipſus homo de ipſus cobebus ſeu & de ipſa lite, quem aput mihi abuit, facere deberit, quod ita & fecit. Et (quod futurum eſſe non credo) ſi fuerit ut ego ipſi, aut aliquis de heredibus meis, vel qualibet obpoſita perſona, qui

(1) *V. Marculf. lib. 2. c.* 28. (2) *F.* accipere. (3) *V. Marculf. lib. 2. c.* 28. (4) Res. (5) *F.* cobetus.

qui contra hanc securitate resultare præsumpserit, soledus tantus ei conponat, & quod repetit nihil valeat vindicare, & hæc securitas ista perenni tempore firma permaneat.

Incipit securitas.

VII. Domno venerabile & in Christo patri illo Abbat. vel omnis congregatio nostra & domni illius, ego illi. Et quia ad peticionem meam habuit pietas vestra fecistis mihi beneficium de rem vestra, & domni illius, hoc est locello cognomenante, in pago illo, cum casis, campis, terris, mancipiis, acolabus, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, vestrum præjudicium, & domni illius tenire & possedire debuit; & spondio vobis annis singulis cinso soledus tantus, & post quoque meum discessum jure vestro & domni illius cum rem meliorata, quantumcumque in ipso loco inventum fuerit, revertatur, & accipiatur absque ullius contrarietate, aut repetitione propinquorum meorum, annuente Domino, ut mus (1) est virorum atque magnorum opidi, confirmandum.

Incipit concamius.

VIII. In (2) Dei nomen placuit atque convenit inter illus & illus, ut inter se campellus conmutare deberint, quod ita & fecerunt. Hoc est, dedit illi ad racione illo campo ferente modius tantus, & est super terreturio sancti illius, & subjungat de unus latus campus illius. Similiter in alio loco dedit illi super ipso terreturio ad racione illo campello ferente modius tantus, & subjungat de uno latere campus illius: ut quicquid exinde facere voluerit, absque prejudicium sancti illius, cujus terra esse videtur, liberam in omnibus habeas potestatem. Si fuerit unus quis qui contra pare suo agere aut resultare præsumpserit, partem quod accepit a pare suo amittit, & insuper multa legis damnum incurrit. Et hæc epistolas uni tenorum conscriptas, quem inter nus (3) fieri rogavimus, firmas permaneant.

Incipit vindicio quam facit qui seipso vindit.

IX. Domno fratri illo, necnon & conjux sua illa, ego illi, qui conmaneo in pago illo. Constat me vindedisse, & ita vindedi vobis vernacula juris mei, nomen illo, & accipi inde precium in argento uncias tantas: ut quicquid ab hodierna die ipso vernaculo facere volueritis, habendi, tenende, donande, vindende, seu conmutandi, quomodo & de re aliqua mancipia vestra obnoxia exinde facere volueritis, liberam habeatis potestatem. Et si quis ego ipsi, aut aliquis de heredibus meis, vel qualibet extranea persona, qui contra hanc vindicione, quem ego bona voluntate fieri rogavi, agere conaverit, inter tibi & fisco soledus tantus vobis conponat, & quod repetit nihil valeat vindicare, & hæc vindicio adque voluntas mea perenni tempore firma permaneat.

Incipit judicius.

X. Veniens homo, nomen illi, ante venerabile vir illo Abbate vel reliquis viris venerabilibus adque magnificis, quorum nomina subtus tenuntur inserti, interpellabat aliquo homine nomen illo, quasi servicium ei redeberit; & illi taliter de præsente aderat, & hoc fortiter denegabat, quod servitium numquam redebebit. Interrogatum fuit ipsius illo de sua agnacione alius homines in suum servicium habebat, an non: & ipsi illi taliter locutus fuit, ut hoc non redebebat, nam ipsi illi servitium ei non redebebat, at de agnacione aut de conparato ut hoc inter se intenderent, ut dum ipsi illi alius homines de sua agnacione non redebebat. Sic visum fuit ipsius abbati vel quibus in eus aderant, ut ipsi homo aput homines XII. manu sua XIII. in basileca (4) domne illius, in noctis tantis conjurare deberet, quod de annus XXX. seu amplius, servitium ei numquam redebebat: se hoc facere potebat, ipsi illi de hac causa contra ipso illo conpascere deberit: sin autem non potuerit, hoc inmendare studiat.

Incipit noticia de supradicto judicio.

Noticia sacramenti, qualiter vel quibus præsentibus ingressus est illi apud homines tantus ingenuos super altare illius Andecavis civetate, pro eo quod homine, nomen illo, ipso pro servitium interpellabat ad vicem genetore suo seu & genetrice sua. Juratus dixit, juxta quod judicius ex hoc loquitur per hanc loco sancto & divina omnia quod hic aguntur, de annis XXX. seu amplius sub ingenuetate nomen resedi. nam & ipsi superius nomenatus servitium non rededi, nec redebio pro reverentia loci, id sunt quorum præsentia.

Incipit judicius.

XI. Veniens homo, nomen illi, Andecavis civetate, ante illo agente vel reliquis qui cum eo aderant, interpellabat aliquo homine, nomen illo, quasi jumento suo ad furtis conditionis abuissit: & ipsi illi una cum genetore suo ibidem aderat, & hoc fortiter denegabat, quod ipso jumento numquam habuisset. Sic visum fuit ipso agente qui cum ipso aderunt, ut genitor ipso suos illi pro filio suo illo, quia & ipsi genitor apud homines tantus ipsi illi in basileca domni illius in noctis tantus pro filio suo excusare deberit, se hoc facere potebat, ipsi illi contra ipso illo com-

(1) Mos. (2) *V. Marculf. lib. 2. c. 23. & 24.* (3) Nos.
(4) *Sacramenti in ecclesia ritus.*

compascere deberit. Sin autem non potuerit, hoc contra ipso emendare stodiat.

Incipit noticia.

Noticia sacramenti, qualiter vel quibus præsentibus ingressus est illi in basileca domne illius pro judicio, illo agente juratus dixit: Per hunc loco sancto & divina omnia quod hic aguntur, quæ hic Deo plenius offeruntur, unde me illi repotabat (1), quasi jumento suo ad furtis conditionis post me habuissit, & per meum ingenium ipso jumento digere habuisset; nec ipso jumento numquam habui, nec per meum nullum ingenium ipso jumento numquam perdedit, nec aliud tibi de hac causa non redebio, nisi isto edonio sacramento.

Incipit solsadia (2).

XII. Noticia solsadii, qualiter vel quibus præsentibus illi homo placetum suum adtendit Andecavis civetate Kalendas illas, per judicio inlustri illo Comite, vel auditores suis, ac contra homines his nominibus illus & illus, vel genetrici eorum, nomen illa, una cum abunculo eorum illo, dum diceret, quasi aliqua femena, nomen illa, genetore eorum, nomen illo, pro maleficio eum interfecisset. Qui ipsi jam superius nomenati placetum eorum legebus a mane usque ad vesperum visi fuerunt custodisse. Nam ipsa femena nec ad placetum advenit, nec misso ad persona adirexit, qui sonia redebuissit. Propterea necesse fuerit prædictis hominibus, ut hanc noticiam, bonorum hominum manibus roboratas, prosequere deberent, qualiter & visi sunt fecisse.

Incipit item solsadia.

XIII. Noticia solsadii, qualiter vel quibus præsentibus veniens homo, nomen illi, placitum suum adtendit Andecavis civetate, in basileca domni illius, unde eum hæc contra homine, nomen illo, quem ante illo agente fuit inratione pro jumento suo, &c.

Item solsadii.

XIV. Noticia qualiter solsadii, vel quibus præsentibus veniens illi in basilica sancti illius Andecavis civitate, placetum suum adtendit contra homine, nomen illo, quem ante illo agente fuit inrationes pro agente, quod hoc die illo quod fecit mensis illi dies tantus, conjurare deberit una cum hominis suis, qui illi ad placitum adfuit una cum testis suis pro legibus triduum custodivit, & solsadivit; nec illi nec ad placito adfuit, nec ulla persona ad vicem suam direxit, qui ipso placito custodisset, aut sonia nunciare deberit. quos præsens placitus ipsius fuit custoditus aut solsaditus, aut hanc noticiam manibus eorum subter firmaverunt.

Incipit sacramentalis.

XV. Breve sacramenti, qualiter & quos præsentibus ingressus est homo, nomen illi, Andecavis civetate, die illo, quod fecit minsis illi dies tantus, in basileca domne illius, Juratus dixit: Per hunc loco sancto & divina omnia quæ hic aguntur, quæ hic Deo plenius offeruntur, unde mihi homo, nomen illi, interpellabat, eo quod caballo suo furassit, aut in taxato post me habuissit; hoc conjurare quod caballo suo, quem mihi reputabat, numquam furavi, nec consciens ab ipso furandum numquam fuisset, nec post me intaxata ipso caballo numquam habui, nec alio tibi exinde non redebio, nisi isto edonio sacramento, quem judicatum habui, & legibus transibi. Id sunt qui hunc sacramento audierunt, manibus eorum subter firmaverunt.

Incipit noticia.

XVI. Noticia qualiter vel quibus præsentibus illi & illi placitum eorum adtenderunt Andecavis civetate, in basileca domne illius, pro judicio illo præposito, unde aliqua femina, nomen illa, habuit interpellatus pro illa re, qui illi & germanus suos illi ab ipso placito advenerunt, & homines suos hic præsentaverunt, ut ipso sacramento excusare deberent. Nam ipsa illa femena ab ipso placito adfuit, & ipso sacramento menime recipere voluit, qui illi ex germano suo illi placitum eorum legibus custodierunt. Propterea necessarium fuit, ut ex hoc noticia accipere deberent, quod ita & fecimus.

Incipit vacuaturia.

XVII. Dum cognitum est, quod homo, nomen illi, vinditione de integrum statum suum ab homine, nomen illo, & cogiæ (3) sua illa, & ipsa vinditione meneme (4) invenisse non potuerunt. Proinde manus nostras firmatus vobis emittendam curavi, ubi & ubi ipsa vindicio inventa fuerit, inanis permaniat, & hæc vacuaturia firma permaniat.

Incipit item vacuaturia.

XVIII. Dum cognetum est qualiter aliquos homo, nomen illi, aliquo homine, nomen illo, cautione immissa habuit pro factum suum, quo ei beneficium facit argento uncias tantas, ut inter annus tantus, qualecumque ei servitium injunxerit, ei facere debiret. Et ipsi homo cautione menime invenire non poterit. Proinde mano mea & bonorum hominum vacuaturia tibi proinde dedi, dum tu ris (5) meas rededisti, ubi & ubi cautio ipsa inventa fuerit, vacua & inanis permaneat, & hæc vacuaturia firma permaniat.

Inci-

(1) Reputabat. (2) Impedimentum, excusatio. (3) Conjugem. (4) Minime. (5) Res.

Incipit vindicio.

XIX. Domno mihi semper illo illi. Et pro necessitatis temporum & vidi (1) compendium etiam sterilitas & inopia præcinxit, ut in aliter transagere non possum, nisi ut integrum statum meum in vestrum debiam implecare servicium. Ergo constat me nullo cogente imperio, sed plenissima voluntate mea, & accipi a vobis pro suprascriptum statum meum, hoc est in quod mihi complacuit, in auro valente soledus tantus, ut quicquid ab hodiernum diem de memetipso facere volueris, sicut & de reliqua vestra obnoxia, in omnibus Deo præsole habeatis facultatem faciendi. Si quis vero aut ego ipsi, &c. *ut supra.*

Incipit ingenuitas a die præsente.

XX. In (2) Dei nomen ille, delectissimo nostro illo. Noverit iste pro divinitatis intuitu & animæ meæ remedium vel æterna retributione tua, eatenus a die præsente ingenuum esse præcipimus, tamquam ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, & nullius tibi heredum ac proheredum meorum nec servicium, nec ullum obsequium ultra debere cognusceas, sed potius aso defensione sanctum illius in integra valeas residire ingenuitas. Etsi fuerit unus de heredibus meis, vel qualibet extranea persona, qui contra hanc ingenuitatem, quem ego bona voluntate fieri rogavi, venire aut resultare præsumpserit, in primitus Dei incurrat judicium, & de sanctorum loca efficiatur extraneus, & insuper multa legis damnum incurrat auri libra una, argento pondo tantum; & quod repetit vindicare non valeat, & hæc ingenuitas perenni tempore firma permaniat.

Incipit vindicio.

XXI. Ego enim illi. Constat me vendedisse & ita vindedi ad illo campello ferente modius tantus, & est super terraturio sancti illius, in villa illa, & subjungit de terra illa, de uno latere campus illius, taxato precio: hoc est in quod mihi complacuit, valente soledus tantus, ut quidquid ab hodierna die de ipso campo agere volueris, absque præjudicium sancti illius, cujus terræ esse videtur, liberam in omnibus habeas potestatem. Et si fuerit ego ipsi, &c.

Incipit cautio de vinea.

XXII. Ego enim illi. Constat me accepisse, & ita accepi per hanc cautionem ad præstetum beneficium de homine, nomen illo, hoc est in quod mihi complacuit, in argento soledus tantus; & in pignore tibi conditionis demitto tibi pro ipso beneficium inter annus tantus vinia medio jucto (3) tantum, qui est supra terraturium sancti illius, in villa illa; & subjungit de uno latere vinia illius, ut interim res vestras micum habuero illa blæda, quem ibidem Deus dederit, in tuam revoces potestatem. Et quod, si adsolet, ipsi annus tantus completi fuerunt, rem vestram reddere debiam, & cautionem meam recipere facias, aut tibi, aut cui cautionem istam dederis ad exagendum.

Incipit ingenuitas.

XXIII. Dilectissimo nostro illo ego ille. Noveris te pro divinitatis intuitu & animæ meæ remedium, vel æterna retributione eatenus ad jucum servitudinis tibi absolvemus, ut quamdiu advixeris, de meum non discedas servitium; & post meum quoque discessum cum omni peculiare quod habes, aut laborare potueris, ingenuam ducas vitam, tamquam se ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, & nullius tibi nec servitium, nec nullum obsequium heredum ac proheredum meorum te quicquam redebere cognuscas, nisi sub defensione sancti basileci domni illius præbeas obsequium, non requiratur. Si quis (quod futurum esse non credo) si fuerit unus de heredibus meis vel qualibet obposita persona, qui contra hanc ingenuitatem, quem ego bona voluntate fieri rogavi, agere conaverit, in primitus Dei incurrat judicio, & a liminibus ecclesiarum, basilicarum vel omnium sacerdotum excommunus accipiat illam maledictionem, quem Juda Scariotis accipiat, & mea voluntate cum Christo accipiat misericordia, & quod repetit numquam valeat sua voluntas obtineat, & ingenuitas ista perenni tempore firma permaneat.

Incipit judicius.

XXIV. Eveniens illi Andecavis civitate ante illo Præposito vel reliquis hominibus, qui cum eo aderant, interpellabant aliquo homine, nomen illo, quasi animalia per sua menata eos ducare habuissit, & ipsa animalia per sua menata aliquas mortas fuerant, & ipsa pecora illi excorticassit, posteaque mortas fuerunt. Interrogatum fuit ipsi illi, quid de hac causa responso daret: & ipsi illi taliter locutus fuit, quod nec sua animalia numquam menassit, nec per sua menata ipsa animalia degere numquam habuissit, nec de manus suas excorticatas numquam fuissent. Propterea visum fuit ab ipso Præposito, vel qui cum ipso aderant, ut in noctes tantas apud homines tantus ipsi illi in basileca domni illius excusare deberit: se hoc facere debebat, de hac causa ipsi illi compascere debirit: sin autem non poterit, quicquid lex de tale causa edocet emendare stodiat.

(1) F. Vitæ. (2) V. *Marculf. lib.* 2. *c.* 32. (3) Jugero.

Incipit vindicio qui seipsum vindit.

XXV. Domno (1) magnifico fratri illo, necnon & conjux sua illa. Nus enim illi & coguje sua illa constat nus vindedisse & ita vendedimus a vobis estus (2) nostros cum omni peculiare quod habemus aut locare poteremus, manso & terra vel viniolas, quantumcumque ad die præsente possidere vidimur, in fundo illa villa in se super terra ecclesiæ Andecavis, vel ubique habire visi sumus. Unde accipimus de vobis precium quod nobis conplacuit, hoc est in auro valente soledus tantus, ut post hunc diem memorati emptores quicquid de nus ipsis vel de heredis nostris facere voluerint, habeant potestatem faciendi. Si quis vero &c.

Incipit securitas.

XXVI. Dum non habetur incognitum, qualiter aliqua femina, nomen illa, apud hominem sancti illius, nomen illo, litis intentione habuit de illo rapto, quod ipsa fuit, ut ipsa ad pacem concordiam voluntate ad ipsa femina facere deberent. quod ita & fecerunt. Unde convenit, ut si homo manu sua firmata exinde accipere deberet, quod ita & fecit, ut se ipsa femena post hunc diem resultare voluerit, contra homine soledus tantus conponat. Facta securitas.

Incipit vindicio proprietatis.

XXVII. Domino venerabile & in Christo Patri illo Abbate ego illi & conjux mea illa. Constat nus vindedisse, & ita vindedimus vobis terra proprietatis nostræ, in loco nuncupante illo, & accipi proinde pretio de vobis in quod nobis conplacuit, hoc est in argento soledus tantus &c. & hæc vindicio perenni tempore firma permaneat stipulatione subnixa. Actum est.

Incipit judicius.

XXVIII. Veniens illi Andecavis civitate ante illo Agente, necnon & illo, vel reliquis qui cum illo aderant, interpellabat aliquo homine, nomen illo, quasi fossado per terra sua, in loco nuncupante, qui vocatur, illa villa, qui aspecit ad illa, ei fossadasset. Et taliter ipsi homo dedit responso, quod terra sua fossado fecisset. nam terra ad illo homine numquam fossadasset. Visus fuit ab ipsis magnificis, ut illi in noctis tantas apud homines tantus vicinis circa manentis de ipsa condita mano sua quarta (3) in basileca domni illius senioris excusare deberet, quod terra sua malo ordine numquam fossadasset. Si hoc facere potebat, quietus & securus resediat: sin autem non potuerit, contra ipso hominem satisfacere debeat.

Incipit judicius.

XXIX. Veniens homo, nomen illi, aput femina, nomen illa, qui fuit conjux illa quondam germanus illius, ante venerabile vir illi Abbate (4), interpellaverunt hominem, nomen illo, quasi servitium qui fuerunt ipsius illi, quondam post se habuisset commandatas, hoc est illam rem qui illi ad præsens aderat: & hoc totum fortiter denegabat. Interrogaverunt ipsius illi, se (5) habebat homines qui de præsente fuissent, ut vidissent quando ipsa rauba (6) ipsi illi & illi commandasset. Taliter visum fuit ab ipso Abbate vel qui cum eo aderant, in noctis tantis daret homines tantus bene fidem habentes vicinis circa manentis, qui de præsente fuissent, & vidissent supra scripto illo quondam ipsa rauba ipsi illi commandasset, ut hoc in basilica domni illius conjurare deberit, ipsius illi per legem emendare studiat. sin autem non potuerit, de hac causa ipsi illi omni tempore ductus, quietus atque securus valeat resedire.

Incipit item judicius.

XXX. Veniens illi ante illo Abbate, vel reliquis qui cum eo aderant, interpellabat aliquo homine, nomen illo, quasi vineas suas, quæ erant illius, quondam illi ad parciaricias (7) dedisset, ut quamdiu ipsi illi se aptificavit, ipsas vineas ad parciaricias habire debiat. Interrogatum fuit ipsius illi, si ipsas vinias apud ipsas fuerunt, an non. Taliter ipsi locutus fuit, quod illas convenentias, quod ipsi illi dicebat, aput ipso numquam habuit. Visum fuit ipsius Abbate, ut dum hoc denegabat quod ipsas convenentias numquam habuit, ut apud homines tantus in basileca domni illius excusare deberet, quod ipsas convenentias inter se numquam habuissent. Se hoc facere potebat, precium quod de ipso illo acciperet, ei reddere debiat: sin autem non potuerit, contra ipso emendare stodiat.

Incipit apennis.

XXXI. Dum (8) non est incognitum, qualiter aliquis homo, nomen illo, & conjuge sua illa, in terra eorum in loco illo, per nocte fuit a pessimis naufragium passus, & exinde perdedit & pecunia sua, & mobele suo, seu & strumenta sua quam pluremas, vindicionis, dotis composcionalis, contullitionis, pactis, commutationis, convenentias, securitatis, vacuaturias, judicius, & noticias. Unde necesse ei fuit advocare judecis seu & vicinis circa manentis, seu & universa parocia illa, & ibidem invenirent & ostia sua fracta, & portis suas conquassatis, & ipso loco graviter devastata. Proinde petiit ad ipsos

(1) *V. supra cap.* 2. (2) L. Status. (3) *V. tom.* 1. *Annal. Bened. pag.* 453. (4) *Abbas judex.* (5) Si. (6) *Hic* depositum *al.* furtum. (7) Ad partem *seu* medietatem. (8) *V. Marculf. lib.* 1. *c.* 33. & 34. & *Diplom. lib.* 1. *c.* 2.

ipsos bonis hominibus: in eumdem prospecto accesserunt, invenirunt sicut tum esset, cujus nomina subter sunt inserta, ut hunc noticia relatione præsto ei adfirmare deberent. quod ita & fecerunt, qualiter melius possit Andecavis civetate adfirmare.

Incipit item appennis.

XXXII. Quicumque ad latruncolus sceleratoribus, seditiosis seu incendiariis, in qua provincia vim aut damnum pertulerit, oportet hoc eidem Rectores civium seu Curiales provinciæ, in qua perpetratum fuisse perhibetur, palam ostendere, & publica denuntiatione manifestare. Igitur cum pro utilitate ecclesiæ vel principale negocio Apostolicus vir, illi Episcopus, necnon & inluster vir illi Comes, in civitate Andecave cum reliquis venerabilibus atque magnificis rei puplicæ viris resediffit, ibique veniens homo, nomen illi, palam suggereret, ceu casa sua in loco nuncupante illo, eo quod mali homines per cæcata nocte ad casa sua in loco nuncupante illo advenissent, & ostia sua frigissent, vel res suas aurum, argentum, species, vestimentum, fabricaturas suas, vasa cerea, vel reliquas res quamplures, cum strumenta cartarum vindicionis, cautionis, cessionis, donationis, dotis conposcionalis, contulationis, pactis, conmutationis, convenentiis, securitatis, vacuaturiis, judicius & notitias, oblecationis, vel reliquas res quam plures, quam longum est per singula minustire, ad furtis causis deportassent. Unde per ipsas cartas pluras terras post se dicere venditum: & in crastenum locale accessione una cum bonas extraneas personas vicinis circa manentis in ipso loco manibus eorum roboratas accessisse: & ob hoc cognita relatione ante suprascriptus senioris præsentabant ad relegendum, per quem ipsum seniores cognoverunt, quod ipsa causa taliter acta vel perpetrata fuisset. Dum taliter diligentia inquirere videtur, sublectum fuit ad ipsas bonas straneas personas vicinis circa manentes, qui bene optime ex hoc comperti aderant, quid exinde cognuscibant, veraciter enarrare deberent, se ipsi homo taliter præbuerunt testimonium, ut inspecta illa epistola, quem illi præsentabat, sua denuntiatione veraciter concordabant. Dum sic in omnibus devolgata claruit, si suprascriptus Pontifex & ipsi Comis vel qui cum eo aderant, denuntiaverunt ipsius illi, ut quicquid per annorum spatia, de eo tempore usque nunc recte & legaliter possederat, inantea obsolve principale negotio recto tramite testata lege servit, res suas ipsi aut heredis sui tenire & possedire faciant. Et pro præsente & futura tempora convenit, ut hanc cartola, qui vocatur Appennis, præfatorum seniorum vel reliquorum civium eorum manebus roboratas acciperet adfirmare deberet. quod ita & fecit: ita ut duo Appennis coæqualis ex hoc affirmatus accipiat, unum, quem ipsi apud se retineat; & alium, quem in foro puplico suspenditur. Facto Appenni.

Incipit noticia ad Appenno firmare.

XXXIII. Cum per cæca cupiditate per loca orbana semper hostis antiquus bella consurget, & solent homines perfidi & pessimi per malus intolerabilia mala subire, tam ab hostibus, quam latrunculus, per talas & fortes, per captores & rapacis conmovere & conmutare gravis damnos ætatis. Igitur non est incognitum, qualiter aliquo homine, nomen illo, contegit gravis naufragius, quod in villa illa casa sua per nocte fuit effracta, & omnes præsidios suos, aurum, argentum, æramentum, vestimentum, utensilia, pecunia, seu strumenta cartarum quamplurimas, vindicionis, cautionis, cessionis, donationis, dotis conposcionalis, pactis, conmutationes, convenientiis, securitatis, vacuaturias, judicius & notitias, seu & omnes solemnitas, per quem a longo tempore usque modo res suas domenavit, per ipso furte exinde fuit deportata. Proinde necesse fuit sæpe dicto illo in crastenum maturius mane judici puplеco vicinis circa manentes ad ipso loco convocare: & ibidem venientes invenerunt sic esset factum, seris incisis ostias concapolatas, portas perforatas, conscensa seu & universa quæ supra memoravimus per ipso furto perinde esset abstracta. Dum sic cessit veraciis, ut melius possit exinde appenne in civetate regione ipse ipsius prosequere & adfirmare, petiit ad ipsius vicinus & judice, qui in ipsa cautione fuerunt, manibus propriis in hunc prospectum notitia relationis adfirmare deberent, quod ita & fecerunt.

Incipit (libellus) dotis.

XXXIV. Annum IIII. (1) regnum Domini nostri CHILDEBERTO reges. Ego in Dei nomen illi fateor me hunc libellum dote scribere deberem, quod ita & fecerim, ad dulcessima sponsa mea, nomen illa, pro amore dulcitudinem suam, emitto tibi in cartola libelli dotes casa jam dicta puella sponsa mea illa habiat, teniat, possideat, faciat quod voluerit. Et si quis vero, aut ego ipsi, vel quislibet opposita persona, qui contra hoc voluntate meam facta aut libellum dote ista conscripta aut agere præsumpserit, soledus tantus coactus exsolvat. Et si quis . . . . non obtineat effectum.

Incipit epistola.

Ego enim illi fateor me hanc epistola facere debere, quod ita & feci, ad coguje mea illa propter amore dulcitudinem suam et servicium circa me inpendetis, cedo tibi atque tran-

(1) *V. Marculf. lib. 2. cap. 15.*

transcribo capsa de casa cum ipso villare, ubi ipsa casa resedit, ut ab hodierno die ipsas res denominatas habeas, teneas, possideas. Et si quis vero &c.

Incipit item cessio.

XXXV. Ego enim illi fateor me hanc cessionem facere debere, quod ita & feci ei, ad dulcissimo nepote meo, nomen illo. Cedo ei propter amorem dulcitudinem suam casa, ut ab hodierno die ipsam rem conscriptam habeas, teneas, possideas, &c.

Incipit epistola, quem pater & mater facit in filio.

XXXVI. Licet (1) unicuique de rebus suis, quas in præsente sæculo (habere) videtur, tam ad sancta loca seu parentum meliorare, & lex manet & consuetudo longinqua percurrit facere quod voluerit. Idcirco ego in Dei nomen illi, & cogiue mea illa dulcissima, & a nobiscum integra amore diligendo filio illo. Dum in omnibus, & per omnia, & super totum nobis fideliter servire videris, multas penurias & injurias per diversa loca pro nostra necessitate suscepisti, & in utilitate domnorum partibus Britanici seu Wasconici hostiliter ordine ad specie mea fuisti: proinde convenit nobis, ut aliquid de facultatis nostræ te emeliorare debererit. quod ita & fecerunt. Ergo transcrivimus tibi mansello nostro illo super terraturio vir inluster illo, & hoc cum domebus, ædificiis, mancipiis, viniis, silvis, pratis, aquis aquarumque decursibus, junctis & adjecentiis, quantumcumque ibidem nos tenire visi sumus, hoc ad die præsente perpetualiter ordine tradimus ad possedendum, & hoc est habendi, tenendi seu commutandi posteris tuis, vel ubi tua decreverit voluntas, derelinquendi, & ubi aliubi ex nostra sine epistolis oblegatam & infantis nostris remutarent, tu cum ipsis æqualis lanciæ dividere facias. Et in hanc paginola intimare convenit, si nos ipsi aut heredis seu propinquis nostris, aut militans extranea persona, qui contra hanc epistola aliqua querilla aut refragatione contraire voluerimus, soledus tantus tibi sociante fisco conponat, & nihil vindicet quod repetet; & hæc voluntas nostra cum manus nostras roboratas omni tempore cum lege Aquiliani non dibeat esse inconvulsa.

Incipit cautio de homine.

XXXVII. Domino magnifico fratri illo, ego illi. Constat me accipisse, & ita accepi a vobis per hanc cautionem ad pristetum beneficium, hoc est in argento uncias tantas: in loco pignoris emitto vobis statum meum medietatem, ut in unaquisque septem ad die stantis qualecumque operam mihi legitemam injunxeris, facere debiassemus. Cum annos tantus compliti fuerint, res vestras redibere debias, & cautionem meam recipere faciam. Et si exinde de ipsa opera, aut de ipsas res ad ipso placito negligens tardus fuero, aut voluntate vestra exinde non habuero; tunc me constat res vestras in duplum debiam esse redditurus, aut vobis, aut cui cautione ista dederis ad exagenda.

Incipit securitas.

XXXVIII. Ego enim illi. Quia dum non est incognitum, qualiter aliquos homo, nomen illi, & quia ante hos dies habuit interpellationem, dum dicerit, quasi casas sua infregisset, & res suas exinde deportassit. Unde & ipsi illi habuit, ut hoc in basilica sancti illius apud homines tantus conjurare deberet. Sed metuentis bonis hominibus, eos concordiare dixerunt. Et si recognovi, & in nullo modo culpabile exinde ipso non invenit, convenit ut manu sua exinde facere deberet. quod ita & fecit, ut nullo umquam tempore contra ipsis nulla calumnia, neque repeticione facere non debeas, sed, sicut dixi, quietus & securus residias. Et si fuerit aut ego ipsi &c.

Incipit cessio (in dotem.)

XXXIX. Dulcissima & cum integro amore diligenda sponsa mea nomen illa, ego illi, filius illius. Dum non habetur incognitum, sed pluris habetur cognitum, qualiter te secundum lege Romana sponsatam visus sum habere, in animis meis plenius tractavi, ut tibi aliquid de re paupertaticola mea concidere debirem. quod ita & feci, hoc est cedo tibi membro de casa cum mobile & inmobile, in fundo illa villa, super terraturium sancti illius, cum villare vel omne circumcincto suo, juxta caso illius, lecto vestito, vestimentum tantum, fabricaturas in soledus tantus, mancipia tanta, his nominebus illus & illus, boves tantus, vaccas tantas cum sequentis tantis, ovis tantus, solidis tantus, campo cum silva ferentes modius tantus; de unus latus est campus illius: vinia junctus tantus, de unus latus est vinia illius: prato junctus tantus. Hæc omnia superius nominata ad die felicissimo nuptiarum hoc ad die præsente habeas concessum, dum advixeris, perpetualiter ad usumfructuario ad possedendum, absque præjudicio (sancti illius) cujus terræ esse videtur. Si vero, quod fieri non credo, &c.

Incipit jus liberorum.

XL. Dulcissimo & cum integro amore diligendo jocale meo illo, illa. Sane in Dei nomine mente sanoque consilio meditantis casus humanæ fragilitatis corpore, ne nos contingit ultimos dies inordinatus, quod Deus avertat, de hujus sæculi lustris discederemus,

(1) *V. infra cap.* 57.

mus, debitumve naturæ compleverimus, dum in terra nus sobolus non habemus, nostrumque elegemus conspirante Deo commune consilio per cartolæ textum nostrum voluntate conscribere. Ideo ego memoratus illi, si tu mihi dulcissima conjux mea illa superstitis fueris, cum ego de hac luce discessero, debitumve naturæ complevero, tunc tu tris portionis de omne corpore facultatis meæ, quem in pago illo & illi ex aloto parentum meorum, vel de quolibet contracto mihi legibus obvenit, si prolis interim non fuerint procreati, tibi transcribò, ut quicquid exinde in postmodum exinde volueris faciendum, id est tam in domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, pratis, agris, acolabus, aquis aquarumque decursibus, junctis & subjunctis, mobilebus cum omne jure & soliditate eorum, integrum, sicut a me fuit possessum, possedendum tuo jure recipias, & perpetualiter possideas; & quicquid exinde elegeris, faciendi liberum potiaris arbitrium. Quia rem ipsam aliter quam quod heredibus meis, illa quarta vero portione reservaverunt, hæc contra vos propinquorum heredibus legitimis meis reservo, ut tu conjux mea illa illas tris portionis, & ipsi heredis mei illa quarta similiter debetis percipere & possidere. Similiter ego illa in ara, juxta ut superius contenitur depictum, religionis quos tenet terra mea ..... ad vos voluntate mea conscriptas, & ego ad similitudinem conscribere rogavi. Ergo si tu mihi dulcissimus jocalis meus illi superstitis fueris, cum ego de hac luce discessero, debitumve naturæ complevero, tunc tu tris partis de omne corpore facultatis meæ, quod in pago illo & illo ex alote parentum meorum abire videor, heridis meos in ipsis tris partis fottiden .... ut quicquid de ipsis tris partis de alote meo, se prolis inter nos non fuerint procreati, facere volueris, tam in domibus, ædificiis, mancipiis, vineis, silvis, agris cultis & incultis, pratis, accolabus, sicut a me fuit possessum, possideas, & rebus tam quod ad præsens possidere videor, ut mihi inante justum redebitum est, tu hoc integro jure percipias recipere, &c.

Incipit securitas.

XLI. Ego enim illi qui commaneo villa illa sancti illius. Convenit mihi bona voluntate ad securitate ad homine, nomen illo, facere debere. quod ita & fici, pro eo quod illam rem ad furtis conditionis post habuerit, & accepit exinde argento tantum. Proinde mano mea & bonorum firmata tibi exinde dedisse, ut post hunc diem de hac causa quietus & securus residias. Et si fuerit ut ego ipse, &c.

Incipit epistola quem hominem repotavit de res suas.

XLII. Dum cognitum est quod homo, nomen illi, aliquo homine, nomen illo, mallavit pro res suas, & ipsi illi male ei exinde numquam male fecisset. Proinde ipsi illi ante bonis hominibus convenit, ut hanc epistolam facere deberit, ut nullo umquam tempore contra ipsum agere non præsumat. Quod si illi aut aliqua persona, &c.

Incipit securitas de rapto.

XLIII. Ego enim illi. Constat me accepisse de illo integro conpositione, pro eo quod apud homine, nomen illo, puella sua tradenda fuit, dedi ei ad ipso illo soledus tantus. Proinde manu sua firmata & bonorum hominum accepi, ut post hunc diem neque illi, neque nullus de heredibus suis, nulla calumnia nec repetitione habere non debias, sed, sicut dixi, de hac causa quietus residias. Et si fuerit aut ego ipsi, &c.

Incipit notitia (de matrimonio servorum.)

XLIV. Notitia (1) qualiter illi & illi. Non habitur incognitum, qualiter servus nomen illi, ancilla ad illo, nomen illa, extra voluntatem ad conjugium se conjunxerunt: sed modo nos una pacis concordia convenit, ut de agnatione qui de ipsis procreati fuerint, illi ad ancilla sua duas partes recipiat, ego et illi ad servo suo illo tertia, & quod ipsi aliquid stante conjugio convenerunt, illi servo suo de ipso peculiare duas partes recipiat; similiter et illa ad ancilla sua illa tertia. Proinde ut in postmodum nulla altercatio inter nos non debeat esse, ut manus nostra exinde per duas epistolas uno tenore conscriptas facere deberimus. quod ita et fecimus, et pro rei totius firmitate modo adfirmavimus, ut nec nos ipsi, nec ullus de heredibus vel de propinquis nostris, aut militans stranea persona, qui contra ipsas epistolas venire voluerit, ad dupla pecunia teneatur obnoxius; et illa petitio non obteniat effectum, et has convenentias ineoncusso et inconvulso teniat firmitate.

Incipit epistola qui de heredibus alicui aut ecclesiæ delegat.

XLV. Lex Romana et antiqua consuetudo exposcit, ut unus quis homo, dum in suum contenit arbitrium, de rebus suis propriis aliquid pro animæ suæ conpendium dare decreverit, licentiam habeat, et illud quod ad loca sanctorum, ad congregationem monachorum confertur, numquam perit, sed ad memoriam æternam et justitiam reputatur. Igitur ego enim in Dei nomen inluster vir ille, necnon et congiue mea inlustra matrona

(1) V. infra cap. 38.

na illa, convenit nobis unanimiter pertractantis, ut aliquid de rebus nostris in monasterio nostro, quem communiter ædificavimus, qui est in honore sancti illius infra muro Andecavis constructus, ubi illa Abbatissa custos præesse videtur, concidere deberemus. Quod ad die præsente visi sumus fecisse, hoc est locello nuncupante illo, in pago illo, rem proprietatis nostræ, quem de parente nostro venerabile viro illo Abbate propria pecunia conparavimus, vel die præsente nostra est possessio, hoc est cum terris, domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, viniis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, movilebus & inmovilebus, junctis & appendiciis & adjecentiis in se habentis ad se pertenentis cum superposito pro omni merito suo, ut diximus, ad prædicta basileca vel congregatio ipsius vel rectorem ipsa volumus esse translatum atque inductum: ita ut quicquid exinde ab hac die jure proprio atque firmissimo congregatio ipsius utilitatibus monasterii ipsius elegerit faciendum, liberam habeat in omnibus potestatem: quia malumus te sacro sanctæ ecclesiæ in honore sancti illius in idipsum monasterio ædificatæ, quam reliquis heredibus nostris. Quod si fuerit aliquis de heredibus nostris, qui contra hanc epistolam cessionis, quam bona voluntate pro nostris expiandis peccatis devovimus, venire aut contrarius vel pulsator exstiterit, prius a communione Ecclesiæ catholicæ sit pulsatus, & æternæ damnationi subjectus; & insuper auri libras tantas, argento pondus X. sociante fisco, cujus pulsaverit, componat: nihilo minus epistola atque definitio nostra omni tempore firma & stabilis perduret.

Incipit notitia, quem hominem in causa sua repellavit.

XLVI. Notitia qualiter veniens illi Andecavis civitate ante venerabile vir illo Abbati vel reliquis quam plures bonis hominibus, qui cum ipso aderant, cujus nomina vel scriptiones atque signaculum subter tenentur inserta, interpellavit aliquus homines his nominibus illus & illus, dum dicerit, quasi vinia sua in loco nuncupante illo, malo ordine pervasisset. quia ipse illi & illi taliter in responso (dederunt), quod auctori habebant legitimo nomen illo majore, quia ipsa vinia ad eos dedisset. Sic ab ipsis viris illi fuit denuntiatum, ut die illo Andecavis civitate ipso illo in Autericio præsentare deberit: se hoc non faciebat, cum legis beneficio ipso illo de ipsa vinia revestire deberet. Actum.

Incipit mandatus.

XLVII. Domino magnifico illo illi. Rogo, preco, supplico atque injungo per hunc mandatum ad vicem meam hominem, nomen illo, quem ego beneficium ei feci, argento uncias tantas, ipsum meum ubi & ubi, eas vel meas prosequere & admallare & adcausare facias, quomodo ipso debite recipere facias: & quicquid ad vicem meam exinde facere volueris, egeris, feceris, gessserisve, etenim me habiturum esse cognusce ratum. Mandatum Andecavis civitate, curia puplica.

Incipit charta de sanguinolento (1), quem de matricola suscipi.

XLVIII. Cum in Dei nomen nos vero fratris, qui ad matricola sancti illius residere videmur, quos nobis ibidem omnipotens Deus de conlata Christianorum pascere videtur, invenimus ibidem infantolo sanguinolento, cui adhuc vocabulum non habetur, & de cuncto populo parentes ejus invenire non potuimus. Ideo convenit nobis unanimiter consentientes, & per voluntatem marthyrario, nomen illo Presbytero, ut ipso infantolo ad homine nomen illo venumdare deberemus. quod ita & fecimus, & accepimus pro ipso, sicut apud nos consuetudo est, treanto uno, cum nostro pacto, & intimare rogavimus. Si nus ipsi aut domenus vel parentis ejus, qui contra charta ita venire voluerit, in primitus Christus filius Dei vivi terribilem & metuendum, ut non sit ad gaudium, sed ad ejus detrimentum quod ei incutiat sempiternam pœnam; & quod repetit vindicare non valeat, & hæc facta nostra omni tempore firma permaneat.

Incipit judicius de homicidio.

XLIX. Veniens illi & germanos suos illi Andecavis civitate, ante viro illuster illo Comite vel reliquis racimburdis (2) qui cum eo aderant, quorum nomina per subscriptionibus atque signacola subter tenentur inserta, interpellabat aliquo homine, nomen illo, dicebat quasi ante hos annus parentis coram illo quomodo interfecisset. Interrogatum est sæpe dicto illo, quid ad hæc causa daret in responsis. sed hoc ad integra fortiter denegabat. Sic juxta actificantes sæpe dictis germanis visum est ad ipsis personas decrevisse judicio, ut quatrum in suum quod evenit ipso Kalendas illas, apud homines XII. mano sua XIII. vicinus circa manentes sibi: sin melius in ecclesia seniore loci in ipsa civitate hoc debiat conjurare, quod ad morte sæpe dicto numquam consentisset, nec eum occessisset, nec consciens, nec consentanius ad hoc faciendum numquam fuisset. Se hoc facere potest, diebus vitæ suæ de ipsa causa securus permaneat: sin autem non potuerit, in quantum lex præstat hoc emendare stodeat.

Inci-

(1) Recens nato, exposito.

(2) *V. Glossar. Cang.* in Rachimburgii.

Incipit notitia ad ſupradicta judicia.

Notitia ſacramenti, qualiter vel quibus præſentibus aderant in ipſo die Kalendas Martias ingreſſus eſt homo, nomen illi, in eccleſia ſeniore ſancti loci Andecavis civetate, ſecundum quod judicios ſuos loquitur, apud homines XII. mano ſua XIII. juratus dixit. Per hunc loco ſancto & divina omnia ſanctorum patrocinia, qui hic requieſcunt, unde mihi aliquid homenis illi & germanus ſuos illi reputaverunt, quod parente eorum illo quondam interficiſſe aut interficere rogaſſe; ipſum non occiſi, nec occidere rogavi, nec conſciens, nec conſentaneus ad morte ſua numquam fui, nec illud de hac cauſa non redebio niſi iſto edonio ſacramento, quem judicatum habui, legibus tranſivi. Id ſunt quod de præſente fuerunt, & hunc ſacramentum audierunt, & hunc notitiam manus eorum ſubter adfirmaverunt. Facta notitia.

Incipit mandatus.

L. Domino fratri illo, ego illi. Negociens rogo, preco, atque ſuppleco per hunc mandatum ad vicem meam ſervo meo, nomen illo, natione gentile: quem mihi confugio fecit ubi & ubi, cum ipſo invenire potueris, tam in pago, quam in palatio, ſeu in qualibet patria invenire potueris, quicquid exinde ad vicem meam proſequere & excauſare, vel admallare eas faceas: & quicquid per hunc mandatum egeris, feceris, geſſeriſve, etenim me habiturum eſſe cognuſce ratum. Mandatum Andecavis civitate.

Incipit mandatus.

LI. Domino magnifico illo, ego illi. Rogo atque ſuppleco veſtra caretate per hunc mandatum, ut omnes cauſas meas in pago illo ad vicem meam proſequere vel admallare facias, tam in pago, quam & (ſi neceſſitas fuerit) ad palacio, vel ubi locus congruus fuerit; & quicquid exinde egeris, feceris geſſeriſve, etenim me in omnibus habitaturis tibi eſſit cognuſcat ratum, quam geſtibus oblecatus. Et ut certius credatur, mano mea ſubter firmavi, & magnorum meorum ſubterius decrevi adfirmare. Datum mandatum Andecavis civitate.

Incipit noticia.

LII. Noticia qualiter veniens ille Andecavis civitate, die illo, in regionis, quod ficit menſis illi dies tantus, placitum ſuum adtendedit. Ac contra aliquus homines, his nominibus illus & illus; unde ante hos dies inrationis fuerunt pro vinia ſua in loco qui dicitur illo. Unde & autore nomen illo, ſpoponderunt præſentare ipſa vinia ipſis conſignaſit. Sed veniens in eo placito illi, de mane uſque ad veſperum placitum ſuum legibus cuſtodivit & ſolſadivit. Nam illi & illi ibidem fuerunt, & hoc quod eſpoponderunt, menime potuerunt adimplire. Proprerea neceſſarium ipſius illo, ut hanc noticiam manibus bonorum hominum exinde accipere deberit. quod ita et fecit, ut in poſtmodum quicquid lex inter eos declarat, attendere debiat.

Incipit ceſſio.

LIII. Quod bonum fauſtum ſit, Lex felicitatis adſatis adſentit, et lex Romana edocit, et conſuetudo pagi conſentit, et principalis poteſtas non prohibet, ut tam pro ſe intercidentem, quam ad die filiciſſimo nuptiarum obtabile evenientem. Idcirco ego in Dei nomine illi nomen, ante proſcribo ad ſponſam meam, nomen illa, filia illius, tranſcribo ad ipſa per hanc epiſtola atque ceſſione, hoc eſt caſa cum curte, vel omni circumcincto ſuo, hoc eſt mobile et inmobile, lecto veſtito, campo ferente modius tantus, de uno latere eſt campus; vinia juctus tantus, de uno latere vinia illius; ſilva juctus tantus, de uno latere ſilva illius; prado juctus, de uno latere prata illius, et eſt ſuper terraturium ſancti illius, in fundo illa villa, bovis tantus, vaccas cum ſequentis tantus; veſtimento tanto, in turis de ſoledus tantus, bracilo de ſoledus tantus, hæc omnia rem ſuperius nomenata, quamdiu adviximus, ambo pariter hoc tenere et poſſedire debiamus, ſuperius nomenata hoc tenire et poſſedire debias. Et ſe prolem nobis Deus dederit, cum omne integritate ut rem meliorata acceperit, et adfirmare deberimus: quod ita et ficimus. Poſt tranſitum vero tuum in ipſis revertantur. Et ſe agnatio de nobis procreata non fuerit, hæc omnia rem ſuperius nomenata, hoc tenire et poſſedire debiant, et cui volueris derelinquas. Et ſi fuerit qui contra hanc epiſtula adque ceſſione, quem ego bona voluntate nulla imperium fieri et adfirmare rogavi, venire aut litigare vel infrangere fortaſſe conaverit, inferat inter tibi et fiſco ſoledus tantus coactus componere debiat, et quod repetit vindecare non valiat.

Noticia diviſionis.

LIV. In Dei nom. Placuit atque convenit inter illus et illus germanus, ut inter ſe de res eorum devidere debuerunt. quod et fecerunt. Accipit illi hoc eſt caſa cum omni circumcincto illo, ſeu et mancipia vel mobile et immobile, quem in ipſa caſa eſſe videtur, vel vineas, ſilvas et prata, quantumcumque in ipſa caſa aſpicere videtur, totum et ad integrum. Et in contra accipit germanus ſuos illi alio locello illo, cum omne rem ad ſe pertinentis. Unde convenit ut manus eorum firmatas inter ſe accipere deberent, quod ita et fecerunt, ut unuſquis quod accipit habeat, teneat et poſſideat, vel cui voluerit derelinquat. Et ſi fuerit unus

ex

ex nus ipsis qui contra pare suo agere aut resultare præsumpserit, partem suam ad pare suo amittat, & insuper soledus tantus componat, & quod repetit nihil valeat vindecare; & hæc pactio divisionis omni tempore firma permaneat.

Noticia cessionis.

IV. Ego enim illi. Convenit nobis ad petitionem nutrido nostro, ut aliquo locello, nomen illo, in loco qui vocatur illo, pro assiduo servicio suo vel benevolentia qui circa nus abire visus est, ei concidere deberemus. quod ita & fecimus, ut post hunc diem ipso locello integrum habeat concessum, ut quicquid de ipso facere volueris, liberam in omnibus habeas potestatem faciendi. Et pro infestantis malis hominibus, convenit multa ibidem inferere debeamus. quod ita & fecimus. Et si fuerit qui contra epistola ista ullus de heredibus meis, aut quislibet homo, aut extranea persona, qui contra ipsa resultare voluerit, soledus tantus ei componat, & repeticio sua non obtineat effectum, & hæc epistola omni tempore firma permaneat cum stipulatione subnixa.

(*Formula dissolvendi matrimonii*).

LVI. Domino (1) non dulcissimo, sed amarissimo & exsufflantissimo jocali meo illo illa. Dum non est (incognitum), qualiter faciente inimico & interdicente Deo, ut insimul esse non potemus; proinde convenit nobis ante bonis hominibus, ut ad invicem nos relaxare deberemus. quod ita & fecimus. Ubicumque jocalis meus mulierem (ducere) voluerit, licentiam habeat potestatem faciendi. Similiter & illa convenit, ut ubicumque ipsa femina superius nominata sibi marito accipere voluerit, licentiam habeat potestatem faciendi. Et si fuerit post hunc diem unus ex nus ipsis qui contra hanc epistola ista agere aut repetire præsumpserit, soledus tantus ad pare suo cemponat una cum judice intercidentem, & quod reperit nihil valeat vindecare, & hæc epistola firma permaneat.

Incipit cessio.

LVII. Lex (2) Romana edocét, consuetudo pariter consentit, & regalis potestas non prohibet, ut unus quis de rem suam, quem in præsente die possedit, faciat quod voluerit. Idcirco ego quidem in Dei nomen illi, qui commaneo illa villa, quia pertractavi circa animus meus, ut omnis res meas, quem in præsente sæculo habere videor, ad filio meo duas partes per hanc epistola cessione ad die præsente trado ad possedendo, tam casas, domibus, ædificiis, mancipiis, campis, viniis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, junctis & subjunctis movelibus & inmovelibus, omni rem meam, pro assidua servitia sua vel benevolentia, ei, sicut dixi, partis duas deligo atque transfundo ad die præsente; tertia vero parte ad heredis propinquis reservans, hac tamen conditione, ut dum advixero, mihi in omnibus tam de victo, quam & de vestito soniare (3) mihi debiat, & ipsa terra persolvere faciat: & quicquid de ipsis duas partes facere voluerit, habendi, tenendi, donandi, vendendi, seu commutandi, absque præjudicio sancti illius, cujus terræ esse videtur, liberam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero (quod fieri esse non credo) si fuerit ullo umquam tempore, aut ego ipse, aut ullus de heredibus meis, vel quilibet homo aut extranea persona, qui contra hanc epistolam cessione ista venire aut agere fortasse præsumpserit, in primitus Dei incurrat judicium, & sanctorum loca efficiatur extraneus, & insuper inter tibi & agente sancti illius tantus componat; & quod reperit nullo congenio evindicare non valeat, & hæc cartola omni tempore firma permaneat.

(*Notitia de natis servorum*).

LVIII. Nos (4) enim illi & conjux mea illa. Dum non est incognitum, qualiter aliqua femena, nomine illa, servo nostro, nomen illo, ad conjugium copulavit, & modo nos bona voluntate convenit, ut quamdiu quidem in conjugio sunt copulati, ipsa femena per nos non debuit esse declinatam in servicio. Et agnacio, se ex ipsis procreata fuerit, ad ingenuetatem capitis eorum debuit permanere ingenui. Si quoque ut se eis necessitas fuerit, ad servicio caput eorum inclinatur, non ei detur licentia, nisi ad nos vel heredis nostris propinquiores: & peculiare, quod sit ante conjugio laborare potuerit, ipsa femena tercia parte exinde habeat absque nostra repeticione, vel heredum nostrorum. Deinde in hunc epistola nobis intimare convenit, se nos ipsi, aut heredis vel propinqui nostri seu quislibet opposita persona, quid ad traditis conveniencias ipsa femena conmodolare voluerit, aut contra epistola hæc agere contemtator fuerit, soledus tantus componat, & nihilum dicit & quod repetit, & hæc epistola omni tempore firma permaneat.

(*Notitia de commodato*).

LIX. Ego enim illi qui conmaneo illa villa. Constat me accepisse, & ita accipi de homine, nomen illo, ad pristetum beneficium argento uncias tantas. Sic modo convenit, ut cum multa caretate ipso argento die Kalendas illas mox venturi Septem-

(1) *V. Marculf. lib.* 2. *c.* 30. (2) *V. supra cap.* 36. (3) Præstare.
(4) *V. supra cap.* 44.

ptembris & circum me habere debiam, & ipso die argento vestro reddere faciam, & cautionem meam recipere faciam. Et si exinde necligens aut tardus fuerim, voluntate vestra non habueris, hic modo mihi in hunc caucione placuit inserere, ipsas revestitas in dupplum vobis sic reddeturus, aut vobis, aut cui caucionem istas dederis ad ex.

FORMULÆ LINDENBROGII.

Incipiunt exemplaria de diversis conditionibus, qualiter Regales, vel cartæ pagenses, aut senicæ, quas hæc formula continet, scribantur.

Capitula Formularum Lindenbrogii, & Index earum, quæ in aliis jam traditis collectionibus reperiuntur.

M. I. denotat Formularum Marculphi librum primum; *M. II.* Formularum Marculphi librum secundum; *M. Ap.* Marculphi Appendicem; *S.* Collectionem Sirmondicam; *B.* Bignonianam; *Bal.* Baluzianam; rotundo autem charactere descripta indicant Formulas, quæ infra ex Lindenbrogio depromptæ exhibentur.

CXL.

Carta de Episcopatu.

IV. Dum juxta Apostoli dictum omnis potestas sublimatur a Domino, & quatenus post Deum in regia manet potestate, taliter cuncta terrena debeant gubernari. Unde oportet nos salubri consilio retractare ut illi in locis sanctorum instituantur custodes qui digne ad ipsum officium gubernandum apparere noscuntur. Igitur dum & vestra & cleri vel pagensium civitatis illius adfuit petitio ut relicta urbe illa, quam prius regere & gubernare videbamini, in suprascripta urbe illa cathedram pontificalem suscipere deberetis. Et dum vos apud animos nostros & actio commendat probata, & nobilitatis ordo sublimat, ac morum probitas vel mansuetudo & prudentiæ honestas exornat, cum consilio & voluntate Pontificum, procerumque nostrorum, juxta voluntatem & consensum cleri & plebium ipsius civitatis, in supradicta urbe illa pontificalem in Dei nomine vobis commisimus dignitatem. Propterea per præsens præceptum decernimus ac jubemus ut supradicta urbs vel res Ecclesiæ ipsius & clerus, sub vestro arbitrio & gubernatione consistant, & erga regimen nostrum semper fidem inlibatam custodire debeatis, & juxta canonicam institutionem plebem vobis commissam assiduis prædicationum sermonibus expolire, & non minus pietate quam severitate constringere studeatis, & curam pauperum vel necessitatem patientium cum ingenti dilectione procuretis, ut adquisitam multiplicatamque gregis vestri salutem, ad ovile dominicum nullis maculis sordidatum valeatis præsentare; quatenus dum Ecclesiam vobis dispensatione divina commissam strenue regere atque gubernare videamini, nobis apud æternum retributorem mercedem suffragia largiantur, & vos immensum Christum pro nostrorum mole peccatorum assidue exorare debeatis.

Indiculus regalis.

XII. Ille Rex Francorum viris inlustribus Patriciis, Comitibus, Telonariis, vel omnibus curam publicam agentibus. Si opportuna beneficia ad loca sanctarum Ecclesiarum vel sacerdotibus præstare non desinemus, hoc nobis proculdubio æternam beatitudinem retribuere confidimus. Igitur nos ad petitionem apostolici viri illius urbis antistis talem propter nomen Domini, ejus meritis compellentibus, beneficium præstitisse cognoscite ut ubicunque infra regnum nostrum Missi sui mercari videntur, vel pro reliqua necessitate discurrunt, ullum teloneum vel quamlibet redhibitionem exinde ad partem fisci nostri nec ipse nec Missi solvere non debeant. Propterea per præsens præceptum decernimus, quod per-

perpetualiter mansurum esse volumus, ut nullum teloneum in nullis civitatibus aut pagis vel ubicunque in regno nostro teloneus exigitur, nec de navali nec de carrali evectione, nec de rotatico, nec de pontatico, nec pulveratico, nec saltuatico, nec cespitatico, nec de saumariis, nec de eo quod homines ad dorsum portant, nec nulla redhibitione, quam fiscus noster exinde sperare poterat, nec vos nec juniores aut successores vestri non requiratis nec exigatis; sed omnia & in omnibus hoc propter nomen Domini ipse Pontifex vel successores sui ad memoratam Ecclesiam sancti illius habeant indultum, vel in luminaribus ipsius loci proficiat. Quæ vero auctoritas ut perpetuis temporibus valeat, propria eam manu infra decrevimus roborare.

Cessio a die præsente ad Ecclesiam.

XVII. Ego ille cogitans Dei amorem vel æternorum bonorum retributionem, ideo cedo a die præsente ad supradictam basilicam & monachos ibidem consistentes cessumque in perpetuum esse volo portiones meas in loco nuncupato ill. sitas in pago ill. quæ mihi tam de alode quam de comparato vel de quolibet adtracto advenit, vel legibus advenire potest, in supra memorato loco, tam terris, domibus, ædificiis, mancipiis, libertis, accolabus, merito ac colonorum, vineis, silvis, pratis, pascuis, campis, cultis, incultis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omnibus adjacentiis & appendiciis vel colonicis ad me pertinentibus, vel omni integritate, vel superposito, quicquid dici aut nominari potest, in supra memorato pago, vel loco supra nominato, vel utique de supradictis portionibus tenere visus sum, totum & ad integrum a die præsente ad jam memoratum monasterium vel ad ipsos monachos ibi consistentes perpetualiter trado atque transfundo de meo jure in eorum dominationem ad possidendum; ut quicquid a die præsente exinde facere voluerint, liberam ac firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Si quis vero, quod fieri non credo, in futurum, sive ego ipse, aut ullus de heredibus vel proheredibus meis, aut ulla emissa vel opposita persona, vel quislibet, qui contra hanc cessionem meam, quam ego bona voluntate fieri & adfirmare rogavi, venire, agere, aut resultare, vel quibuscunque modis repetere aut infrangere conatus fuerit, nec hoc valeat vindicare quod repetit, & insuper partibus supra memorati monasterii vel monachis ibi consistentibus duplum tantum quantum ipsæ res eo tempore melioratæ valuerint componat, & insuper socio fisco multa auri libram unam coactus exsolvat, & hæc cessio omni tempore firma permaneat, stipulatione subnexa. Actum loco illo.

Donatio ad casam Dei.

XVIII. Ille bene possidet res in seculo qui sibi de terrenis seu de caducis rebus comparat præmia sempiterna. Quapropter ego in Dei nomine ille, necnon et conjux mea, ambo pariter cogitantes de Dei timore vel æterna retributione, propterea donamus, tradimus, aliquas res nostras ad monasterium quod dicitur ill. quod dedicatum esse dinoscitur in honorem sancti illius, ubi venerabilis vir ille rector præesse videtur. Donamus igitur et donatum in perpetuo esse volumus, hoc est, in pago ill. nuncupato ill. fluvio ill. mansos tantos, cum hominibus ibidem commanentibus vel adspicientibus ill. vel ill. cum domibus, ædificiis, curtiferis, cum wadris, campis, terris, tam cultis quam et incultis, silvis, pratis, pascuis, farinariis, cum inviis, perviis, aquis, aquarumque discursibus, mobilibus et immobilibus, præsidiis, peculiis, pecoribus, omne et ex omnibus, quicquid in ipso loco nostra videtur esse possessio vel dominatio, rem exquisitam, totam & ad integrum, tam de alode quam & de comparato seu de quolibet adtractu, quicquid ad nos ibidem noscitur pervenisse, de nostro jure in jus & dominationem jam dicti monasterii per hanc chartulam donationis sive per festucam atque per andelangum a die præsente donamus, tradimus, atque perpetualiter in omnibus transfirmamus. In ea vero ratione ut pars prædicti monasterii ab hac die hoc habeat, teneat, atque possideat; vel quicquid exinde facere voluerit, liberam ac firmissimam Christo propitio in omnibus habeat potestatem. Et si quis deinceps, quod futurum esse non credimus, si nosmetipsi, quod absit, aut ullus quislibet de heredibus nostris, ceu ulla quælibet extranea persona contra hanc donationem venire aut eam calumniari præsumpserit, si se exinde non correxerit, a liminibus sanctæ Ecclesiæ excommunicatus & sequestratus appareat, & insuper ante tribunal Christi hac de causa se judicatum iri cognoscat. Qui vero calumniam intulerit, auri uncias tant. argenti libras tant. coactus exsolvat, & quod repetit nullo modo evindicare prævaleat; sed præsens donatio hæc nostris & nobis rogantibus bonorum hominum manibus roborata, quorum nomina vel signacula subter tenentur inserta, stipulatione nostra posita, diuturno tempore maneat inconvulsa. Actum. *& reliqua.*

Precaria ad casam Dei.

XIX. Domino venerabili & in Christo patri ill. Episcopo de monasterio illo, quod est constructum infra muros illius civitatis juxta fluvium ill. &c. Igitur ego in Dei nomine ille. Dum non est incognitum qualiter omnem rem portionis meæ in pago ill. in loco nuncupato ill. super fluvio ill. & in alio loco qui dicitur ill., id est mansos tantos, cum domibus, ædificiis, curtiferis, cum wadris, silvis, terris arabilibus, campis, pratis,

pascuis, cum inviis, perviis, & mancipiis ibidem commanentibus vel adspicientibus, quantacunque in ipsis locis mea fuit possessio vel dominatio, vobis ad ipsum monasterium superius nominatum ad opus sancti ill. tradidi atque transfirmavi. Sed postea mea fuit petitio, & vestra non denegavit voluntas, ut ipsam rem, dum advixero, per vestrum beneficium usu fructuario mihi præstitissetis ad habere. quod ita & fecistis. Simili etiam modo expetivi a vobis aliquam rem vestram in pago ill. in loco nuncupato ill. super fluvio illo, illam videlicet rem quam quondam ille homo per vestrum beneficium tenere visus est, ut eam mihi in usum concedere dignaremini. Et pro ipso usu censivi vobis annis singulis denarios, ceu solidos tantos, ut ipsos ad festivitatem sancti illius, die mensis illius, exolvere facerem. Et si de ipso censu tardus aut negligens apparuerim, fidem exinde faciam, & contra ipsam casam Dei componere debeam. Et sic nobis complacuit atque convenit ut ipsas res nec vendere nec donare nec concambiare nec in ullum quodlibet naufragium imponere licentiam non habeam; nisi tantum, dum advixero, usitare & meliorare faciam. Et post meum ex hac luce discessum, filius meus nomine ill. in ipsa precaria vel in ipso censu adstare debeat. At post ejus discessum ipsas res cum omni suprapositio, quicquid ibidem adtractum emelioratumque repertum fuerit, vel transitus ejus ibidem dereliquerit, absque ullius contradictione vel judiciaria consignatione revocare faciatis in vestrum dominium. Et ut hæc precaria firmior habeatur, de quinquennio in quinquennium sit renovata, quatenus sic semper permanere valeat, in effectum stipulatione interposita. Actum, *& reliqua*.

Præstaria ad casam Dei.

XX. Ego in Dei nomine ille Abba de monasterio illo, quod est constructum in honore sancti illius, dilecto amico nostro nomine ill. & uxori suæ nomine ill. Dum non est incognitum qualiter aliquas res vestras in pago illo, in loco nuncupato illo, super fluvio illo, hoc est, mansos tantos, cum domibus, ædificiis, curtiferis, cum wadris, campis, terris, pratis, pascuis, cum inviis, perviis, & mancipiis ibidem commanentibus vel adspicientibus his nominibus N. N. vel quantacumque in ipso loco vestra fuit possessio vel dominatio, nobis ad jam dictum monasterium ad opus sancti ill. tradidistis atque confirmastis. Sed postea vestra fuit petitio, & nostra non denegavit voluntas, ut ipsas res, dum advixeritis, usu fructuario jure præstitissemus ad habere; quod ita & fecimus. Et pro ipso usu censistis nobis singulis annis denarios tantos, ut ipsos ad festivitatem sancti ill. die mensis ill. exsolvere faciatis. Et si de ipso censu tardi aut negligentes apparueritis, fidem exinde faciatis, & contra ipsam casam Dei componere debeatis. Et sic nobis complacuit atque convenit, ut ipsas res nec vendere nec donare nec alienare nec concambire nec in ullum quodlibet naufragium ponere licentiam non habeatis; nisi tantum, dum advixeritis, usitare & meliorare faciatis; & post vestrum amborum discessum ipsas res emelioratas absque ullius contradictione vel judiciaria assignatione revocare faciamus in nostrum dominium. Et hæc præstaria de quinquennio in quinquennium sit renovata, quatenus permanere valeat, in effectum stipulatione composita, diuturno tempore inconvulsa. Actum, *& reliqua*.

Precaria de ipsa villa dum vivit.

XXV. Domino venerabili in Christo patri Domno ill. Abbati de monasterio ill. vel omni congregationi monachorum in monasterio illo, quod est in pago illo, in honorem sanctorum illorum constructo, ibidem Deo deservienti. Ego enim ille. Dum non habetur incognitum, sed inter plures cognoscitur, quod ego res meas juris ac proprietatis meæ, quæ sunt in pago illo & illis conditis vel finibus illis, villas & loca nuncupata ill. & ill. cum omni merito vel termino suo, cum omni integritate vel appendiciis vel adjacentiis vel suprapositis, seu servos & ancillas, accolas, libertos, libertas cum omni peculiari & merito eorum, ad jam dictum monasterium a die præsenti per meam epistolam confirmavi. Et vos omnia supra memorata vel quantum ipsa epistola commemorat, per meam traditionem ad partem jam dicti monasterii, in vestro jure vel potestate recepistis. Sed dum postea mea fuit petitio vel supplicatio, & vestra præstitit bona voluntas, ut ipsas res quandiu advixero, per vestrum præstitum beneficium tantummodo usufructuario ordine habeam vel possideam, eo videlicet modo ut quidquam exinde minuendi aut distrahendi aut alienandi non habeam potestatem. Quod si fuerit, quod absit, aut ego ipse, aut aliquis de heredibus meis, vel quislibet qui in aliqua contrarietate, aut diminutione, seu calumnia orta fuerit, aut surrexerit, aut adesse conatus fuerit, in primis ipsas res amittat, & Abbas monasterii vestri eas ad integrum recipiat, insuper & alias tantas res partibus ipsius monasterij componere & adimplere faciat. Et quia censistis me annis singulis pro ipsis rebus in festo sancti ill. argentum vel quidlibet solvere faciam; si de ipso censu ad eum placitum negligens fuero, spondeo ut ipsum in duplum solvam. At dum hæc omnia supra memorata inlibata servavero, nec vos nec juniores aut successores vestri de ipsis rebus ullam diminutionem vel contrarietatem, si spatium vitæ Dominus mihi prolongare dignatus fuerit, facere præsumatis. Post meum quoque discessum omnes ipsas res, cum omni addita melioratione, vel omnibus supra positis, cum omnibus rebus atque corporibus, opibus atque præsidiis, absque ullius judicis aut heredum meorum expectata consignatione

tione aut traditione, vos aut agentes vestri jam dicti monasterii vestri in eorum faciant revocare vel recipere dominationem vel potestatem, sicut eorum continet epistola, perpetualiter faciendo quod egerint.

Sequitur præstaria.

XXVI. In Dei nomine ille Abba & omnis congregatio fratrum nostrorum aut monachorum in monasterio ill. Domino deservientium, in Christo filio illo. Dum tua fuit petitio vel supplicatio, & nostra decrevit voluntas, ut præstitum beneficium de rebus nostris tibi facere deberemus, quod ita & fecimus, quæ sunt in pago ill., in condita illa, in loco qui vocatur sic, quem tu aut ill. per epistolam donationis a die præsente ad jam dictum monasterium nostrum ill. confirmavit, id est, mansum cum casa, vel alias terras, vel quantum ipsa epistola continere videtur, ut quamdiu advixeris (aut ad v. aut x. aut xv. annos) ipsas res usualiter habere & possidere vel excolere debeas; & nihil exinde minuendi aut alienandi vel detrahendi aut in pejus vertendi non habeas potestatem, neque transferendi quicquam. Quod si feceris, aut in alio contrario aut iniquo ingenio, vel contrarietate, aut tu ipse, aut aliquislibet homo de ipsis rebus adesse aut adstare conatus fuerit, in primis ipsas res amittas vel perdas, & alias tantas vel tales partibus jam dicti monasterii componere & solvere facias. Et censuimus de annis singulis pro ipsis rebus in festo sancti ill. ceram aut argentum tant. partibus ipsius monasterii solvere facias. Et si de ipso censu negligens fueris, ipsum duplum reddas; & hæc præstaria nostra usque ad eum placitum firma permaneat, stipulatione subnixa. Acta ibi. *& reliqua.*

Carta de Mundeburde Regis & Principis.

XXXVIII. Ille Rex vir inluster Domnis sanctis ac venerabilibus in Christo patribus omnibus Episcopis, vel omnibus Abbatibus, seu & inlustribus viris, Ducibus, Comitibus, Vicariis, Centenariis, vel omnibus agentibus, seu omnibus Missis nostris discurrentibus, vel omnibus paribus & amicis nostris, tam præsentibus quam futuris, bene cupiens vester. Comperiat magnitudo seu industria vestra quod veniens venerabilis vir ille Abba de monasterio sancti illius tam se quam & ipsum monasterium cum omnibus rebus suis ad nos se plenius commendavit; & nos postea gratante animo ipsum venerabilem virum illum Abbatem cum ipso monasterio vel hominibus suis et omnes causas suas amabiliter sub nostro recepimus mundeburde vel defensione. Ideoque salutantes magnitudinem seu industriam vestram, vobis omnino per has litteras rogamus atque præcipimus ut nullus ex vobis jam dictum venerabilem Abbatem, vel ipsum monasterium, nec homines, nec res suas, quas ad præsens habere videtur, vel inantea Christo propitio a bonis hominibus ibidem conlatum fuerit, nullus inquietare nec condemnare, vel aliquid de rebus suis minuere omnino præsumat; sed cum Dei gratia et nostro mundeburdo vel defensione, tam eum, quam suos homines residere cum quiete sinatis. Et si aliquæ causæ adversus ipsum Abbatem vel monasterium ipsius seu homines ejus fuerint, quæ in pago absque suo iniquo dispendio recte definitæ non fuerint, eæ usque ante nos omnimodis fiant suspensæ vel reservatæ; et postea ante nos per legem et justitiam finitivam accipiant sententiam. Id ut certius credatis, manu propria subter firmavimus et de anulo nostro sigillavimus. Sign. vel Domnus ill. Rege glorios. ill.

Sacramentum fidelitatis.

XL. Repromitto ego, quod ab isto die inantea fidelis ero Domno Karolo piissimo Imp. filio Pipini Regis, & Bertanæ reginæ, pura mente absque fraude & malo ingenio de mea parte ad suam partem, & ad honorem regni sui justitia obediens, atque consentiens, sicut recte debet esse homo domno suo. Sic me adjuvet Deus, & ista patrocinia, quæ in loco sunt, quia in diebus vitæ meæ per meam voluntatem in quantum mihi Deus intellectum dederit, sic adtendo, & conservo. Anno XI. feliciter regni domini nostri Karoli gloriosissimi Regis in mense Martio.

Carta donationis inter virum & uxorem.

L. Quandoquidem Deus voluerit inter virum & uxorem, ad pacis vinculum atque concordiam nectendam, ut res eorum inter se condonare deberent, sicuti & fecerunt, Ideoque complacuit atque convenit inter venerabilem virum illum & uxorem illius nomine illam, eo quod inter eos agnatio minime esse cerneretur, ut alter alteri de rebus eorum inter se condonare deberent. quod ita & fecerunt. Dedit itaque venerabilis vir ille uxori suæ nomine illa de rebus suis in pago ill. in loco nuncupato ill. super fluvio ill., hoc est mansos tantos, cum domibus, ædificiis, curtiferis, cum wadris, terris, silvis, pratis, pascuis, campis, mobilibus & immobilibus, mancipiis ibidem commanentibus vel adspicientibus his nominibus ill. & ill. cum omni integritate vel soliditate, quicquid ibidem jure hereditario ad se pertinere videtur. Similiter visa est reddere uxor ill. nomine ill. præfato jugali suo nomine ill. de rebus suis in pago illo in loco nuncupato ill. super fluvio ill. mansos tantos, cum domibus, ædificiis, curtiferis, cum wadris, terris, tam cultis quam incultis, silvis, campis, pratis, pascuis, cum inviis & perviis eorum, integra omnia & ex omnibus, quicquid ibidem sua fuit possessio vel dominatio. Similiter etiam omne præsidium vel elaborata eorum inter se pars parti visus est donare. In tali vero tenore, ut quisquis de eis pari suo in hoc seculo superstes fuerit, omnes res quas dedit & quas accepit, in suo jure & dominatione recipere debeat, habeatque tenendi, dandi, vendendi, commutandi, heredibusque

que suis ad possidendum relinquendi, liberam in omnibus potestatem. Propterea has duas epistolas adfatimas uno tenore conscriptas inter se fieri vel firmare rogaverunt, ut nullus quilibet de heredibus ac proheredibus eorum hanc congruitatem inter eos factam ullo unquam tempore possit irrumpere, nisi absque ullius contradictione omni tempore firma & stabilis permaneat. Quod si aliquis de heredibus ac proheredibus eorum hanc cessionem calumniari præsumpserit, dupliciter quantum eo tempore ipsæ portiunculæ valuerint, & insuper ad partem fisci, auri uncias tantas, argenti libras tantas coactus exolvat, & quod repetit nullum obtineat effectum, sed, sicut diximus, hæ epistolæ tam a nobis, quam ab aliis bonorum hominum manibus roboratæ, omni tempore firmæ & stabiles permaneant, stipulatione interposita. Actum. *& reliqua.*

Charta cum in locum filiorum nepotes instituuntur ab avo.

LV. Ego in Dei nomine ille & conjux mea illa dilectissimis nepotibus nostris necnon & neptibus nostris illis. Constat vero, prout fragilitas humana exposcit, quæ primi parentis culpa existente mortis debitum quotidie nolens volensque persolvit, quod genitor vester nomine ille filius noster de hac luce ante nos visus est decessisse, & nos Dei omnipotentis providentia ei reservati superstites fuerimus. Hac igitur de causa complacuit nobis atque convenit ut pro ipso proprietatis jure, in quo genitor vester legitime succedere debuit, si nobis in hoc seculo superstes fuisset, ita vos post nostrum quoque discessum æqualem partem cum avunculis vel amitis vestris filiis vel filiabus nostris ad integrum accipere debeatis. Propterea per hanc chartulam traditionis sive per festucam atque per andelangum donamus, tradimus vobis, sicut diximus, de omni re proprietatis nostræ, quidquid ad præsens possidere visi sumus; id est, tam in terris quam in silvis, campis, pratis, pascuis, vineis, mancipiis, peculiis, pecoribus, omnia & ex omnibus, ut ipsam hereditatem, sicut diximus, æqualiter contra heredes nostros filios vel filias nostras, ipsam videlicet portionem quam pater vester ille hereditare voluerit accipere debeatis, ut ab hac die habeatis, teneatis, atque possideatis, & inter vos legitime dividere faciatis, vel quidquid exinde facere volueritis, liberam in omnibus habeatis potestatem. Et si quispiam contra hanc chartulam cessionis aliquam calumniam stabilire præsumpserit, vel vobis ipsam portionem per fraudem abstrahere voluerit, componat vobis dupliciter, id est, quantum eo tempore ipsa portio valuerit, & insuper inferat ad partem fisci auro uncias tant. argento libras tantas. Et hoc actu exsolvat, & insuper quod repetit nullatenus evindicet, sed præsens epistola hæc omni tempore firma & stabilis permaneat, stipulatione subnexa. Actum. *& reliqua.*

Carta cum quis nepoti aliquid meliorare voluerit.

LVII. Dulcissimis nepotibus meis illis, necnon & neptibus meis illis, ego in Dei nomine ille. Licet pro servitio vel benevolentia quam circa me die noctuque exhibuistis, de rebus proprietatis meæ vobis aliquid condonare deberem, sicuti et feci. Ideoque per hanc epistolam cessionis, sive per festucam atque per andelangum, dono, trado vobis aliquam rem meam in pago illo, in loco qui dicitur ille, id est, mansos tantos, cum ædificiis suprapositis, una cum terris, silvis, campis, pratis, pascuis, communiis, necnon et mancipiis ibidem commanentibus vel adspicientibus, omnia et ex omnibus, quidquid in ipso loco mea videtur esse possessio vel dominatio. In tali vero ratione, ut hæc omnia superius nominata a die præsente habeatis, teneatis, atque possideatis, vel quidquid exinde facere volueritis, liberam in omnibus habeatis potestatem. Et si quis deinceps, quod fieri non posse credo, si ego ipse, quod absit, aut ullus de heredibus ac proheredibus meis hanc cessionem refragare tentaverit, si se exinde non correxerit, a collegio sanctæ Dei Ecclesiæ alienus existat, et insuper inferat vobis dupliciter, id est, quantum eo tempore ipsæ res valuerint, et quod repetere videtur, nullum obtineat effectum, sed præsens hæc epistola tam a me quam ab heredibus meis defensata, omni tempore firma et stabilis permaneat. Actum. *& reliqua.*

Traditio respectualis, sive epistola qualiter extraneus in locum filiorum adoptetur.

LVIII. Domino fratri illi, ego in Dei nomine ille. Dum igitur & peccatis meis facientibus procreationem filiorum minime habere videor, & me paupertas vel infirmitas corporis assidue opprimere videtur, ideo complacuit mihi atque convenit ut in locum filiorum vel filiarum te adoptare deberem; quod ita & per hanc epistolam visus sum fecisse. Dono igitur tibi omnes res proprietatis meæ, quascunque de parte paterna seu de materna adquisisse videor, id est, in pago illo, in loco nuncupato illo, hoc est, mansos tantos cum ædificiis suprapositis, curtiferis, cum wadris, silvis, terris arabilibus, campis, pratis, pascuis, adjacentiis, seu & mancipiis ibidem commanentibus, cum omni suppellectili domus meæ, quidquid ibidem præsenti tempore possidere videor, in tuam transfirmo dominationem. Similiter & in alio loco qui dicitur ill. in ipso jam dicto pago, id est, mansos tantos, cum ædificiis suprapositis, curtiferis, silvis, campis, pratis, pascuis, communiis, & mancipiis ibidem commanentibus vel adspicientibus, id est, quantumcumque in ipso loco mea videtur esse possessio vel dominatio, totum & ad integrum per hanc chartulam cessionis, sive per festucam atque per andelangum, de meo jure in jus & dominationem tuam perpetualiter transfirmo. In ea vero ratione ut quamdiu advixero, vi-

ctum

ctum mihi, potum, & vestimenta, & calciamenta in omnibus sufficienter procurare debeas, ut exinde mihi omnibus diebus vitæ meæ nihil deficiat: quod si hoc non feceris, ipsas res, quas tibi delegavi, ad integrum perdas. Propterea hanc epistolam tibi fieri vel firmari rogavi, ut nullo unquam tempore aliquis de heredibus meis seu proheredibus hanc convenientiam inter nos factam immutare vel refragare non possit, sicut superius continetur. Ea scilicet ratione, ut quamdiu advixero meam necessitatem in omnibus procurare debeas in cibo & potu, in vestimentis seu calciamentis; & post meum discessum ipsæ res, quas tibi tradidi, in tua dominatione pemaneant, vel quidquid ibi deinceps facere volueris, liberam in omnibus habeas potestatem. Et si ullus quislibet, quod fiendum esse non credo, si aliquis de propinquis meis, vel quælibet alia persona hoc emutare vel temerare præsumpserit, inferat tibi tantum quantum ipsæ res valuerint, & insuper ad partem fisci auro uncias tant. argento libras tantas coactus exsolvat, & quod repetit nihil evindicet, sed præsens hæc epistola adoptionis omni tempore firma & stabilis permaneat, cum stipulatione subnixa. Actum. *&* *reliqua.*

Alia de eadem re.

LIX. Ego in Dei nomine ille. Dum peccatis meis facientibus orbatus sum filiis meis, placuit ut te illum, una cum consensu patris tui, in civitate illa cum curia publica & defensore, de potestate patris naturalis descendentem, & in meam potestatem venientem, in locum filiorum adoptarem quod ita & feci: ea vero ratione, ut quamdiu advixero, victum & vestitum, tam in dorso quam in lecto, seu calciamento, mihi in omnibus sufficienter impertias & procures, & omnes res meas, quascunque habere videor, tam in manso, vinea, prato, peculio, seu reliqua suppellectili domus, salvo jure meo, diligenter excolas. Post obitum quoque meum, sicut a me generatus fuisses, ita in omni hereditate mea per hanc epistolam adoptionis statim sis successurus, vel quidquid de supradictis rebus meis, quantascunque moriens dereliquero, facere volueris, jure proprietario, absque repetitione heredum meorum, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem. Quod si aliquis hoc temere emutare voluerit, inferat tibi tant. & quod repetit vindicare non valeat, sed præsens epistola omni tempore firma permaneat. *&* *reliqua.*

Gesta juxta consuetudinem Romanorum, qualiter testamenta allegentur.

LXXIII. Anno illo regnante Rege illo, sub die illo, in civitate illa, adstante viro illo laudabili defensore, & omni curia publica, vir magnificus ille prosecutor &c. *M. II.* 37.

Textus mandati.

Domino magnifico fratri ill. Peto & supplico atque tuæ caritati injungo, ut in vicem meam civitatem illam adeas, & donationem illam, quam ego partibus illius de locis nostris nuncupatis illis sitis in pago illo per meum legitimum instrumentum confirmavi, prosequi & gestis municipalibus coram curia publica & defensore facias allegari. Propterea tibi hoc mandatum conscripsimus &c. *M. II.* 38.

Post recitationem mandati, vir honestus ille defensor dixit: Mandatum quidem recitatum est, sed suprascriptum testamentum, quod præ manibus habere dicis, amanuensis accipiat, & nobis præsentibus recitetur, & ut postulas gestis publicis firmetur. Qui statim accipiens, per ordinem illud recitavit. Post recitationem vero ille persecutor dixit: Quia petitiones meas laudabilitas vestra per ordinem implere dignata est, rogo ut publica monumenta suscipiat. Vir laudabilis ille defensor & curiales dixerunt: Testamentum quod recitatum est, gestis publicis inseratur, & quod ille persecutor velit, & petit, gesta ei publice dentur. Ille persecutor dixit: Sufficit mihi bone defensor, si testamenti, quod recitatum est, mihi gesta, ut mos est, tradere jubeatis. Defensor & ordo curiæ dixerunt: Quia testamentum & mandatum inde conscriptum per ordinem conditum, & bonorum hominum manibus roboratum atque signatum manifeste cognovimus, æquum est ut gesta ex hoc conscripta, & a nobis subscripta, tibi ex more tradantur, et in archiis publicis serventur, ut facilius, quod superius insertum est, diuturno tempore maneat inconvulsum. Edatur ordine et mandatum et totus testamenti textus, et postea defensor et curiales civium et reliqui subscribant atque signent.

Libellus dotis.

LXXV. Dulcissima atque amantissima sponsa mea nomine illa, ego in Dei nomine ille. Igitur dum taliter parentibus nostris utriusque partis complacuit atque convenit ut ego te solido & denario secundum legem Salicam sponsare deberem, quod ita & feci; similiter complacuit nobis atque convenit ut de rebus proprietatis meæ tibi aliquid in dotis titulum condonare deberem: quod ita & feci. Idcirco per hanc chartulam libelli dotis, sive per festucam atque per andelangum, dono tibi & donatum in perpetuo esse volo, id est, in pago illo, in loco nuncupato illo, super fluvio illo, hoc est, mansos tantos, cum hominibus ibidem commanentibus vel adspicientibus his nominibus illis vel illis, cum terris tam cultis quam & incultis, silvis, pratis, campis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, præsidiis, peculiis, pecoribus, vineis, farinariis, vel quicquid in ipso loco mea videtur esse possessio vel dominatio, rem inexquisitam, totum & ad integrum, sicut superius dixi, dono, trado, atque transfirmo. Insuper etiam dono tibi in pecoribus, id est, inter

ter boves & vaccas, inter porcos & verveces, capita tanta, in fabricaturis, id est, in auro vel argento solidos tantos. In ea vero ratione ut hæc omnia superius nominata, quandoquidem dies nuptiarum evenerit, & nos Deus conjunxerit, tu dulcissima sponsa mea nomine illa ab ipso die hoc habeas, teneas, atque possideas, vel quidquid exinde facere volueris, liberam ac firmissimam in omnibus habeas potestatem. Et si quis deinceps contra hanc chartulam libelli dotis, quod fiendum esse non credo, venire aut eam temerare præsumpserit, si se exinde non correxerit, illum qui ab initio masculum & feminam condidit, contra se ultorem sentiat, & insuper auro uncias tantas, argento libras tantas coactus exsolvat, & quod repetit nullatenus evindicare prævaleat, sed præsens hæc epistola tam a me quam ab heredibus meis defensata omni tempore firma & stabilis permaneat, stipulatione interposita.

Constitutio dotis.

LXXIX. Cum constet fœcunditatem humanæ prolis a protoplasto Domino præcipiente crevisse, *Crescite*, inquiente, *& multiplicamini*; atque ob adjutorium mulier de latere sumpta sit viri, dicente Domino, *Faciamus ei adjutorium simile sibi*, &, *idcirco relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, & ut certius humana fragilitas possit dignoscere bonum atque a Deo constitutum esse conjugium, ipse auctor redemptionis Christus Dei filius invitatus ad nuptias venit, ibique aquas in vinum mirabile convertit. Idcoque ego in Dei nomine Gaufridus, præcedentium patrum vestigia sequens, una cum consensu virorum illustrium propinquorum meorum, visum est mihi legibus copulare legitimum conjugium ad procreationem filiorum, atque in dotis titulum dare sponsæ meæ nomine Hisdemei, filiæ quondam Wtardi atque Osbrenæ; decrevi in præsentia virorum nobilium agere, studuique ut ejus temporibus inconvulsum permanere queat: quod ita & feci. Ergo dono tibi donatumque secundum legem Salicam in tua dote a die præsenti jure legitimo in perpetuum esse volo, & de meo in tuum jus & dominationem trado atque transcribo, hoc est, mansum juris mei indominicatum, cum aliis quatuor mansis servilibus, seu adspicientibus simul curtiferis, vineis arpennorum quatuor, silvis, viridigariis, pratis, campis, cultis, vel incultis, pascuis, perviis, exitibus & regressibus, & reliquis adjacentiis, mobilibus & immobilibus, cum mancipiis utriusque sexus, quorum hæc sunt nomina. Giofredus & uxor sua donavit eam infantibus Geroldo & Abdone, necnon & Poppa. Magewardus & uxor ejus Adalburgis cum filio suo nomine Burando, Isembertus, Aimbertus, Petitus, Vltegerius, Alboinus, Olfardus, Lanceri et uxor sua Sicberta, Airmannus, et conjux ejus Adalburgis, et filia eorum Ingeltrudis, Cathindes, Megewardus, Pucellita, & Albutius. Qui præscriptus mansus cum omnibus appendiciis est in pago Carnotense, in vicaria Ganegiacense, in loco qui dicitur Sicheri villa. Hæc omnia superius comprehensa die præsenti tibi sum daturus vel traditurus, totum et inexquisitum, ut quicquid exinde facere volueris, liberam et firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Dono etiam tibi in præfixo pago vel in eadem vicaria, in loco qui dicitur Bonervilla, omnem medietatem, tam ex mancipiis quam ex alode, quam ibi videor habere, hoc est mansum unum cui adspiciunt mansi serviles quatuor cum mancipiis, quorum hæc sunt nomina, Galastus, Ergarius, Pascarius, Marlinus, Polita, et Amelberga, vineis arpennorum quatuor, pratis, silvis, aquis, aquarumve decursibus, terris cultis et incultis, exitibus et regressibus, vel quicquid ibi adspicit, omnem medietatem, tam in terris quam in mancipiis, id est, mansum unum cum mansis quatuor ibi adspicientibus, cum pratis arpennorum duorum, et medietatem Ecclesiæ Dei.

Charta compositionis, si aliquis puellam invitam traxerit.

LXXXII. Dulcissimæ atque amantissimæ conjugi meæ nom. ill. ego ill. maritus tuus. Licet ergo ut ego rapto scelere absque voluntate parentum tuorum te mihi in conjugium visus sum sociasse, unde vitæ periculum incurrere potui, nisi intervenissent sacerdotes vel reliquæ plures illustres personæ, qui nos ad pacis concordiam vel unanimitatem visi sunt revocasse. Qua de re convenit nobis ut de rebus proprietatis meæ tibi aliquid donationis causa condonare deberem; quod ita & feci. Ideoque per hanc epistolam compositionis, sive per festucam & andelangum, dono tibi & donatum in perpetuo esse volo, id est, aliquam portiunculam meam in pago illo, in loco nuncupato illo, super fluvio illo, hoc est, mansos tantos cum hominibus ibidem commanentibus vel adspicientibus utriusque sexus, cum terris arabilibus, silvis, campis, pratis, cum inviis, perviis, omnia & ex omnibus, quidquid in ipso loco possidere præsenti tempore visus sum, totum & ad integrum tibi per hanc chartulam compositionis dono, trado, atque transfirmo. Similiter dono tibi in auro vel argento solidos francos tantos. In tali vero tenore ut hæc omnia superius nominata a die præsente habeas, teneas, atque possideas, posterisque nostris ad possidendum relinquas, vel quidquid exinde facere volueris, liberam in omnibus habeas potestatem. Et si aliquis contra hanc epistolam compositionis venire, aut eam irritam facere voluerit, inferat tibi tantum & aliud tantum, quantum eo tempore ipsa portiuncula valuerit. Et insuper publico fisco auri uncias tantas, argenti libras tantas, coactus exsolvat, & quod repetit nullatenus evindicet; sed præsens hæc epistola compositionis omni tempore firma & stabilis permaneat, sti-

ſtipulatione ſubnexa. Actum. *& reliqua.*

Charta triſcabina.

LXXXVIII. Ego in Dei nomine ille cogitans de Dei timore vel æterna bona retributione, propterea dilecta extranea puella nomine illa, licet te ſervus meus nomine ille abſque voluntate parentum tuorum te ad conjugium viſus fuit ſociaſſe, unde vitæ periculum incurrere debuit, ſi non quamplures extraneæ perſonæ, vel etiam illuſtres viri, hac de cauſa ſæpius interveniſſent; maxime vero quia tu infra noctes XL. ſecundum legem Salicam viſa es reclamaſſe. Nunc igitur complacuit nobis atque convenit ut talem chartulam triſcabinam ſeu ingenuitatis ipſi ſervo noſtro nomine illo fieri vel firmare rogaremus, ut nullo unquam tempore in aliquod ſervitium inclinari non debeas. Sed & ſi aliqua agnatio de ipſo ſervo noſtro ex te apparuerit, in nullum ſervitium nec nobis nec heredibus ac proheredibus noſtris, nullatenus debeat adſerviri; ſed, ſicut diximus, tantum quantum & agnatio tua, qui de ipſo ſervo noſtro procreati fuerint, omni tempore ingenui ſint, & ingenui permaneant, tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſent procreati vel nati. Peculiare vero ſuum ſive conlaboratum, quod præſenti tempore habere videntur, vel deinceps habere potuerint, ſibi habeant conceſſum atque indultum. Mundeburdem vel defenſionem ubicunque eligere voluerint, licentiam habeant eligendi. Sicut cives Romani, portas apertas habeant, pergantque partem quam voluerint ambulare. Et nulli heredum ac proheredum noſtrorum tu & agnatio tua, ſicut diximus, ullum deinceps reddere debeatis libertinitatis obſequium; ſed magis hæc epiſtola triſcabina tam a me quam ab heredibus meis defenſata, omni tempore firma & ſtabilis permaneat, ſtipulatione ſubnexa. Actum.

Ingenuitas.

XCVI. Qui debitum ſibi nexumque ſervum relaxat, præmium ex hoc Dominum in æterna beatitudine retribuere confidat. Quapropter in Dei nomine ille cogitans Dei amorem vel æternam bonam retributionem, vernaculum juris mei nomine illum ab omni vinculo ſervitutis ad præſens abſolvo, ita ut ingenuus ſit & ingenuus permaneat, tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſet procreatus vel natus. Peculiare vero ſuum quod habere videtur, vel deinceps elaborare potuerit, ſibi habeat conceſſum atque indultum. Mundeburdem vel defenſionem ubicunque ſibi eligere potuerit, licentiam habeat eligendi. Civis Romanus portis apertis eam pergat partem, quam voluerit ambulare. Et nulli heredum ac proheredum meorum ullo unquam tempore reddat libertinitatis obſequium; ſed ipſe & agnatio ſua inpoſterum ſemper valeant permanere bene ingenui atque ſecuri. Et ſi quiſpiam deinceps. *& reliqua.*

Epiſtola Regi mittenda pro libertate ſervi ſui impetranda.

C. Domino invictiſſimo atque glorioſo Regi illi ſancta Lingonenſis Eccleſia præſentem perpetuamque inceſſanter felicitatem devotiſſimis exorat precibus. Ad notitiam celſitudinis veſtræ perferre nos eccleſiaſtica provocat neceſſitas de promotione ſervi veſtri nomine illius ex loco juris veſtri nuncupato illo, de miniſterio illo, vel de beneficio illo, cujus gratia eruditus, & inter noſtræ parvitatis ſtudia, ſcientia, vita, ac moribus pro modulo qualitatis quantitatiſve inſtructus, jam munus clementiæ veſtræ dandum, nobiſque ſignificandum ejus de libertate expectantes, ad gradus eccleſiaſticos eum promovere veſtræ largitatis munificentia parati ſumus, mox ut ſtatutam de eo veſtram canonicamve dignitatis ſenſerimus licentiam. Deus cæli & terræ, univerſæque conditionis, ad tutelam vos ſemper protegat Chriſtianam, ita ut hoc ævo veſtro ſuperexaltatam in omnibus ſanctæ matris Eccleſiæ ſentiat cauſam.

Ingenuitas quam poteſt ſervus ad alium ſervum facere.

CIII. Dominus inquit in evangelio: *Dimittite, & dimittetur vobis.* Ideoque in Dei nomine ille, quamvis omnium ſervorum Dei famulus, tamen una cum permiſſione domini mei, illius Epiſcopi, vel illius Abbatis, vernaculum meum nomine illum, quem ego dato pretio ab homine illo viſus ſum comparaſſe, per hanc chartulam ingenuitatis ingenuum eſſe cenſeo & liberum eſſe concedo; ita ut a die præſente ingenuus ſit & ingenuus permaneat, tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſet procreatus vel natus. Peculiare vero ſuum ſive conlaboratum quod habet, ſeu deinceps elaborare potuerit, ſibi habeat conceſſum atque indultum. Mundeburdem vero vel defenſionem ubicunque infra poteſtatem ſancti illius eligere voluerit, licentiam habeat eligendi, & nulli heredum ac proheredum meorum reddat libertinitatis obſequium; ſed, ſicut dixi, ſemper valeat permanere bene ingenuus atque ſecurus. Et ſi poſtmodum quiſpiam contra hanc ingenuitatem venire aut eam calumniari præſumpſerit, cui litem intulerit, auro uncias tantas, argento libras tant. coactus exſolvat, & quod repetit nullum obtineat effectum; ſed præſens ingenuitas omni tempore firma & ſtabilis permaneat, ſtipulatione ſubnexa. Actum. *& cetera.*

Confirmatio civium in eo, qui ab hoſtibus eſt deprædatus vel ab igne concrematus.

CVIII. Suggerendum Domino piiſſimo & præcellentiſſimo illi glorioſo Regi. Nos ſervientes veſtri pagenſes illius, quod veraciter cognovimus, vobis innoteſcere præſumſimus. Homo aliquis nom. ill. nobis dixit eo quod caſa ſua, vel inſtrumenta ſua chartarum, tam venditionis, cautionis, obnoxiationis, judicii, ceſſionis, vel dominationis, ſeu & reliqua ſtrumenta chartarum ab igne ibidem cremaſſent, quod & judex vel vicini pagenſes ipſius taliter nobis dixerunt vel teſtimoniaverunt, quod ad hoc videndum acceſſerant, & ſic vero actum erat. Proinde quod exinde cognovimus, vobis innotuimus. Domine, noſtrum eſt ad ſuggerendum, veſtrum eſt ad ordinandum quid ipſe exinde agere debeat.

For-

Formula citationis.

CXVI. Quoniam imperialibus sanctionibus cautum est ut absentes, contra quos actiones exercere cupiunt, in judicio copiam sui facere edictis citentur: Idcirco ego judex has admonitorias tibi delego, quatenus in judicio præsentiam tui facias, intentionemque actoris suscipias, eique oppositiones legum atque exceptiones objicias.

Securitas.

CXXIV. Dum & plerisque vel omnibus non habetur incognitum qualiter homo aliquis nomine ille hominem illius Episcopi sive Abbatis nomine illum instigante diabolo, peccatis facientibus, malo ordine interfecit, unde vitæ periculum incurrere debuit. Sed postquam venit isdem homicida coram ipso Pontifice, vel coram illo Comite, seu quampluribus magnificis viris, quorum nomina subter tenentur inserta, percunctati sunt ab eo, utrum ille hoc quandoque perpetratum haberet, an non. Isdem vero homo, qui ex hoc inquirebatur, præsens aderat, & hanc causam nullatenus denegabat; sed magis exinde confessus fuit, scilicet quod hominem ipsius Episcopi vel illius Abbatis, unde inquirebatur, interfecisset. Hac igitur de causa judicatum est ei ab ipso Comite vel ab ipsis Scabinis & pagensibus loci illius, ut illam leudem, quod sunt solidi tanti, pro suo wadio ponere deberet: quod ita & fecit. Postea vero necesse fuit, ut ipsi homini, qui ipsam leudem ponere visus est, talem epistolam securitatis, per manus eorum firmatam, ab ipso Pontifice, vel ab ipso Comite, seu ab aliis illius loci pagensibus, accipere deberet, ut in postmodum de illo homicidio, quod tunc componere visus est, securus valeat residere. Et si postea aliquis exstiterit, quæcunquelibet persona, qui ipsum hominem de hoc remallare voluerit, ipsi fratres vel successores ipsius, seu agentes ejus, qui hanc compositionem accipere visi sunt, ipsum hominem contra quemlibet defensare debeant; & si hoc facere non potuerint, restituere debeant tantum, quantum dedit. Complacuit itaque tam ipsi Pontifici, quam ipsi Comiti, seu aliis quampluribus magnificis viris, ut talem securitatem ipsi homini facerent, sicuti & fecerunt. Et si aliquis postmodum eum de compositione remallare voluerit, ut ipse Episcopus, vel successores ejus, seu agentes, ipsum hominem de hac causa omnino defensare debeant, aut restituere ei debeant tantum quantum dedit. Actum. *& cetera.*

Venditio de re.

CXXVII. Magnifico in Christo fratri illi emptori, ego venditor ille. Constat me tibi non imaginario jure, sed propria vel spontanea voluntate vendidisse, & ita vendidi, tradidisse, & ita tradidi, hoc est, aliquam rem meam in pago illo, in loco nuncupato illo, super fluvio illo, id est, mansum unum qui mihi ex parte genitoris seu genitricis hereditario jure successit, cum omni ædificio suprapostito: necnon de terra arabili ad ipsum mansum adspiciente vel pertinente bunuaria tanta similiter & de prato bunuaria tanta; vel quidquid ad ipsum mansum pertinere dinoscitur, totum & ad integrum tibi per hanc chartulam venditionis sive per festucam atque per andelangum dono, trado, atque perpetualiter in omnibus transfirmo. Unde accipere a te visus sum pretium, id est, solidos valentes tantos, in quo mihi complacuit atque convenit. Et pro ipso pretio, sicut superius dixi, ipsum mansum tibi coram pluribus testibus tradidi atque delegavi; in ea vero ratione ut a die præsente hoc habeas, teneas, atque possideas, vel quidquid exinde facere volueris, liberam ac firmissimam in omnibus habeas potestatem. Et si quispiam deinceps, quod futurum esse non credo, sive ego ipse, quod absit, aut ullus de heredibus, seu quælibet persona, contra hanc chartulam venditionis venire aut eam calumniari præsumpserit, cui litem intulerit, auro uncias tantas, argento libr. tantas, coactus exsolvat, & insuper quod repetit nullum obtineat effectum, sed præsens venditio ista tam a me quam ab heredibus meis defensata omni tempore firma & stabilis permaneat, cum stipulatione subnexa. Actum.

Traditio, cuicunque tradere voluerit.

CLII. Latores legum sanxerunt ut qui de jure proprio alicui aliquid tradere voluerit, hoc coram pluribus testibus per scripturarum firmiter seriem faciat obligari, ut in ævum inconvulsum valeat permanere. Idcirco ego in Dei nomine ille venerabili viro illi. Dono siquidem tibi per hanc chartulam traditionis, sive per festucam atque per andelangum, aliquam rem meam in pago illo, in loco nuncupato illo, super fluvium illum, id est, mansos tantos, cum hominibus ibidem commanentibus vel adspicientibus, cum terris arabilibus, silvis, campis, pratis, pascuis, vel quidquid in ipso loco nostra videtur esse possessio vel dominatio; in ea vero ratione ut ab hac die hoc habeas, teneas, atque possideas, vel quidquid exinde facere volueris, liberam in omnibus habeas potestatem. Et si quis deinceps, quod futurum esse non credo, si ego ipse, quod absit, aut ullus quislibet de heredibus meis, seu quælibet extranea persona, contra hanc traditionem a me sponte factam, aliquam calumniam generare præsumpserit, exsolvere faciat dupliciter quantum eo tempore ipsa res valere dignoscitur, & quod repetit nullo modo evindicare prævaleat, sed magis præsens hæc chartula, tam a me, quam ab aliis bonis hominibus, roborata omni tempore firma permaneat, cum stipulatione interposita. Actum.

Traditoria.

CLVI. Notitia traditionalis, vel quibus præsentibus venit homo aliquis nomine ille ad illum mansum, quem ante hos dies per chartulam venditionis ad filium suum adfirmavit per ostium & anatalia, per herbam & vitem ei visus tradidisse vel consignasse, & exitum inde se fecit, his præsentibus. *& reliqua.*

Judicium evindicati.

CLXVIII. Ille Rex vir inlustris. Veniens ante nos homo nomine ille ibi in palatio nostro pla-

placitum suum legibus custodivit, quod habebat apud hominem aliquem nomine illum, quem per suam festucam ante nos visus fuit adrhamisse. Sed nuncupatus ille non ad placitum suum venit, nec ipsum sacramentum juravit, neque juratores sui nec ullus fuit testator qui sunia nuntiasset. Proinde nos taliter una cum fidelibus nostris, id est, illis, & reliquis quamplúribus, visi fuimus judicasse ut dum ipse ille tale sacramentum habuit adfirmatum, & ipsum nullatenus juravit, nec ipse nec juratores sui, sed exinde se jectivum in omne dimisit; propterea jubemus ut dum hanc causam sic actam vel perpetratam esse cognovimus, ut ipse ille ipsas res in loco illo contra superius nuncupatum illum omni tempore habeat evindicatas atque ejudicatas; & sit inter ipsas postmodum ex hoc omnique tempore sublata causatio. Datum quod fecit mensis ill. dies tantus.

Judicium seu notitia.

CLXIX. Dum resideret Comes ille in mallo suo publico ad universorum causas audiendas vel recta judicia definienda, ibique veniens advocatus illius Episcopi aliquem hominem nomine illum interpellabat, dum diceret eo quod de capite suo legibus esset servus ipsius Ecclesiæ vel ipsius Episcopi, & propter hoc de ipso servitio negligens atque jectivus adesse videretur, quod genitor suus, vel genitrix sua, aut avus suus aut avia sua fecerunt. Sed ipse vir præfatus in præsente adstabat, & hanc causam in omnibus denegabat, quod nec ipsi Episcopo nec ipsi Ecclesiæ Dei, secundum legem nullum servitium agere deberet, eo quod de parte paterna aut de materna secundum legem ingenuus esse videretur. Sed ipsi Scabini, qui tum ibidem aderant, ei visi fuerunt judicasse ut supra noctes XL. cum XII. Francis, sex de parte paterna, & sex de materna, in Ecclesia illa jurare debuisset, quod de parte paterna aut de materna secundum legem Salicam ingenuus esse videretur. Ipsis vero noctibus expletis, venientes utique ad Ecclesiam illam, visus est ipse homo esse jectivus, eo quod non potuit ipsum sacramentum explere, sicut ei fuit judicatum.

Indiculus, si quis in præsentia Regis auctor fuerit.

CLXXI. Ille Rex illi Comiti. Veniens ille aut Missus ipsius in persona sua ibi in palatio nostro, clementiæ regni nostri suggessit, quod homo aliquis nomine ille villam suam illam in pago illo, quidquid ibidem visus fuit tenuisse, per venditionis titulum accepta pecunia sua eidem visus est distraxisse, & ea ad præsens possidere videtur. Sed dum & ipse ille ad præsens adstabat, interrogatum est ei a nobis vel a proceribus nostris si ipsam venditionem, quam ipse ille de suprascripta re in præsente proferebat, de nomine ejus fecisset, aut memoratam rem vendidisset, aut auctor eidem esse voluisset. Sed taliter in nostra præsentia memoratus ille professus est, quod & ipsam venditionem fecerat, & pretium de suprascripta re, quod ipsa venditio continebat, acceperat, & auctor eidem ex hoc & ad præsens & inantea, si ei necessitas contigisset, & erat & esse volebat. Ideo dum taliter coram nobis professus est, per præsens jubemus ac decernimus præceptum, ut memoratus ille ipsam villam in jam dicto loco in integritate, & quicquid per ipsam venditionem accepisset, absque contrarietate vel repetitione illius, aut heredum suorum, quieto ordine debeat possidere, vel quidquid exinde facere ipse aut heredes sui decreverint, libero potiatur arbitrio.

Mandatum.

CLXXXIII. Magnifico fratri illi, ego ille, Omnibus non habetur incognitum quam me gravis ægritudo domet, ut eleemosynam meam minime valeam procurare. Propterea rogo caritatem tuam, ut propter Deum de rebus meis in vice mea eleemosynam facere vel dispensare debeas. Pro hoc trado tibi a die præsente omnes res meas in pago illo, in loco cujus vocabulum est ille, id est, terris, mansis, domibus, ædificiis, quantumcunque visus sum tenere, totum & ad integrum, quidquid dici aut nominari potest, tam de alode, aut de comparato, vel de quolibet adtractu, in quibuscunque pagis aut territoriis visus sum habere, totum & ad integrum, rem inexquisitam, per meos wadros aut andelangos, per hoc mandatum ad meam eleemosynam faciendam in pauperes vel sacerdotes tibi trado, ut quicquid exinde egeris gesserisve, apud me in omnibus & ex omnibus ratum & aptum atque transactum definitumque esse cognoscas. Et, quod nec fieri credo, si ego ipse aut aliquis. *& reliqua.*

De formatis.

CLXXXIV. Græca elementa litterarum numeros exprimere nullus qui tenuiter Græci sermonis notitiam habet ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis canonicis, quas mos Latinus formatas vocat, aliqua fraus falsitudinis temere præsumeretur, hoc a patribus CCCXVIII. Nicææ congregatis saluberrime inventum est & constitutum, ut formatæ epistolæ hanc calculationis seu supputationis habeant rationem; id est, ut adsumantur in supputationem prima Græca elementa Patris & Filii & Spiritus sancti, hoc est, Π. Υ. Α. quæ elementa octogenarium quadragentesimum & primum significant numerum. Petri quoque Apostoli prima littera, id est, Π. qui numerus octoginta significat; ejus qui scribit epistolam, prima littera; cui scribitur, secunda littera; accipientis, tertia littera; civitatis quoque de qua scribitur, quarta; Indictionis quoque, id est, temporis qui fuerit numerus adfirmatur. Atque ita his omnibus litteris Græcis, quæ, ut diximus, numeros exprimunt, in unum ductis, quæcunque collecta fuerit summa, epistola teneat; hanc qui suscipit, omni cautela requirat expresse. Addat præterea separatim in epistola etiam nonagenarium & nonum numerum, qui secundum Græca elementa significatur.

F I N I S.

LIBER
CONSUETUDINUM
IMPERII ROMANIÆ
IN VENETORUM, ET FRANCORUM DITIONEM REDACTI,

CONCINNATUS IN USUM PRINCIPATUS ACHAJÆ,

A Sereniſſima Republica Veneta Senatuſconſulto approbatus,

EX AUTHENTICO VETERE MANUSCRIPTO,

Cum correctionibus, variantibus lectionibus, & nonnullis ſuperadditis Capitulis, ex Codice Bibliothecæ Ducalis D. Marci.

IN LIBRUM CONSUETUDINUM

IMPERII ROMANIÆ

MONITUM COLLECTORIS.

Librum Consuetudinum Imperii Romaniæ in usum Principatus Achajæ concinnatum edo ex Manuscripto Codice, authentice quondam exscripto ab exemplari in Cancellaria Serenissimi Dominii Veneti existente, juxta quod in Venetis Consiliis causæ ad Eubœam insulam, adjacentesque regiones spectantes judicari, & expediri consueverant. In calce namque codicis ista leguntur. *Ego Aloysius Petri Notarius serviens Cancellariæ Ill.mi Dn. Dominii Venetiarum Volumen præsens legum, & consuetudinum Imperii Romaniæ ex quodam alio volumine, quod pluries lectum, & productum, atque autenticatum fuit in Ex.lo Consilio Rogatorum, in causa vertente inter M.cum D. Joannem Crispum Ducem Egeopelagi, & Nobilem, ac Sp.lem Virum D. Dominicum Pisani M.ci D. Joannis, ad instantiam ipsius Dni Dominici fideliter escripsi, & exemplavi, demptis sex cartis cum dimidia manu Joannis de Avantio Notarii Ducalis, quas quidem cartas, & cetera omnia per me scripta cum ipso exemplari fideliter auscultavi, & quia in omnibus concordari reperi, ideo me in fidem præmissorum in hoc volumine me subscripsi.*

Hoc autem, quod præ manibus habeo, identicum esse præfati Notarii exemplar evincunt *sex cartæ cum dimidia*, quæ diversa a reliquis manu descriptæ conspiciuntur. Codicem ipsum una cum uberrima veterum Monumentorum præcipue ad rem Venetam spectantium collectione possidet Perillustris Dominus Amadeus Svajer, qui summa humanitate mihi veniam fecit hoc Manuscripto pro lubitu uti, ut Consuetudines Imperii Romaniæ in eruditorum gratiam typis exhiberem.

Sed, ut verum fatear, in ipso Codice non modica sphalmata occurrunt amanuensibus tribuenda. Quare ad planiorem Constitutionum intelligentiam, exactiorem editionem parare proposui, correctiones hac illac interferens, non meo arbitrio, cui ne verbum quidem concessi; sed omnia proferens ad fidem alterius codicis membranacei in calce libri Statutorum Venetorum descripti ante dimidium sæculum XV. Codex ipse in Bibliotheca Ducali D. Marci asservatur sub numero XXXI.

Ejus igitur ope, quæ aut prætermissa, aut errata liquido mihi visa sunt in Svajeriano manuscripto, ea in ipso textu Italicis litteris correxi, atque supplevi. Additamenta atque variantia, quæ alicujus momenti esse deprehendi, ad imam paginam adnotari curavi. Pauca autem quædam, quæ præfati codicis beneficio corrigere nequaquam potui, ne quidquam ex arbitrio immutarem, penitus intacta reliqui.

Quod ad lemmata Capitum attinet, ea descripsi, ut in nostro exemplari scripta adinveni. Sed moneo, ex illis aliqua ab ipso exscriptore Notario confecta fuisse, quippe quæ in exemplari Cancellariæ Ducalis non aderant. *Et perche*, inquit Notarius ipse, elenchum lemmatum tradens, *in le dicte usance in alguni Capitoli non è la rubrica, li ho informà mi dei Capitoli predicti, & feci la rubrica segondo li Capitoli de le usance predicte, si come qui sotto se contien per memoria.*

In codice quoque Bibliothecæ Ducalis lemmata plura desiderantur, & quæ extant, a nostris ut plurimum variant. Quod argumento est, ea cerebrina fuisse, & pro lubitu Jurisconsultorum esse confecta. Ego, ut de re nullius pene momenti, variantia perpendere neglexi. Asterisco tantum notavi, quæ in prælaudato Bibliothecæ Ducalis Manuscripto deesse animadverti.

Hæc de codicibus, ex quibus hunc Consuetudinum librum deprompsi; nunc de libro ipso quædam dicenda sunt. Observare par est, librum, quanquam concinnatum in usum Principatus Achajæ, non referre Consuetudines eidem Principatui peculiares (si forte unam aut alteram excipias, in quibus peculiaris Principatus consuetudinis mentio fit), sed generales observantias Imperii Romaniæ in Francorum & Venetorum ditionem redacti. In ipso consuetudinum textu ad nauseam usque repetitum legitur: *Uxanza de lo Imperio de Romania: Consuetudine de lo Imperio de Romania.* Et liber hic usque ab antiquo habitus fuit, ut consuetudinum totius Imperii collectio. Sic in prima rubrica codicis, quem edimus: *Questo si è lo libro de le uxance de lo Imperio de Romania.* Et in fine codicis Bibliothecæ Ducalis D. Marci: *Explicit liber de consuetudinibus Imperii Romaniæ. Deo gratias. Amen.*

Porro consuetudines Imperii Romaniæ ex Assisiis Regni Hierosolymitani ut plurimum depromptas fuisse reor, imo ipsum Assisiarum complexum pro lege habitum fuisse in præfato Imperio atque servatum in iis, quæ ex peculiari Imperii constitutione, aut usu in foris inducta non erant.

Quantumvis modica fides habenda sit Prologo, qui nostro consuetudinum libro præpositus est, fabellis referto, & anacronismis; quod tamen de servatis usque ab initio Imperii Latinorum Hierosolymitanis Assisiis ibidem legitur, innuit certe hanc viguisse traditionem, quin & Assisias ipsas adhuc pro jure habitas fuisse, quo tempore idem Prologus scriptus fuit.

Ex litteris Ducalibus Serenissimi Veneti Dominii, quæ in fronte codicis exhibentur, novimus, quod *Regimen nostrum Nigropontis . . . . examinatis simul cum XII. civibus Nigropontis omnibus voluminibus legum & consuetudinum Imperii Romaniæ, quæ habere potuerunt, miserit unum volumen, in quo descripta sunt capitula CCCXXVII.* (scilicet, multo plura, quam quæ in libro nostro leguntur) *dictarum consuetudinum, quæ dictum Regimen scribit esse meliora, & magis authentica ex illis, quæ habere potuerunt.*

Ferunt autem ipsæ Ducales litteræ, ex propositis capitulis tantum triginta septem approbata Senatusconsulto fuisse, præter ea, quæ in libello, quem edimus, autographi vices gerente descripta erant. Quæ superaddita capitula XXXVII. in manuscripto nostro exarata occurrunt, in calce præfati libelli, hac præposita rubrica: *Capitoli azonti a li precedenti de lo Imperio de Romagnia, & confermati per la venuta del Reverendo Miser lo Archiepiscopo de Athene, si come apar per lo tenor de la lettera Ducale posta nel principio de questo volume ad perpetuam rei memoriam.*

Plurima ex hisce superadditis capitulis conferens cum Assisiis Regni Hierosolymitani impressis Venetiis anno MDXXXV. inveni hæc non tantum sensu, sed & verbis ad invicem concordare, vixque inter se differre, si quasdam varietates excipias, vel variantibus codicum lectionibus, vel variæ e vetere Gallico versioni, vel exscriptorum sphalmatibus, adscribenda. Onerosum duxi, eadem capitula huc innectere, præsertim cum Hierosolymitanas Assisias ex parte quidem volumine superiore tradiderim, reliquas posthac traditurus sim.

Congruunt & cum memoratis Assisiis nonnulla capitula libelli nostri. Ex. gr. cap. III. paria fert, ac capita XXVII. & CCXIII. Assisiarum Superioris Curiæ, eadem constituta complectens, eodem ordine disposita, ac iisdem pene verbis exarata.

Hæc satis sunt, ut colligamus, in Imperio Constantinopolitano, in Venetorum atque Francorum ditionem redacto, Assisias Regni Hierusalem receptas fuisse, atque pro lege servatas in iis, quæ peculiari lege, aut consuetudine inducta non erant; libellum vero, quem tradimus, esse Breviarium digestum in usum celeberrimi quondam Principatus Achajæ, ea juris objecta complectens, quæ magis obvia versabatur in foris, expressum ex jure tunc servato, ex Assisiis, ut supra dictum est, atque ex specialibus legibus & moribus Imperii Romaniæ, nec non ejusdem Principatus deprompto.

Breviarium profecto non recens; imo, siqua Prologo fides, traditio viguit, illud scriptum fuisse, dum adhuc Franci Romœorum Imperatores in urbe Constantinopolitana residerent, Achajæ Principatum tenente Godefrido de Villa-harduini. Certe antiquius est paucis illis Capitulis, quæ illustri Viro Nicolao de Joinvilla Bajulo, & Regente Principatus Achajæ edita fuere, quæ in calce codicis Bibliothecæ Ducalis occurrunt, hoc prænotato lemmate: *Questi sono Capitoli trovadi in le uxance de Miser Zuan Corer, che mancano de queste uxance.* Et revera in Manuscripto desumpto, ut diximus, ex codice Cancellariæ Ducalis autographi vices in foris gerente, hæc additamenta non leguntur.

Glossemata, atque additamenta in ipso Capitulorum textu irrepsisse inficias ibit nemo. In duobus præfatis Manuscriptis variantia quædam occurrunt (quæ in notis exhiberi curavi) in iis præsertim, quæ ad glossas, atque ad additiones pertinent; quæ digito monstrant, has non uno in tempore, nec ab uno Jurisconsulto codici intersertas fuisse.

Hisce tamen nihil obstantibus, & quamvis ipsa lectio prodat libellum privata auctoritate concinnatum fuisse, invaluit, ut pro authentico legali codice haberetur in foris. Et sane ex supra laudatis Litteris Ducalibus dignoscimus, in Ducali Cancellaria Veneta asservata fuisse hæc Capitula, quippe *quæ sunt authentica, & in uxu, & per illa multi caxus importantes judicati, & expediti fuerunt per nostra Consilia.*

Hoc igitur Breviario fruere, Lector, oppido perutili, vel ex eo quod quamplurima, atque præcipua dogmata exhibeat juris feudalis, quod præsertim inter Francos medio ævo vigebat.

LIBER CONSUETUDINUM IMPERII ROMANIÆ.

Liber legum & consuetudinum Imperii Romaniæ approbatarum in Consilio Rogatorum vigore partis captæ in dicto Consilio, quæ est annotata in principio hujus libri.

Franciscus Foscari Dei gratia Dux Venetiarum &c. Nobilibus & Sapientibus Laurentio Honor de suo mandato Bajulo & Capitaneo, ac Consiliariis Nigropontis & eorum successoribus, fidelibus, dilectis, salutem & dilectionis affectum. Significamus vobis, quod auditis tribus legationibus per fidelissimam illam Comunitatem nostram ad nos missis circa confirmationem legum & consuetudinum Imperii Romaniæ nobis in uno volumine consignatarum, volentes votis & supplicationibus præfatæ fidelissimæ Comunitatis in iis quæ honeste possumus annuere, die nono Novembris proximi decursi, capta fuit in nostro Consilio Rogatorum pars tenoris infrascripti videlicet.

Cum Regimen nostrum Nigropontis pro executione Partis captæ in isto Consilio MCCCCXXI. die XVII. mensis Junii, examinatis simul cum XII. civibus Nigropontis omnibus voluminibus legum & consuetudinum Imperii Romaniæ, quæ habere potuerunt, miserit unum volumen, in quo descripta sunt Capitula CCCXXVII. dictarum consuetudinum, quæ dictum Regimen scribit esse meliora, & magis authentica ex illis, quæ habere potuerunt. Et fidelissima Comunitas Nigropontis per tres Ambassiatas, quarum ultima est Reverend. Pater Dominus Archiepiscopus Athenarum, fecerit supplicari, quod leges & consuetudines in ipso volumine contentas approbare dignemur. Et tandem diligentissime & singulatim visis, & examinatis dictis legibus & consuetudinibus in ipso volumine contentis, & auscultatis cum illis, quæ sunt in nostra Cancellaria, reperiantur in dicto volumine Capitula CXLVII. ultra Capitula Cancellariæ nostræ. Ex quibus solum XXXVII. sunt approbata, & addenda Capitulis Cancellariæ nostræ. Reliqua autem, quæ se extendunt circa modos servandos in præliis, & circa alia impertinentia, & extra propositum, sint omnino cassanda & delenda. Et conveniat honori nostri Dominii dare expeditionem dicto Domino Archiepiscopo Oratori.

Vadit pars, quod Capitulis dictarum legum & consuetudinum existentibus in nostra Cancellaria, quæ sunt authentica, & in uxu, & per illa, multi caxus importantes judicati & expediti fuerunt per nostra Consilia, addantur Capitula XXXVII. signata per Sapientes Ordinum ex Capitulis CXLVII., quæ sunt in Volumine misso ex Nigroponte, ultra Capitula, quæ sunt in nostra Cancellaria; & dicta XXXVII. Capitula simul cum illis, quæ sunt in Cancellaria nostra, approbentur & confirmentur auctoritate hujus Consilii. Et exemplentur omnia dicta Capitula in uno volumine cartarum pergamenæ, & mittantur sub bulla plombea Regimini Nigropontis. Et statuatur, quod debeant observari a die, quo præsentabuntur dicto nostro Regimini in antea. Et nullatenus se extendant, neque observentur in litibus & causis judicatis, & quæ habuissent & haberent principium usque diem præsentationis ipsorum Capitulorum Regimini Nigropontis. Declarando, quod propter hoc non derogetur, neque præjudicetur caxis, & litibus, quæ finem recepissent.

Et illæ, quæ habuissent, & haberent principium, judicetur per Capitula Cancellariæ nostræ. Et mandetur Regimini Nigropontis, quod pro hominum intelligentia faciant hanc Partem publicari in locis solitis Regiminis sui.

Et non possit fieri de cætero aliqua additio, diminutio, vel correctio dictis Capitulis, necque contra illa aliquid provideri, vel alicui concedi, nisi per istud Consilium congregatum Centum viginti, & ab inde supra.

Per li Ordeni della Cancellaria.

Capitula vero missa per dictum Regimen, & sub bulla, circa provisiones datiorum, & Arcium Nigropontis factas per dictum Regimen cum Consilio, deinde confirmentur, & approbentur auctoritate hujus Consilii, dummodo non sint cum damno, neque diminutione Datiorum Introituum nostri Dominii, & illis Cameræ nostræ. Reservatoque arbitrio & auctoritate nostro Regimini Nigropontis cum Consilio deinde faciendi de tempore in tempus illas provisiones superinde, quæ sibi videbuntur pro universali comodo Civitatis & Insulæ prædictæ.

Dat. in nostro Ducali Palatio die IV. Aprilis MCCCCLIII. Indictione Prima.

Questo si è lo libro de le uxance de lo Imperio de Romania ordenade & stabilide al tempo de li Serenissimi Signori lo Conte Balduin de Flandre, Miser Bonifacio Marchexe de Monteferrato, Miser Rigo Dandolo Doxe de Veniexia, & molti altri Baroni, in lo tempo che fo conquistado lo Imperio de Constantinopoli. *)

QUando la Sancta Citade de Jerusalem fo conquistada per li Christiani, & per la fede de Christo per lo confortar & predicar de Piero Heremita in l'anno de la Incarnation del nostro Signor Jesu Christo MCIIII., li Principi & li Baroni, li quali l'haveva conquistada, si alege Re del dicto Regname de Jerusalem lo Ducha Gotifredo de Boion. Et quando lo have rezevuda la Signoria, lo non volse esser sagrado, ni nominarse Re del dicto Regname, ni etiamdio non volse portar corona de auro là che lo Re de li Re, lo fiol de Dio, nostro Signor Jesu Christo portò corona de spine lo zorno de la sua sancta passion: avanti se volse incoronar de spine de corona facta de paia. Et cusì voiando lo dicto Ducha Gotifredo meter in bon stado e in bon ponto lo dicto Regname, azoche tute maniere de zente, andando, e vegnando, & romagnando in lo dicto Regname, fosse governadi, e vardadi, & mantegnudi per dreto de raxon & per iustitia, Ello have conseglio cum lo Patriarcha de la dicta Citade de Jerusalem, & cum li altri Baroni, Principi, & Signori, & savii homeni, li quali se *trovava* esser *lì* de diverse terre & de diversi paesi: Et domandadi tuti de le uxance & costumi de le lor provincie & paixe, tuto quello che zascaduno disse, & che Ello pote ben intender, ordenadamente se meter in scriptis. Et da può avanti lui, e davanti Miser lo Patriarcha & de tuti li altri Principi & Barogni, che fo a la dicta conquista, si li fe legere & examinare: De li qual per conseglio de tuti fo facto & statuido uxance & assisse, le quale se deveva mantegnir, e tegnir, e guardar in lo dicto Regname *de Jerusalem*. Poi si stabelì in lo dicto Regname do Corte Seculare; l'una se chiama l'Alta Corte & l'altra Bassa Corte, zoè la Corte de li Burgexi, a le qual Ello stabelì *uno homo* per esser Governador & Justixier in lo luogo de lui, lo qual fo appellado Visconte. E si stabelì che *el* fosse Judice de l'Alta Corte a li Baroni e Cavalieri *e* feudadi, li quali tegniva fei da lui per lo homazo, over sagramento, *che* quelli averà facto. Et de la Bassa Corte de li Burgexi lo fe vegnir Burgexi de li plu liali che el pote trovar in la Citade, e li plui savii, & felli zurar in lo sagramento de la Burgexia, si come è scrito e dividado in lo gran libro de le Burgexie. Et si determena el dicto Re, che li Cavalieri et li afeudadi fosse menadi e zudegadi per l'Alta Corte, *e l'altra gente i qual non voleva che fosse menadi per l'Alta Corte*, fosse menadi et zudegadi per la Corte de li Burgexi: E cusì fo facto de comun acordo del Signor et de li soi Barogni. Et da può stabelì le dicte uxance et assisse, si come è dicto de sovra: et per li altri Re e Signori, che succiede in lo dicto Regname, fo *mantegnude*, e per plusor volte fo *amendate*, perche le cose, le qual elli vedeva, et cognosseva che fosse bone, si le azonzeva.

Come apresso la conquista de Jerusalem, per li sovradicti Signori si fo mandado a lo Re de Jerusalem, & a lo Patriarcha, pregandoli che li mandasse le usanze loro, sapiando che per quelle Elli se voleva rezer, perche quelle era usance de conquista. *)

Et apresso la conquista de la sancta Citade de Jerusalem, lo anno de la Incarnation del nostro Signor Miser Jesu Christo MCLXXXXV., quando lo Conde Balduin de Flandres, Miser Bonofacio Marchexe de Monteferrato, Miser Herigo Dandolo Doxe de Venexia, & li altri Baroni & Principi de Franza si conquista la Citade de Constantinopoli, *elesse Imperador e Signor de lo Imperio de Constantinopoli, & de Romania lo Conte Balduin de Fiandra*. Et vogliando meter lo dicto Imperio de Romagnia in bon ponto, & in bon stado, & che li homeni, e lo so povolo, & tute magniere de zente, andando & vegnando in lo dicto Imperio de Romagnia fosse governadi e menadi per iustitia, e dreto de raxon; & imperzoche la Citade de Constantinopoli si è acircondada de pluxor generacion de zente, & specialmente de zente, che non son obedienti a la leze de Roma, & altra zente che vene a la dicta conquista: & perche la non poria ben rezere lo dicto Imperio, se non per le uxance, & assisse, che sono in le parte de Ponente, si fo conseiado de mandar in Jerusalem a lo Re, & a lo Patriarcha, pregandoli che li mandasse le sue usanze & assisse, conzosia che li se voleva rezere per quelle, che le fò uxance de conquista. Et cusì li fo mandade, & poi fo lezude avanti tuti li Baroni, e confermado de rezerse per lo dicto muodo, e per quelli capituli, che fosse plui necessarii per lo dicto paixe de Romagnia. Cusì fo ordenado, e zurado per tuto lo so Imperio de tenir, & guardar le dicte uxance a tuto lo suo poder.

E co-

E come da puo la morte de lo Imperador Balduin Miser Ruberto de Flandres so frar so facto Imperador, & Miser Zefre de Ville arduin prexe la fia de Miser Ruberto per moier. *)

Et apresso la morte de lo Imperador Balduin, Miser Ruberto de Flandres suo frar fo facto Imperador, lo qual have uno fio, e una fiola, e quello fiolo have nome Balduin, e da poi la morte del Padre si fo Imperador longamente, ma può i parse, e si andà in Ponente, sicome in lo libro della conquista apertamente se declara.

In quel tempo lo dicto Miser Ruberto Imperador si mandava soa fiola a lo Re de *Aragon*: e cusì como le galie, le qual portava la dicta dona, arivano al Castel del Bel veder, e Miser Zefre de Ville arduin lo primer frar del Principo Guelmo de *Leonis* (1) era appellato *Re de* la Morea; & voiando far honor a la filia de lo Imperador, fè tanto che la dona de le galie desente a terra. Et perche lo dicto Miser Zefre non haveva moier, ello si la spoxa la dicta dona per lo conseio di soi Barogni; de la qual cosa nassete molte guerre e molti scandali intro lo dicto Miser Ruberto Imperador, e lo dicto Miser Zefre de Ville arduin. Apresso lo dicto Miser Zefre tanto sape far, e procazar, che in l' anno de la Incarnation del nostro Signor Miser Jesu Christo mille .... (2) lo mexe de Mazo, lo Imperador Ruberto e Miser Zefre so insempre in la Citade de Larssa a la Blachia, & insempre se acorda in tal maniera, che per piaxon facta intra elli do lo Imperador Ruberto si dona a lo dicto Miser Zefre de Ville arduin le Ixole de Romagnia, che se clama Arcipelago, & si lo fa gran Siniscalco de lo Imperio de Romania, & appellasse Principo de Achaia. Et ordena che lo Principo dovesse tegnir lo Principado *da* lo Imperador. Cosi li fe homagio a lo Imperador. Et da puo ordena, e zura de tegnir, e mantegnir le usanze, e costume de lo Imperio de Romagnia per tuto lo paixe cusi ordenadamente, como è scripto, e devisado in questo libro.

(QUI COMENZA LE PREDICTE UXANZE

Como Miser lo Principo die far homagio a Miser lo Imperador. *)

I. IN prima che per le uxance predicte Miser lo Principo de Achaia, così lo presente, come quello che die avegnir, debia far homagio legio, e fedelitade a lo sovrascripto Miser lo Imperador de Constantinopoli, e sagramento in man de li suo Barogni, homeni legii, fideli, e de li altri soi subditi, che lo mantegnerà, & mantegnir e guarentar farà quelli per suo officiali a tuto suo poder tute le franchexie e uxance de lo Imperio de Romagnia.

Como li Barogni, & homeni legii de Miser lo Principo puo far homagio, & legia, & fidelitade. *)

II. Et da puo che Miser lo Principo haverà facto sagramento a li Baroni soi, si come è dicto de sovra, li dicti Baroni, & homeni legii è tegnudi de far al dicto Miser lo Principo homagio, & liga de fidelitade. Et li altri afeudadi die far homagio. Et li altri subditi sagramento de fedelitade. Ma se lo dicto Principo volesse far dar al dicto sagramento per so Procurator, o per soi Procuratori, over sel non fosse in lo Principado, nisun de li suoi subditi è tegnudi de farli legia, over sagramento.

Lo modo che lo die tegnir lo afeudado, quando lo vien homo legio del Signor. *)

III. Quando lo afeudado devien homo legio del Signor, ello die dir: Signor io devegno vostro homo legio de tal feo, (& nominar de qual feo lo è, zoè per quello ch' ello li fà lo homagio); io vi prometto assalvarve, e guardarve como mio Signor contra tute persone, & contra tute cose, che viver & morir possa (3). Et lo Signor die responder: Et io ve rechoio in la fe de Dio, e in la mia. Et si lo die basar in la bucha in segno de fe. Ma se quello, o quella, che fa lo homagio a lo Cavo Signor, si come è dicto de sovra, ha facto legia avanti ad altro homo, o femena, che non sia homo al Cavo Signor, o ad homo chel sia, ello die salvar a far lo homagio. Et la caxon si è perche alguno che è homo de uno altro, non puo apresso far homagio ad altri, se ello non salva lo so primo Signor, over se ello non lo fa per so licentia, e combiato; altramente lo mentirave de so fe a quello, a chi ello è homo primer. Et qui fa homagio ad altri che al Cavo Signor, de cose che sia a soa terra, lo die far in la magniera sopradita. Ni non se die far homagio, se non ad uno Signor, perche uno homo non puo far oltra una legia senza suo gran falire. E homo che fa homagio ad altri che a quello de chi è homo legio, è tegnu-

(1) *De Leonis.*) Ita in C. B. D. Noster habet: *de Lori era appellato andar inzla Morea.*
(2) *Mille ...*) Deest Epocha in utroque Codice.
(3) *Et morir possa.*) C. B. D. addit: *resalvando l' onor del Comun de Veniexia.*

gnudo al ſo Signor per la fede che lui li da per lo homagio, che lui li a fato, de ſalvarlo e guarentarlo in contra tute perſone, et tute coſe che poſſa viver, e morir; e cuſi lo promete a far homagio. E per queſto apare che ello non è tegnudo de meter, o far meter man in lo ſo corpo, ni in la ſoa perſona, ni anche conſentir o ſufrir a ſuo poder che altri la meta, ni non die prender, o far prender al ſo poder alguna coſa del ſuo Signor, de chi lo è homo legio. Ni non die conſeiar homo; ni femena, contra ſo Signor, ſalvo s'ello l'haveſſe dato al ſo conſeio. Ni non die per homo, o per femena moſtrar oldir parole in corte, s'ello non è a conſeio de quello, a qui lo ſe mete in eſguardo, o in cognoſanza, de coſe chel ſia contra lo ſuo Signor. Ne non die portar arme incontra lo ſuo Signor, a qui lo è tegnudo de fede. Ne non die far a ſo ſaputa procazar la onta del ſo Signor, ni lo ſo damazo, ni ſofrir, ne conſentir a ſo poder che altrui lo faza, ni etiamdio a la dona, ni a la fia del ſo Signor, vilania del ſo corpo, ni *zaxer* cum quelle carnalmente, ſe zo non foſſe per maridazo; ni a ſoa ſorella, tanto como ella è damixella, o che la ſia in caxa del ſuo Signor; ni ſofrir a ſuo poder che altrui lo faza. Et ſi diè lialmente conſeiar lo ſuo Signor de quello che li domandarà conſeio. Nì lo Signor non die meter o far meter man a la perſona de lo afeudado, o a lo feo, ſe zo non è per ſguardo, o per cognoſanza de *Corte*. E ſi è tegnudo el Signor al ſo homo legio per la fede che *è* intro loro de tute coſe davanti dite, de le qual l'homo è tegnudo al ſo Signor, e lo Signor a ello, perche che dentro lo Signor e l'homo è fede, & la fede die eſſer comuna a li do (1) de le coſe avanti dicte. Et *zaſchun* die ſalvar ſoa fede l'uno inverſo l'altro fermamente & intriegamente. E tanto plui die lo homo eſſer tegnudo a lo Signor, che lo homo die intrar per hoſtaxio per trar de prexon lo ſo Signor, ſel ſera requierido per parte del ſuo Signor, o de li ſuo meſſazi. Et zaſchuno homo è tegnudo per ſo fede al ſo Signor, ſelo lo trova in bexogno de facto d'arme a pie entro li ſoi inimixi, o in luogo chel ſia in pericolo de morte, a meter tuto lo ſuo poder per meterlo a chavalo, over trarlo de quello pericolo. Et ſe altramente lo non puo fare, ſi li die dar el ſuo cavallo, o altro, ſe ello lo requiere, & aidarlo a montar ſuſo. Et chi ſchivaſſe far al ſuo Signor alguna de queſte coſe, ello mente de ſo fede verſo lui. Et ſe lo Signor lo pora provar per raxon de Corte, ello pora far de lui & de le ſue coſe, como de homo che ha mentido de ſo ſede. Et chi attende far al ſuo Signor alguna de le dicte coſe, lo Signor ſi è tegnudo per ſuo fede de liberarlo al ſuo lial poder quello, o quelli, li quali è metudi hoſtaxii per la ſoa liberation. Anchora l'homo è tegnudo al ſuo Signor de intrar plezo per ello de tanto quanto val el ſuo feo. Et chi de queſto fallera el ſuo Signor, io credo, ch'ello die perder lo ſo feo infina ch'ello è vivo. Et ſe caſo avegniſſe, che lo homo ſiando hoſtaſio, o plezo per lo ſo Signor, rezeveſſe algun danno per la ſua dita plezaria, lo Signor è tegnudo de reſtituirli ogni dano, & queſto per la fede, la qual lui è tegnudo.

Come Miſer lo Principo non puo pugnir alguno ſuo Baron, over feudatario, ni meter pena a li ſoi legii homeni, ſenza conſentimento de li ſuo homeni legii. *)

IV. Miſer lo Principo non puo pugnir alguno ſo Baron, over feudato, sì civilmente, come criminalmente, ni ancarizar quello, over meterli pena, ſenza conſentimento de li ſoi homeni legii, over de la mazor parte de quelli, ni reſguardar alguno de lo ſo feo, over cometer a determenar per altri le ſuo queſtione, ma dieba reſguardar per li ſuo homeni legii. Et lo dicto Signor, over ſoi Officiali non puo haver reſguardo alcuno; ma ampuo de alguna picola coſa de quiſtion, como è de vigna de feo, o de villano, lo Signor puo cometer lo zudixio a li homeni legii concordevolmente convegnandoſe le parte. Et lo Signor non puo per forza meter alguno homo legio in algun officio contra ſoa volontade, ni pugnirlo, ni retegnir lo ſo feo, ſe non per reſguardo de li altri ſoi homeni legii.

Come niſſun homo legio puo eſſer tegnudo per lo Signor, ſalvo che per do coſe. *)

V. Ordenado ſo in le dicte uſanze, che niſun homo legio del Principado poſſa eſſer tegnudo perſonalmente per lo Signor per alguna caxon, excepto per queſte, zoè per caxon de homicidio, & de tradimento; & queſto ſi è, perche lo ſo feo lo pleza.

Che ſe die far, ſe algun homo legio comete homicidio, o tradimento. *)

VI. Se *caxo* avegniſſe, che algun homo legio, o feudatario (2), cometeſſe homicidio, over tradimento, che die eſſer? A queſto ſe riſponde, che ſegondo le coſtume & uxance predicte lo Signor non lo puo pugnir, over detegnir, ſe imprima non ſera provado lo homicidio (3), over tradimento, & lo ſguardo ſia facto ſovra lo dicto

(1) *A li do de le coſe avanti dicte.*) Hæc deſunt in C. B. D. (2) *O feudatario.*) Deeſt hoc verbum in C. B. D. (3) *Se imprima non ſera provado l'homicidio.*) In C. B. D. additur: *per teſtimonianze idonee, che i habia vezudo dar, e ferir, & per lo ſimel el tradimento; & lo ſguardo &c.*

ſto homo legio per li altri homeni legii del Principado (1).

Se per caxo foſſe, che lo Signor feſſe inzuſtamente ſaiſir alguno ſuo ſubdito, zoe alguno feo de quello, che ſe die far.)

VII. Anchora vien domandado, ſe lo Signor feſſe iniuſtamente ſaiſir (2) alguno feo de alguno ſuo ſubdito, *e che quel ſuo ſubdito* lo havera requierido tre fiade in lo anno in preſentia de li ſuo homeni legii, ſe ello li pora haver (3) domandando lo ſguardo de la ſoa corte; e anpuo ſe lo Signor non li fara render lo ſo feo cum plena ſaiſina, paſſando lo anno lo homagio de quello feo torna al proximo ſuperior Signor. Et lo feudatario die prima far requiexicion del ſo feo infra XL. dì, altramente lo feudatario perderave li fructi, & li rendedi de quello anno. Et quello medeximo iuditio è de altri che ha (4) feudatarii *ſozeti* a lor, ſe li ſubditi ſia legii. L'homo de plan homaio non ha Corte, ni non la puo tegnir. Lo legio, over de plan homaio pora deponer querimonia davanti del Signor de coſe feudal, che ſia ſtate tolte a lui inzuſtamente per lo ſo Signor, per procurador a zo conſtituido.

Quando naſſe queſtion intro lo Signor, e feudatario.

VIII. Quando naſse queſtion criminal, o civil, o feudataria, intro Miſer lo Principo, o altro Signor, e alguno de li ſuo ſubditi, Miſer lo Principo, over quello Signor, che havera la quiſtion, die ſurrogar alguno de li ſuo homeni legii, o non legii in ſuo luogo (5). Et quello Signor è tegnudo levandoſe dar la bacheta a lo *ſubrogato*, & inſir de lo conſeio ſegundo che è uxanza, & dar conſeio (6) ſi al Signor, como a le parte, de li legii de la Corte ſoa, retegnando per ſi quelli homeni, che li parera plui neceſſarii a far quella queſtion. Et queſto intendi, ſe lo litigante è homo legio.

Como non puo ſpoiar algun de la ſo poſſeſſion ſenza ſguardo. *)

IX. Niſuno di Officiali de Miſer lo Principo ha alguna iuriſdicion in li franchi homeni, over in le ſoe coſe, ſe non lo Capitanio de alguna Caſtellania cum li homeni legii de quella Caſtellania. *Ne* Miſer lo Principo, ne alguno ſuo Official puo ſpoiar alguno de la ſua poſſeſſion, over ſaiſir la poſſeſſion de quello, da puo che per anno e dì lo ſera ſtato in ſaiſina, ſenza ſguardo de la corte ſoa. Ma lo heriede de quello, che havera poſſedudo per anno, poralo eſſer ſpoiado de quella poſſeſſion ſenza ſguardo? Reſponde che non; ſalvo che per ſervixio requiexito, e non dado.

Como Miſer lo Principo puo dar feo, che non deba. *)

X. Miſer lo Principo puo unir lo feudo de una Caſtellania in altra (7), & achreſſer, & amenuir li feudi, quando li ſono *ne le ſuo man*. Et ſi puo donar quelli a qui li plaxe. Et puo donar lo feudo per menor ſervixio, che non dieba lo dicto feo. Ma li altri legii porali far queſta coſa? Reſponde che non, diminuando lo ſervixio.

Como Miſer lo Principo non puo donar feo ſenza recognoſanza.

XI. Miſer lo Principo puo donar de la ſoa propria terra feudal etiamdio del ſuo dominio, ſenza ſervixio, cum alguna recognition. Et ſe lo Signor predicto donaſſe ſenza recognoſenza, che ſerave? Dixe alguni, che la donation facta ſenza recognoſenza non val; e molto mazormente de terra dixe (8) che lo ſe debia dar la recognoſenza. Et altri dixe, che la val a vita del donador. Et puo far lo Signor donation de la terra, la qual puo devegnir in le ſoe man, etiamdio vivando quelli che poſſiede la dicta terra a vita. Et ſe algun ha terra ad heriede de ſo corpo legitimamente del ſo corpo deſſedando, & quelli non habia heriedi, & a quello ſe puo conſiderar veſibelmente, che de ſuo corpo non puo haver heriede, lo Signor puo donar vivando quello le dicte terre a poſſiederle driedo la morte de quello poſſeſſor, a chi li plaxe; ſcrivando tuta fiada in la lettera de quello, che ſe lui che al preſente la tegniva, morira ſenza heriedi de ſo corpo deſſedando. E tal donation ſi valera, ſel morira quello che poſſiede in lo tempo del donador, over de ſuoi heriedi. Et ſe quella chi dona ſera femena, la letera die dir che la dona per ſi, & per ſoi heriedi, Over valera la dicta donation, ſe lo donador metera quello, a chi lo dona, in poſſeſſion de alguno membri de quello feo donado, Ma ſe Miſer lo Principo ſimplamente donaſſe terra *ad algun*, non declarando ad ello, e a li ſoi heriedi, ſe die intender, che la donation non paſſa a li herie-

(1) *Del Principado.*) In C. B. D. hæc adduntur in fine hujus Capitis: *Ne lo Signor po detegnir, ni ſaiſir, ni prender li beni de quello, ſe non per ſguardo dei homeni legii del Principato.*

(2) *Saiſir.*) C. B. D. *zoe ſequeſtrar, o tuor.*

(3) *Se ello li pora haver.*) C. B. D addit: *demandandoli, che lo debia render lo ſuo feudo, adomandando lo conſiglio de la ſua Corte.*

(4) *Che ha.*) Ita corrigendum duxi ex C. B. D. Noſter habet; *che è.*

(5) *In ſuo luogo.*) C. B. D. addit: *a termenar, a ſentenciar,*

(6) *Et dar conſeio &c.*) C. B. D. male, ut arbitror; *e dar conſeio, zoe ſentenciar, o determinar, così per lo Signor, come per l'altra parte, de li legii de la ſo Corte, retignando &c.*

(7) *Lo feudo de una Caſtellania in altra.*) C. B. D. omittit *in altra*; & ſubdit; *over li feudi de una Caſtellania; & ſi può acreſſer &c.*

(8) *Dixe.*) C. B. D. *dixo, perche el vuol, chel ſe debia &c.*

riedi de quello, che la rezeve, anzi die tornar a li heriedi del donador.

Se alguna quistion fosse movesta al feudatario.

XII. Nesun feudatario de algun Baron, o Cavalier, o *de* chi che se sia, non è tegnudo de mostrar a Miser lo Principo, como ello tien la terra *dal* suo Signor; salvo se in prima lo suo Signor non sera desfreditado per sguardo. Et se alguna quistion fosse movesta a lo feudatario de algun feo, lo non die responder, se lo Signor non è requierido, e lo Signor è tegnudo defenderlo, poiche *per* lo feudatario lo sera requierido.

Como la parte puo requierir che sia plui legii. *)

XIII. Miser lo Principo, over altro Signor, puo tegnir la Corte soa cum quelli legii chel puo haver. Veramente se la parte, che fa lo letigio, domandara & requierira che lo Signor habia plui legii, lo Signor è tegnudo de farlo; segundo la qualitade de la cosa, la Corte die esser fornida, e fermada.

Como non puo saisir la terra de li afeudati del Baron. *)

XIV. Et se Miser lo Principo, over altro Signor, havera saisido la terra de alguno suo Baron, Cavalier, o feudatario, lo non puo saisir la terra de li afeudadi de quello Baron, ma ello puo ben retegnir per si lo servizio de quelli. Et questo se die intender, se zustamente o inzustamente la terra sera saisida.

Como se Miser lo Principo fosse prexo de li nimixi.

XV. Et se Miser lo Principo fosse prexo de li nimixi, che Dio non voglia, & lo dicto Signor se potesse recatar, el puo meter per lo suo recato hostaxii de li soi homini legii, insina che se archoiera li danari per lo suo rescato; e recolti li danari, lo Signor è tegnudo de trar quelli legii, over meter altri hostaxii in luogo de quelli a li inemici. Ma in altro caxo non *li* puo meter contra soa volontade.

Como se die far, se alguna Castellanaria fosse prexa.

XVI. Se alguna Castellanaria del Principado fosse prexa da li inemixi, che Dio non voia, over alguno feudo intriego, habiando quello feudo, o quella Castellania feudatarii, quelli feudatarii puo requerir lo so Signor, che li sovegna in la necessitade de la vita soa. Et se lo Signor non li sovegnisse, quelli feudatarii non è tegnudi de darli alguno servixio de li feudi perdudi, salvò se elli li recovrasse.

Como lo feudatario die andar a obedir lo so Signor.

XVII. Se lo Signor volesse mandar algun de li suo Baroni, over legii, fuora del Principado, per alguna ambassada che partegnisse a comuna utilitade del Principado, ello è tegnudo de obedir la volunta del Signor, rezevando lui le spexe del Signor: ma se ello lo volesse mandar (1) per soa propria utilitade, lo non puo farlo contra soa voluntade.

Como se alguno cometesse tradimento contra lo Signor. *)

XVIII. Se alguno cometesse tradimento contra lo so Signor, & da puo quello tradimento ello fa ad alguno alguna donacion, se caxo avegnisse che lo muora avanti che contra de lui per le sue nequitie sia procedudo per sguardo, la donacion val; & sel muor avanti chel sia desreditado per sguardo de la Corte del so Superior, lo fiol de quello, o lo plui proximo die succieder in li beni de quello, si como deverave haver succedudo, se quello caxo non fosse seguido: Si come advene a Miser Nicola de Trimola, che fo traditor; & perche lo non fo deshereditado in vita soa, dapuo la so morte sociede Miser Aymo de Rens, & Madona Margarita de Zofalonia in uno feo, lo qual se clama Micopoli.

Se Miser lo Principo havera Castello.

XIX. Se Miser lo Principo havera alguno so Castello in la frontiera de li inimici, lo non puo impegnar a li inimici, ni *destruzer quello*, senza conseio, & consentimento de li soi homeni legii.

Como non puo donar la legia ad algun de menor condition.

XX. Miser lo Principo, over altri qual che se sia, non puo donar lo homagio legio che se die far a lui contra la voluntade de lo homo legio, ma consendando lui, si lo puo far. Et quello del homo de plan homagio si lo puo far a la soa voluntade, & donarlo al suo bon plaxer. Ni la legia de lo so homo legio non la puo donar ad alguno de menor condicion che sia lo donatario, salvo si lo desse la Castellania là che lo feudatario ha la terra legiatica.

Se nassera question intro lo Signor & feudatario.

XXI. Quando Miser lo Principo dona ad alguna persona alguno feo, & da puo alguni tempi nasse alguna quistion intro lo Signor, e lo feudatario, de le pertinentie, o de

(1) *Volesse mandar.*) C. B. D. *volesse mandar quello, over quelli, per suo servixio, over per soa propria &c.*

de alguni membri de lo feo; se quello, a chi è donato, sera trovato in saisina, a lo Signor si zase la prova: Et cusi per converso, s' ello non fosse in saisina. Et questo intendi, sel Signor non provasse quello membro esser de altro feo, in perzo che in quella fiada a lo feudatario zase la prova.

Como lo Signor non puo chumandar a lo Baron a far servixio.

XXII. Miser lo Principo non puo despartir lo homo legio da li suo homini feudatarii in dar lo servitio, salvo se lo legio lo consentira. Et lo Signor non puo chumandar a lo Baron, over a lo homo legio, a far servixio in alguno luogo, s' ello non lo manda acompagnado cum cumbagnia raxonevole, & segundo lo bixogno e la necessitade de lo luogo, al qual lo vien mandado; & meritamente, perche plui se po e die confidarse de li suo che de li stragni: Et questo è cosa assai raxonevole.

Come non se puo meter taie, ni colte.

XXIII. De usanza, & consuetudine de lo Imperio de Romagnia Miser lo Principo non puo meter a li soi feudatarii, over a li franchi homini, ni a li villani de quelli, taie, ni colte, per alguna condecion, ni per che nome se sia, in alguno caso, senza conseio & consentimento cusi de li legii, e feudatarii, come etiamdio de li altri franchi, per utilitade de lo paixe. Et in quella fiada chi consente a quello, si è obligadi, & chi non consentira, non sera obligadi. Veramente se lo volesse maridar so fia, o rescatarse de li inimici, quando da quelli lo fosse prexo, in quella fiada colta (1) poralo meter a li homeni de plan homaio. Et etiamdio de lo Signor provedere, che nessun feudatario, over Baron, over soldado, olsa tuor paia, ni galine, ni alguna altra cosa per forza a li villani de li suo subditi.

Come se lo feudatario soprastesse de non dar lo servixio.

XXIV. Quando Miser lo Principo comanda, chel sia saisido alguno feo per lo servixio requexito, e da puo a lui non dato, el puo tuor lo servixio de li villani de quello feo. Ma li frutti che sono recolti, & che se die recoier, non puo lo prender. Et quando lo feudatario offerisse a lo Signor lo servixio infina XL. zorni, lo Signor (2) è tegnudo restituirlo in plena saisina de lo feo, excepto lo servixio de li villani. Et se lo feudatario soprastesse a non dar lo servixio al Signor, passadi XL. zorni lo Signor prendera tanti de li frutti per rata, che basta per lo servixio non dato, segondo lo valor de li rendedi del feo, over de li fei (3). Et se lo sovrastasse per anno e zorno a non dar lo servixio, lo perde lo feo, salvo se lo heriede se apresentasse offerandose lo servixio debito, over lo pupillo, el qual non si perzudegado: & nientedemen lo se die far la declaration per sguardo, salvo se lo sera detegnudo da legitimo impazo, la qual cosa anpuo l' è tegnudo de notificarlo al Signor, se lo puo, infra l' anno.

Como lo Signor puo far libero lo so vilan.

XXV. Lo Signor solamente, zoe lo Principo, puo mantegnir e far libero lo so villano, over quello d' altri, de consentimento del Signor del vilan. Et si puo lo Signor feudo a la Glexia dar, over parte de feo, over etiamdio dar uno villano (4). Ma si la donation sera facta per altri, la valera solamente a la vita del donador.

Quanto termene die haver lo feudatario a pariarse a dar lo servixio debito.

XXVI. Quando lo Signor comanda ad alcuno feudatario che lo debia dar lo servixio debito, lo die haver per lo manco XV. zorni de termene a pariarse. Veramente se alguno Castello fosse assidiado, over lo Signor, zaschaduno feudatario è tegnudo de socorer piu tosto chel puo; & specialmente quelli che die dar alguno servixio. Et questo medesimo sera, se chavalcada zeneral se fara per Miser lo Principo andando a lo paixe de inimixi, over se exercito de li inimixi intrasse a lo paixe, & a le terre di Miser lo Principo.

Quando Miser lo Principo movesse guerra ad alguno suo Baron, che die far li Feudatarii.

XXVII. Se Miser lo Principo movesse guerra ad alguno suo Baron, over feudatario, li feudatarii de quello Baron, o de quello feudatario, è tegnudi a defender lo so Signor, se Miser lo Principo iniustamente li move guerra. Ampuo lo dicto Baron, over feudatario, è tegnudo de requierir lo Signor per algune do o tre fiade in presentia de li suo Baroni, & de li soi legii, se copia de quelli se pora haver; & se non podesse haver de quelli, davanti & in presentia de altri degni de fede, che Ello se debia romagnir da quella molestia. Et se ello non se volesse romagnir, li feudatarii è tegnudi a defender lo so Signor; e puollo far senza pena. Ma se zustamente i movesse guerra, li

(1) *In quella fiada colta &c.*) C. B. D. *in quella fiada el pora meter colta solamente alli homini de plan homagio.*

(2) *Lo Signor &c.*) C. B. D. *lo Signor prendera tanto di fruti, & è tegnudo &c.* Non recte, ut reor.

(3) *Over de li fei.*) Post hæc verba in C. B, D. hæc interpolata leguntur: *Et nota che el non prezudega al pupillo algun tempo fazando la dechiaracion, o che sia detegnudo da legitimo impazo.*

(4) *Dar uno villano.*) C. B. D. *puo dar villani.*

li subditi non è tegnudi de defender lo suo Signor contra lo superior Signor, se (1) li feudatarii havera facto homagio, salva la fidelitade del suo Superior; altramente li è tegnudi de defender quello, infina che per sguardo lo sera deshereditado de la Corte soa.

Como lo Signor puo constrenzer lo feudatario a rezever cavallaria.

XXVIII. Lo Signor puo constrenzer lo feudatario a rezever cavallaria, zoe, se ello ha feudo de cavallaria, & se lo feo è in tal stado, chel possa mantegnir cavallaria. Ma se per guerra lo sera guastado, intanto che non possa servir la cavallaria, lo non die essere constreto, ma ello die servir a lo Signor de la persona, deffalcando lo servixio, secondo che lo feo è diminuito per la guerra. Et se lo feo non sera de cavallaria, & sia de quanto gran valor che se voglia, lo non die esser constreto a cavallaria, & etiamdio se lo padre de quello feudatario fosse stato Cavalier.

Como lo feudatario puo esser schuxado de dar conseio a la corte.

XXIX. Se lo Signor requierira alguno feudatario per dar conseio a la Corte soa, over servixio de la persona, over per altra raxonevol caxon, se lo dicto feudatario havera legitimo impazo, lo lo die haver per schuxado.

Como lo legio, o la legia, puo donar la terza parte del feo.

XXX. Contiense etiamdio in le uxance de *lo Imperio*, *che* lo homo legio, over la legia, puo donar la terza parte de lo so feudo, over de li feudi suo liberamente a quel, o a quelli ello vora, cum servixio debito per quella terra. Ma vender non lo puo senza consentimento del so Signor. L' homo de plan homaio non puo donar ni la terza, ni la quarta parte, ni villano, ni alguna terra, senza licentia del suo Signor, *dal* qual ello tien la terra. Et lo Signor non puol constrenzer alguno legio, che prenda alguno officio contra la soa voluntade.

Como la femina legia morto lo so marido se po maridar a qui li plaxe, salvo a inimigo.

XXXI. Anchora se contien in le dicte usanze, che la femena legia morto lo so marido se puo maridar a qui ella vuol, purche ella non se marida a inimigo, dagando al Signor la terza parte de li rendedi de uno anno de la terra, la qual ella tien da lo Signor partignando a legia, over lo valor de li rendedi, zoe de la terza parte; & questo per lo so relevo. La femena de plan homagio non se puo maridar senza licentia del suo Signor, se lo Signor la chomandara, quando *ello* la investe del feo, che ella non se marida senza so licentia, la non lo die far. Ma se ella se marida avanti che lo li sia vedado, nisuna pena non li incorre. Et se da puo che lo li sera vedado ella se maridasse, la pena si è a la voluntade del Signor. Veramente lo Signor non la puo maridar contra de la so voluntade.

Como in fei, & baronie lo primogenito succiede.

XXXII. In feudo veramente, over baronia, over Principado, lo primogenito succiede a lo padre, over a la mare; & se ello non è fio, o fia, lo succiede lo piu proximo, che apar in lo Principado, se ello sera de quello zepo, al quale prociede lo feudo paterno, o materno; & se lo sera feudo dal aquisto del Principado, el succiede lo piu proximo infina infinito, purchel sia stato de quella progenie paterna, o materna. E s' ello sera feudo paterno, o materno, lo fiol, over la fia, da puo la morte del padre, o de la mare, retien la possession, etiamdio senza auctoritade e licentia del Superior, pur che ello se trova in lo Principado. Ma se lo sera fuora de lo Principado, lo non puo achistar la possession senza auctoritade del suo Superior. In altre descadentie, over succession, a voler (2) aquistar la possession el se die aspetar la auctoritade del Signor Superior. E che serave, se uno partegnisse in terzo grado, e desendando de linea feminina, e l' altro in quarto grado, e desendando de linea mascolina? Responde chel die succieder quello, che partien in terzo grado, imperzo che ello è plui proximo.

Per qual caxon puo esser detegnudo la legio de Miser lo Principo.

XXXIII. Ordenado fo in le dicte uxance, che lo homo legio de Miser lo Principo non puo esser detegnudo personalmente per lo Signor, se non per do caxon, zoe per homicidio, over per tradimento, imperzo che lo so feo lo pleza.

Como se driedo la morte del padre lo fio è de etade legitima, lo non paga relievo.

XXXIV. De comunal concordio si fo ordenado, che se da puo la morte del padre lo fio è de etade legitima, lo non paga relievo, quando lo vien investido del feo del padre, ma de la madre si; tuti li altri si paga

(1) *Se.*) C. B. D. forte non recte: *e se*.
(2) *A voler &c.*) C. B. D. *A voler acquistar el se die aspetar l' autoritade del Signor Superior in dimandar la possession: notandovi: chel po così succieder la femina, come l' omo. Che serave &c.*

paga ogni fiada chel feo si si mudado, excepto si lo fiol fosse in avoieria, lo avoier non paga relievo; e quando lo vien investido lo fiol de lo feo da puo che lo sera pervegnudo ad etade legitima, lo non paga relievo, se lo Signor so havera habudo l' avoieria; altramente lo paga de li beni rezevudi per lo avoier, In le descadentie veramente, che apartien a maschulo, non se paga relievo, ma che partegna a femena legia si. Et se la fia legia suciede al padre, over a la madre, etiamdio se ella habia marido, quando la vien investida del feo del padre, over de la madre, la paga relievo. Et quando la femena legia se marida, la paga etiamdio relievo. Et per lo simel quando so marido muor, & ella se investe del feo, etiamdio si lo feo fosse hereditaio de la femina, la paga. Et si paga, quando la vien investida del feudo del so duario, Et quando se marida homo, o femena de plan homagio, non paga relievo. Et se legio, over legia, havera terra de plan homaio, non paga relievo de quella terra, ma solamente de la terra legiatica. Ello si domandato, se quante fiade lo marido de la femina muor, se tante fiade ella se investe del feo za investido, etiamdio se quello feo è hereditaio, Responde che si.

Quanto die haver la legia, o de plan homaio, per so duario da puo la morte del marido.

XXXV. Segondo le uxanze de lo Imperio de Romagnia la femena legia (1), e de plan homagio, da puo la morte del marido ha per lo so duario, o per la so dota, la mita del feo, over de li fei, del castello, o castelli, & de la iurisdition del marido, la qual lo marido possideva, quando li se lo matrimonio, & zasesse insembre in uno lecto una fiada solamente. De le descadentie veramente non ha alguna cosa; ma de lo aquistar che fa lo marito durando lo matrimonio, la moier aquista la mitade, se ella vive driedo el marido. Ma se lo marido vive driedo la moier, li fioli de quella femena nassudi del primo marido non succiede in alguna cosa. Et se ella ha fioli del primo marido, & ella sopravive al marido, de driedo lo fiol del primo marido succiede in la soa aquistaxon; salvo se ella ha *herede mascolo* de colui che aquista, imperoche colui succiede. Ma se lo fiol de lo segondo marido, lo qual aquista la terra, muora avanti che la madre, el succiede lo fiol del primo marido in l' aquistaxon de la madre; etiamdio se lo fiol de lo segondo marido habia fioli. Et la dona legia habiando marido puo donar la terza parte de l' aquistaxon soa a lo segondo fiol de la fia, over a chi li plaxera. Ma se l' homo non havera pagado lo relevo de la moier in vita soa, che sera? non convegnera pagar quello, over li *executori* suo? Responde che lo marido, over li *executori* è tegnudi de pagar lo relievo, da puo chel marido havera habudo la saisina de la terra de la moier (2). Che sera de lo marido che investira la moier de certa quantitade de dinari, non fazando mention, che quello investe quella de mitade de la soa terra da puo la morte de suo marido? Non haverala (3) lo duario de la terra de suo marido, over la conquistaxon? Responde che l' havera solamente la aquistaxon, perche za l' haveria investida de dinari. Et cusì advegneraye, se algun dira: Io prendo la tal dona per moier, azonzando & metando *el* tal pacto; perche in quella fiada se observeravè lo pacto, & non haverave la aquistaxon, salvo si in lo pacto non se exprimesse lo contrario. Ma che sera, se la moier legia aquistara alguna terra? Lo marido non haveralo parte in quella aquistaxon? Responde che si, segondo alguni; & altri dixe lo contrario. Ma se sera de plan homaio, che die esser? Responde, quello medeximo segondo alguni, se lo feo sera franco, & altri contra.

Como vacando alguno feo, chi die succieder, lo die domandar infina XL. zorni &c.

XXXVI. Quando lo vacha alguno feo, in lo qual alguni die succieder, quello che ha raxon in lo dicto feo, si lo die domandar infra XL. zorni; altramente lo perde lo fructo de quello anno. Et se ello non lo domandara infra anno e zorno, siando lui in lo Principado, lo lo perde, etiandio se de alguno impazamento lo fosse impazado legitimamente; *e lo* plui proximo del morto si lo succedera, se ello lo domandara avanti chel sia passado anno e zorno da la morte del Signor del feo. Et se ello sera fuora del Principado, ello ha de termene do anni, e do zorni; & quando lo vegnera infra lo dicto termene, & offerira lo homagio, la terra li die esser assignada. Tal termeni etiandio si die observar, se lo sera la parte feudal uno villano, over pocha terra feudal. Si come (4) advene inela Madre de Miser Nicolo de qua indriedo Marescalcho del Principado, lo qual perde la Baronia de Matagrifon, quando lo iera in prexon de Paleo-

(1) *La femena legia &c.*) C. B. D. *la femena legia, over gentil dona, & de pian homagio, moier de un citadin popular da può la morte &c.* Incongrua additamenta.

(2) *De la moier.*) Post quæ verba hæc leguntur corrupta latinitate scripta in C. B. D. *Et nonquid dominus poterit inmediate releviun perdere, quamvis bona tere ad mortuum pertineat usque ad quatuor menses medietatem.* Quæ censeri possunt addita ab aliquo legulejo.

(3) *Non baverala &c.*) C. B. D. *Ella non bavera el doario de la terra de so marido, over de l' aquistaxon, perche za la aveva investida de dinari. E così &c.*

(4) *Si come advene &c.*) Hæc usque ad finem Capitis desunt in C. B. D.

logo Micael, ficomo dixe alguni, & fi fo privato.

Como tuti li franchi puo far testamento, azonzando certe cose.

XXXVII. Tuti li feudatarii legii, & de plan homaio, & altri franchi homeni del Principado predicto, cusi mascoli, come femene, puo liberamente far & ordenar testamento de li soi beni mobeli, & inmobeli borgexiatichi; azonzando questo, che se la blava che havera facto semenar in la soa terra feudal, over de la moier, sera nassuda, over la uva ingranada, over le olive & li fructi de li arbori sera complidi, e facti, tuto partien al morto. Et de la terra, *in* la qual è la semenza predicta, lo Signor non prende lo zemuro, ni li heriedi de quello feo. Ma lo Signor, o quello che die hereditar lo dicto feo, tuo ben lo zemuro de li altri che havesse semenado in quello luogo. Li fructi veramente, che non è recolti de quella terra feudal partien a lo Signor, over a lo heriede del feo. Lo anno in lo qual comenza li beni feudal, comenza quando le olive se recoia, & le glande, zoe driedo la festa de la Exaltation de Sancta Croxe.

Quando l' homo muor intestado, la moier succiede in li beni mobeli, & inmobeli burgexiatichi.

XXXVIII. Se l'homo muor intestado, la moier succiede in li beni mobeli & inmobeli burgexiatichi; ma se ello non havera moier, lo fiol succiede, & se li sera fioli, o fie, tuti succiede engualmente. E se fioli, o fie non apar, lo succiede li plui proximi; e se de li proximi non se trovasse in lo Principado, li beni sera per lo Signor conservadi per uno anno & zorno, & aspetar se da altra parte aparera alguno cuxin, o proximo de quelli; & se lo aparera, li beni de quello morto li dovera esser dadi; & se ello non aparera, lo Signor è tegnudo destribuir quelli beni per l'anima del morto. Et in questo caxo engualmente succiede lo masculo & la femena, siando in engual grado; intendi le fiole non maridade, & non de quelle che son maridade, perche elle non puo domandar alguna cosa, da puo che le apar quelle *esser state* maridade; salvo se la dota, la qual le rezevesse, elle la volesse retornar in lo monte cum tuta la hereditade, e puo tuto insembre partir; Et questo segundo alcuni.

Capitolo de l'avoieria.

XXXIX. Quando el muor lo legio, over altro de plan homaio, la madre ha l'avoieria del fio, over de la fia. Et se la madre muor avanti, lo padre ha l'avoieria. Ma se intrambi, lo padre, e la madre muor, in quella fiada havera l'avoieria quello che die succieder in lo feo, o che ello sia Signor de terra, over consovrin. Et si è tegnudo de dar victo & vestito a lo pupillo, del qual ello è avoier. Et lo avoier, qual che sia, die dar lo homaio per raxon de l'avoieria. Et si die domandar l'avoieria infra tal tempo, cusi como se ello dovesse succieder in lo feo, altramente lo perde l' avoieria de quella terra. Et si die presentar lo pupillo, over pupilla, del qual lo è avoier. Et se ello non lo presentaria, lo Signor non è tegnudo conciederli la avoieria. Et se ello non lo podesse presentar, & sera investido lo avoier, *valera* come se facto fosse. E quello che fa lo avoier, non puo esser revocado per altro avoier; ma lo heriede lo pora revocar, quando lo sera investido del feo. Et se lo popillo, o popilla non vora morar con lo so avoier, questo puo esser segundo alguni, se lo è de VII. anni, altramente lo demorera cum lo so avoier. Ma la madre, o lo padre, non porali ordenar, che lo pupillo o pupilla sia nodrigadi cum altri, che cum l'avoier de la terra? Respondi che segundo altri questo puo ello ben far, over ordenar, *ma* lo avoier non li dara le spexe, se ello non vora, da puo che lo popillo, o popilla, non demora cum lui. Et se lo popillo, o popilla non vora star cum lo so avoier, ello pora star cum lo piu proximo, habiando le spexe de quello, che è avoier. E li feudatarii del popillo non è tegnudi dar lo homaio a lo avoier, salvo se lo avoier fosse marido de alguna femena che havesse feudatarii, o se lo fosse avoier, lo qual adesso da puo la morte del popillo podesse sucieder; salvo tuta fiada la fedelitade del popillo, lo qual die sucieder vegnando a la etade legitima, quando se fa lo homagio. Adoncha se lo Signor ha l'avoieria del popillo, e non deba adesso driedo quello succieder, over se altro consovrin havera l'avoieria, lo qual non deba succieder (1), over si fosse plui *proximo*, e sera stato negligente, over renuntiara la avoieria, non rezeva lo homagio de li afeudadi de quello popillo. Ma che sera del padre, che ha l'avoieria del so fiol del feudo materno?

Como lo padre, o la madre puo investir lo so fiol.

XL. Se lo padre, over la madre, che non habia marito, se vora desvestir del so feo, azo che lo fiol possa far duario *a* la soa moier, se lo fiol morisse dapuo quella desvestidura, & ello sia sta homo investido, & non lassa driedo a si heriedi de so corpo legitimamente defendando, el non succiede alguni de li cuxini del fiol del padre, over de la madre, salvo se lo sera sta feudo de la

(1) *Over se altro .... lo qual non deba succieder.*) Hæc clausula deest in C. B. D.

la aquiſtaxon. Ampuo ſe quello padre, over la madre, che ſe vol deſveſtir, ſe deſveſtira davanti dal Signor cum queſta condition, che ſe lo fiol muor non laſſando heriedi legitimi de ſuo corpo, che li altri cuxini poſſa ſuccieder, lo pora ſuccieder de li cuxini del fiol del padre, over de la madre, ſi como li averave poſſudo prima ſuccieder, ſel non foſſe facta la deſveſtidura; ſolamente coſi che lo Signor conſenta a quella deſveſtidura (1). Et ſe alguno ſe deſveſtiſſe de lo ſo feo non ſiando in preſentia del Signor, la non val. Ma ſe quella deſveſtidura ſe feſſe in preſentia de Vicario del Signor, che ſerave? Reſpondi che la val, ſi como tuto lo zorno ſe fa.

Como la moier ſe die prexentar, quando feo i deſcaze.

XLI. Ancora ſegondo le uſanze de lo Imperio de Romagnia ſe contien, che quando terra, over feudo deſcaze, in li quali la moier ſociede, o die ſocieder, la moier ſe die preſentar, & non ſo marido. Et ſe la moier ſera negligente in li termeni ſopradicti, la cade de la raxon ſoa, & ſi ſuciede quelli, che driedo quella ſegondo le uſanze deveſſe ſuccieder. Ampuo non li periudica alguno tempo durando lo matrimonio in lo feo, che la è inveſtida; ma driedo la morte del marido la obſervera li tempi ordenadi de ſopra. Che ſera, ſe la moier ſe preſentara ſenza lo marido? Reſponde, che la ſe die rezever (2).

Qui puo cognoſer de li caxi civili.

XLII. Tuti li feudatarii, e de plan homaio del Principado de Achaia puo cognoſſer de li caxi civil de li ſoi villani; ni villani non ſe puo apellar de algun modo.

Qui tocha far vendeta de ſangue.

XLIII. A far vendeta de ſangue non ſe convien, ſe non a li eguali de Miſer lo Principo, zoe a lo Ducha de Atene, al Signor de Nixia, a li Terzieri de Nigroponte, a lo Signor de la Bondeniza, al Conte de Ceſalonia, al Signor de Charantagna, a quello de Patras, e de Matagriſon, & a lo Mareſcalco, infina che lo è in lo exercito ſovra li ſoldadi, & a lo Signor de Colovrata (3), che ſo de Dornay. Che ſera ſe lo villan de alguno feudatario vora lamentarſe de uno altro villan de quello medeſimo Signor in caxon civil? Non pora lo Signor *del* villan cometer a quello, che altrui che ello non debia cognoſer de quella caxon, & che davanti a lui debia eſſer, e non davanti altri? Reſponde che sì, ſegondo alguni. Ampuo ſel villan ſe lementera del altro villan davanti lo Superior del ſo Signor, lo villan è tegnudo de reſponder, non obſtante chel Signor lo habia vidado. Altri dixe contra, ſe lo Signor del villan è homo legio; e la raxon ſi è, perche ha Corte in li villani, & feudatarii ſuo.

Como la feudataria ſe puo prexentar davanti al Signor.

XLIV. Se uno marito de una feudataria ſera prexo, over ſera abſente, & ſoccieda in alguno feo, over parte de feo, over in avoieria, quella feudataria puo preſentarſe davanti a lo Signor del feo, & prender la inveſtidura, over l' avoieria, non obſtante la abſentia del marido. *E dapo la vegnuda del marito*, ſi lo preſentara davanti al ſuo Signor, ſi como ſo avoier.

Como la moier non die haver doario, ſe non de la terra, che poſſedeva ſo marido.

XLV. Se lo feudatario fa matrimonio cum alguna, & la madre, o maregna de lo feudatario poſſiede la mitade del feo, over de li fei de lo feudatario, la moier driedo la morte del marido non havera dotario de quella terra. Et la raxon ſi è, perche la non die haver dotario, ſe non de la terra (4), che poſſederia lo marido, quando ad inſembre contraſſe lo matrimonio.

In che modo die dar la terza parte del feo lo legio, over la legia.

XLVI. Lo legio, over la legia, puo donar la terza parte de lo feo, o de li fei, ſe ello vuol, non requierido lo Signor, e a chi li plaxe, ſe lo havera habudo la ſaiſina de XL. zorni, ma venderli non puo. E queſto veramente, ſe lo aquiſta li fei inſembre, e da uno Signor. Ma ſe lo haveſſe aquiſtado, & habudo in prima uno feo, & puo uno altro da l' altro Signor, in quella fiada non porave dar, ſe non la terza parte de zaſcaduno feo. Et ſe lo ſucciede in pluxor feudi, che tegna da uno Signor, o de pluxor, lo non puo dar ſe non la terza parte de zaſchaduno feo. Et ſe ello dona feo intriego, lo chade de tuto quello feo, & quello medeximo donador aquiſta quello feo. Et ſe lo dona do parte, lo donador prende (5) quello plu che l' ha donado, & quello a chi è donado, aquiſta la terza parte del feo.

(1) *Solamente .... deſveſtidura.*) Hæc quoque clauſula deeſt in C. B. D.

(2) *Rezever.*) In fine hujus Capitis hæc adduntur blateramenta latine conſcripta in C. B. D. *Ut I. C. ſi feudatario, ut ibi puta, ſi vir eſſet negligens in præſtando ſervicio debito pro tera illa, ut ſi traeret moram extra Principatum ultra &c.*

(3) *Colovrata.*) In C. B. D. lego, *Calamata.*

(4) *Se non de la terra &c.*) C. B. D. *Si non de la terra che poſſiede el marido, over che poſſedeva, quando ad inſembre &c.*

(5) *Prende.*) C. B. D. haud recte, *perde.*

*Como se intende de plan homaio. *)*

XLVII. Se alguna terra feudal sera conceduda ad alguno, & in le lettere de la concession non sia nominado lo *donatario* (1) legio, el se intende esser de plan homaio.

Como in la sententia, che non ha voxe.

XLVIII. Quando die esser facto sguardo sopra cose, che tocha a li servixii de li feudati franchi, cusì in facti de feudi, como in caxi criminali, over civili, in la sententia non ha voxe, se non li homeni legii, & li Prelati che ha Baronie in lo dicto Principado. Et li Baroni si vien zudegadi per li altri Baroni cum li legii, soprastando etiamdio lo Superior de quelli. El dixe alguni, che sicome li Vescovi in lo Principado è Chumandieri de lo Hospidal de S. Zuane, e de le caxe (2) de la Mostiniza, si a voxe.

In che modo puo deponer querimonia contra lo suo Signor li subditi.

XLIX. Li Baroni, & altri Cavalieri, e feudatarii legii puo cognoser de li feudi de li suo subditi, cum li suo legii. Veramente se li dicti havera saisido la terra de li subditi inzustamente, se elli non restituira a quelli in plena saisina, lo subdito non è tegnudo a rezeverla; & se lo l' havera *tegnuda* a lo subdito per anno e zorno, passando lo anno lo homagio torna subitamente al proximo Superior Signor, purche lo subdito habia requirido lo so Signor tre fiade in lo anno, che lo debia far restitution, domandando lo sguardo de la Corte soa: & la prima requiexition die esser facta *infra* XL. zorni, altramente perde el fructo de quello anno; & questo se intende in li legii. Ma lo homo de plan homagio, quando lo suo Signor prociede contra lui (3), puo deponer querimonia & lamentation passando XL. zorni davanti *dal Signor* (4) del suo Signor, requierando in prima lo so Signor, che ello li faza complimento de raxon infra quelli XL. zorni. Ma deponando davanti del Superior del so Signor lamentation del suo Signor infra lo anno, lo perde lo feo, se quello feudatario sera legio, & la question sera de tuto lo feo. Ma se la question sera de cose mobele, lo puo de presente meter lo lamento (5).

De lo legio, che da feudo.

L. Se alguno legio havera dato algun feudo intriego aquistado de lo aquistamento del Principato, over che per succession li sia pervegnudo, lo qual segondo le uxanze sopradicte lo non puo donar, *colui a chi è donato aquista* la terza parte del feo, e l'avanzo roman al Signor principal *in vita de colui, che ha* donado. Driedo la morte del donador succiede lo suo heriede, over fiol, over qual altro heriede che sia, pur che ello se presenta, & habia offerto lo servixio, vivando lo donador, a lo qual lo è tegnudo, infra uno anno, protestando dir, che ello è apariado servir al Signor principal segondo lo servixio debito per quella terra.

Como la terra roman al Signor, se lo subdito requiexido non havera dado lo servixio fra l' anno & zorno.

LI. Se lo Signor havera saisido la terra de alguno suo subdito per lo servixio requiexido, & non dado, e lo subdito non havera dado lo servixio infra l' anno & zorno, la terra roman a lo Signor passado lo anno & zorno, salvo si quello che die succieder se havera presentado, offerando lo servixio debito: & offerto lo servixio, lo Signor è tegnudo de restituirli la terra.

Como lo feudatario non è tegnudo dar alguno servixio, se lo Signor muor non compida la promession del feo, terra, over quantita.

LII. Quando algun Signor da ad alguno certa terra feudal, prometando adimplir certo feudo, over tuto, over quantitade de feudo, se lo Signor muor non compida la promission, lo feudatario non è tegnudo de dar algun servixio avanti che sia determenado, che servixio lo debia dar per quella terra, per lo successor de lo dicto Signor. Ampuo lo successor de quello Signor non è tegnudo adimplir lo feudo, over quantita de feo, se ello non vuol, ma lo heriede sì, se in le lettere se contien, che lo da per si, & per li suo heriedi. Et se lo Signor havera desminuido lo feo de lo so feudatario, lo dicto feudatario non è tegnudo *de dar* lo servixio al so Signor de quello feo cusì desmenuido, infina tanto che lo li sera restituido intriego (6).

Como l' avoier, che tien terra, che debia servixio, è tegnudo dar la persona.

LIII. Se algun tien avoieria de alguno pupillo, del qual la terra debia dar servixio personal, lo avoier per raxon de quella avoieria

(1) *Lo donatario.*) Ita correxi ex C. B. D. Noster habet: *lo donatore*.

(2) *E de le saxe.*) C. B. D. *& de la caxa*.

(3) *Prociede contra lui.*) C. B. D. addit: *ingiustamente*.

(4) *Dal Signor.*) Ita C. B. D. quod a nostro omissum est.

(5) *Lo lamento.*) C. B. D. in fine Capitis addit: *Che sara, s'l sara de pian omagio, e meta la suo dimanda infra XL. zorni?*

(6) *Intriego.*) In fine hujus Capitis hæc adduntur in C. B. D. *Et se la stivorta de i feudadi è parte del feudo, pensa di non dar stivoria, over dinari, i qual tu è tegnudo de dar per suo lettere, over concession; veramente non toiando alguna cosa del suo feo.*

ieria è tegnudo de dar la persona soa, salvo se lui fosse obligado per la soa terra a servixio personal (1).

Como lo pupillo puo esser investido per lo Signor, dal qual se tien lo feo.

LIV. Lo Signor, dal qual feudo se tien, puo investir lo pupillo, lo qual die succieder in quel feo, de gratia, avanti che lo provegna ad etade legitima, non prezudegando lo avoier in rezever li fructi de quello feudo. Et se lo dicto pupillo volesse contrazer matrimonio cum alguna, pora dotar quella de quello feo, cusi come se ello fosse stato de etade legitima; se lo Signor sera avoier, lo li restituisse la terra, over zascadun che sera *stato* avoier de quello pupillo, si restituisse la terra, dagando lo Signor Superior etade a lo pupillo.

Come lo feudo die esser minuido, se lo homo legio non puo dar lo servixio che l' è tegnudo al Signor.

LV. Lo *homo legio*, che la terra feudal, per la qual lui è tegnudo al suo Signor servixio etiamdio personal, se lui non puo dar lo servixio, imperzo che lo feo è desminuido *per guerra*, over per altra caxon legitima, che lo ha de partirse, ello puo *licitamente* recomandar quella terra al sopradicto Signor per do anni, e per do zorni, e men se lo vuol; e puo recovrar quella infra lo dicto termene, se lo vuol, offerando lo servixio debito. Ma se passado lo dicto termene de do anni & do zorni, non offerre lo servixio debito, perde quella terra, salvo si quello che die succieder, offerra el servixio al Signor infra l'anno, e dì, over se lo Signor l' havera *tolta* in comenda, & haveralo acceptado, perche in quella fiada non incorre periudicion alguna a lo feudatario, etiamdio sel passa anni X. Intendi, che lo feudatario in quella fiada recomanda la soa terra al Signor, quando ello non li vuol dar licentia de partirse per alguna caxon legitima; altramente se ello havera licentia, lo non è necessario recomandar la terra.

Come la moier non puo esser privata del marito de lo suo lecto, e de le robe de lo suo corpo.

LVI. Lo marito non puo privar la soa moier de lo so lecto, & de le robe del suo corpo per lo so testamento, anzi la moier havera lo so lecto fornido, zoe uno matarazo cum cavazal, e cortina, e do coltre, e do para de ninzuoli, tuta fiada ampuo segondo la qualitade, e le force de zascaduno (2); excepto se contrarii pacti aparesse: le vestimente etiamdio del corpo de la moier si li *roman*, *se* li beni de lo marido basta a pagar li debiti; & se li non bastasse, el romagna a la moier solamente uno paro de vestimente, & una centura d' arzento.

Come lo legio, & li heriedi è obligato a colui, a chi li da lo feo, se li fosse mossa question.

LVII. Quando alguno legio da feo ad alguno, over parte, si li promete, che se alguno li movesse quistion de quella terra, over li la tolesse, che lui & li soi heriedi li sia tegnudi de restituirlo, lo principal donador è tegnudo a la promession, ma lo heriede non è tegnudo. Et se alguno legio da lo feo ad algun, che vacha ad altrui, driedo la morte del donador lo non havera niente, se lo non havera habudo saisina del feo. Et che die esser, sel sera stato investido solamente per lo capuzo? Respondi che la non val, imperzo che per si facta investidura non se aquista la possession, over parte de feudo, in vita del donador, over de lo heriede del donador; ma quando in le lettere se contien, che lo dona per si, & per li soi heriedi.

Como la legia, che contrazera matrimonio, non puo desvestirse.

LVIII. Se la legia contrazera matrimonio cum alguno, che non habia terra feudal, & de zo rezevera fioli, se lo fiol de quelli legitimamente vora contrazer matrimonio cum alguna, la madre de *colui* non se pora desvestir, etiandio de consentimento de so marido, de tuta la terra, over de parte de quella, perche so fio faza dotario a soa moier, perzo che *ell' è* in l'avoieria del marito, salvo *se sera* l' auctoritate e consentimento del Signor. Ma se l'Avicario consentira, non basta? Responde; el dixe (3) chel basta segondo alguni; ma plui seguro è se lo sera facto de consentimento del Signor natural, Et altri dixe forsi meior, che etiamdio siando, over intravegnando l' auctoritade del Signor, non vale, conzosia che la moier si è in l' avoieria de so marito.

Come lo Signor è tegnudo a restituir la terra a quello, che se apresenta infra l' anno.

LIX. Se l' homo non habiando terra feudal contrazera matrimonio cum alguna feudataria, & *quella* sera stata negligente in dar lo servixio al suo Signor, per la qual cosa suo zenero havera saisido la soa terra, over alguno altro chel dieba soziеder in quella terra; el se pora presentar infra lo anno per raxon de la soa moier, over de la suc-

(1) *Personal.*) C. B. D. addit: *perche in quella fiada è tegnudo de dar el servixio convenevole.*

(2) *De zascaduno.*) C. B. D. addit: *zoe del marito.*

(3) *El dixe chel basta segondo alguni.*) Hac desunt in C. B. D.

cession, & offerir lo servixio debito: Et lo Signor si è tegnudo restituirli quella terra.

Come lo Signor puo concieder lizentia al feudatario suo a star fuora del Principado.

LX. Da puo che alguno feudatario legio sera stato investido del suo feo, lo Signor li puo dar licentia de poder star fuora del Principado, *quanto* li plaxera, ni non li vien algun perzudixio in la terra investida, benche in quella da investir incorerave periudicio, sel non tornasse infra do anni & do zorni: ma si senza licentia lo se partira, & non havera caxon legitima de esser absente, & quello che die socieder in quello feo se presentasse infra lo termene de uno anno, lo Signor del feudo die investir quello: ma se ello se partisse cum lizentia del so Signor, nientedemen quello che è presente in lo Principado se die presentar infra lo anno, ma lo non se investira in lo sequente; & passadi li do anni, e do zorni, lo sera metudo in possession.

Del feudatario, che ha mare, o maregna.

LXI. Lo feudatario legio, o de plan homagio, habiando madre over maregna, che possieda la mitade del feo del padre per raxon del suo dotario, driedo la morte de la madre, over maregna, *lo* non è tegnudo de domandar la investidura de quella descadentia del so Signor, ma lo è ben tegnudo de domandar lizentia de intrar in possession de quella descadentia; e lo Signor si è tegnudo de concederli la lizentia; ni non è bixogno, che li sia messo in possession cum l' auctoritade del Signor. Et quelli, li quali tegniva la terra de la madre, over de la maregna, die prestar lo homagio a lo fiol, over a lo suo procurator, segondo che quella terra requiere. Ma se la madre havera la terra de acquisto, over de hereditade, filius post mortem matris investituram petere debet, vid. lo fiol da puo la morte de la mare la investidura die domandar, & prestar homagio *di* quella terra de acquisto, *over de hereditario. E quelli, che tegniva quella terra de aquisto*, driedo la investitura facta a lo fiol die per simele esser investidi per lo fiol, & a quello prestarli homaio: Et cusi etiamdio de hereditade.

Como li fioli del feudatario morto die esser investidi.

LXII. Sel feudatario habiando fioli, o fie morisse, qual che se sia de li fioli, o de le fie, siando in lo Principado, se pora presentar al suo Signor, & domandar la investitura, offerando lo homagio, che lo è tegnudo de donar. E lo Signor se lo investira fio o fia che se sia, nonobstante *che li* avanti geniti, o avanti genite sia vivi, & sia absenti fuora del Principado, over *che li* non compara avanti lo Signor del feo etiamdio in lo Principado infra anno & zorno, ampuo lo plui proximo se die presentar infra l' anno & zorno.

Como lo legio puo prestar homagio.

LXIII. Lo legio de uno Signor puo prestar homagio, & la legia a altro Signor, salvando la prima legia. Veramente se non salvara la prima legia, lo perde la terra de quella legia. Ma sera bexogno sguardo? Dixe che sì.

Come do eguali in linea, lo masculo in successio sera avanti.

LXIV. Se do eguali de linea sera per haver la succession, plui avanti sera lo masculo che la femena, & plui quello che sera nato in prima, che quello che sera nato driedo.

Come li feudatarii tegnudi ad alguno servixio al Signor, non sono obligadi dar quello fuora del Principado.

LXV. Zaschaduni feudatarii, che è tegnudi in alguno servixio, non è obligadi dar quello fuora del Principado, ma per tuto lo Principado sì; & in li membri del Principado; & etiamdio se lo passa el mar. Et se caxo advegnisse al feudatario perder parte del feo, over per li inimixi li fosse tolto, lo debia pagar per rata lo servixio. Et se lo perdesse tuto, lo suo Signor è tegnudo de provederli; & se ello non li provedesse, lo feudatario non è obligado ad algun servixio. Apresso nessun puo far homagio de fedelitade per procurador, ma lo Signor li puo far grazia, cometando ad alguno, che in suo luogo rezeva lo suo homagio.

La moier puo revocar la donation facta in vita del marido, dapuo la morte so.

LXVI. Se la moier havera alguno feo, & quella cum lo marito so, over per si, havera facto alguna donation durando lo matrimonio, etiamdio lo so marido, over lo fiol proprio consendando, driedo la morte del marido la moier pora revocar la donation? sì, se quello feudo sera stato hereditaio de la moier, over duario.

Come lo feudatario, che l' incore lepra, o altra infirmitade, che è tegnudo a servixio.

LXVII. Quando incore lepra ad alguno feudatario, over che per altro muodo da infirmitade corporal incurabile *ello* è impasato, lo puo servir *per* alio chavalaresco, se ello è chavalier, e sia tegnudo a servixio chavalaresco. Et se ello non pora haver chavalier, die dar do schudieri. Veramente se lo sera schudier, lo dara schudier, se la soa terra sera sergenteria. Se ello se infirma in brieve tempo, non si obligado ad algun servixio personal; ma se l' è tegnudo a la Corte de

de alguno servixio altro che personal, come serave dar alguni homeni d'arme, lo die darlo a requiexition de la Corte, zoe, de lo Signor, over del Capitanio.

In che muodo die prestar lo homagio per lo homo legio.

LXVIII. Lo homagio se prestara per lo legio in questo modo, che lo legio die tegnir le man zonte, & destexe, & meterle in le man intro del Signor, digando che ello devien so homo legio; Ma se el sera femena, altro parlera per ella, sicomo è uxanza. Ma che sera, se ello è legio de uno feo, & de altro de plan homaio? Responde che in prima se fara la legia, & puo apresso se fara sagramento de la terra de plan homaio, contra tuti homeni che possa viver & morir, & guardar la persona del Signor, & de la soa moier, & de li soi fioli, & *li* soi castelli, & l' honor so. In quella fiada lo Signor die responder, che lo rezeve suo legio, & prometerli servar & mantegnir la raxon sua; & puo si lo baxa, & finalmente si lo investe de la terra per lo capuzo, o per lo guando, o cum alguna altra cosa. E lo homagio legio se die far nisuna condition apponuda, & die esser al presente de zo almen do legii, azo che li possa testimoniar de la legia, sel sera bexogno; altramente non val, sel non è di legii alguni presenti. Lo homo de plan homagio fa lo homagio fazando sagramento sovra lo libro. Lo avoier fa lo homagio segondo che requiere lo feo, del qual lo è avoier. Et se lo homo de plan homagio prestera la legia, lo perdera quella terra, per la qual fa la legia.

Chi rompe la saisina facta per lo Signor, de presente è desreditado.

LXIX. Chi rompe la saisina facta per lo Signor in li caxi oltrascriti, zoe per homicidio, per tradimento, & per servixio, quando lo è requirido, & non è dado, de presente lo è desreditado, quando questo sera magnifesto, & siando stato lo sguardo de la Corte. Altramente se la terra sera saisida inzustamente, el non è desreditado. Li feudatarii etiamdio de alguno non è tegnudi de comandamento de alguno dar lo so servixio, sel non ha cumandamento del Signor, over de so Capitanio. Intendi quando lo non è prexo; altramente se lo vien prexo (1), la terra non si saisida, anzi dada la sententia, & mandada ad exequition, *suciede* (2) lo so heriede. Et sel sera stato traditor, el non vien saisida la terra, insina chel sera la sententia contra lui.

Lo homo legio, che l' è tegnudo ad alguno servixio de uno anno, intendese chel debia servir quatro mexi.

LXX. Zascaduno legio, che è tegnudo a servixio de uno anno ad algun per la terra, che tien de quello, intendese chel debia servir quatro mexi, sel Signor vora, in alguno chastello, & quatro in alguna forteza, (3) & quatro romagna in caxa soa, over in quella parte che plui li parera esser de bexogno per far li facti suo in lo Principado predicto.

Qui è tegnudo a servir per tuto l' anno.

LXXI. Quello veramente che otien terra de aquisto del Principado, & non ha la terra, è tegnudo servir per tuto lo anno segondo lo termene de sopra ordenado, se lo sera legio, portando (4) lo servixio in tre parte de lo anno, & cusì lo homo (5) de plan homagio. Ma de arecordo che sera, se lo ha poca terra, over pochi villani? Quello medeximo sera segondo altrui, dapuo chel non apar lo servixio.

Differentia fra lo legio & de plan homagio.

LXXII. Questa è la differentia intro legio, & de plan homaio; imperzo chel Signor so puo meter lo feudatario de plan homagio official in officio honorevele, & lo legio non è tegnudo: lo homo de plan homagio serve segondo lo tenor de le sue letere; lo legio e del conseio del so Signor, e lo homo de plan homagio non. La femena legia se puo maridar non domandando lo so Signor, dando la terza parte de li fructi de li suo rendedi del primo anno, over lo valor; & quella de plan homaio non puo maridarse dapuo che lo li sera contradicto per lo suo Signor. Se la terra de *lo* legio indebitamente sera saisita per lo suo Signor, lo non pora deponer lamentation del so Signor, se non passando lo anno, & se lo depone lo lamento avanti lo anno & zorno, el perde lo feudo; ma de plan homagio puo deponer lo lamento passadi quaranta zorni. Lo homo legio ha Corte, & quello de plan homagio non la puo haver.

Come lo marito a la moier, & lie a lo marito, puo donar de burgexiaticho.

LXXIII. Quello, che lo marito dona a la moier soa, over quello che la moier dona a lo marito, da puo che li sera *afedadi*, se lo è de feudo, lo non è de alguna fermeza. Veramente de burgexiatico, o mobele, o inmobile, l' uno *al* altro puo donar.

E non

(1) *Altramente se lo vien prexo.*) Hæc quoque desunt in C. B. D. sed, ut reor, ex amanuensis sphalmate.

(2) *Suciede.*) Ita C. B. D. noster non recte: *driedo.*

(3) *Forteza.*) C. B. D. *frontiera.*

(4) *Portando.*) Lege, *partando.*

(5) *Lo homo.*) C. B. D. *lo homo franco.*

E non perzudega a lo subdito dar homagio, infina che la quistion è finida.

LXXIV. Sel muor el marido de alguna femena, & quistion nasseſſe intro la moier, & li fiastri, over entro altri de subditi de lo homagio, over de li subditi de quelli; a li subditi, over al subdito non perzudega a non dar homagio, infina chel sera diffinido la sopradicta quistion intro quelli.

Como lo homaio far se die per quello, che tuo moier, che ha feo.

LXXV. Lo homagio se die far per quelló che tuo moier che ha feo, in questo modo; zoe, che imprima la moier fara lo homagio, se ella non l' ha facto avanti; ma se ella l' ha prestado, la non è tegnuda, ma lo marito solamente lo fara: & ella subitamente die presentar so marito al so Signor, sicomo avoier, & dapuo quello li fara homagio, & segondo che la terra requiede, lo marito & la moier prestara lo homagio dapuo solepnizado lo matrimonio.

El dotario feudal non puo esser donado da la moier, se non a la vita soa.

LXXVI. La moier veramente non puo donar del suo dotario feudal, se non a la vita soa, imperzoche lo heriede lo pora revocar, salvo se lui medeximo havera consentido. Che sera, se lo marido da alguna cosa de lo doario de le soa moier? Ma se ello morisse, & la femina se maridasse cum algun altro, lo segondo marido non poralo revocar quella donation? Dili, che imperzo chel segondo è avoier, si como lo primo, lo non pora revocar.

Lo heriede pora revocar la donation facta de cosa feudal.

LXXVII. Se donation sera facta ad alguno de cosa feudal per quello, che pote donar, & non havera metudo quello in possession vivando ello, da puo la morte del donador lo heriede pora revocar quella donation, se ello vora, over lo successor (1).

Como la libera feudataria devien villana facto matrimonio cum villan.

LXXVIII. Se la libera feudataria havera facto matrimonio cum villan, driedo lo matrimonio la devien villana del Signor del villan, ni non rezeve li fructi del so feo; ma dapuo la morte del marido la torna a la soa libertade, & si recupera lo so feo; & li fioli, che ha habudi cum quel villan, non succiede in quello feo. Ma se dapuo quella femena contrazera matrimonio cum libero homo, & de quello havera fioli, quelli fioli succiede in quello feo.

Como lo feudatario, Principo, over Baron, non puo investir alguno subdito suo.

LXXIX. Lo feudatario, Principo, over Baron, over feudataria, non puo investir alguno di soi subditi, se inprima non sera investido lui per lo so Superior; ni lo subdito è tegnudo de farli homagio infina chel feudatario sia investido. Et se lo dara terra feudal avanti che l' è investido, & havera habudo saisina de quella terra, over parte, quella donation non val.

Come lo legio, over la legia, puo maridar soa fiola senza licentia del Signor. *)

LXXX. Lo legio, over la legia, senza requierir lo Signor, puo maridar la sua fia a chi el vuol, e a homo de plan homagio etiamdio, purche la terra principalmente non sia movesta per quella fiada. (2)

Come la donation facta per alguno feudatario in infirmitade, non val.

LXXXI. Se alguno feudatario infermo in la infirmitade soa fara alguna donacion de terra, de la qual infirmitade el muor, quella cusi facta donacion non val. Ma se la donacion sera facta avanti la infirmitade, & siando san de la mente cum infirmitade ello li fesse lo privilegio, quello privilegio valera, & sera fermo.

Como le feudatario senza periuditio puo recomandar la soa terra al Signor.

LXXXII. Lo feudatario puo recomandar la sua terra al suo Signor, & andar fuora del Principado; ni non li perzudega, se non driedo lo tempo de do anni, & do zorni, se lo è tegnudo a servixio personal. Ma se ello non è tegnudo a servixio personal, in voluntade soa è de star fuora del Principado *quanto* tempo li plaxe, dagando lo servixio, lo qual è tegnudo. Ma se lo Signor morisse, lo è tegnudo de tornar a tempo debito, azo chel faza homazo a lo heriede; e lo tempo debito si è de do anni, e do zorni. Ma quando comenzara a corer lo tempo? dal dì de la soa partida, o da lo zorno de la morte del Signor? Responde chel se comenzara dal zorno de la morte del Signor.

L' avoier, over lo Principo, die rezever li fructi, & li rendedi de lo feo.

LXXXIII. Zascadun avoier, chi chel sia, o Mi-

(1) *Over lo successor.*) Hæc desunt in C. B. D.

(2) Hoc caput ita legitur in C. B. D.) *Lo legio, over la legia, puo maridar la fia soa a chi el vuole, homo de pian homagio eciamdio, purche la terra principalmente non sia movesta per quella fia; perche in quella fiada da puo la morte de quella dara censo come femena de pian omagio per raxon de successhion materna; salvo se suo padre fosse legio, perche in quella fiada per raxon de legia paterna s' alegierà del brevilegio legiatico, e maritandose quella non pagando, ni suo padre, relievo al suo Signor, se la fia non ha terra legiatica, per la qual el padre vive.*

o Miser lo Principo, over altri, die rezever per lo servixio, al qual lo è tegnudo al Signor del feudo, li fructi & li rendedi del feo, del qual ello è avoier, & è tegnudo de dar vita & vestida al pupillo, del qual ello è avoier, & governar la terra. Et se lo rezevera alguna cosa inzustamente oltra le spexe del servixio del Signor (1), e le suo in procurar li facti del pupillo, ello è tegnudo de restituirli a quello, de chi lo è avoier. Veramente se lo pupillo rezeve algun danno in la terra soa per fraudo, o ingano, over negligentia de lo avoier, lo avoier lè tegnudo de refarlo.

Le flumare, e li rivi de le aque partien a li fei.

LXXXIV. Le flumare, & li rivi (2) de le aque, che se trova in li fei de alguni, lì passando per quelli, over per lo mar metudo apresso quelli, partien a li dicti fei, salvo si lo Signor havera reservado quelli in le lettere de la soa *concession*. Ampuo li Segnori de li dicti feudi non porave tuor chomerchio fazando porto, over saline, senza lizentia del Principo, over de quello che ha raxon in quelli.

Come lo Signor è tegnudo investir lo pupillo de lo feo domandado da lui, compido anni quatuordexe.

LXXXV. Lo pupillo cumplido li quatuordexe anni può (3) domandar la investitura de lo suo feo; & lo Signor è tegnudo de investir quello subitamente de lo feo; ma lo non è tegnudo de darli la saisina, ni li fructi, infina che lo non ha complido li quindexe anni. La femena veramente in lo intrar de li dodexe anni die domandar la investidura, ma ni la saisina, ni li fructi non è tegnudo dar, se non complidi li dodexe anni.

Li nepoti, over le neze, non havera alguna cosa de la terra feudal infina età legitima.

LXXXVI. Se lo padre, over la madre, havera habudo fioli, o fiole, & quelli rezevera fioli vivando lo padre, & la madre, & caxo adevien, che lo fio, o la fia muora avanti chel padre, o la madre, non siando investidi del feo paterno, o materno; driedo la morte de lo avo, over ava, li nepoti, over le neze, non havera alguna cosa de la terra feudal, infina che elli pervegna ad età legitima.

Lo feudatario non è tegnudo dar algun servixio a lo Signor, se lui non li volesse dar stivoria.

LXXXVII. Se lo Signor non volesse dar stivoria (4) al so feudatario, a lo qual lo li è tegnudo, over lo successor so, lo feudatario non è tegnudo de darli algun servixio. Et se lo feudatario volesse resegnar lo so feo al Signor, li fructi recolecti, o trovadi in la terra feudal, è suo, & li fructi da rechoier etiamdio, segondo che de sovra è ordenado del feudatario morto.

Come se die far, se lo legio fosse agrevado del so feo.

LXXXVIII. Se lo legio fosse agrevado in lo so feo, over parte del feo, de Miser lo Principo, over d'altro Signor, lo dicto legio è tegnudo tre fiade in lo anno requierir lo Signor davanti alguni so legii, che lo li restitue quello, in lo qual lo vien agrevado, over reintegrarli lo feo, domandando lo sguardo de la Corte soa; & ancora non è tegnudo a dar lo servixio, infina che non li vien reintegrado lo so feo. Et se lo Signor non li vora far cumplimento de iustitia, in quella fiada lo die requierir li suo eguali, & adinsempre cum quelli ancora requierir lo Signor. Et se lo Signor sera negligente in oprar quello, che vuol iustitia, in quella fiada li altri legii cum quello non è tegnudi *a dar* lo servixio al Signor so, infina che quel feo sia reintegrado.

Como lo feudatario dapuo li anni XL. non è tegnudo personalmente servir al Signor.

LXXXIX. Se lo feudatario pervegna a XL. anni (5), el non è tegnudo servir al so Signor personalmente, ma lo fio servira; & se lo non havera fioli, lo die dar Cavalier, se lo feo è de cavalaria, over do Schudieri, se lo non podesse haver Cavalier, infina tanto chel pora haver Cavalier. Et se lo feo è sergenteria, lo dara uno Schudier.

Come la donation conceduda per testimonii, & senza lettera, valera.

XC. Se terra sera conceduda ad alguno; & ello non habia lettere de la concession, & habia testimonii degni de fede, la donation valera a la vita del donatorio (6). Ma se per li testimonii sera provado lo servixio, la donation valera ferma a ello, & a li soi heriedi de so corpo legitimamente. Ma si facta donation non sera valevele a *tuti* li heriedi, etiamdio se quello che dona, havesse de conquista, sel non apar le lettere de la donation. Ma che serave, se li testimonii non fosse sta presenti, quando fo imposto lo servixio, & *vien provato* (7) *lo feudotario haver prestato lo servixio per L., over per LX. anni?*

Co-

(1) *Del Signor.*) C. B. D. addit: *del pupillo.*
(2) *Li rivi.*) C. B. D. *le rive.*
(3) *Può.*) C. B. D. *diè.*
(4) *Stivoria.*) C. B. D. addit: *zoe stimation, over meter dacio.*
(5) *A XL. anni.*) C. B. D. forte rectius tum hic, tum in lemmate: *ad anni LX.*
(6) *Del donatorio.*) C. B. D. *del donator.*
(7) *Et vien provato &c.*) Pro his verbis noster tantum habet: *per XL. o per L. anni.*

Come el se stara a lo sagramento de colui, che dicesse haver perso lettere de la donation.

XCI. Se caxo avegnisse, che alguno perdesse lettere del suo feo, & puo legitimamente provar (1), che la caxa soa esser stata brusata, over robata, & che ello havera habuto & habia la possession de quello feo, el se stara a lo sagramento de la perdition de le sue lettere. Veramente sel non se pora provar lo servixio, per lo Signor so, e per li suo legii li sera imponudo lo servixio segondo la qualitade del feo. Lo registro etiamdio antigo è sufficiente pruova.

Come lo avoier succiede lo feo, nonobstante chel havesse renuntiado la avoieria.

XCII. Se alguno ha avoieria de alguno pupillo, & lo Signor ad ogni partido vora lo servixio de quello *feo*, *a la* voluntade sta de lo avoier retegnir lo feo, over renuntiar la avoieria. Et se lo renuntiasse, & da puo vacasse lo feo, succederave lo avoier, nonobstante che lo havesse renuntiado la avoieria; imperzo che la avoieria è separata de la succession.

Come se fa, quando a la moier, & a lo marido se conciede algun feo.

XCIII. Quando che conzontamente al marido, & a la moier fo conzedudo algun feo, se uno muor avanti, l'altro soprastante sera Signor; & driedo la morte soa sera suo fiol. Ma se *a* do fradelli, over ad altri, se fara la sopradicta concession, zascaduno havera la parte soa; & se l'uno muor senza fioli, l'altro succiede in tuto.

Come nesun puo edificar Castello in lo Principado senza lizentia.

XCIV. Nesuno Baron, over feudatario, chi che se sia, puo edificar Castello in lo Principado de Achaia senza licentia del Principo, salvo se lo sera Signor, over (2) de terra, over de li XII. Baroni, li quali ha dreto & zusto imperio, lo qual puo edificar Castello, e Castelli in la propria terra. Ber. de terra è clamato quelli, che ha iurisdition de sangue, & Vescovado in la terra soa. Ma li altri Baroni poraveli edificar Castello? Responde che non.

Come non se puo donar terra a tuti heriedi.

XCV. Legio, chi che se sia, over Baron, non puo donar terra a tuti heriedi, salvo se ello ha quella terra a tuti heriedi (3): ma cusi como tien la terra, cusi el puo donare. Ma como se intende a tuti li heriedi del donatorio (4)? Responde, quando questo se expreme in le lettere de la donation, over quando è de l'aquistamento del Principado.

Come nessun puo donar terra feudal a la Glexia, o Chomunitade, o a Villano.

XCVI. Segondo le uxanze de lo Imperio de Romagnia nisuno feudatario, qual che se sia, over Baron, puo dar terra feudal senza licentia de Miser lo Principo a la Glexia, o Comunitade alguna, over a Villano tornando. Ma se lo dona, non valera in vita del donador la donation? Responde che sì. (5)

Come la moier del traditor non perde la soa dota, over duario, salvo se ella fosse stata colpevole.

XCVII. La moier del traditor non perde la soa dota, over duario. Veramente durando lo matrimonio non puo domandar alguna cosa; ma driedo la morte del marido zustamente la dimandara la dota soa, salvo se la è stata colpevole in lo tradimento.

Come basta a quelli che tien feudo de lo acquisto, che li mostra la saisina antiga.

XCVIII. Quelli che tien feudo, over fei, de lo acquisto del paixe, basta che li mostra la saisina antiga. Ma se alguna terra sera conceduda ad alguno a vita, la so moier non havera doario de quella terra. Ma che sera, se ella fosse conceduda ad alguno a vita del donator? Non havera la moier del *donatario* driedo la morte del marido lo doario de quella terra in vita del donator? Respondi, che alguni tien, che de tuta quella terra, che possideva lo marido, la moier havera la mitade. Et dixe quelli etiamdio, che da puo che lo marido pacificamente possede alguna terra in vita soa, che driedo la morte de *quello* soa moier havera lo so doario, benche da puo fosse trovado, *che* inzustamente lo marido possedeva la terra: & questo non par che sia raxonevele.

Come lo feudatario è tegnudo aiutar lo so Signor.

XCVIIII. Lo feudatario, chi ha diversi Signori, se guerra è entro quelli, lo die aiutar quello, al qual in prima lo fo astreto al sagramento, & farli lo homagio.

Co-

(1) *Provar.*) C. B. D. addit: *per testimonii.*
(2) *Over.*) Forte legendum: *o Ber.*
(3) *A tuti heriedi.*) C. B. D. addit: *masculi.*
(4) *Del donatorio.*) C. B. D. *del donatario.*
(5) *Responde che sì.*) C. B. D. addit: *ma non in vita de colui a chi vien donato, perche lo heriede lo pora revocar, & aver.*

Come suciede lo plui proximo de colui che havesse lo feo, & se partisse etiam cum consentimento,

C. Se alguno, o alguna, se partisse de lo paixe cum consentimento del suo Signor, & vacasse alguno feo driedo la soa partida, in lo qual lui dovesse succieder, over quella; se lo non vegnera infra do anni & do zorni, lo suciede lo plui proximo che in quello die succieder, si se presentara infra lo dicto termene dal tempo de la morte del Signor de quello feo. Intendi sanamente, se quello che die sucieder è fuora del Principado. *Veramente sel se trovera al Principado*, ello ha termene solamente anno & zorno, Ni alguno impazo scuxa lo absente. Ma si lo Signor die sucieder, lo puo prolongar lo termene a tuta soa voluntade.

Come colui, che se parte cum consentimento del suo Signor, morto lo Signor è tegnudo de tornar.

CI. Quando algun se parte del Principado cum consentimento del suo Signor, Miser lo Principo, o altro Signor, quello Signor li puo perdonar tanto tempo, *quanto* li plaxera, vivando lo Signor. Ma morto lo Signor, lo è tegnudo de tornar infra lo dicto termene, azo che lo dia lo homaio al successor del suo Signor, o del suo heriede (1).

Come la donation de terra feudale vale in vita del donador.

CII. Et se alguno legio havera dado alguna terra feudal per menor servixio che quella terra è deputada, la donation val a vita del donante, Vero è che lo so herede si *ordenara* lo servixio deputado a quella terra, driedo la morte del donador.

Come el pupillo investido puo donar el so mobele & obligarse.

CIII. Lo pupillo feudatario qual che se sia, dapuo che lo sera investido de la terra soa, lo puo donar lo so mobele, & obligarse, & vender le sue cose, & comprare altre cose, & fare, cusi como lo havesse anni vinticinque complidi (2). Veramente lo non puo fare donation alguna de lo so feo, se in prima lo non havera la saisina da lo suo Signor *de* la terra soa, Et sel se havera sottometudo a la avoieria de alguno, benche fosse mazor de quindexe anni, infina che lo dura quella avoieria, lo non puo donar niente de la soa terra feudal. Et se la donation sera facta, non sera de algun valor. Lo mobele veramente si puo donar.

Como li legii de alguno feudatario deventa legii del Signor, quando esso feudante muore.

CIV. Quando alguno feudatario habiando sotto si legii, etiandio sel sera Principo, & caxo li avien che lo muora non lassando heriedi de suo corpo, li legii de quello feudatario devien legii del Signor, al qual lo feudo, over li feudi torna. Et li dicti legii gualdera la libertade, la qual elli galdava vivando lo primo Signor.

Come se fa, se nissun cum l'ordene de la Gliexia contrazera matrimonio.

CV. Se lo feudatario soluto cognosera alguna femena soluta, & cum quella havera fioli, & dapuo contrazera matrimonio cum quella cum l'ordene della Glexia, li soi fioli die sucieder in lo feo paterno, o materno (3): Ma se lo contrazera cum quella siando in infirmitade, de la qual ello muora, li fioli non sera tegnudi legitimi, *quanto* a la succession del feo, ma de le cose mobele sì: Ni tal moier non havera dotario de la terra de so marido; si come io audì, che advene in la moier, & in li fioli de Miser Guido Lubardo (4).

La terra de lo feudatario, che sia prexo de li inimixi, sera governada per lo Procurador.

CVI. Se algun feudatario sera prexo da li inimixi, & non ha moier, ma lo ha fioli in pupillar etade, la soa terra sera governada per lo so Procurador. Et se ello non havera Procurador, over non pora constituirlo in carcere, lo Signor de lo feudatario constituera Procurador, lo qual governera i beni mobeli, & la terra per li fioli, & per quello prixon. Veramente se lo havera moier, over fioli de etade legitima, over *fie*, quella moier, over quelli fioli governara la terra. Ma lo Signor suo non poralo domandar lo servixio del Procurador, poiche lo feudatario si so prexo in servixio del Signor.

La liberta che ha lo legio in donar uno, o do villani, o plui.

CVII. Lo legio puo donar uno, o do villani, o plui, ad alguno per alguno recognosimento, pur che ello non trapassa la quinta parte del suo feo, over de li soi fei. Et tal feudatario non è tegnudo prestar zuramento de fedelitade, over homagio; ma bastali la investitura del so Signor.

Come li fioli, e fie de lo feudatario die haver victo & vestito da lo avoier del feo del padre, come de la madre.

CVIII. Lo feudatario, & la feudataria si con-

(1) *Del suo heriede.*) Ita in ambobus Codicibus. Legendum tamen censeo: *al suo heriede*.

(2) *Complidi.*) Deest hoc verbum in C. B. D.
(3) *O materno.*) Deest in C. B. D.
(4) *Lubardo.*) C. B. D. *Lombardo*.

contrazera matrimonialmente, & da puo rezevera fioli, o fie; se quelli fioli, o fie, romagnando orfani del padre, como de la madre, in pupilar etade, quelli fioli, over fie, havera victo, & vestido si da lo avoler del feo del padre, come de la madre. Et dapuo veramente che el primozenito, over la primazenita pervegnera ad etade legitima, & havera habudo la saisina *de la terra* del padre, o de la madre, lo è tegnudo de dar victo & vestido a li soi fratelli, & a li soi sorore, infina tanto quelli vora demorar cum lui.

La fia del feudatario morto, over feudataria, constituida ad etade legitima die esser investida del feudo paterno.

CIX. Se lo feudatario, over feudataria, muora, lassando fio, over fia in pupilar etade constituida, la fia primazenita, da puo che la sera vegnuda ad etade legitima, die esser investida del feudo paterno, o materno, & possedera la terra, infina che lo masculo vegnera ad etade legitima.

Quando alguna femena se trova graveda, quando muor so marido.

CX. Se femena feudataria se trovera graveda, quando muor suo marido, la terra de so marido li romagne, nonobstante che ni fio ni fia non aparera de quelli; excepto se da puo de quella gravedanza la se guastasse.

In quanti casi lo Signor non puo denegar lizentia a suo feudatario.

CXI. In tre caxi Miser lo Principo, over altro Signor, non puo denegar lizentia al suo feudatario de andar fuora del Principado; zoe, se alguna sucession li vachara fuora del Principado; & se lo vora contrazer matrimonio; & se lo vora andar in lo Sancto Sepolcro, o a li Apostoli Sancto Petro, & Sancto Paulo, & Sancto Jacobo. Et ha termene do anni & do zorni a tornar, altramente lo perde lo feo. Ma in questo caxo è necessario sguardo, o non? *over lo* puo scuxar algun impazamento?

La moier dapuo la morte del marido havera la mitade de la terra, nonobstante.

Quando che *per* Miser lo Principo, over *per* altro Signor, che habia poder de donar terra, sera concedudo ad algun alguna terra feudal, & se contegna in quella donation, che da puo la morte del donador, la soa moier non debia haver la mitade de quella terra, ma che quella terra debia pervegnir a li heriedi de quello donatorio (1); la moier da puo la morte del marido havera la mitade de quella terra, nonobstante lo dicto ponto apponudo in la donation.

Le feudatarie vedove non sono obligade per XL. zorni a prestar algun servixio driedo la morte de li homeni.

CXIII. Perche le feudatarie vedove non sia agrevade del servixio feudal, so ordenado, che driedo la morte de li homeni le non si obligade per XL. zorni a prestar alcuno servixio, a lo qual le son tegnude per raxon de lo feo, o de li fei, che le tien da li suo Signori.

Como li beni lagadi ad alguna feudataria pervegnerano a lo marido.

CXIV. Se alguno lagara ad alguna feudataria, che habia marito, alcuni danari, over cose, & azonza che quelli denari, o cose, non debia pervegnir a le man del marido; se vivando lo marido quelli beni pervegnera a le man de quella moier, le vegnera a lo marido. Et la raxon si è, perche cusi come li beni son in potestade de la moier, zoe in le soe man, quelli si devien a lo marido. Excepto se li non pervegnisse a le man de la moier vivando lo marido, perzo che driedo la morte *del marito* li dicti beni romagnerave a la moier.

Come è in liberta renuntiar alcuni fei, & retegnir de li altri.

CXV. Se alguno ha pluxor fei acquistati insembre, over l'uno dapuo l'altro, se ello vora, lo puo renuntiar alguni de quelli, & retegnir li altri. Et se lui havera dado lo servixio deputato per alguni, quelli non die esser saisiti per li altri, per li qual lui non da servixio deputato.

Como lo Signor è tegnudo puo investir del suo feo.

CXVI. Quando alguno feudo vacha per la morte *de* alguno feudatario, & pluxor se presenta affermando esser plui proximo zaschaduno de lor in assequition del dicto feo; (2) lo Signor, *del qual lo dicto feo* (3) *è tegnudo, puo* investir quelli de quello feo, salvo de quello la soa raxon, & de zaschaduno altro. Et non è tegnudo de mettere alguno in possession de quello feo; infina chel sera declarado per sguardo de la Corte, qual sera plu proximo in l'aquistaxon del dicto feo. Ma che serave sel non se presentasse alguno infra XL. zorni, & ampuo è manifesto, che lo heriede è in lo Principado? Porave lo Signor saisir quella terra? Chredo che sì, per la negligentia de lo heriede: Anzi chredo che *adesso* lo può far per la negligentia de lo heriede (4).

Che

(1) *Donatorio.*) C. B. D. *donatario.*
(2) *Del dicto feo.*) C. B. D. addit: *salvo la soa raxon, e de ciascun altro.*
(3) *Lo Signor, del qual lo feo &c.*) Ita ex C. B. D. Noster habet: *lo Signor, del qual è lo feo, è tegnudo puo de investir &c.*
(4) *De lo heriede.*) C. B. D. addit: *che non apar.*

Che nissun Official puo saisir la terra de alguno feudatario, se non lo Baylo.

CXVII. Entro le usanze de lo Imperio de Romagnia questo fo ordenado, che nissun Official de Miser lo Principo puo saisir la terra de alguno feudatario, se non solamente lo Baiulo, over lo Capitanio deputado per lo dicto Miser lo Principo, al comandamento de lo qual Capitanio li feudatarii è tegnudi de prestar lo servixio debito ordenado.

Como lo Signor puo saisir la terra de alguno feudatario, zoe del morto.

CXVIII. Se lo feudatario, o feudataria, muora fuora del Principado, & non apara heriede che se presenta a lo suo Signor; *lo Signor*, dal qual lo feo è tegnudo, puo saisir la terra de colui, infina che l'aparera lo herede al termene debito. Veramente li beni, ni li fructi de quella terra, mobeli, o si moventi, o burgexiatichi de quello morto lo non puo saisir: Ma lo so Procurador li conservera infina tanto che lo Signor sera certificado, si colui sera morto testado, o intestado. Et se lui sera morto intestado, li beni sera conservadi per uno anno per lo heriede, over per lo proximo parente, se lo apparera: altramente el sera distribuito per l'anima soa, si como de sopra è ordinato.

Como la feudataria legia, e de plan homagio liberamente se puo maridar a chi la vuol.

CXIX. Se alguna feudataria sera legia & de plan homaio de uno medeximo Signor, pagando relievo se pora liberamente maridar a chi la vora. Et se la se maridara non pagando relievo, non li incorre alguna pena, ma ella è tegnuda a pagar lo relievo. Et se la fosse legia de uno Signor, & de plan homagio fosse de uno altro Signor, in quella fiada lo Signor de plan homagio li pora far comandamento, che ella non se marida senza so licentia, si questo li plaxera.

Uno feudatario ha uno anno a domandar la investixon.

CXX. Quando algun feudatario se presenta infra XL. zorni al Signor, dal qual lo die tegnir la terra, domandando la investitura da lui, & quello Signor non lo vora investir, digando che lo lo traze de ogni dano, lo qual li podesse occorrer, & non li havera assegnado termene termenado; in quella fiada lo feudatario havera uno anno a domandar la investidura. Ma se lo termene sera *posto*, in quella fiada ello sera obligato fina al termene ordenado ad observar.

Driedo la morte de la moier del feudatario li fioli puo domandar la investidura de la terra. *)

CXXI. Se alguno feudatario muor lassando moier, e fiol, over fia, sucedando la moier in la mitade de la terra soa; benche lo fio, over fia sera stara negligente in domandar la investitura de la terra del padre, ampuo driedo la morte de la madre li puo domandar la investitura de la terra, la qual possede la madre, over la maregna, nonobstante la prima negligentia.

Chi tien terra d'altrui per recognosentia al anno, non è tegnudo farli sagramento.

CXXII. Quando alguno tien terra da altrui per alguna recognosentia al anno, lo non è tegnudo de farli sagramento, quando lo vien investido de quella terra. Ma lo die domandar la investitura al tempo debito, si como li altri feudatarii; & lo suo Signor lo die investir per lo capuzo. Veramente se quello feudatario havesse so caxal in alguna Citade, Castello, over Villa de Miser lo Principo, over de altro feudatario, per raxon de quello caxamento lo Superior porave domandar a quello feudatario zuramento de fidelitade.

Se lo feudatario è obligato a servixio annual personalmente. *)

CXXIII. De consuetudine de lo Imperio de Romagnia si se observa, che lo feudatario obligado a servixio annuale personalmente, over *interposita* persona, over a menor servixio, se lo non pagara quello servixio, lo non pora esser constreto passando lo anno a pagarlo, ni per questo non pora esser saisido la terra de colui; ma lo sera requesito a prestar lo servixio, a lo qual lo è tegnudo, si como se prima lo l'havesse prestado.

Colui che suciede in lo feo de alguno, non è obligato a pagar li debiti del suo precessor. *)

CXXIV. Observado fo segondo le uxanze de lo Imperio de Romagnia, che quello che succiede in lo feo de alguno, o fio, o fia chel sia, over qualunque altro, non è obligato ad pagar li debiti del suo predecessor, per caxon del feo; imperzo chel feo è obligado ad servixio deputato, & non ad algun debito. Ma zaschuno che rezevera li mobeli del morto, quello è obligato a pagar li debiti. Et in li pagamenti che se die far a li credidori, la moier die esser pagada in prima che tuti de la so dota & contradota.

La villana deventa libera, se contrazera matrimonio cum libero. *)

CXXV. Se una villana contrazera matrimonio cum homo libero, contradigando etiamdio

dio lo Signor de la villana, quella villana deventa libera. Et se lo marido muor avanti che la moier, niente manco pur roman libera.

Se lo marido de la moier havera terra propria, & de la soa moier. *)

CXXVI. Se alguno feudatario (1) havera terra feudal propria, & habia altra terra legiatica de la moier soa in diverse Castellanie, & è tegnudo per una, & per altra de servixio de la persona, lo è tegnudo principalmente servir in la Castellania là che ello ha lo hereditaio proprio, & per la terra de la moier dar servixio per interposita persona. Et quello medeximo sera, se lo havera terra propria de la moier in una Castellania; & altra terra per lo doario de la moier in l'altra Castellania; perche lo dara la persona là che ha terra propria de la moier, & per lo doario dara servixio deputato a quella terra dotal, purche de uno Signor sia quelle Castellanie.

Che sera de la donation, la qual se fara a do persone. *)

CXXVII. Quando lo Principo, over altro Baron, over legio, fa donation de alguna terra feudal a do persone l'uno apresso l'altro, colui sera principal in quella terra, lo qual de comandamento del donador havera conquistado la saisina de quella terra. Ma che sera, se la donation sera facta de licentia del suo Signor? Responde, sera ferma. (2)

Come non se puo dar terra, se non con recognosenza. *)

CXXVIII. Nessun Baron, over altro Signor (3) puo dar terra feudal, over villano alguno senza alguno servixio, over recognosimento. Et se lo dara senza servixio, over senza recognition, non sera de alguno valor: Ma quello donador non poralo revocar quella donation in vita soa.

Como vien legio lo marido de la legia. *)

CXXIX. Se lo homo non legio contrazera matrimonio cum femena legia, lo devien legio per raxon de la terra legiatica de la moier soa, etiamdio se la moier tene quella terra in feudo per lo so doario.

Come se die far, quando la prima suor morisse avanti lo so frar, se ha feudo. *)

CXXX. Se alguno feudatario, che habia do sorore, muora non lassando heriedi de suo corpo, habiando le do sorore fioli, & la prima de quelle muora avanti lo dicto frar, la segonda soror succedera in la mitade del feo, si como plui proxima, & la moier del padre in l'altra mitade. Ma se da puo la soror, che sociede in lo feo, morira avanti che la madre, o maregna, che ha l'altra mitade del feo per la raxon del doario, lo fiol de la segonda soror, che sucede in la mitade del feo, die succieder in quella aschadentia, & non lo fiol de la prima soror. Et la raxon si è, perche quella mitade del feo die tornar al primo heriede, che ha succedudo.

Como lo avoier se die apresentar. *)

CXXXI. Quando lo feudatario è avoier de alguno pupillo, o pupilla, & la terra de quello descaze a lo dicto avoier per succession, lo avoier se die apresentar davanti lo so Signor, & domandar la investitura, & prestar lo homagio, che requiere quella terra, nonobstante che in prima lo prestasse homagio si como avoier; imperzo che al presente si como heriede lo se presentara, & prestara lo homagio.

Como die valer la confession, la qual la moier fa a lo marido. *)

CXXXII. Prociede etiamdio de uxanza de lo Imperio de Romagnia, che la renuntiation, over confession, la qual la moier fa a lo marido suo de la soa dota recevuda, over de alcuno imprestedo che li sia facto, durando lo matrimonio non è de algun valor, etiamdio sel sera facto in iuramento.

Lo feudatario quando muore in la soa infirmitade non puo renuntiar lo so feo. *)

CXXXIII. De consuetudine de lo Imperio de Romagnia si è, che lo feudatario in la infirmita soa, de la qual lo muor, non puo *lagar*, over renuntiar el so feo, over parte, in danazo de lo so heriede; ni etiamdio siando san in vita soa, se li suo predecessori havera aquistado feo, lo lo puo renuntiar. Veramente se ello havera aquistado, ello lo puo renuntiar in soa sanitade, etiamdio in preiuditio de lo heriede, & in presentia de lo suo Signor. Ma *lagar* ello non puo lo dicto feo etiamdio al Signor, ni anchora minima parte de quel feo, prezudegando al so heriede.

La moier de colui, a chi lo feo è donato, sel muor avanti che qui dona muda la volunta. *)

CXXXIV. Se alguno legio havera dado feudo ad alguno che habia moier, *over* che non l'habia, infina a bon plaxer de la soa voluntade, & se *quello*, a chi è donado, muora avanti chel donador muda la soa voluntade, la moier de quello a chi è donato, dapuo la morte del marido havera doario de quella donatione.

Co-

(1) *Se alguno feudatario.*) C. B. D. addit: *legio.*

(2) *Responde, sera ferma.*) Hæc desunt in C. B. D.

(3) *Altro Signor.*) C. B. D. *altro legio.*

Come lo feudatario de diverse Castellanie die prestar lo servixio. *)

CXXXV. Quando alcuno aquistera terra feudal in diverse Castellanie da uno Signor, & da puo *una* de quelle si donata ad altro Signor, lo feudatario die prestar lo servixio principale là che lui tien mazor terra. Et de l' altra menor sera imponudo servixio per lo Signor de quella terra, se lo servixio non appare defalcato; ampuo lo servixio segondo che sera trato de quella terra.

Come uno Baylo mandado a governar lo Imperio die far sagramento, tocando li Evangelii. *)

CXXXVI. Contiense etiamdio de consuetudine de lo Imperio, che quando alcuno Baiulo vien mandado a governar lo dicto Imperio, over lo dicto Principado, per parte de lo Imperador, over del *Principo*, azo che lo sia rezevudo in Bailo de li subditi de quello, ello è bexogno, che lo faza sagramento tocando li Evangelii, che lui observera, e fara observar a tuto suo poder da li soi Officiali le franchexie, & uxance de lo Imperio de *Romania* (1), zoe lo Imperio de Constantinopoli.

Como a la vedova ad haver la mitade de la terra feudal, la qual possideva so marido, basta a provar che lo marido quella possideva.

CXXXVII. A la vedova feudataria, azo che ella habia la mitade de la terra feudal, la qual possideva suo marido in lo tempo che fo solemnizado lo matrimonio intro loro, per lo duario, l' ha bexogno, & è bastevele solamente provar, che suo marido pacificamente, & senza alguna condecione (2) possideva quella terra al tempo predicto. Ma lo heriede che sociede in quella terra, è tegnudo de mostrar à lo suo Signor, como lo tien la terra de lui. Veramente se lo Signor del feudatario sociedera in quella, la feudataria non è tegnuda a provar altro, se non como de sovra se contien.

Como li fioli, o fie de li feudatarii Griegi egualmente suciede in li fei ✝ *Et altri dixe lo contrario, ut infra* ✝.

CXXXVIII. In li feudi de li feudatarii Griegi, e tegnudi antigamente, li soi fioli, over le sue fie ingualmente suciede. Ma se lo feudo sera de feudataria Griega, & contrazera matrimonio cum Latino, & de lor nassera fioli, over fie, driedo la morte de la madre quello medeximo sera de quelli fioli nassudi de lor, perche engualmente li succedera, dapuo che li sera pervegnudi ad etade legitima, nonobstante che el padre de quelli sia stato Francho. Et in domandar la investitura non li periudica el tempo de XL. zorni, over de uno anno, a chi tien li feudi segondo lo muodo de li Griegi. Altri dixe lo contrario plu verisimele, salvo se li feudatarii fosse villani.

Como la donation & franchexia facta a lo villano apparando scriptura val in vita del donador.

CXXXIX. Se feudatario Franco havera concedudo libertade a lo suo villano, & haverali dado terra feudal dapuo la libertade, *la* donation sia *ferma* in vita de quello, *che* l' ha conceduta, & donado, dumente che lo apara le lettere de la donation, & libertade; altramente lui medeximo pora revocar le predicte cose.

Come lo legio, over la legia, non è tegnudo a pagar colta per le caxe, che ello habita.

CXL. Lo legio, over la legia, per le caxe, dove che elli habita, non è tegnudo de dar colta, over guardia in la terra là che le caxe è metude. Ma se ello havera altre caxe, over vigne, lo è tegnudo a donar le cose predicte.

Como la moier del feudatario, renuntiando so marido lo feo al suo Signor, ella non die haver duario de quello, chel marido havera renuntiado.

CXLI. Se algun feudatario contrazera matrimonio cum alguna, & ello renuntia in le man del suo Signor lo feo, che lo tien da lui, lo qual lo puo renuntiar, driedo la morte soa la moier non havera alguna cosa in doario del feo per lo so marido renuntiado. Ma sel marido acquista terra feudal, durando lo matrimonio, porave lui resignar quella terra in periudicio de la moier? Responde, che non.

Se lo Signor havera dado ad alguno vigna, o campo burgexiatico. *)

CXLII. Sel Principo, over altro Signor, havera dado vigna, over campo burgexiatico ad alguno, & a li heriedi de suo corpo descendendo, per censo annuale, se quelui a chi è donato muora non habiando heriedi de so corpo, in quelle cose donate succedera lo donador. Ma se mention fesse in le lettere, che lo li dona quella cosa in burgexia, in quella fiada quello, a chi è donato, puo, si vuol, vender quella cosa, & lagarla a qui li plaxe: & se lui muor senza testamento, succiede lo plui proximo, cusì como la cosa fosse mobele. Et lo Principo (3) puo far Burgexia del feo, over parte de feo.

(1) *De Romania.*) Ita C. B. D. Noster habet: *de Roma.*

(2) *Et senza alguna condecione.*) C. B. D. *e senza contrasto.*

(3) *Et lo Principo.*) C. B. D. *E solo lo Principo.*

Come de la menor Corte se puo appellar a la mazor.

CXLIII. De consuetudine de lo Imperio de Romagnia de la menor Corte de algun Baron, legio, o de feudatario, over de Official de Miser lo Principo, & de presente (1) si appellato a la Corte Principal, se Miser lo Principo (2), lo suo Signor, l'altro de guardo in guardo; & del Baylo del Principado de Achaia *a* Miser lo Principo (3) sel sera presente in lo Principado, & da lo Principo a lo Imperador, quando algun si gravato, *& pensando* (4) la appellatione *niente* è da renovar. Ampuo in caxon pecuniarie, over debito, non se appella de sguardo a la Corte granda *de* (5) Miser lo Principo. Excepto questo, che se alguno havera saisido alguno feo del subdito del so legio etiamdio iniustamente, non puo lo subdito haver recorso a lo Superior, se non passado anno & zorno, & servati li termeni de sovra ordenati.

Come se die procieder, quando se fa sguardo, & quando lo sguardo val & quando non. Et como non se po litigare in caxo de feo per procurador.

CXLIV. Sel se prociedera ad algun sguardo per la Corte principale, over per altra Corte driedo *sol a monte* (6), quello sguardo non val. Et si sera procedudo in dì de feria, valera quello sguardo. Veramente se alguna parte oppone che non vuol che sia procedudo a sguardo in dì de feria, lo Signor die soprafeder. Ni alguno puo litigare in caxo de feo per procurador, salvo si la parte *contraria* lo consente. Ampuo quando se die provulgar la sententia, le parte principal die esser presente.

Come in la Corte non se sporze libello, ni se mete advocato, che parla per lettera.

CXLV. In la Corte principale, & in altre plu basse, non si sporze libello, ma petition si si metuda; ni non si metudo advocato che parla per letera, over allegando le leze, over canoni. Ma vulgarmente si die proponer, & defender la cauxa de la parte soa; & questo è degna cosa, cumzosia che li legii per la maior parte sia homeni *idioti*. Veramente quando la quistion non se podesse diffinir per le usance del dicto Imperio, in quella fiada lo Signor, & quelli de la soa Corte puo haver recorso per haver conseio, a chi li plaxera.

Quando do litiga insieme, & domandado, che li sia dado conseio, che die esser.

CXLVI. Quando do litiga insembre, & uno de questi, over l' uno & l' altro, domanda che lo li sia dato conseio dal Signor, lo Signor è tegnudo a darli *a so* conseio alguno, o alguni de li so homeni legii, retegnudi a si quelli che lui vora per lo so conseio. Ma advocato lo non è tegnudo a dar. Et da puo quelli Consegieri, che sera dadi a la parte, facta la conclusion pora esser in lo guardo predicto. Excepto quello, che prepone la quistion, è persona miserabile, se lo non ha donde poder soldar alguno, che prepona, *e che diga la caxon soa, lo Signor è tegnudo de darli algun che propona* lo facto so, & *che* lo deffenda.

Como non procede perscription dal Signor al feudatario.

CXLVII. *Dal* Signor *al* feudatario so non prociede perscription, & e converso, ni da la Glexia al feudatario, *o e* converso (7), non corre perscrition in cose inmobile, over villani. Ma *che* die (8) esser de le cose mobele, & se movente?

Come se algun serà citado per caxone civil, o pecuniaria, & non compara a la terza citation, sera proceduto a la sententia.

CXLVIII. Quando algun feudatario, over chi che se sia, vegnera acitado in cauxa civil non feudataria, over pecuniaria, a petition de alguno altro, se lo sera citado tre fiade, & sera contumace, la corte oldira le testimonianze; & se colui che domanda provara la soa intention, el se procedera per sententia diffinitiva, non clamando plui quello, che sera stato contumace.

Como a far testamento non è bexogno farlo per Notario Publico.

CXLIX. Quando el se die far testamento, el non è de bexogno chel sia *presente* Noder publico. Ma basta che do, over tre testi omii insembre cum el testador sia, o legii, o altri, pur che li sia degni de fe, & meta li soi sigilli serati in lo testamento. Et se per aventura se trovasse in luogo là che alguno non havesse sigillo, in quella fiada basta che sia provato per testimonianze la volunta del testador; zoe che li testimonii sia franchi, zoe liberi. Ma in questo caxo se porave far se per i villani, o non? Et se lo testamento fosse agrevato de falsia, tal

(1) *Et de presente.*) Hæc desunt in C. B. D.

(2) *Se Miser lo Principo &c.*) C. B. D. *Se Miser lo Principo è de presente suo Signor, l'altro de grado in grado.*

(3) *A Miser lo Principo.*) Ita C. B. D. Noster: *& a Miser lo Principo.*

(4) *Et pensando &c.*) Ita C. B. D. Noster meo judicio erronee: *petando la appellatione niente de mancho è da renovar.*

(5) *De.*) Ita C. B. D. Noster *da.*

(6) *Driedo sol a monte.*) Ita C. B. D. Noster male: *driedo lo so lamento.*

(7) *O e converso.*) Ita C. B. D. Noster: *de converso.*

(8) *Ma che die esser &c.*) Ita C. B. D. Noster: *ma die esser* assertive, ut videtur, non interrogative.

tal quiſtion ſera determenada davanti la Corte ſecular. Et ſe quiſtion ſera *moveſta*, ſe lo dicto teſtamento ſia de valor, o non, a cognoſſer de zo apertien a Judice Eccleſiaſtico. Ma davanti chi ſe die adomandar li legati a piatoxe (1) caxon, ſi lo heriede, over lo executor non lo vora pagar? Reſpondi che davanti lo diozeſan. Ma de altro legato davanti chi ſe domandara?

Como li inſtromenti die eſſer roboradi per ſigillo.

CL. Lo inſtromento, che ſe fa in lo Principado, ſe lo non è roborato con li ſigilli de li teſtimonii, non è de niſun valor. Veramente ſe lo ſera facto fuora del Principado, lo val, & tien fermeza.

Se uno legio olcideſſe uno villano, che deverave eſſer facto.

CLI. Se caxo avegniſſe, che lo homo legio olcideſſo alguno villano a caxo, lo è tegnudo al ſuo Signor de uno altro villano, che valia *quanto* quello. Ma queſto ſe lo haveſſe facto proponudamente, ſtaraſſe a la ſententia de li homeni legii del Signor là che lè cometudo lo homicidio, ſe lo Signor de lo luogo ha iuriſdition in coſe criminal.

Como tuti li homeni liberi puo vender li ſuo rendedi ſenza comerchio.

CLII. Tuti li feudatarii, & li altri liberi homeni del Principado predicto liberamente puo vender li ſoi fructi, & rendedi, over provenzi, ſenza comerchio, coſi in lo Principado, come ad altri che li vora comprar, & portar fuora del Principado, ſalvo ſe li ſono inimixi, Excepto queſto, che per neceſſitade de la patria per Miſer lo Principo con lo conſeio, & conſentimento de li ſo legii, ſe pora ordenar, che infina certo tempo li beni non ſia portati fuora del Principado.

Como ſi letigio foſſe per alguno feo che vachaſſe, quel feo die eſſer ſequeſtrado.

CLIII. Se caxo avegniſſe, che vacaſſe alguno feo, over parte de feo, e quiſtion naſſeſſe intra do perſone, in quello inſtante zuſta coſa è, che lo feudo, o parte de feudo ſia ſequeſtrado per lo Signor appreſſo alguno degno de fe, infina che la quiſtion predicta ſera diffinida. Ma che ſerave, ſe la quiſtion foſſe intro lo Signor, & quelli che domanda lo feo? Reſponde, che lo feudo romagnera in man del Signor, infina che la quiſtion ſera cognoſſuda.

Come lo marido die pagar li debiti de la moier.

CLIV. Lo marito die pagar li debiti de la moier, benche la moier haveſſe facto li debiti avanti che intro loro foſſe contrato lo matrimonio, ſe de quella lo havera habudo mobele coſe, o ſemovente, etiamdio ſe la moier ſera morta. Et ſe la moier vive, lo marido è tegnudo a pagar li debiti, etiamdio ſe lo marido non havera habudo alguna coſa di beni mobeli de la moier ſoa.

Quando teſauro ſe trovaſſe, che die eſſer.

CLV. Quando teſauro vien trovado in algun luogo per homo libero, & in terra propria, quelui che trovera, ha la mitade, & Miſer lo Principo l' altra mitade. Et ſe lo trova in terra d'altrui, lo Signor ha la terza parte, zoe quelui, che è Signor del feo, over de la terra burgexiatica, & la terza parte colui che trova, & la terza parte Miſer lo Principo. Et ſe quello che trova ſera villan, la raxon del villan ſi devien al ſuo Signor.

Come la femena maridada non puo ordenar teſtamento de la ſoa dota.

CLVI. La femena maridada non puo ordenar teſtamento de la ſoa dota, imperzo chel marido vadagna la dota; ni etiamdio de li ſo mobeli, over inmobeli fuora de la dota, ſenza licentia (2); imperzo che quello, che l' aquiſta durando lo matrimonio per ſucceſſion de legatario, over de donation, partien a lo marido. Excepto ſi altri pacti foſſe, o altre convention. Et ſe homo legio, over zaſchaduno altro libero, prenda per moier alguna che habia beni burgexiatichi, over mobeli, tuti devien del marito. Et li fioli del primo matrimonio non ſucciede *in* alguna coſa. Et quello medeximo, ſe la legia, over feudataria ha algune coſe burgexiatiche, over mobele, & alguno non legio la prendeſſe per moier, quelli beni devien al marido; ſalvo, ſe pacti contrarii ſe trovaſſe, o ſe la moier vivera più chel marido, & driedo de lui; perche in quella fiata li beni burgexiatichi roman a quella, avegna che *non* (3) li beni mobeli, ſe lo marido muor teſtado.

Quando uno vuol far bataia contra l' altro, die dar lo gagio de la bataia.

CLVII. Se uno vora far bataia contra l' altro, ſegondo la conſuetudine de lo Imperio de Romagnia, lo puo far, dagando lo gaio de la bataia.

(1) *A piatoxe &c.*) Hæc uſque ad interrogationem deſunt in C. B. D.
(2) *Senza licentia.*) C. B. D. addit: *de ſuo marido.*
(3) *Non.*) Ita C. B. D. Hæc particula deeſt in noſtro.

Come basta, quando è provado per homeni legii, che sententia sia dada, benche la sententia non apparesse.

CLVIII. Se sguardo sera facto per alguno, & non para in scriptis la sententia, el basta che lo li sia approvato per do homeni legii, o plui, lo dicto sguardo, li quali se habia trovati esser in quello sguardo. Ma che serave se non fosse legii, ma fosse altri degni de fede, che se *aricordasse* de la dicta cosa?

Como li pasculi, & luogi de caxaxon de li subditi de Miser lo Principo son comuni.

CLIX. Si come i pasculi, & luogi de cazasone de li subditi de Miser lo Principo sono comuni segondo le uxance de lo Imperio de Romania, cosi fo ordenado, che li pascoli, & li luogi *de* cazaxon de Miser lo Principo sia comuni, zoe intro lui, & li soi legii. Ma che sera de li altri feudatarii? Ampuo se algun prato sera ordenado esser guardado per lo Signor, o subdito, per li suoi cavalli, quello sera del Signor del prato. In li boschi veramente vedadi antigamente, & deputadi per monicion de li castelli, nessuno se debia impazar de quelli, se non lo Signor del bosco. Veramente in li grandi boschi quelli che habita là, puo taiar legni de li arbori, che non porta fructo, per edificar sue caxe, & per suo bexogni; & li altri vixini puo taiar legne seche, & arbori infructiferi; li villani etiamdio che habita là puo meter li soi borchi a amanzare le glande chè sono per terra zaxando, e passerli. Veramente la selva selvaza è comuna a tuti.

Come die esser dado XV. zorni de termene a uno che possiede feo, o parte de feo, quando lo li vien movesto questíon; & dapuo ancora altri termeni.

CLX. Quando alguno muove quistion contra alguno che possiede alguno feo, o parte de feo, a colui che possedera sera dato termene quindexe zorni per avixarse, se lui lo domandara; e puo havera altri quindexe zorni a domandar, & cercar conseio; & da puo altri quindexe zorni a responder. Et se ello sera contumace, passando li dicti XV. zorni, in quella fiata la Corte metera lo aversario de colui in possession de la cosa domandada. Ma se lo non comparera in la prima citation, che die esser? Responde, che tre fiade lo die esser citado, & si in la terza citation non comparera, & sera contumace, lo suo adversario sera metudo in possession de la cosa domandada. Ma si lo comparera, lo havera termene XL. zorni per la soa defension. Et se infra li dicti XL. zorni e detegnudo da zusto impazo lo non se pora legitimamente defendere, ancora lo havera altri XL. zorni. Finalmente la Corte *ha* XL. altri zorni a termenar quella cosa. Et quello medeximo termene si si dessignato a provar, como algun tien terra feudal dal suo Signor. Ma che se die far, se colui che fa citar alguno, sera contumace a non vegnir? Responde che lo satisfa de le spexe a quello, che fo acitado, & quello che domanda recomenzera la quistion da nuovo. Se la quistion non fo testificada, alguni conseia a lo debitor che ello *non* debia *dir* alguna cosa per la soa defexa infra lo termene sopradicto; & in quella fiada domanda quello che segue: la qual cosa io non laudo: Ma plui segura via è, che lo diga alguna cosa, proforando cum protestation, che ancora lo intende produr in lo seguente termene le suo defension.

Como olcidando alguno defendandose, non merita pena.

CLXI. Lo feudatario, over chi che se sia, si defendandose occidera algun, per quello non merita pena alguna.

Come alguno non die intrar in lo caxal del feudatario senza so voler.

CLXII. Lo Official de Miser lo Principo, over de chi se voia, non puo, ni die intrar in lo caxal de alguno feudatario, là che ello compra alcuna cosa, contra la volunta del Signor del caxale; & la raxon, perche pagando lo servixio, lo suo Signor non se die impazar de li villani del suo feudatario; salvo se non fosse caxon criminal.

Come non die clamar algun altro traditor, ne far falso sagramento.

CLXIII. Se uno feudatario, over altri qual se sia, clamera alguno traditor siando avanti la Corte, se lui non li pora provar, lo è tegnudo a quella pena, che quello dovesse portar. Et se alguno, dagandoli sagramento in facto de testimonianza, testimoniasse falsamente, lo non die esser tolto plu per testimonio in alguna caxon, & pagar etiamdio yperperi LXXII., altramente (1) perda la man.

De la preda, che se fa in facto d'arme.

CLXIV. Se alguni homeni d'arme feudatarii pagando lo lor servixio andara contra li inimixi, donde elli havera alguno vadagno, se lo Capitanio de Miser lo Principo se havera trovado là al presente, lo Signor havera la mitade, & l'altra mitade sera partida per rata segondo la qualita de li homeni d'arme. Et se lo Capitanio non sera stato al presente la preda si die vegnir a quelli, che la vadagna. Veramente se a cla-

(1) *Altramente.*) C. B. D. *e non abiando de pagar.*

clamor alguno andara contra li inimixi, & si recovrera la preda in quello dì da li inimixi, a lo Signor proprio, o a li Signori, la preda sera restituida. Et se la preda romagnera in le man de inimici per uno zorno, & una nocte, la sera conceduta a color, che la vadagnera, secondo la descretion sopradicta.

Come quello che litiga puo recusar el conseio del Signor per suspicione.

CLXV. Se quello che litiga havera alguno sospecto del conseio del suo Signor, ello lo puo recuxar de far lo sguardo, provando caxon legitima de la sospitione.

Se alguno comanda uno altro. *)

CLXVI. Se alguno dira ad uno altro: Io te comando (1) che tu faci la tal cosa sotto pena de cento yperperi, o tu non la faci; quelui, a qui vien facto lo comandamento, non è tegnudo de obedir a quello, salvo se colui, che lo comanda, havera poder, o iurisdition sopra lui (2).

Quando nissun lassa suo Signor, & scampa. *)

CLXVII. Quando alguno lassa lo suo Signor in bataia, & scampa avanti chel sia la sconfita, lo è degno de esser desheredidado de la terra soa per sguardo de la Corte del suo Signor. Et se alguno alcidera alguno altro, e sia prexo, over che per la Corte lo sia punido a morte, li soi beni non se perde, ma liberamente puo far testamento de li beni suoi; excepto che lo traditor.

Come se puo domandar sententia, over sguardo. *)

CLVIII. La parte puo domandar sententia, over sguardo, se vora che li sia data in scripto. Et la Corte è tegnuda de darlila *soto* li sigilli de quelli, che sguarda. Et lo Signor è tegnudo de far meter in scripto lo sguardo de la soa Corte in lo suo registro.

Se algun violentemente metera man in lo Official. *)

CLXIX. Se alguno violentemente metera man in lo Official del suo Signor non deffendandose, el se stara al zudixio de li legii del Signor suo, azo che quelli li meta pena. Ma che pena sera quella? Responde, che io credo che arbitraria, da puo che la non è determenada. Li Officiali se intende *Protovistiario*, & Tesaurier de Miser lo Princîpo, & Capetanio d' arme. Ma che sera, si lo fosse Castellan, o *Comensal* fameio de Miser lo Principo?

Azo chel contrato vaia. *.

CLXX. Azo chel contracto vaia & tegna e sia fermo per quello chel vien facto segondo le uxanze de lo Imperio de Constantinopoli, *el basta chel se contegna in le lettere, over instrumenti che le parte renuncia a tute le uxance del Imperio de Constantinopoli*, & a le raxon per si *introdute* (3), ni non fa bexogno, che sia facto renunciation de leze, o de canoni.

De li rendedi, li qual sono uxati de venderse. *)

CLXXI. Se alguni rendedi de Miser lo Principo, li quali sono uxati de venderse a certi termeni per li suo Officiali, che a zo ha comandamenti, sera vendudi avanti li termeni uxati, se da puo non sera el consentimento de Miser lo Principo., over de suo Luogotenente, quella vendition non valera. Tu die saver, che de uxanza del Principado (4) vien observado, che al Protovistiario apartien la vendition de li rendedi del Principo, & a lo Tesaurario apartien la recolition de li denari, & la destribution.

Se alguna cosa se vendera per manco. *)

CLXXII. Se alguna cosa se vendera per manco de la mitade del zusto prexio, over se logera ad afficto, lo comprador, over conductor, si die sublir lo prexio (5), over che lo li sia restituidi li suo denari, che lo havera dadi; salvo sil vendedor, over logador renuntiara a questa raxon per si *introduta* (6), over se la dicta cosa se vendera, o se *logera* ad incanto, perche in quella fiada la vendicion, o *loganson* romagnera ferma, & rata.

Como non puo acquistar la terra concessa de sua auctorita. *)

CLXXIII. *Se quello*, a chi è facta la concession de alguna *terra*, *per* propria auctoritade aquistera la possession de quella terra, cusi facta possession è nulla, perche el donador die dar ad alguno el suo poder, azoche con sua auctoritade meta quello in possession. Veramente sel mostra lo privilegio, & prova la possession, lo li basta.

Como se die far, quando lo villan contraze matrimonio &c. *)

CLXXIV. Sel villan contrazera matrimonio

(1) *Io te comando.*) C. B. D. addit: *per parte del Signor.*

(2) *Sopra lui.*) In C. B. D. hæc adduntur: *per tenor del qual l' è tegnudo de obedir. Veramente se li sera fato el comandamento per parte del Signor sovra briga, in quella fiada el se die abstegnir de la briga.*

(3) *Introdute.*) Ita C. B. D. Noster: *introdicte.*

(4) *Del Principado.*) C. B. D. *del Imperio.*

(5) *Si die sublir lo prexio.*) C. B. D. addit: *del men si vender.*

(6) *Introdute.*) Ita C. B. D. Noster: *introdicta.*

nio cum villana d' altri, la villana devien villana del Signor de lo villan, etiamdio driedo la morte del marido, se de quelli sera nassudo prole, benche morisse incontinente: Et se la moier morirà avanti, lo marido guadagna la dota. Ma morando la moier non habiando habudo fioli, la dota torna al padre, o mare, o fradelli, per tal modo; zoe, quelli beni che apar, over che li sia mobeli, over semoventi, over sel fosse provado quelli beni esser stati venduti, & de quelli denari haver comprado altri beni, lo se pora do andar quelli per nome de la dota. La victuaria che sera in caxa, over li semenadi, se divideria a la fameia, computando al padre, fioli, o altri, per testa, segondo che in caxa se trovara. Salvo che se li havesse habudo *prole*, etiamdio purche havesse vagido, ben chel non viva, lo marido guadagna la dota. Et se la moier non ha padre, madre, over fratelli, non habiando habudo *prole*, el succiede el Signor *de la villana*. *E nissun villan puo maridar sua fola, nel villan puo contrazer matrimonio senza lisentia:* & sel contrazera, lo Signor li pora pugnir al suo arbitrio, & tuor la dota, che havera dada lo so villan, over villana. Questo veramente, se la dota se trovera in lo luogo del Signor de la villana; altramente se la villana havesse portado *la dota* a lo luogo del Signor de so marido, in quella fiada lo primo Signor non porave tuor alguna cosa; salvo se ello non havesse vidado a la villana, che non contrazesse. Ma si lo marido muor lassando heriedi de quella moier, quella roman cum li fioli in lo luogo del Signor del suo marido. Ma si lo marido muore senza heriedi, in soa voluntade sta a la moier a tornar al primo Signor; ma non se pora miga partir de lo luogo, che l' habitava cum suo marido, pro darse ad altro Signor, che al primo. In li fioli non legitimi el parto siegue in el ventre, etiamdio se lo padre fosse libero. In le cose legitime el parto siegue in la condition del padre.

Come lo villan de feo intriego non puo testimoniar.

CLXXV. Lo villan de feo intriego non puo testimoniar, ma per parte de feo sì, zoe per vigna, o per terra, o per villan. Ampuo termeni de campi, de terre, e de selve, & de altre cose, vien provade per testimoniance de villani. Et in facto de testimoniar mazor fe se da ai villani strani, che *a* li proprii.

Quando lo villan de uno feo sia trovado possedudo per altro feudatario, che die esser.

CLXXVI. Se algun Signor havera dado alguno feo ad altri, & in altro luogo sia trovado villan del dicto feo possedudo per altro feudatario, l' è tegnudo a tornar al Signor del feo, salvo sel sera perscripto per spacio de XXX. anni. Intendi sanamente, che la prescription non procede *dal* Signor al feudatario, & per converso.

Quando villani di feudatarii fazando ad insembre briga, & l' uno ferira l' altro, che die esser.

CLXXVII. Se do villani de feudati fazando ad insembre briga, & uno ferira l' altro, la pena metuda a quello che ferira, si die *convertir* a lo Signor, salvo se in prima la acuxation proponuda fosse stada per quello che havesse habudo la inzuria *acuxada* in la Corte de Miser lo Principo, over de quello che adovra in quel paixe la raxon, & la iustitia, de uxanza de lo Imperio de Romania; over si lo delicto se cometesse in luogo là che lo Signor havesse Capitanio per far iustitia, como è Clarenza, e Adruxe.

Come la donation facta ad alguno villano val a vita del donador.

CLXXVIII. La donation facta per alguno chel possa far, de alguna terra *ad* alguno villano proprio, over forestier, zoe de altri, val a la vita del donador. Ma dapuo la soa morte el suo herede, o successor, la pora revocar, se a lui plaxera. Ma si la donation sera facta ad alguno Arconda, non se puo revocar per lo heriede, ni per lo successor.

Li fioli che sera nassudi de villan, e de villana, de do Signori, romagne villani del Signor de la villana.

CLXXIX. Se lo villan de alguno feudatario, lo qual sia soluto, cognossera alcuna villana soluta de altro feudatario, & de quelli se procedera fioli, benche dapuo ad insembre elli contrazera, niente men li fioli romagna villani del Signor de la villana.

Come li fioli del villan, che sia maridado cum femena libera, deventano villani del Signor del primo villan.

CLXXX. Se libera non feudataria contrazera con villano, vivando lo marito deventa villana del Signor del so marido. Et se la vive da puo lo marido, la torna a la prima liberta: & li fioli de quello romagne villani. Ma che serave, se la iera feudataria? El sera quella medexima cosa.

Come lo villan, che se havera sottometudo ad algun, non se puo partir senza so lizentia.

CLXXXI. Se alguno villan nassudo fuora del Principado vegnera al Principado, & sotometerasse ad alguno libero, & lo libero lo possedera per anno e dì, over sel sera nicario nassudo fuora del Principado, & havera pagado nicariado per lo termene sopradicto, & vora partirse da ello, non pora senza so li-

licentia de quello, a chi el se havera sottomesso, over de quello, a chi el paga el nicariado, & etiamdio si volesse andar per star a la caxa de Miser lo Principo, impero chel devien villan del dicto libero.

Come lo villan stagando XXX. anni in la terra de alguno feudatario deventa so villano.

CLXXXII. Se villan del Principado nassudo stara XXX. anni in la terra de altro feudatario, tegnando terra, o vigna de quello, over recognosando quello in Signor; & lo proprio Signor del villan non lo havera requierido, over lo villan non li pagara alguna cosa in segno de subiction, el villan sera de quello, del qual ello sera stato per XXX. anni. Ma se ello sera sta nicario, & nassudo in lo Principado, non li perzudega per algun tempo.

Quando alguno zurado vien donado a la Glexia, che die esser.

CLXXXIII. Quando alguno zurado vien donado a la Glexia per alguno feudatario, lo zurado cum li fioli, & cum la staxia intriega roman a la Glexia; e driedo la morte del padre la Glexia eleze uno de li fioli, qual lui vora, con la staxia intriega; & li altri roman al Signor, che *dono lo* zurado, over a lo suo heriede. Ampuo è tegnudo lo zurado de dar ogni anno al Signor del caxal lo achrostico, over chrustilio, zoe *a dir*, zera, o galine, o ove.

Che die esser quando lo villan havesse plantado vigna in lo luogo de altro feudatario.

CLXXXIV. Se lo villan de uno feudatario havera plantado vigna in lo luogo de altro feudatario de so licentia, lo villan ha la mitade de la vigna, se altri pati non apar; & da puo quando la vigna è destruta, la terra torna al primo Signor de la terra. Et si sera partido de lo luogo, over morto senza fioli, succiede el suo Signor, zoe si per quella terra de vigna lo recognosse alguna cosa, & lo Signor de la terra consentisse a quella recognition medexima. Ma se ello sera nicario de alguno che habia terra, & in quella terra havera plantado alguna cosa, sel se partira de lo luogo, o morira senza fioli, in tuti li plantadi, & edificii succiede lo Signor de la terra, sive recognoscat aliquid pro terra, sive non. Ma se ello (1) non sera cognosudo, & scampera, o sara morto senza fioli, succiede lo Signor del caxal, del qual in prima fo la terra.

Como lo Signor del villan succiede in li beni de quello, si muor senza heriedi.

CLXXXV. Se lo villan de chi che lo si sia muor senza heriedi de so corpo, lo suo Signor succiede in li suoi beni mobeli, & inmobeli, etiamdio se lo ha ordenado testamento senza licentia del so Signor.

Come lo villan siando stato in la terra de altri, & se voia partir, puo portar la soa roba; & quando niega lo suo Signor, che die esser.

CLXXXVI. Quando alguno villan aquista alcuna cosa in la terra de altrui là demorando, & lo suo Signor *lo* vora trar de quello luogo, lo puo deportar cum si li beni, che lo havera portado, & li altri che lo ha acquistado, se lo ha recognossudo lo so Signor, & si lo recognossa. Ma si lo non lo ha recognossudo, lo Signor de la dita terra pora tuor quelli beni. Et se lo veraxio Signor del villan havera recomandado quelli beni cum la persona de lo homo a lo Signor della terra, in quella fiada lo villan portara cum lui quelli per la recomandation facta. Et quando alguno villan niega esser villan del suo Signor, la pena sta al arbitrio del suo Signor. Ni etiamdio alguno villano siando agrevado *quanto* se voia del suo Signor, ello non puo far lamento de lui a lo Signor Superior, ni etiamdio appellarse a lui de lo agrevamento, che li faza lo suo Signor.

Come lo Signor puo meter lo so proprio villan in prixon.

CLXXXVII. Si *a lo* Signor plaxe, lo po meter lo so proprio villan in prexon, over tegnirlo in caxa soa per una nocte, & non plui, si che adesso puo lo è tegnudo mandarlo in la prexón del Signor Superior. Et lo villan puo vender li soi animali, & altri beni mobeli, senza domandar lo so Signor, dumentre che tegna uno paro de buoi, & uno axino, per servixio del suo Signor, & per so sustentation: Salvo, si lo Signor lo comandasse, che ello non vendesse alcuna cosa.

Sel villan nassudo al paixe se subigera ad alguno.

CLXXXVIII. Se lo villan de alguno Signor del Principato, che sia nassudo a lo paixe, *se* subigera ad alguno, & sera possedudo da quello per anno & dì, ello non pora puo sottometerse ad altro Signor; ma lo proprio Signor lo pora ben revocar, & haverlo.

Se villan, e villana contrazera matrimonio.

CLXXXIX. Sel villan, e villana legitimamente contrazera ad insempre, benchel matrimonio non sera intro elli solepnizado, niente men li lor fioli è tegnudi legitimi.

Co-

(1) *Ma se ello &c.*) C. B. D. *ma sel sara cognosudo, o scampera*. Quod neutrum recte intelligo.

Come se alguna staxia è partida intro padre, & fioli, el Signor succedera. *)

CXC. Se alguna staxia è partida intro el pare, el fiol, over fioli, over intro fradelli, el non succiede l' uno a l' altro, ma lo Signor de quelli. E se ella non è divisa, la successión ha luogo. Et quando alguna partixon è facta intro el padre, el fiol, over intro li fradelli, in quella fiada zascadun de quelli è tegnudo a *dar* el servixio intriego al suo Signor, zoe la dispoticaria, & la recognition, che se dixe achrostico, tuti paga in comun per staxia intriega, si como avanti la partixon.

Como non se die negar copia de le testimonianze a quelui, che litiga in iuditio.

CXCI. Quando algun litiga ad insembre, se elli vora haver la copia de le testimoniance produte in iuditio, la copia non li die esser negada. Et se algun produxe alguni testimonii a provar la soa intention, se ello se apozera a quella producion de testimonii, ello non pora produr altri; ma sel non stara contento de quella producion, si pora produr altri.

Chi non pago lo so censo, puoi lo paga dupio.

CXCII. Chi non paga lo censo a Miser lo Principo per anno, o per do, o per tre, o plui, è tegnudo a pagar lo censo duplo: altra punition non die haver.

A chi aspeta examinar testimonianza. *)

CXCIII. Quando alguno ha quistion contra homo legio de caxón de feo, & vuol produr testimonii contra quello, lo Signor non puo cometer la examination de li testimonii, se non a legio. Ma se la quistion se fara contra homo de plan homagio, la examination de li testimonii se cometera *a un so par, o mazor de lui*. Et si la quistion non sera feudal, o civil, over burgexiatica, over de cose mobele, la examination de li testimonii se cometera a chi li plaxera, purche *sia libero* (1).

Che die esser de villana, o libera, che contrazera matrimonio.

CXCIV. Questo è da observar, che se villana, o libera, contrazera matrimonio cum villan, o cum arcunda, driedo la morte del marido la non havera doario, perche le soe terre se parte intro li fioli, o fie, se non ha fioli. Et dapuo che sera facta la partixon intro li fioli, se alguno de quelli muor senza heriedi legitimi de so corpo, el succiede lo Signor de quello, da chi ello tien la terra.

Come se die citar legii, & como li non se die tromentar, se non tre fiade.

CXCV. Quando alguno legio vien citado a compater avanti lo suo Signor a responder per lo suo hereditazo, quello che die citar, die haver per lo manco do homeni legii, se li pora haver, azo che li possa render testimonianza de la citation. Et quando per alguno delicto se dieba tromentar alguno homo legio, lo non se die tromentar se non tre fiade, in presentia almen de tre homeni legii.

Chi vuol, se puo infina X. zorni appellarse.

CXCVI. Chi vuol, se puo appellar de agravamento, over sententia, plu tosto chel puo, infina X. zorni, e viva voxe, & seguir la soa appellatione infra XL. zorni, se quello, a chi el s'è appellato, è in lo Principado. Ma si lo sera de fuora, lo havera termene uno anno. Et la appellation non ha luogo, se quello a chi s'è appellado è fuora del Principado, salvo si fosse Miser lo Principo, o como è lo Imperador de Constantinopoli, o Re.

Como lo Signor puo tuor tuti li beni mobeli del suo villan.

CXCVII. De consuetudine si è del Principado predicto, che lo Signor puo tuor tuti li beni mobeli del suo villan, & de la villana, se lo vuol, & tuor la staxia sua, & darla ad altro villan so, salvo che lo *li* die lassar per sustentation de la vita soa, azo chel feo, del qual ello è villan, non se menimasse.

In che caxo non se puo testimoniar el villan. *)

CXCVIII. Griego villan in caxon del criminal, là che debia *andar* lo cavo, o taiar membro, non puo esser testimonio contra homo legio.

Come se per la corte sera assegna termene. *)

CXCVIIII. Se per la Corte de Miser lo Principo, over de altro lezo, sera sguardo che alguno subdito sia tegnudo a provar, como ello tien la terra del suo Signor, over altra cosa simele, & termene non li sera stabilido, el tempo non li preiudica, anzi quando li plaxera, lo el puo provar, salvo si puo per la Corte li sera assignado termene.

La regula zeneral, che se dè observar. *)

CC. Regula general è segondo la usanza de lo Imperio de Romania, che in caxi civili,

(1) *Purche sia libero.*) Ita C. B. D. Noster minus recte: *purche li sia liberi.*

vili, criminali, o feudali, lo venzudo non è cundenado al venzedor in le spexe.

*Se termene se dara a lui, che habia moier. *)*

CCI. Se alguno termene sera assignado ad alguno che habia moier, per caxon feudal, che tocha a lui, over a soa moier, & in quello mezo lui morisse, lo dicto termene non periudica alguna cosa a soa moier, anzi è de necesso a comenzar la question da nuovo.

*A qui apartien cognosser li sigilli. *)*

CCII. Li sigilli cognossuti de li legii de Miser lo Principo fa fede in iuditio. Et se quistion fosse, si li dicti sigilli è cognossuti, o non, a li legii apartien de termenar quella cognition.

*De i villani, che fuziffe in lo Principado. *)*

CCIII. De consuetudine è de lo Imperio de Romagnia, che zascaduno che ha villano, o villana, e scampa, se lo li puo prender in zascaduno luogo che lo li trovasse in lo Principado de Achaia, se elli se trovasse in la terra del Principo, o de li suo Barogni, requieridi etiamdio lo Principo, e Barogni che ha iurisdition in quello luogo, purche quelli villani confessa esser de quello, che li domanda.

*Quando alguna cosa vien venduda. *)*

CCIV. Se alguna vendition de cosa mobele, o inmobele se fara ad alguno, & quello che compra dara uno picolo tornexe per nome de ara a lo vendedor; *sel vendedor*, o lo comprador da puo se *pintira*, & non vora attender a lo mercado, die pagar per pena de la ara yperperi XXV.

*Sel sera messo uno villan de piantar in la terra de uno altro feo. *)*

CCV. Lo feudatario tegnando terre feudal de diversi Signori, se lo havera metudo villani de uno feo in la terra de uno altro feo, & li dicti villani havera plantado vigne; & da puo si lo muor non lassando heriedi, li villani *che* havera plantado quelle vigne, da puo la morte del feudatario si le possedera, non obstante che li dicti feudi sia pervegnudi a diversi Signori. Veramente pagara li villani predicti al Signor de la terra per le vigne, segondo che la terra plantada requiere; & lassara lo rexiduo de la staxia, la qual li tegniva vivando lo primo Signor, se vora lo Signor de quelli, over quelli prestar lo servixio per tuta la staxia.

*Como lo Signor puoralo punir lo so villan in prexon. *)*

CCVI. Lo feudatario puo meter lo so villan in la prexon del Signor de lo luogo, si ampuo, che passadi XV. zorni (1), lo feudatario è tegnudo de dar al suo villan zascun dì pan & aqua. Et si el Signor del feudatario ha prixon, lo villan non die esser metudo in altra prixon, se lo villan non ha donde vivere.

*Qui puo acitar la parte adversa. *)*

CCVII. Principo, over Baron, habiando iurisdition, a petition de alguno, puo far citar la parte adversa. Ma lo termene a provar la soa intention de le parte ello non puo dar in caxi civili feudali, o criminali de li feudali, senza conseio de li legii de la so Corte, e consentimento de la mazor parte de quelli, che fa residentia in la Corte.

*Como la cosa furtiva trovada torna al primo Signor. *)*

CCVIII. Quando alguna cosa se vende a lo incanto, o mercado publico, & dapuo se truova quella esser furtiva, lo Signor, de chi fo la cosa, la puo recovrar, fato in prima lo pagamento a quello, che la compra in li luogi predicti; salvo se lo laro fosse piado, perche in quella fiada quello che havesse comprado, haverave regresso sovra lo laro; & se lo laro non havesse da pagar, el sera imputado al comprador. Et si in altra parte che in li dicti luogi la cosa fosse venduda, & fosse puo trovada esser furtiva, la dicta cosa torna al primo Signor, & lo comprador non recovra niente del pagamento che l' havesse facto.

*Se a lo legio, over legia, descazesse algun feo, che die esser. *)*

CCIX. Se al feudatario lezo, o leza, scazesse algun feo, & quello, o quella, se presenta avanti lo Signor, & domanda la investitura, & la saisina de quello feo al tempo debito, servando li termeni ordenadi del Principado; & se lo suo Signor sera negligente ad implir quello, che li spetara de raxon liberamente, passando anno & dì ello mete la sua lamentation de lo torto, che li è facto, davanti lo Superior del so Signor; & provado questo, l' homazo torna a quello Superior con sguardo de la soa Corte. Ampuo se la dicta legia contrazesse matrimonio solepnizado cusi agrevada, avanti che la ponesse lo lamento avanti lo Superior del so Signor, dapuo la *solenicion* del matrimonio so marido fara da nuovo *la* requiexicion del feo davanti lo Signor de soa moier, como se nissuna requiexition fosse facta per soa moier. Ma se la moier havera metudo lo so lamento avanti che lo matrimonio sia solepnizado, in quella fiada driedo lo matrimonio solepnizado se procedera davanti lo Superior del Signor del feudato, senza chel dicto Signor del feudato sia plui requierido.

De

(1) *XV. zorni.*) C. B. D. *XL. zorni.*

De colui che fa lo homazo a chi non apartegna. *)

CCX. Chi fa homazo lezo, o de plan homazo, de la terra che tien, ad alguno, che quello homazo non apartiene, de presente el perde la terra, per la qual fa lo homazo, cum lo sguardo de la Corte. Et se in lo Principado non aparesse quello a chi è de far lo homazo, ni so Vicario, ma la terra de quello fosse governada per lo Superior, in quella fiada lo pora far homazo a lo Superior del suo Signor, sel sera requierido per lui, & non li voiando assignar la saisina de la terra, se lo non li fa homazo; cum protestation, salvando *la* fedelitade, & raxon de quello, a chi apartien lo homazo.

Quando lo feudatario non intra in possession infra l'anno. *)

CCXI. Quando alguno se apresenta davanti lo Signor suo per algun feo, che li *scaza*, *& di* quello feo sia investido per lui; se per lo feudatario romagnera, che lo non habia la saisina de quel feo infra anno & dì, & chel sia negligente ad aquistar la possession, el perde quel feo; & lo plui proximo, lo qual se presenta infra anno e dì dal tempo de quella descadentia, & have la possession, socciede in quello. Ma se alguno domanda alguno villano per so, lo qual negava de esser *de* lui, & otignera in lo iuditio contra lo villan, lo qual negava esser suo; & per lui sera stato, chel non havera habudo la saisina infra anno & dì, ottignando in primo iuditio, perde saisina de quello villano, & da puo, sel vora, lo pora domandar de la proprietade, contra lo villan inanzi dicto.

Quando se presenta alguno legio, over legia, avanti lo so Signor, per haver la invistixon. *)

CCXII. Quando in alguna terra die succieder algun legio, over legia, & si se presenta in lo tempo debito, segondo la uxanza de lo Imperio de Romagnia, avanti lo so Signor per haver la invistixon, se lo havera requierido lo so Signor una, do fiade, e tre (1), infra anno & dì, & non lo vora investir, & darli la saisina de quella terra, si como è tegnudo, pora lo feudatario, o feudataria, far lo lamento davanti lo Superior del suo Signor de la inzuria, che li è facta, passando anno & dì; & provando questo lo homazo torna al proximo Superior Signor, & *quel Superior Signor* si die investir lo feudatario, o feudataria predicta, & darli la saisina, se li sera domandada.

Miser lo Principo puo meter pena a li suo feudatarii. *)

CCXIII. Miser lo Principo, over alguno altro Superior, puo senza requierir li legii meter pena a li suo feudatarii, che li faza la tal cosa, over che non li faza, soto pena de esser indesfalta al so Signor, over soto pena del feo. Et sel feudatario non obedira a li comandamenti del so Superior, altra pena ello non li puo meter, se non saisirli la soa terra; & dandoli lo servixio per lo dicto feudatario, lo Signor è tegnudo de restituirli la terra *saisita* a colui, che li ha offerto lo servixio.

Se algun havera semenado in la terra d'altri. *)

CCXIV. Se uno feudatario havera semenado in la terra de uno altro, & non havera pagado lo zemuro al Signor de la terra, & havera portado tuta la blava a caxa soa, se lo Signor de chi è la terra, per forza *prendera* le zemuro de la caxa de quello, lo perde lo zemuro, e 'l se paga el doplo al Superior Signor de quello luogo, che so facta la violentia. Ma se la blava se trova in luogo del Signor de la terra, zoe là che so semenado, quello de chi è quel terren, pora tuor lo zemuro per propria auctoritade. Et se lo habitasse in la terra del Signor del feo, etiamdio sicomo nicario, lo Signor de la terra tuora lo zemuro de la caxa del villan per so propria auctoritade.

Quando alguno villan è debitor de alguna persona. *)

CCXV. Quando villan alguno è tegnudo ad altrui in certa quantita de danari per raxon de mercadantia, o per imprestedo, sel non ha de che pagar, la soa staxia non se die vender. Ma se lo Signor del villan consente che lo villan faza merchadantia, *el* se puo vender zo che per lui è acquistado, etiamdio le cose inmobele, excepto la staxia, azo chel satisfaza al creditor. Et sel non ha de che pagar, el sera metudo in prexon a petition del suo credidor. Ma se lo Signor del villan li comandara che non faza merchadantia, o che alguno non li impresta denari, se dapuo lo comandamento che li sera facto, lo villan contrazera merchadantia, o imprestedo, & non havera de che pagar, lo non puo esser metudo in prexon a petition del so creditor; ni quello, che li ha prestado, puo domandar niente. Ma si lo villan non sera mercadante, & è debitor de alguno, lè tegnudo a pagar li debiti; & per quello li soi mobeli se vendera, retegnando per si uno paro de buoi & uno axeno; ma in prexon lo non se puo me-

(1) *Una, do fiade, e tre.*) C. B. D. *una, o do fiade, o tre.*

meter, sel debito non fosse facto de licentia del Signor del villan.

Quando algun mete man in lo so legio. *)

CCXVI. Quando algun Baron, over altro, habiando sotto *de* si legio, & mete man inzurioxamente cum mala intention, & per so colpa, in lo legio so, meritamente se lo legio vora, lo puo far el so lamento avanti lo Superior Signor del so Signor de la inzuria che li sera stata facta; e questo provando, segondo (1) lo sguardo, la legia soa torna al proximo Superior del suo Signor.

Capitulo de avoieria. *)

CCXVII. Se feudataria havera *fiola*, & quella havera fiol, over fia, de alguno homo vivando la madre, & avene che la fia de la madre feudataria muor avanti ella, lo fiol, o fia, siando in etade pupilar, avanti che la fia investida del feudo de la madre, lo marido de questa non havera avoieria de la terra, che apartien a questa prole. *Ma* quello sera avoier, lo qual die succieder in quella terra, se la prole morisse senza heriedi. Et quella medexima cosa sera, se la feudataria sopradicta morira avanti la fia, & la fia morira avanti che la fia investida del feo de la madre, perche lo marido de quella non havera la avoieria de la terra, che apartien a la prole soa, & de la moier. Ma el sera avoier quello che die succieder in lo feo.

Per quanti modi se dixe avoier.

CCXVIII. L' avoier per molti muodi se dixe; zoe, lo Signor *del* feudatario, quando lo ha la avoieria; el plui proximo in grado; la madre, over lo padre; lo marido, che ha la avoieria de la moier, che li apertien terra feudal del so hereditazo, over del suo doario (2).

Como se die far, quando lo villan comete alguno peccato criminal, & non vuol comparer.

CCXIX. Quando alcun villan cometesse algun peccato criminal, per lo qual li vada pena de membro, o de la vita, e ello citado non vuol comparer, li soi beni per caxon de quello delicto, over per la contumazia, non die esser prexi, ne arestadi; perche in tuti li soi beni mobeli, & inmobeli, lo Signor del villan succiede, si como in li beni de suo servo. Et quello etiamdio se observa, se lo villan cometa tradimento, over altro mal, che li suo beni *è* del suo Signor, etiamdio se lo villan non devesse esser pugnido a pena capital, zoe de la testa.

FINIS ORDINUM (3) PRIMORUM CAPITULORUM IMPERII ROMANIÆ APPROBATORUM IN CONSILIO ROGATORUM.

(1) *Segondo.*) C. B. D. *seguido.*
(2) *Doario.*) C. B. D. addit: *ma i popilli de questo hereditagio è tegnudi de prestar omagio.*
(3) *Finis Ordinum &c.*) Hæc habentur tantum in Codice nostro.



Questi sono Capitoli (1) *trovadi in le uxance de Miser Zuan Corer, che mancano de queste uxance.*

I. SEr Miser Nicola de Zanvilla exercitando l' Ofizio del Baillado in el Principado de Acaia, fo ordenado, azo che Cavalier de algun luogo sia obligado a servixio personal per tuto l'anno, haver debia a lo retorno del anno yperperi otocento; el scudier veramente yperperi quatrocento. Se veramente sera de i habitanti del Principato haver debia servixio per uno anno, el cavalier yperperi siecento, el scudier yperperi trexento. De quelli veramente che die haver stivoria da Miser lo Principo, zoe algun dacio, over stimador, cosi fatamente el dicto Miser Nicolo ordena che chi ha do cavalli habia yperperi octo al mexe; chi veramente havera tre cavalli, haver debia yperperi dodexe, per i suo dacii, over per sua stimaria.

II. Colui, el qual havera dacio, over stimaria da algun suo Signor, dal qual quella, over quello, iustamente el possa dimandar, & el suo Signor sia tegnudo quella dar, aprexentar die el suo servixio debito; e quel prexentado, el suo Signor la stimaxon, over dacio di quel feudatario è tegnudo de dar, e consignar a quello; altramente el feudotario non è tegnudo ad algun servixio, avegna chel suo Signor sia tegnudo a dacio, over a stimaxon, benche el non dimanda servixio definatamente, chel sia aparechià de dar el servixio debito.

III. Quando algun senza conseio de la Corte vien privado de la sua possession, e quello per negligencia non ossa dimandar quella possession fra uno anno, & dì, colui perde la comodita di quella possession; E così fara de la proprieta, sel vora, se veramente non sara negligente infra l' anno a dimandar, che lo i sia fato consentimento de raxon segondo i termeni ordenadi, perche in quella fiada el non preiudica a quello algun termene del tempo passado.

IV. Conzosia che el vaca algun feudo, over parte de feudo, & el sia noto al Signor del feudotario, over al suo Luogotenente, che li riedi di quel feudo sia in el Principado, in quella fiada el feudo non se die sequestrar, si non passado quaranta zorni.

V. Se algun sera citado davanti la Corte a responder ad algun de algun hereditagio, dimandi termene de quindexe dì per poterse avixar; complidi i zorni XV. & non compara, el perde el termene del conseio, & de far la responsion, in si fata maniera, che se dapò el sara citado in quella caxon, quamvis el sia stà contumace al termene a lui concesso, lo i sera designado carentano .1. quindene, e l' adversa parte in possession di quella cosa, che sara stà dimandata, sera metudo.

VI. Quando el possiede algun alguna terra feudal per spacio de sie mexi, o men, & habia algun titulo de possieder, come tu puo pensar, de femenza, over donacion d' algun, avegna che ancora non habi possesso per anno e zorno, niente di quella terra se pora tuor da quello, si non per conseio de Baroni de la so Corte. Veramente ancor quel tal possessor in la caxon a lui mossa non havera quindexe dì, over carentanos: Ma havera altre volte termene raxonevele a responder a l' aversario.

VII. Da puo, che algun popillo, o pupilla sara pervegnuda ad etade legitima, e sera investido del feo, al qual die sucieder, ancora che l' avoier habia tolto el fruto di quel anno, niente meno complido quel anno di sua propria autoritade intrera in la possession del feudo, & in quel stado de semenaxon, over vigne, le qual el trovera in la sua terra, questo tal investido succedera quello, over quella.

VIII. Quando algun a peticion de algun vien citado, se quel citado se trovera in luogo, dove el Principo, over Bailo del Signor fara residencia, lo citado non ha raxon de revocar la ca . . . , & è tegnudo comparer davanti a quello. Colui, el qual fa citar, colui die dar termene a la citacion segondo la distancia di luoghi, dove & in che luoghi habita zacotadi.

EXPLICIT (2) LIBER DE CONSUETUDINIBUS IMPERII ROMANIÆ. DEO GRATIAS. AMEN.

---

(1) *Questi sono Capitoli &c.*) Hæc, quæ deinceps sequuntur usque ad finem, reperi in C. B. D.

(2) Hæc item leguntur in C. B. D.

Queste

Queste sono le Rubriche de li Capitoli de lo Imperio de Romania.

*I. Como Miser lo Principo die far homagio a Miser lo Imperador. *)*

*II. Como li Barogni & homeni legii de Miser lo Principo puo far homagio, & legia, & fidelitade. *)*

*III. Lo modo, che lo die tegnir lo afeudato quando lo vien homo legio del Signor. *)*

*IV. Come Miser lo Principo non puo pugnir alguno suo Baron, over feudatario, ni meter pena a li soi legii homeni, senza consentimento de li suo homeni legii. *)*

*V. Come nissun homo legio puo esser tegnudo per lo Signor, salvo che per do cose. *)*

*VI. Che se die far, se algun homo legio comete homicidio, o tradimento. *)*

*VII. Se per caxo fosse, che lo Signor fesse inzustamente saisir alguno suo subdito, zoe alguno feo de quello, che se die far. *)*

VIII. Quando nasse question intro lo Signor, e feudatario.

*IX. Como non puo spoiar algun de la so possession senza sguardo. *)*

*X. Como Miser lo Principo puo dar feo, che non deba. *)*

XI. Como Miser lo Principo non puo donar feo senza recognosanza.

XII. Se alguna quistion fosse movesta al feudatario.

*XIII. Como la parte puo requierir, che sia plui legii. *)*

*XIV. Como non puo saisir la terra de li afeudati del Baron. *)*

XV. Como se Miser lo Principo fosse prezo de li nimixi.

XVI. Como se die far, se alguna Castellanaria fosse prexa.

XVII. Como lo feudatario die andar a obedir lo so Signor.

*XVIII. Como se alguno cometesse tradimento contra lo Signor. *)*

XIX. Se Miser lo Principo havera Castel'o.

XX. Como non puo donar la legia ad algun de menor condition.

XXI. Se nassera question intro lo Signor, & feudatario.

XXII. Como lo Signor non puo chumandar a lo Baron a far servizio.

XXIII. Come non se puo meter taie, ni colte.

XXIV. Come se lo feudatario soprastesse de non dar lo servizio.

XXV. Como lo Signor puo far libero lo so villan.

XXVI. Quanto termene die haver lo feudatario a pariarse a dar lo servixio debito.

XXVII. Quando Miser lo Principo movesse guerra ad alguno suo Baron, che die far li Feudatarii.

XXVIII. Como lo Signor puo constrenzer lo feudatario a rezever cavallaria.

XXIX. Come lo feudatario puo esser schuxado de dar conseio a la corte.

XXX. Como lo legio, o la legia puo donar la terza parte del feo.

XXXI. Como la femina legia morto lo so marido se po maridar a qui li plaxe, salvo a inimigo.

XXXII. Como in fei, & baronie lo primogenito succiede.

XXXIII. Per qual caxon puo esser detegnudo lo legio de Miser lo Principo.

XXXIV. Como se driedo la morte del padre lo fio è de etade legitima, lo non paga relievo.

XXXV. Quanto die haver la legia, o de plan homaio, per so duario da puo la morte del marido.

XXXVI. Como vacando alguno feo, chi die succieder lo die domandar infina XL. zorni &c.

XXXVII. Como tuti li franchi puo far testamento, azonzando certe cose.

XXXVIII. Quando l' homo muor intestado, la moier succiede in li beni mobeli, & inmobeli burgexiatichi.

XXXIX. Capitolo de l' avoieria.

XL. Como lo padre, o la madre puo investir lo so fiol.

XLI. Como la moier se die prexentar, quando feo i descaze.

XLII. Qui puo cognoser de li caxi civil.

XLIII. Qui tocha far vendeta de sangue.

XLIV. Como la feudataria se puo prexentar davanti al Signor.

XLV. Como la moier non die haver doario, se non de la terra, che possedeva so marido.

XLVI. In che modo die dar la terza parte del feo lo legio, over la legia.

XLVII. Como se intende de plan homaio.

XLVIII. Como in la sententia, che non ha voxe.

XLIX. In che modo puo deponer querimonia contra lo suo Signor li subditi.

L. De lo legio, che da feudo.

LI. Como la terra roman al Signor, se lo subdito requiexido non havera dado lo servixio fra l' anno & zorno.

LII. Como lo feudatario non è tegnudo dar alguno servixio, se lo Signor muor non compida la promession del feo, terra, over quantita.

LIII. Como l' avoier che tien terra, che debia servixio, è tegnudo dar la persona.

LIV. Como lo pupillo puo esser investido per lo Signor, dal qual se tien lo feo.

LV. Come lo feudo die esser minuido, se lo homo legio non puo dar lo servixio che l' è tegnudo al Signor.

LVI. Come la moier non puo esser privata del marito de lo suo letto, e de le robe de lo suo corpo.

LVII. Come lo legio, & li heriedi è obligato a colui, a chi li da lo feo, se li fosse mossa question.

LVIII. Como la legia, che contrazera matrimonio, non puo desvestirse.

LIX. Come lo Signor è tegnudo a restituir la terra a quello, che se apresenta infra l' anno.

LX. Come lo Signor puo concieder lizentia al feudatario suo a star fuora del Principado.

LXI. Del feudatario che ha mare, o mavegna.

LXII. Como li fioli del feudatario morto die esser investidi.

LXIII. Como lo legio puo prestar homagio.

LXIV. Come do eguali in linea, lo masculo in successiõn sera avanti.

LXV. Come li feudatarii tegnudi ad alguno servixio al Signor, non sono obligadi dar quello fuora del Principado.

LXVI. La moier puo revocar la donation fatta in vita del marido, da puo la morte so.

LXVII. Come lo feudatario, che l' incore lepra, o altra infirmitade, che è tegnudo a servixio.

LXVIII. In che muodo die prestar lo homagio per lo homo legio.

LXIX. Chi rompe la saisina fatta per lo Signor, de presente è desreditado.

LXX. Lo homo legio, che l' è tegnudo ad algun servixio de uno anno, intendese chel debia servir quatro mexi.

LXXI. Qui è tegnudo a servir per tuto l' anno.

LXXII. Differentia fra lo legio & de plan homagio.

LXXIII. Come lo marito a la moier, & lie a lo marito, puo donar de burgexiaticho.

LXXIV. E non perzudega a lo subdito dar homagio, infina che la quistion è finida.

LXXV. Como lo homaio far se die per quello, che tuo moier, che ha feo.

LXXVI. El dotario feudal non puo esser donado da la moier, se non a la vita soa.

LXXVII. Lo heriede pora revocar la donation fatta de cosa feudal.

LXXVIII. Como la libera feudataria devien villana fatto matrimonio cum villan.

LXXIX. Como lo feudatario, Principo, over Baron, non puo investir alguno subdito suo.

LXXX. Come lo legio, over la legia, puo maridar soa fiola senza licentia del Signor. *)

LXXXI. Come la donation fatta per alguno feudatario in infirmitade, non val.

LXXXII. Como lo feudatario senza periuditio puo recomandar la soa terra al Signor.

LXXXIII. L' avoier, over lo Principo, die rezever li frutti, & li rendedi de lo eo.

LXXXIV. Le flumare, e li rivi de le aque partien a li fei.

LXXXV. Come lo Signor è tegnudo investir lo pupillo de lo feo domandado da lui, compido anni quatuordexe.

LXXXVI. Li nepoti, over le neze, non havera alguna cosa de la terra feudal infina eta legitima.

LXXXVII. Lo feudatario non è tegnudo dar algun servixio a lo Signor, se lui non li volesse dar stivoria.

LXXXVIII. Come se die far, se lo legio fosse agrevado del so feo.

LXXXIX. Como lo feudatario dapuo li anni XL. non è tegnudo personalmente servir al Signor.

XC. Come la donation conceduda per testimonii & senza lettera, valera.

XCI. Come el se stara a lo sagramento de colui che dicesse haver perso lettere de la donation.

XCII. Come lo avoier succiede lo feo, nonobstante chel havesse renuntiado la avoieria.

XCIII. Come se fa, quando a la moier, & a lo marido se conciede algun feo.

XCIV. Come nesun puo edificar Castello in lo Principado senza lizentia.

XCV. Come non se puo donar terra a tuti heriedi.

XCVI. Come nessun puo donar terra feudal a la Glexia, o Chomunitade, o a Villano.

XCVII. Come la moier del traditor non perde la soa dota, over duario, salvo se ella fosse stata colpevele.

XCVIII. Come basta a quelli che tien feudo de lo acquisto, che li mostra la saisina antiga.

XCIX. Come lo feudatario è tegnudo aiutar lo so Signor.

C. Come suciede lo plui proximo de colui che havesse lo feo, & se partisse etiam cum consentimento.

CI. Come colui che se parte cum consentimento del suo Signor, morto lo Signor è tegnudo de tornar.

CII. Come la donation de la terra feudale vale in vita del donador.

CIII. Come el pupillo investido puo donar el so mobele & obligarse.

CIV. Como li legii de alguno feudatario deventa legii del Signor, quando esso feudante muore.

CV. Come se fa, se nissun cum l' ordene de la Glexia contrazera matrimonio.

CVI. La terra de lo feudatario, che sia prexo de li inimixi, sera governada per lo Procurador.

CVII. La liberta che ha lo legio in donar uno, o do villani, o plui.

CVIII. Come li fioli, e fie de lo feudatario die haver vitto & vestito da lo avoier del feo del padre, come de la madre.

CIX. La fia del feudatario morto, over feudataria, constituida ad etade legitima die esser investida del feudo paterno.

CX.

CX. Quando alguna femena se trova graveda, quando muor so marido.
CXI. In quanti caxi lo Signor non puo denegar lizentia a suo feudatario.
CXII. La moier dapuo la morte del marido havera la mitade de la terra, nonobstante.
CXIII. Le feudatarie vedove non sono obligade per XL. zorni a prestar algun servixio driedo la morte de li homeni.
CXIV. Como li beni lagadi ad alguna feudataria pervegnerano a lo marido.
CXV. Come è in liberta renuntiar alguni fei, & retegnir de li altri.
CXVI. Como lo Signor è tegnudo puo investir del suo feo.
CXVII. Che nissun Official puo saisir la terra de alguno feudatario, se non lo Baylo.
CXVIII. Como lo Signor puo saisir la terra de alguno feudatario, zoe del morto.
CXIX. Como la feudataria legia, e de planhomagio liberamente se puo maridar a chi la vuol.
CXX. Uno feudatario ha uno anno a domandar la investixon.
*CXXI. Driedo la morte de la moier del feudatario li fioli puo domandar la investidura de la terra. *)*
CXXII. Chi tien terra d' altrui per recognosentia al anno, non è tegnudo farli sagramento.
*CXXIII. Se lo feudatario è obligato a servixio annual personalmente. *)*
*CXXIV. Colui che suciede in lo feo de alguno, non è obligato a pagar li debiti del suo precessor. *)*
*CXXV. La villana deventa libera, se contrazera matrimonio cum libero. *)*
*CXXVI. Se lo marido de la moier havera terra propria, & de la soa moier. *)*
*CXXVII. Che sera de la donation, la qual se fara a do persone. *)*
*CXXVIII. Come non se puo dar terra, se non con recognosenza. *)*
*CXXIX. Como vien legio lo marido de la legia. *)*
*CXXX. Come se die far, quando la prima suor morisse avanti lo so frar, se ha feudo. *)*
*CXXXI. Como lo avoier se die apresentar. *)*
*CXXXII. Como die valer la confession, la qual la moier fa a lo marido. *)*
*CXXXIII. Lo feudatario quando muore in la soa infirmitade non puo renuntiar lo so feo. *)*
*CXXXIV. La moier de colui, a chi lo feo è donato, sel muor avanti che qui dona muda la volunta. *)*
*CXXXV. Come lo feudatario de diverse Castellanie die prestar lo servixio. *)*
*CXXXVI. Come uno Baylo mandado a governar lo Imperio die far sagramento tocando li Evangelii. *)*
CXXXVII. Como a la vedova ad haver la mitade de la terra feudal, la qual possideva so marido, basta a provar che lo marido quella possideva.
CXXXVIII. Como li fioli, o fie de li feudatarii Griegi egualmente suciede in li fei ✝ Et altri dixe lo contrario, ut infra ✝.
CXXXIX. Como la donation & franchexia facta a lo villano apparando scriptura val in vita del donador.
CXL. Come lo legio, over la legia, non è tegnudo a pagar colta per le caxe, che ello habita.
CXLI. Como la moier del feudatario, renuntiando so marido lo feo al suo Signor, ella non die haver duario de quello, chel marido havera renuntiado.
*CXLII. Se lo Signor havera dado ad alguno vigna, o campo burgexiatico. *)*
CXLIII. Come de la menor Corte se puo appellar a la mazor.
CXLIV. Come se die procieder, quando se fa sguardo, & quando lo sguardo val, & quando non. Et como non se po litigare in caxo de feo per procurador.
CXLV. Come in la Corte non se sporze libello, ni se mete advocato, che parla per lettera.
CXLVI. Quando do litiga insieme, & domandado, che li sia dado conseio, che die esser.
CXLVII. Como non procede perscription dal Signor al feudatario.
CXLVIII. Come se algun sera citado per caxone civil, o pecuniaria, & non compara a la terza citation, sera proceduto a la sententia.
CXLIX. Como a far testamento non è bexogno farlo per Notario Publico.
CL. Como li instromenti die esser roboradi per sigillo.
CLI. Se uno legio olcidesse uno villano, che deverave esser facto.
CLII. Como tuti li homeni liberi puo vender li suo rendedi senza comerchio.
CLIII. Como si letigio fosse per alguno feo che vachasse, quel feo die esser sequestrado.
CLIV. Come lo marido die pagar li debiti de la moier.
CLV. Quando tesauro se trovasse, che die esser.
CLVI. Come la femena maridada non puo ordenar testamento de la soa dota.
CLVII. Quando uno vuol far bataia contra l' altro, die dar lo gagio de la bataia.
CLVIII. Come basta, quando è provado per homeni legii, che sententia sia dada, benche la sententia non apparesse.
CLIX. Como li pasculi, & luogi de caxaxon de li subditi de Miser lo Principo son comuni.
CLX. Come die esser dado XV. zorni de termene a uno che possiede feo, o parte de feo, quando lo li vien movesto question, & dapuo ancora altri termeni.
CLXI. Como olcidando alguno defendandose, non merita pena.

CLXII.

EXPLICIT VOLUMEN TERTIUM.

INDEX

INDEX RERUM.

A

Car-

Con-

D

E

F

G

H

I

Ju-

K

L

Le-

M

Ma-

N

Ovem

P

Pe-

Pœ-

S

T

V

Ver-

Ur-

F I N I S.

Legum Barbarorum Volumen I. excusum Venetiis Anno MDCCLXXXI. *prostat apud Sebastianum Coletium, & Franciscum Pitterium, pretio Librarum Ven.* XX., *Volumen* II. *Anno* MDCCLXXXIII. *& hoc* III. *Anno* MDCCLXXXV. *in lucem editum, pretio Librarum Ven.* XXVI.

